





IN

ROMANAS ET GRÆCAS
GRÆVII ET GRONOVII
ANTIQUITATES
NOVA
SUPPLEMENTA.
TOMUS III.

UTRIUSQUE
THESAURI
ANTIQUITATUM
ROMANARUM
GRÆCARUMQUE
NOVA
SUPPLEMENTA
CONGESTA
AB
JOANNE POLENO.
VOLUMEN TERTIUM.



Io. Baptã. Tiepolo In. *Petrus Monaco Sculp.*

VENETIIS,
Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.
SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES POLENUS.



Onficienti mihi ex egregiis Clariſſimorum Virorum Scriptis hæc Supplementorum Volumina, ſuccedere quidem perinde vellem ut Architectis illis ſolertibus, qui ligna, lapides, & marmora ab excellentibus Artificibus elaborata accipientes, ſciteque ex iis magna ædificia conſtruentes, ex ſola eorum diſpoſitione laudem ſibi pariunt, propriumque nomen illuſtre reddunt opera eadem, quam in alienis operibus apte atque ordine collocandis poſuerunt.

II. Verum duæ ſunt cauſſæ, cur ego ſperare idem nequeam; altera, quod ingenio ſim longe infra meritum illorum, ex quibus ſumenda a me quæque materia eſt; altera, quod nequaquam elaboratæ adhuc fuerunt partes univerſæ, quas tanti ædificii, complectentis Antiquitates Romanas Græcaſque omnino omnes, idea poſtularet: quin illæ ipſæ, quæ exſtant, egregie illæ quidem ab nobiliſſimis Scriptoribus perfectæ ſunt; ſed dum aliæ ab Scriptoribus aliis, alioſque fines ſpectantibus, ea ſunt ratione abſolutæ, qua unum ſingulæ quaſi peculiare forment corpus, fieri inde facile non poteſt, ut perfecte unum æque ſit quodcumque ædificii membrum, quod ex eorum aliquot componatur. Quæ duæ cauſſæ etſi ita ſe habent; malo tamen rationes quærere, quibus, utraque etiam poſita, in ſuſcepto labore confirmer.

III. Et quod ad primam illam attinet cauſſam, ſperare juvat, eximia ipſa ſpecie atque ſplendore alienorum, quæ diſpoſiturus ſum, Operum, id ſuppletum iri magna ex parte, quod a mea poſſet in diſponendo induſtria deſiderari. In altera autem cauſſa, primum Eruditi homines utique ſatis notum habent, neque omnes exſtare neceſſarias partes ad tantum hoc perficiendum ædificium; neque earum, quæ exſtant, cunctas (ut alias ego quoque monui) colligi poſſe. Deinde, ſi ob hæc fiet, ne ſingula ædificii membra perfici queant, at aliquod ſaltem (neque id ſane ignobile) conſtabit ex partibus, quæ inter ſe pulcre, ornate, utiliterque convenient.

IV. Et ejuſmodi quidem ſunt Scripta (fere omnia) illa, quæ in Volumine hoc conjungemus ad notitiam illuſtrandam ſtatus, variorumque officiorum, quæ priſcis temporibus ad Servos attinebant. Quin ea Scripta colligere, & ſic conjuncta proponere, neceſſarium omnino erat, propterea quod nimis ſane pauca inveniuntur de Servis in iis Theſaurorum Voluminibus, quæ ad hoc uſque tempus confecta ſunt. Quod tamen cum ajo, non ideo nego, quædam ad Servos ſpectantia haberi in Juſti Lipſii *Saturnalium Sermonum Libris*, itemque in Octavii Ferrarii, & Nicolai

Calliachii *Differtationibus de Mimis*, *& Pantomimis*; neque inficias eo, in Libris & Julii Cæfaris Bulengeri, & Jo: Ludovici Fabricii, & Laurentii Joberti, *de Ludis Scenicis*, *de Gymnafiis*, in aliifque nonnullis Operibus, quæ Thefauris continentur, perpauca fparfim occurrere: nimirum ut quæpiam Auctoribus illorum fe fe forte obtulit occafio verbum aliquod de Servis injiciendi, obiter id tamen, atque inter aliud agendum: non hæc, inquam, nego. Sed illud duntaxat dico, neceffarium prorfus fuiffe, in hifce iifdem Thefauris graves alios exftare Auctores, qui propofitam materiam, in antiqua eruditione nullo modo prætermittendam, fummopere illuftrarunt.

V. Quod fi horum fcripta omiferunt ii, qui ante nos Thefaurorum Volumina edidere; non ideo fane eos omififfe, quod negligendos putarent, fed quod ratione alia permovebantur, tam eft manifeftum quam quod maxime. Lucubrationes enim Hieronymi Mercurialis *de Arte Gymnaftica*, Laurentii Pignorii *de Servis*, Antonii Velferi *de Zeta & Zetario*, Titi Popmæ *de Operis Servorum*, iteratis editionibus prodierant annis non multis ante, quam Grævius (anno 1694.) fuos colligere Thefauros inciperet: itaque credendum plane eft, illas omnes inter eas fuiffe, quas idem Grævius in animo habebat fuis addere Thefauris, quafque adeo fe in Appendice daturum, pollicitus erat cum ad XI. Volumen præfaretur fuum; ubi nempe varios, ait, Auctores, eofque notæ fane optimæ, tunc fibi in Appendicem effe differendos. Cujus rei cauffam affert his ipfis verbis: *nam in his terris ante non multos annos denuo fuerunt publicati, ut plurima fuperfint exempla, nec per jura & leges Magiftratuum fibi eos noftris licebat vindicare:* & hunc utique Grævii locum ad rem facere tantum cenfemus, ut rati fimus hic effe rurfus indicandum; quamvis in alia pridem noftra Præfatione integrum jam defcripferimus.

VI. Alia porro ejufdemmodi Scripta eo tempore necdum exierant, neque adhuc (id quod maximopere attendendum eft) retectum fuerat *Monumentum*, *five Columbarium Libertorum & Servorum Liviæ Auguftæ & Cæfarum*, e cujus videlicet defcriptionibus, atque examinibus, novum lumen exftitit ad ignota Servorum minifteria cognofcenda. Et mihi quidem, jam de rebus in hoc noftrum Volumen digeftis verba facturo, tum ordo, tum materiæ gravitas pofcere videntur, ut ab eo *Columbario*, ab iifque Scriptoribus, qui ipfum nobis defcripferunt, & illuftrarunt, initium capiam.

VII. Inter præclara, atque eximia venerandæ Antiquitatis monumenta, quæ fub terra cum effent, noftra ætate in apricum fuere prolata, illud plane numerandum, quod in Via Appia, anno feculi hujufce vigefimo fexto, Menfe Januario, bono litteratorum hominum, cultorumque prifcarum elegantiarum, detectum eft. Id fuit Sepulcrum, five Columbarium Libertorum ac Servorum Domus Auguftæ, Cæfarum, præfertim vero Liviæ, fplendidum fupra conditionem Servorum, ac magnificum, omnique cultu fpectabile: ex quo erutæ ævi Auguftei eruditionis opes in Thefauros quoque noftros erant hercle inferendæ.

VIII. Quidpiam ſimile, item pertinens ad Libertos & Servos Liviæ Auguſtæ obſervaverat (ut animadvertit etiam doctiſſimus Blanchinus in Præfatione ad Opus paullo infra commemorandum, pag. V.) eruditiſſimus Raphael Fabrettus, qui in ſua *Antiquarum Inſcriptionum Explicatione* (pag. 10.) *Locupletiora*, ait, *& quadruplicia hæc columbaria, nuſquam alibi me videre memini, niſi tantum in Conditorio quodam ad Viam Appiam lævorſum, ubi aſſurgere incipit poſt Almonem Fluviolum in Vinea D. Blanchi celebris Doctoris Phyſici, quod ob incredibilem loculamentorum hujuſmodi copiam, tres capaciſſimas aulas ab imo ad ſummum implentium, Libertis Domus Juliæ ab Auguſto ſtatutum, aliqui, nec temere, meo judicio, credunt.*

IX. Id vero credentes, minime ſua conjectura fuiſſe deceptos, hoc nuper detectum Columbarium perſpicue commonſtrat. Quod, paucis, poſtquam inventum fuit, menſibus, Exteris quoque notum factum eſt, opera egregia, quam eidem deſcribendo explicandoque commodavit Vir celeberrimus, & fama eruditionis pietatiſque præclarus, Franciſcus Blanchinus, qui patria Veronenſis, Romæ tamen diu conſtitit, ſacris præditus dignitatibus, *Baſilicæ Liberianæ Canonicus*, *Subdiaconus Pontificii Sacelli*, atque *Domeſticus* (ut appellant) *Prælatus*. E vivis ereptus is eſt VI. Non. Martias Ann. Salutis CIƆIƆCCXXIX. Æt. ſuæ LXVII. Ejus vitam, ante tres hoſce annos (lingua Italica uſus) litteris eleganter mandavit ediditque P. Alexander Mazzolenius, adjecto Indice Operum tum editorum, quibus Blanchinus de Re Antiquaria, de Hiſtoria, de Chronologia, & de Mathematicis diſciplinis eſt optime meritus, tum etiam eorum, quæ fere perfecta, inedita reliquit.

X. Libro illi, cujus materia ad rem pertinet noſtram, hunc fecit titulum: *Camera ed Iſcrizioni Sepulcrali de' Liberti, Servi, ed Ufficiali della Caſa di Auguſto, ſcoperte nella Via Appia, ed illuſtrate con le Annotazioni di Monſignor Franceſco Bianchini Veroneſe l' anno* M. DCCXXVI. Romæ deſcriptus fuit hic Liber typis æneis Jo: Mariæ Salvioni, anno M.DCCXXVII. Tabulis quinque in æs inciſis, omnem Columbarii interiorem ſtructuram (nempe Ichnographiam, & Orthographiam) nobis exhibuit. Totum vero id Opus tribuitur in Capita omnino ſex: in quorum primo Auctor de Columbario eodem, deque nonnullis ſimilibus aliis in eadem Via Appia repertis (nonnullis etiam exhibitis Inſcriptionibus) agit. Tum in ſecundo, Columbarii Ichnographiam, & Aras, Sarcophagos, Cippoſque, ejuſdem Columbarii pavimento impoſitos, deſcribit; eorumque Inſcriptiones quibuſdam ſuis Annotationibus illuſtrat. Tertio Capite expoſitio Structuræ Columbarii, & conſtitutionis internorum ejus parietum, nec non monumentorum, titulorumque eorundem ordo continetur. Itemque ordinem illum ferme perſequitur Caput quartum: in quo ædiculis, ſive parvis columbariis, adfixos Titulos, nimirum Inſcriptiones plane ducentas (a vigeſima quinta pagina ad octavam ſupra ſexageſimam) Auctor, non ſine egregio antiquariæ eruditionis apparatu, interpretatur, & explicat.

XI. At quæ in capite quinto & fexto recenfet, ad Monumentum hoc, five Columbarium, Libertorum & Servorum Liviæ Auguftæ, & Cæfarum, minus pertinere videntur. Namque proferuntur primum lapides nonnulli in Farnefianis Ædibus locati, deinde marmoreæ Tabulæ fragmentum, quod, erutum apud Antium, in Albano Mufeo adfervatur: in quibus nomina quidem nonnulla Libertorum Domus Auguftæ infcripta funt, non tamen ideo ad propofitam defcriptionem Columbarii referuntur. Poftremo, ad Libri calcem, haudquaquam attinens ad rem noftram, fuo tamen in genere elegans, exhibetur veftigium Theatri, prope muros veteris Coloniæ Antiatis, cujus ruinæ anno MDCCXII. in littore Maris Tyrrheni fuere detectæ.

XII. Ut vero ad veterum ædificiorum generis ejufdem, ac Columbarium noftrum eft, reliquias & fragmenta invenienda, & illuftranda, iteratæ follicitudines, novæ diligentiæ, indefeffæ perquifitiones, ac temporis quæcumque productio, magno funt harum deliciarum cupidis adjumento; ita factum eft, ut, poft editum Blanchini Librum (quamvis eodem anno, menfe Septembri) idem Monumentum uberius defcriptum, auctius ornamentis, fuoque cultu, edi potuerit ab Antonio Francifco Gorio Florentino, Viro eruditiffimo, a nobis etiam alias, jure meritoque, laudato: qui ut illius Columbarii fingulas partes tum fedula defcriptione perfequeretur, tum etiam illuftraret, nec non fingulas ornaret eruditis obfervationibus, nihil profecto curæ, ftudii, ac diligentiæ prætermifit. Itaque integrum illud Monumentum (hodie penitus deletum; cum tamen etiam pofteritatis plane mereretur admirationem) Eruditorum oculis fideliter fubjecit quale, cum pridem detectum fuit, magna Exterorum ac Litteratorum Hominum frequentia perfpectum eft.

XIII. Ornatur Gorii Liber Tabulis viginti, in æs nitide incifis. Ex hifce priores fex Ichnographiam, & Orthographiam totius Monumenti, & profpectus Sepulcretorum, difpofitorum per Columbarii parietes, repræfentant; atque ita in iifdem apparent Ollarum ordo, Titulorumque forma, atque alia præclara opera, quæ ibidem reperta funt. Ceteræ quattuordecim Tabulæ exhibent perelegantia fplendidiffimi Columbarii omnia ornamenta; videlicet quidquid fuper pavimento, & prope pavimentum nacti fuerant, qui perquifiverant, Sarcophagos (præter fictiles) marmoreos feptem integros, plurefque alios, vel barbarorum, vel temporum injuria labefactatos, feralibus tamen fcalpturis, ac toreumatis ornatiffimos. Et, præter hæc, in Tabulis iifdem fchemata habentur alia, apte repræfentantia marmoreos Cippos, Aras, Urnas, fculpturis infignes, amphoras, cineraria, vafcula vitrea, fictilia, & lacrymatoria, demum alia, quæ totum magnificum hoc exornabant ædificium; quæque, pictorum oculis cum fubjecta tunc effe poffent, accurate ac fideliter Romæ fuere delineata.

XIV. Igitur & hæc omnia funt multo plura, quam prior illa Columbarii defcriptio dare potuerit; & hoc ipfum Gorii opus au-

auctius præ illa est Inscriptionibus fere centum ; cum inserti in hoc sint Tituli CCCIIII. hi vero singuli adnotationibus observationibusque locupletissimis explicantur. Quibus adjunctæ insuper sunt adnotationes aliæ præstantissimi Viri Antonii Mariæ Salvinii ; qui potissimum in id (quod antea a nemine adeo cumulate factum) incubuit, ut Libertorum & Servorum nomenclaturas bene multas, e Græcis fontibus ductas, accurate explicaret. In Libertorum autem immunitate & ingenuitate explicanda peculiarem sedulamque Gorius operam navavit. Quantum vero lucis ex veteribus hisce monumentis accedere queat ad res plures veterum Romanorum illustrandas, nemo erit, qui non videat, ac præsertim ad res & ministeria Libertorum Servorumque : cum multa, dudum ignota Studiosis Antiquitatis, ex monumentis iisdem in apertum deducta, & bono in lumine collocata jam sint. Plura etiam adderem, nisi vererer, ne merito videri possem nimis multa hactenus protulisse, & observavisse : cur enim ex eo Libro plura quodammodo excerpta proferre attinet in Voluminis Præfatione, quando jam totus Liber idem integerque ipso Volumine continetur? dicam paucis; prolixior fui, ut evidentior ita fieret caussa, propter quam primo illi, quod Italica lingua exaratum prodiit, operi prætulerim Gorii opus: facile enim modo apparet, instituto meo hoc magis accommodari, latine scriptum, tempore posteriore in lucem editum, rebus novisque repertis copiosius & auctius.

XV. At hic ex me fortasse quæret aliquis, cur, si temporis rerumque recens effossarum rationem habui, non curaverim iterum excudendum Equitis Leonis Ghezzii opus, quod ultimum prodiit, novissimis rebus detectis cumulatum ? Id itaque si quis a me percontaretur, illud unum responderem, quod ei satisfacere optime posset ; nimirum conveniens minime fuisse, ut sine explicationibus eas Antiquitates in nostra inducerem Supplementa ; cum hæc rerum expositiones diligenter enucleatas atque illustratas suapte natura flagitare videantur. Antiquorum autem monumentorum explicationes addere Ghezziani Operis Editori conducibile visum non est, ob rationes, quas in Prooemio suo expressit modo hoc: *Non ho poi volsuto impegnarmi a farli illustrare con note, o osservazioni, mentre oltre aver considerato esser stati nel primo di già da più celebri Letterati spiegati abbastanza colle Iscrizioni i monumenti tutti nelle sopradette stanze Sepolcrali trovati, mi è paruto senza dubbio gravoso dover riuscire non meno a me, che agli amatori delle Antichitadi l'intaglio di tanti Rami, non potendo in caratteri quelle stamparsi, attesa l'ampiezza della carta, che nelle figure vedesi.* Non tamen prætermisi Tabulas illas diu diligenterque versare. Cl. Petri Leonis Ghezzii (Equitis *Ordinis CHRISTI*, quo ordine insigniti fuere etiam ejus Pater & Avus, origine Asculani, patria Romani, pictoris) in delineando eximia peritia nota mihi erat, neque me latebat ejus studium in monumentis antiquis vestigandis : quamobrem quid inesset novi in Tabulis illis, cognoscere mecum ipse plane statueram.

XVI. Et cum animadvertiſſem, eo in Ghezzii Opere Tabulas duas ſupra viginti pertinere ad illud idem Columbarium, quod jam exquiſite eruditeque a Cel. Gorio (ut paullo ſupra oſtenſum eſt) deſcriptum, in Supplementa noſtra eſt inſertum, iccirco, ante omnia duplices illas, eas nimirum, quæ ab utroque eorum deſumtæ ex uno eodemque marmore eſſent, Inſcriptiones perluſtrare, atque conferre inſtitui. Reperi autem collatione hac plures Variantes (ut appellant) Lectiones. Prætermiſſis iis, quæ minoris momenti viſæ ſunt, haſce ſubjeci:

Gor. pag. 60. n. IIII.	*Ghez. Tab. XVIII. n. 28.*
AMARANTHIO DELICIVS	AMARANTHIO DELICII
Gor. pag. 67. n. XI.	*Ghez. Tab. XXIV. n. 26.*
PANNYCVS. NER IMMVNIS DAT· ALC CVBVCE. PATRI. SVO. ET· AL CORINTHO L. OSTERISQVE	PANNYCVS. NERONIS. AV IMMVNIS. DAT. ALC IMO. AVG CVBVCE PATRI. SVO ET ALEXANDRO. ET CORINTHO. L. EIVS OSTERISQVE EORVM
Gor. pag. 91. n. XXXIV.	*Ghez. Tab. XXII. n. 13.*
FICIS. ADMIS	FICIS. ET ADMIS
Gor. pag. 99. n. XLIV.	*Ghez. Tab. XXI. n. 12.*
DEC. III. TRIB. COSER.	DEC. III TRIB COSIR
Gor. pag. 152. n. XCVIII.	*Ghez. Tab. XV. n. 17.*
VM. LIVIVS.	M. IVLIVS
Gor. pag. 163. n. CVI.	*Ghez. Tab. XV. n. 20.*
AMIANTHVS. LIVIAE	MIANTHVS. LIVIAE
Gor. pag. 170. n. CXVI.	*Ghez. Tab. XV. n. 13.*
PROCVLVS	PROSIVS
Gor. pag. 172. n. CXVIII.	*Ghez. Tab. XIX. n. 30.*
AVGVST. FELICI	AVGVSTAE. L. FELIC.
Gor. pag. 174. n. CXXI.	*Ghez. Tab. XVII. n. 23.*
ATIA DAT ACIDI LIV	ATTI DAT ACIDIT

Gor. pag. 191. n. CXL.	*Ghez. Tab. XIX. n. 13.*
L. LY	L. LYDVS
Gor. pag. 192. n. CXLI.	*Ghez. Tab. XX. n. 23.*
METIAE YCHE. ANICET	METTAE VCHE. ANICETI
Gor. pag. 199. n. CLI.	*Ghez. Tab. XVII. n. 10.*
ET. M.	L. T. M.
Gor. pag. 200. n. CLII.	*Ghez. Tab. XXII. n. 10.*
ATVS. SOROR	ATYSSOR
Gor. pag. 203. n. CLVIII.	*Ghez. Tab. XX. n. 22.*
C. IVLIO	C. IVLIVS
Gor. pag. 205. n. CLXV.	*Ghez. Tab. XIX. n. 1.*
VIR. FIL.	VIRTII
Gor. pag. 225. n. CXC. PHILADELPVS NERONIS. CAESAR EX. HORREIS. PETRONIAN DEC *Gor. pag. 247. n. CCXXXIII.* NIPHAS PHILADESPOTI CONTVBER EIVS	*Ghez. Tab. XX. n. 20.* PHILADELPVS. NIPHAS NERONIS. CAESAR. PHILADESPOTI EX. HORREIS. PETRON. N. CONTVBER. DEC EIVS
Gor. pag. 239. n. CCXV.	*Ghez. Tab. XVII. n. 26.*
M. LIV. () NICEPHORI. D	M.LIVIVS.L.NICEPHORI.D.
Gor. pag. 245. n. CCXXXI.	*Ghez. Tab. XXI. n. 7.*
CNISMVS. PIS	CINISMVS PIS
Gor. pag. 263. n. CCLXIX.	*Ghez. Tab. XXII. n. 12.*
D THAI	P THAI
Gor. pag. 278. n. CCXCVII.	*Ghez. Tab. X. n. 1.*
PASSERILLA EX DECRETV	IARSERILLA ET DECRETVS

Gor. pag. 290. n. CCCII.	*Ghez. Tab. XII. n. 6.*
SERVIANO III ET	SERVIANO ET

XVII. Tum observavi, in Gorii Volumine desiderari quædam Inscriptionum fragmenta, & nuda nomina, quæ in Ghezzii Tabulis insunt: ut, in Tab. XVI. n. 24. in Tab. XXI. n. 4. in Tab. XXII. n. 5. 15. 16. 18. 27. 29. in Tab. XXIV. n. 35. 36. 37. 38. in Tab. XXV. n. 7. Hæc lubens quæsivi, tamquam novorum repertorum indicia, & diligentiæ Cl. Ghezzii specimina: non tamen, iis augendam nimis Præfationem meam esse, putavi.

XVIII. Sed contra, alias hasce, quæ item in Tabulis tantum Ghezzii visuntur, ob earundem integritatem subjeci: quamvis nihil a me observandum, hic in iisdem, occurrat.

Ghez. Tab. XV. n. 11.

PHILADELFO. COS. L.
POTITIANO. PISTORI

Ghez. Tab. XVI. n. 6.

M. POL. ACRILI
DAT

Ghez. Tab. XVIII. n. 15.

DIS. MANIBVS
BAEBIAE. PRISCAE
FELIX AVG. LIB
PROC.
TESTAMENTO
PONI. IVSSIT
VXORIS. PIISSIMAE

Ghez. Tab. XVIII. n. 18.

CARNIVS. TI. CAESARIS
AVG. L. A. CVBICVLO
VIXIT. ANNIS. XXXII

Ghez. Tab. XVIII. n. 21.

LIVIA· LIVIAE
L. TERTIA
TERTIAE

Ghez. Tab. XIX. n. 26.

MIMA. L. MARONIA. TIMOTHEO. AVG. L.
MEROPITI. AVG. L.

Ghez. Tab. XXI. n. 25.

SALVITIAE. TI
CLAVDIO
HELPIDE
LIB.
DAT EPHEBO
NOFMONI

Ghez. Tab. XXII. n. 30.

IVCVNDO
AGNIOPODIS
OLL.

Ghez. Tab. XXII. n. 28.

L. GRANIO
DIOGENI
PHILAMATIO. L
SIBI. ET. PATRONO

Ghez. Tab. XXIV. n. 1.

PHILADELPVS NIPHAS
CLAVDIO
HIMER. LL.

Ghez.

Ghez. Tab. XXIV. n. 28.

TVRRANIVS. FELIX
EVTYCHIAE
COIVGI. SVAE. B. M.
QVAE. VIXIT. ANNIS. XXX.

XIX. His adjicere præstat quinque alias, ex Ghezzii penu desumtas, Inscriptiones: ex quarum prima & secunda, datas, sive donatas, fuisse Ollas cernere est. Morem vero hunc donandi Ollas haud infrequentem fuisse plures testantur antiqui lapides. In aliis titulis id adnotavit etiam Cel. Gorius (pag. 141.) & de cinerariis Ollis plura erudite protulit (pag. 41.) Auctores varios, qui de iisdem egerunt , indicans diligenter . In secunda *Helenus* ille vocatur *Liviæ ad Insul.* at *ad Insulam* idem significat ac *Insularius;* nimirum qui ædes separatas Principum, vel alias quascumque custodit . Perspicue Sex. Pompejus Festus : *Insulæ dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis ; circuituque publico, aut privato cinguntur, a similitudine videlicet earum terrarum , quæ fluminibus, ac mari eminent, suntque in salo positæ.* Cur Festus *proprie* scripserit , explicat Dacerius in *Notis* suis : *Improprie quælibet domus & si cum aliis conjunctæ, etiam Insulæ vocabantur. Et hoc intellexit Festus cum dixit proprie.* Erat igitur ille *Helenus* Custos Insulæ (sive *Palatii*) Liviæ Augustæ. Fragmentum Tituli *Insularii* alius habet Cl. Gorius (pag. 225.) qui etiam Pignorium & Reinesium , afferentes quædam spectantia huc, indicat.

Ghez. Tab. XV. n. 19.

(1.) TYRANNVS
VERN. DEC. TRIB. AVG.
DAT. OLLĀ

Ghez. Tab. XXIV. n. 29.

(2.) Q. ANNIO. Q. L
PHILOCALO
HELENVS. LIVIAE
AD. INSVL. OLLAM. DAT

XX. In tertia scalptum est *Bathuli* nomen; sed ita facile operarum errore, qui VL, pro YLL inciderint. Sex in Inscriptionibus a Grutero recensitis (utor Jo. Geor. Grævii editione an. 1707.) observavi, scriptura uniformi, exstare nomen hoc *Bathyllus*. Apud Gorium quoque (pag. 235. n. CCIX.) & apud Ghezzium in respondente titulo (Tab. XXIII. n. 22.) nomen *Bathyllus* perspicue exaratum est. Quarta ad *Augustæ L. Tabularium* pertinet: in qua tamen peculiare hujusce Tabularii ministerium positum non fuit; cum plerumque in Inscriptionibus aliis , in quibus alicujus Tabularii memoria servatur (plures autem in Gruteri, aliorumque Collectionibus reperiuntur) eorum nominentur officia: ut Tabularii *a muneribus*, *a vehiculis*, *a patrimonio*. Demum refertur quinta ad *Medicum Ocu*, hoc est, *Ocularium;* ita enim esse legendum, plane auguror. Porro, apud Græcos & Romanos singulorum morborum olim peculiares fuisse Medicos, notum est;

quin etiam antiquius apud Ægyptios mos idem viguerat, teſte Herodoto in Libro, qui *Euterpe* inſcribitur; ut refert Jo. Rhodius in ſuis ad Scribonii Largi *Compoſitiones Medicas* adnotationibus (pag. 76.) ubi plura ſcitu digna de Medicis Oculariis erudite exponuntur, &, inter cetera, Inſcriptiones plures; quibus alia addi poſſet ex Gruteri Opere (pag. CCCCXVI. n. 8.) tum alia ex Danielis Clerici libro, cui titulus *Hiſtoire de la Medecine* (Par. III. Liv. I. Chap. II.) tum etiam alia ex Raphaelis Fabretti Inſcriptionibus antiquis (pag. 300. A.) Eis vero omnibus digna eſt, quæ adjiciatur noſtra hæc. Exinde inter Medicos unius partis corporis humani curationi addictos, *Ocularios* maximo in honore habitos olim fuiſſe, facile concludi poterit, ſi ex ſuperſtitum Inſcriptionum numero ducere lubeat argumentum. Non tamen lapidem hunc proprium Columbarii fuiſſe crediderim. Namque formula illa in vetuſtis Sepulcrorum Inſcriptionibus frequens; IN FRONTE, IN AGRVM, qua indicabatur ſpatium, ſive menſura loci religioni quodammodo ſacrati, addita lapidi noſtro, minime profecto convenire videtur titulo Ollæ alicujus, ſive Urnæ in Columbario locatæ. Quamobrem eum lapidem caſu aliquo in Columbarium poſterioribus temporibus illatum facilius quidem exiſtimaverim.

Ghez. Tab. XXIV. n. 10.

(3.) DIS MAN
AVG. LIB. BATHVLI
DIVAE AVGVST.

Ghez. Tab. XXIV. n. 27.

NISI. IVLIAE (4.)
AVGVSTAE. L
TABVLAR

Ghez. Tab. XX. n. 25.

(5.) M. IVLI. SECVNDI
MEDICI. OCV
IN. FR. P. XIIII
IN. AGR. P. XIIII


XXI. Hactenus de eo quidem Columbario, cujus deſcriptio in Libris pluribus exſtat, ſatis dictum eſt; nunc de altero, quod unus Cl. Ghezzius, ad normam regulaſque ab arte pictoria & architectonica præſcriptas, delineavit, dicendum eſſe videtur. Delineavit autem juſſu viri Ampliſſimi Eminentiſſimique Melchioris de Polignac S. R. E. Cardinalis, quem honoris cauſſa nomino; & quem ſine ſummæ laudis præfatione nominare fas non eſſet; cum (præter ceteras virtutes eximias) non modo erga ſcientias litteraſque meliores, ſed etiam erga illuſtriores artes, ac eruditam antiquitatem, eum animum habeat, ut hujuſmodi ſtudia foveat exemplo, patrocinio, & liberalitate. Ejus enim impenſis hoc alterum Columbarium detectum repurgatumque eſt. Operæ vero pretium nos eſſe facturos exiſtimamus, ſi ejuſdem Ichnographia (quæ in Ghezzii XXVI. Tabula eſt) noſtrum hunc locum ornemus. Litterarum vero (vide Tabulam noſtram A.) haſce ſignificationes habeto.

ELENCHI
IVLIAE AVG SERVI
LENTLIANI

EPANDER LIVIAE MANV
OLLAM TATIO MATRRI
SVAE DAT

D · M ·
PHOEBVS
QVI ET TORMOGVS
HISPANVS
NATVS SEGISAMO
NE IIIK MARTIAS
C BELLICIO TORQVA
TO TI CLAVDIO
ATTICO HERODE COS
DEFVNCTVS IIII
NONAS AVGVSTAS
Q MVSTIO PRISCO
M POTIO LAELIANO
COS
PHOEBION ET PRIM
GENIA FILIO BARISSI
MO FILIO DVLCISSI
MO FECERVNT

A



H. Aditus, & Ingressus subterraneus in Columbarium illud majus, cujus erudita descriptio, quam dedit Cel. Gorius, hoc nostrum ornat Volumen. In quo Aditum eundem exhibet Gorii Tab. II. (ad pag. 48.) signatum littera A. cum ejusdem mentio prius (pag. 5.) jam ab ipso Gorio facta fuisset.

B. Ea Ichnographia, sive id vestigium, integri hujusce alterius Columbarii, de quo agimus.

C. Scalæ, per quas descendebant qui mortuorum cineres, vel ossa, illaturi erant in Columbarium hoc alterum, vel in majus illud primum.

D. Ceteris multo latiores Gradus (*Ripiani*) Scalarum.

E. Pavimentum, opere musivo, ex albis nigrisque lapillis elaboratum.

F. Opera item musiva inter unam & alteram structilem columnam.

G. Bases fictilium Sarcophagorum, in quibus ossa non combusta reperta sunt.

I. Vestigium cubiculi superioris, exædificati ad usum Custodis Sepulcri.

L. Hypocaustum ad calefaciendum cubiculum; calorem in idem cubiculum per tubos M effundens.

XXII. Inscriptiones plures ex lapidibus, detectis in Columbario hoc altero, descripsit Cl. Ghezzius, quibus apte Tabulas suas decoravit; nec non mutilos plures titulos ex lapidum fragmentis collegit, quibus Tabulas easdem refersit. Nos ex integris illis nonnullas damus, ordinem potius, quo quidpiam in iisdem observare contigit, quam Tabularum ordinem persequentes. Prima, sive superior (in Tabula nostra A.) descripta est ex Ghezzii Tabula XXXIII. n. 19. In ea *Elenchus* ille *Juliæ Augustæ servus* nominatur *Lentilianus* (sive *Lentulianus*) Ut nominis hujusce ratio reddatur, conjicere licet, eum prius in alicujus Lentuli servitute fuisse. In altera, quæ sequitur, legere est, *Tatio Matri suæ*; quod nomen mulieri datum alibi me invenisse, haud memini. Res tamen minime nova videbitur respicientibus etiam nomina quædam mulierum (quæ blandula ferme dixi) ex græcis fontibus derivata: ut nomen Glycerii illius Terentianæ; similiaque alia. *A manu* dicitur ille *Epander*. Eos, qui appellabantur *a manu*, adhibebant Romani ad scribendum, & ad exscribendum: sed præterea aliquod aliud officium hac formula, *a manu*, fortasse aliquando indicari, suspicor: non id tamen aut notum, aut satis notum; ut neque ministerium illud servorum, qui *a pedibus* dicebantur. Non admodum raræ sunt Inscriptiones, in quibus servi *a manu* designentur. Unam dedit etiam Gorius (pag. 229.) in qua perspicue integreque ita legitur, *a manu*; & tres insuper quæ idem officium indicare videntur; sed non omnes in hisce litteræ conspiciuntur. Aliam hic addam ex propositis Ghezzii Tabulis, Tab. XXXII. n. 6.

FELICIO. ATTALI
AMANV

XXIII. Tertiam, ſive infimam (in eadem noſtra Tabula A.) Inſcriptionem, inciſam in lapide, qui applicatus olim fuerat ad parietem alterius illius Columbarii, cum illud repurgarent, detexere. Cl. Ghezzius in Tabula ſua XXVIII. eam unam exhibuit; atque adnotavit, eandem adſervari in Muſeo Viri ampliſſimi, ac Purpurati, Melchioris de Polignac, de quo ſupra commemoravimus; ipſamque raram appellat, quod quattuor Conſulum nominibus ornetur. Annus autem, qui deſignatur a primo eorundem pari,

C. BELLICIO TORQVATO }
TI. CLAVDIO ATTICO HERODE } COSS.

fuit Æræ Chriſtianæ 143. ab V. C. 895. ſi ſpectes ſupputationem, cui adhæſit Cl. Auctor *Continuationis Faſtorum Caroli Sigonii* (Edit. Mediol. Tom. I. pag. 692.) at ab V. C. 896. ſi ſupputationem ſequaris, quæ placuit *Anonymo Auctori Faſtorum Conſularium*, editorum ab Em. Noriſio (ad calcem Operis, cui titulus: *Annus & Epochæ Syromacedonum*. Floren. pag. XVII.) Eorum vero Conſulum nomina, olim non eodem ab omnibus modo ſcripta, recte tamen ab Auctore *Continuationis* poſita, ob lapidis hujuſce conſenſum, eſſe cenſemus. Ex eo autem anno V. C. 895. qui Imperatoris Antonini Pii quintus fuit, ſatis liquet, poſterioribus temporibus in Monumentum Servorum Liviæ Auguſtæ eum lapidem fuiſſe illatum. Sed quod attinet ad annum definiendum ex altero Conſulum collegio,

Q. MVSTIO PRISCO }
M. PONTIO LAELIANO } COSS.

hæret (fateor) aqua. Neque juvat adire fontes; cum veteres recentioreſque Chronologos inutiliter conſuluerim: quamvis ad hanc rem, ſatis quidem facere potuiſſent vel ſoli diligentes illi *Faſti Conſulares, ſecundum ordinem Alphabeticum digeſti ab Theod. Ians. ab Almeloveen*; in quibus nomen *Muſtii*, nomen & cognomen *Pontii Læliani*, fruſtra quæras. *Priſci* autem cognomen, intra ambitum eorum annorum, quibus vivere potuit *Filius* ille, quater reperitur: nimirum Conſules fuerunt Æræ Chriſtianæ anno 149. Serg. Scipio Orfitus, Q. Nonius *Priſcus*; an. 159. M. Plautius Quintillus, ... Statius *Priſcus*; an. 169. Q. Soſius *Priſcus*, P. Cœlius Apollinaris; ann. 196. C. Domitius Dexter II. L. Valerius Meſſala Thraſia *Priſcus*. Sed quis putet, vel ejus, qui illam compoſuit Inſcriptionem, vel ſcalptoris, tantam fuiſſe inſcitiam incuriamve, ut utraque nomina, alterumque prænomen & cognomen commutaverit? Præſertim cum primum Conſulum par bene recteque inſcriptum eſſe videatur. Num igitur Conſularium Familiarum ſeriem efficiemus locupletiorem, ei attexendo Familias duas alias, *Muſtiam*, & *Pontiam*? Num in Faſtis hoſce duos Conſules numerabimus tamquam Suffectos? cum conſtet, menſe

Au-

TI·CLAVDIVS·DIVI·CLAVDI·LIB·ACLIVS
HONORATVS·CVRATOR·GERMANORVM
ET·AEDITVS·DIANAE·CORNIF·COLLEGIO·MAGNO.
TRIB·DIVAE·AVGVSTAE·TRICLAM·CVM·COLVMNIS
ET·MENSIS·ET·MACERIA·S·P·D·D

CHIVS·DRVSI
CAESAR·DAT
IVLIAE·METENI·MATR

HOMERVS·CVB
DAT
ACIDI CONSER

B

D M
ATISSIAE Q P PROCVLAE
FECERVNT Q ATISSIVS LIBERALS
ET VALERIA CRESCES FILIA

D M
M·EPIDIO FLAVIANO
HIC·SITVS EST

Augusto (cui belle Suffecti Consules convenire queunt) eos in magistratu fuisse. At hæc indicavisse sufficiet.

XXIV. Pergo ad titulos quosdam alios, proprios Columbarii Liviæ Augustæ, considerandos. Libertos duos exhibent titulus primus & secundus; in quibus id observatu dignum est, quod uterque Liberti alterius Libertus esset: *Anthi Augusti Liberti Libertus*. Id quidem in Inscriptionibus non novum; non tamen sæpe obvium. Nomen servile (quod cognomen redditum erat) alterum, *Demetrius*, præcedit; alterum, *Hilario*, subsequitur. Titulus tertius additur, quod esset cum duobus illis in lapide eodem incisus. Tres hi Tituli sive (Inscriptiones) exstant in Ghezzii Tab. XXXII. n. 1. ut eadem in Tabula n. 3. Inscriptio quinta. Desumta vero est ex Tab. XXXIII. n. 29. quarta Inscriptio; de qua animadvertere præstat, *Hebenum* illum, universali quadam ratione, *ab Argento* dici; cum in duabus Inscriptionibus apud Gruterum (DLXXXII. 9. & DLXXVIII. 5.) *ab Argento Potorio* legatur; ac alia apud eundem (DXXXIII. 3.) habeat *ab Argento Scænico*. Alius tamen a Gorio (pag. 229. D) exhibetur titulus, in quo *ad Argent*, sine adjuncto ullo, notatur. In quinta ponitur *Urbanus Dispensator Immunis*. De Libertorum immunitate multa erudite tradidit Cel. Gorius ad eum Titulum, quem (pag. 49.) primum fecit. At hic fortasse significatur, eum *Dispensatorem*, tractu temporis, donatum fuisse immunitate, ut ab eo *Dispensatoris* officio vacaret.

(1.) TI. IVLIVS
DEMETRIVS
ANTHI. AVG. L. LIB

(2.) TI. IVLIVS
ANTHI. AVG. L. LIB
HILARIO

(3.) IVLIA
SECVNDA

(4.) M. LIVIVS
ATTALI. L
HEBENVS. ABARGENTO

(5.) VRBANVS. LYDES. AVG. L. DISPENS
INMVNIS. DAT. HERMAE. FRATRI. ET
CILICAE. PATRI.

XXV. Alia Inscriptio supremum occupans locum, tam in Ghezzii Tab. XXXI. quam in Tabula nostra B, insignis est; cum ex ea novam veteris officii notitiam eruere possimus. *Actius* enim ille *Honoratus* dicitur *Curator Germanorum*; quod officium neque in alia ulla edita Inscriptione, neque ab ullo antiquo Auctore commemoratum, ego quidem unquam vidi. Tertio in versu, legere est AEDITVS DIANE CORNIF; itaque putandum, *Honoratum* nostrum fuisse Custodem alicujus Ædiculæ, pertinentis ad Gentem Cornificiam, quam Dianæ consecrassent. AEDITVVS enim (ut plane videtur) legatur oportet; quamvis in Inscriptione desideretur altera V. At in Inscriptionibus aliquam, aut aliquas etiam litteras sæpe desiderari, notissimum est. Ita, versu

quarto, in voce, TRICLAM, fortaſſe deſunt HI; cum ſcalpi debuiſſet, TRICHILAM (*Trichila* autem a nobis Italis dicitur *Pergola*) niſi malimus conjicere, *Triclam*, non *Trichilam*, Romanum Vulgum (cui ſeſe accommodaverit aut ſcriptor, aut ſcalptor) pronunciare conſueviſſe. Notarum, quæ poſtremo loco poſitæ viſuntur, ſignificationem expoſuerunt jam omnes qui de Veterum ſiglis egere: & quidem ibi legendum eſt; *Honoratus Triclam* (ſive *Trichilam*) *cum columnis, & menſis, & maceria, ſua pecunia dono dat*. Secundam, infra illam, Inſcriptionem deduximus ex eadem Ghezzii Tabula n. 5. Ejus altera in parte *Cubicularius* legendum eſt; id enim officium haud dubie ea nota CVB deſignatur. Cubicularii Servi aut Liberti apud ſuos dominos patronoſque gratia plerumque valebant; neque mirum, ſi multæ ad Cubicularios pertinentes Inſcriptiones reperiuntur. Inter eos quoque officium *Decurionum* fuiſſe, teſtatur titulus a Gorio (qui, ad officium illud aſſerendum, attulit etiam Suetonii in Domitiano c. 17. auctoritatem) exhibitus, pag. 77. in eo eſt, DEC. CVBICVLARIOR. De Cubiculariis *ex Collegio* Raphael Fabretus (de *Col. Trajani* pag. 184. B. C.) eſt conſulendus. Titulum hunc, alterumque in eodem lapide inſculptum, retulit Ghezzius iterum in Tab. XXXIV. n. 22.

XXVI. Præter hæc ad alterum attinentia Columbarium, addere hic licet, Cl. Ghezzium duo alia Columbaria exhibuiſſe. Sed cum illud alterum nihil aliud, niſi pars veluti quædam primi eſſet; contra, inter duo hæc poſtremo loco a Ghezzio exhibita, & illud, ſive illa priora, communicatio nulla erat, nulla conjunctio. Duo hæc alia detecta fuere anno 1726. prope Appiam viam, intra veterum mœniorum ambitum, ſed tamen paſſibus paucis diſtantia a Porta D. Sebaſtiani, quæ olim Capena nominabatur. Ordiar a quarto, ſive poſtremo. Schemata, quibus illa exhibentur, occupant Tabulas XXXIX. & XL. hoc eſt ultimas Ghezziani Operis: at in hiſce neque Inſcriptio ulla eſt, neque aliud quidpiam huc transferendum. Tertii vero deſcriptio Tabulis quattuor continetur: inter has, duæ (XXXVI. & XXXVII.) Inſcriptionum eo in Columbario repertarum, repræſentationibus dicatæ ſunt. Paucas quaſdam ex iiſdem Inſcriptionibus ſelegi, quibus tradita hactenus de Columbariorum Titulis, tanquam apta appendice, & non omnino incongruo ornamento exornarem.

XXVII. Suppeditavit ad id Tabula XXXVII. (n. 2.) Inſcriptionem tertiam Tabulæ noſtræ B. In cujus primo verſu duæ notæ Q. P. aliquam pariunt difficultatem. Poſſet autem fortaſſe quiſpiam conjicere, eo verſu nomina duo contineri; *Atiſſiæ* alterum, alterum *Quintæ* (potius quam *Quartæ*) *Perpetuæ Proculæ*: Prænomen enim convenire potuiſſe Romanæ mulieri, ſatis oſtendit Sigonius (Edit. Mediol. Tom. VI. pag. 157. & ſeq. ac pag. 395. & ſeqq.) quin Petrus Servius in *Miſcellaneis* ſuis (Edit. 1640. pag. 77.) Mulieres quinque recenſet, quarum Prænomina denotantur nota Q. & *Perpetuæ* nomen indicatur nota P. in Gruteri Indice (pag. CI.) Sed facilius opinarer, loco litteræ P. litte-



N. S. T. III. PRAEF. GORII. PAG. XV.

ram, ſive notam, F. eſſe legendam; illamque errore operarum in marmore fuiſſe ſcalptam; cum etiam ex eorum incuria littera I. deſit in ſecundo verſu, ubi legitur LIBERALS. namque, ceu regulam, id haberi poſſe exiſtimo, quod ad judicium ferendum de dubia aliqua littera aut voce in Inſcriptionibus inſculpta, animadvertatur qua induſtria reliquæ fuerint inſculptæ: itaque facile crederem, legendum eſſe; *Atiſſiæ Quinti Filiæ Proculæ*. In eo etiam Schemate foramen apparet, cujuſmodi alia in quibuſdam ſimilibus aliis viſuntur lapidibus; non tamen frequenter. Poſtremam, ſive infimam, Figuram eadem in Tabula noſtra deſumſimus ex Ghezzii Tabula XXXVI. n. 4. qua (præter Inſcriptionem) exhibetur Vir quaſi ſedens, retractis cruribus, in lecto tricliniarium lectorum ſimili, ſed forma quidpiam novum & elegans referente. Columba (ut videtur) ab eo tenetur, manuque altera quodammodo indicatur, vel quod *Epidius* ille aliquo Veneris (ad quam pertinuiſſe Columbas plus ſatis commonſtrat vel una Hygini Fabula 197. cui titulus, *Venus*) ſacerdotio fungeretur; vel ad ejus integros mores indicandos, cum columbæ ſocietatis amicæ, & injuriarum immemores dicantur; *illiſque prima ſit pudicitia* (ut Plinius ait *Hiſt. Nat.* L. X. c. 34.) vel quod columbæ ei eſſent in deliciis; ſed nolo diutius hariolari.

XXVIII. Ex eodem penu depromſi tres alias, quas ſubjeci. Prima eſt ex Tab. XXXVII. n. 8. & ab hac nobis exhibetur *Locator* quidam *Scænicorum*; unde hoc ex titulo diſcimus, fuiſſe apud Romanos qui *Scenicis*, ideſt in Scena agentibus, nimirum hiſtrionibus, ludionibus, de pecunia ſua ſtipendium darent, aut ex cauſſa aliqua alia haberent eos ſibi obnoxios atque obſtrictos; tum vero theatralia ſpectacula edituris pacto pretio eoſdem locarent. Secunda quoque ex eadem Tabula eſt, n. 10. *Palæſtritarum* mentio quidem a veteribus Auctoribus fit, ut recte, de more, adnotavit Laurentius Pignorius (*de Servis* pag. 1249.) at hoc in titulo *Palæſtrita* dicitur *Cæſaris*, quod novum eſſe videtur. Tertia demum, ex eadem item Tabula, n. 12. In hac legitur, *Stefanis Virgo Intaminata*; quod autem *Intaminata* aliqua *Virgo* appelletur, in nullo alio veterum Gentilium lapide fortaſſis adhuc repertum eſt; quamvis ea vox *Intaminata* aureo Auguſti ſeculo plane convenerit: Q. enim Horatius *Carminum* Lib. III. Ode 2. v. 17.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus:

Neque tamen *Virginem* illam Chriſtianam reputaverim. Si alia deeſſent argumenta, conſideratio ſufficeret ſeptimi verſus: *Hoc Fatum voluit*.

Q. GAVIVS. ARMONIVS
LOC. SCAENICORVM
VIXIT ANNS XXIIII MVI

H E R A C L A
CAESARIS
PALAESRITA

D. M. S

STEFANIS VIR
GO. INTAMINATA
LVMEN. QVOD. ACE
PI. REDDIDI. PA
TRE. MEVM. STE
PHANVM. SECVTA
HOC. FATVM. VOLVIT
VIX. ANN. XIIII

XXIX. Nunc, quando hæc omnia a nobis ſunt prolata, aliaque indicata ſunt; & quando (quod caput eſt) Gorii integrum Opus Volumine hoc continetur; ſatis, ut opinor, bono in lumine poſita habemus utiliora quæque ad reliquias illas Columbariorum attinentia; quibus propitia fata profecto exſtitere, cum tot taleſque Viri eas delineaverint, deſcripſerint, atque illuſtraverint. Unde utilitas hercle inſignis ex illis Servorum & Libertorum monumentis provenit huic eidem Volumini, rerum ad Servos pertinentium illuſtrationi (ut ſupra dictum eſt) deſtinato. Quod ſi formaturi Volumen ipſum, initium non duximus a Pignorio, & a Popma, coryphæis eorum, qui de Servis ſcripſere; ſatis cauſſæ habuimus, ut faceremus quemadmodum fecimus: eam tamen in præſentia rerum afferre nihil attinet.

XXX. Præſtat ulterius progredi, nimirum ad Ferrarii Diſſertationes, Gorii Opus excipientes. Prodiere illæ primum Helmſtadii an. 1720. tum emendatiores in Collectione, cui titulus, *Raccolta d'Opuſcoli Scientifici, e Filologici* (Tom. V. pag. 443. Venetiis an. 1731.) Dignæ eæ ſunt eruditiſſimo Auctore ſuo, qui ſuperiore ſeculo eloquentiam docuit noſtro hoc in Gymnaſio, ſcite adeo atque erudite, ut non minores ſibi laudes, quam eximiis editis operibus comparaverit. Natus erat an. 1607. ad hoc autem Gymnaſium evocatus fuit anno 1634. diem obiit an. 1682. Ejus Elogium in Caroli Patini *Lyceo Patavino* (pag. 14.) videre eſt. Porro, quamvis ad Servos prior illa *de Balneis* Diſſertatio haud pertinere, prima fronte, videatur; eadem tamen valde ad rem noſtram eſſe poteſt; propterea quia in Balneis maximus erat operum Servorum uſus; agenteſque de his illa oportet noviſſe. Quin Ferrarius varia commiſcuit, quæ ab noſtro inſtituto non abhorrent: ita inter eos, qui ſæpius in die lavarentur, nominat (pag. 298. D) *Phonaſcos*, *Præcones*, *Citharœdos*, *Tragœdos*, *Cantores* (hi autem fere omnes de Servorum genere erant) *quod vocem læſam, & exaſperatam, aquarum dulcium humectatione curarent. De Balneatoribus* (pag. 302. C.) mentionem injicit, & de *Reunctoribus* (pag. 310. C) & hi quoque plerumque Servi: nec non (ibidem) de *Me-*

diaſtinis, abjectis ſane mancipiis. Servorum uſum in Balneis illuſtrat (pag. 310. F.) perſpicuo Spartiani loco : *Alipilos* (pag. 310. A) & *Alyptas* (pag. 312. C) commemorat, a Servis non ſejungendos.

XXXI. Utcumque ſit, alteram cum dare oporteret Ferrarii Diſſertationem, gemina Diſſertatione Volumen noſtrum ornare libuit : una enim ab altera divellenda non erat, quando utraque jam bis conjunctim in lucem venit. Earum vero ſecundam, *de Gladiatoribus* agentem, ad Servos pertinere, ſi rationibus oſtendere vellem, uterer quidem probationibus non neceſſariis in re manifeſta. Aliam autem huic ſimilem antequam attingo, pauca præfabor de ejus Auctore, Nicolao Calliachio.

XXXII. Nicolaus Calliachius Cretenſis natus eſt an. 1645. cum ea in Inſula, illatum a Turcis, bellum arderet. Decennis Romam migravit ſtudiorum cauſſa ; ibique Græcis ac Latinis litteris imbutus, graviores diſciplinas avide arripuit, citoque effecit, ut Philoſophiæ ac Theologiæ *Doctor* renunciaretur. Vix annum vigeſimum primum expleverat, cum Venetias invitatus eſt ad Græcam Juventutem in *Seminario Flanginio* inſtituendam: in quo quidem munere tantum ſibi nominis, famæque comparavit, ut in Patavinum hoc Gymnaſium, honorifico Senatus Decreto (an. 1677.) ad Logicam profitendam traductus ſit. In hoc autem apparuit quantus eſſet. At, ſtatim ac occaſio tulit, ad primam ſedem *extraordinariæ* Philoſophiæ (an. 1681.) translatus, deinde (an. 1686.) ad aliam, ut Græcam Latinamque humanitatem doceret, ingenti munificentia, evectus eſt: ſcilicet hic unus, ea tempeſtate, eſt inventus, qui Octavii Ferrarii (de quo paullo ſupra commemoratum eſt) locum implere poſſe videretur. Inſuper autem Calliachius Philoſophicam doctrinam amœnioribus litteris adjungebat. Itaque ipſe ſibi ſuarum virium conſcius, ſtatim orationem habuit, typiſque etiam commiſit, qua contendebat, Oratorem eſſe poſſe neminem, niſi idem Philoſophus ſit. Num tamen ille Orator dicendus fuerit, doctiores viderint. Id ego attingam, quod illi certe debetur; eſtque doctrina & eruditio ex antiquis fontibus hauſta: idque in primis colligi poteſt ex ejus poſthumo (vivere deſiit Calliachius an. 1707.) *de Mimis & Pantomimis* Syntagmate, quod Patavii primum (an. 1713.) iterum vero in *Novo Theſauro Antiquitatum Rom. congeſto ab Alb. Henr. de Sallengre* (Tom. II. pag. 699.) editum eſt. Hujus Opuſculi fama in cauſſa fuit, ut nos lucubrationes ceteras quæreremus, quas Calliachius ſcripſiſſe dicebatur: ex iis autem paucas illas eligeremus, quæ ad rem noſtram facere viſæ ſunt. Jam in aliam regionem & ad Typographum alium delatæ fuerant, niſi illa nobis, quæ in litteris quoque dominatur, fortuna faviſſet. Non deerunt fortaſſe qui ampliora poſtulent : veruntamen ſperamus fore, ut ii qui hoc ſtudiorum genere delectantur, & in eo profecere, quod illi damus (& quæ ſimilia daturi ſumus) aliunde potius judicent, quam ex mole. Earum, quæ nunc a nobis proferuntur, prima, ad res Gladiatorum illuſtrandas, compara-

ta eruditione conficitur. Id unum in ea hic obſervabimus, quod Calliachius (pag. 338. E.) de *Mirmillonum* origine mentionem injiciat, videaturque ſententiam eam, in qua fuit Adrianus Turnebus, & probare & ſequi. Nos hujus locum, qui eſt in *Adverſar.* Lib. 3. (non 5.) cap. 4. integrum huic Articulo inſeremus: „ Mirmillo „ (ait Turnebus) „ in amphitheatralibus ſpectaculis Gallica erat
„ armatura: vox autem de Græco deflexa, ut quæ in aliud ſolum
„ tranſplantata ſunt, ingenio loci & cœli mutantur, leviter quo-
„ que mutata eſt. Nam quod ea armatura fortiſſimorum erat ho-
„ minum, quales opinione hominum fuerant antiqui Myrmidones
„ Achillis milites, & habebantur Romanorum ſententia Galli,
„ Myrmillonesque de Græca illa fortiſſima natione appellaban-
„ tur: idcirco gladiatoribus hoc nomen hæſerat. Nam d in l mu-
„ tari Ulyſſes perſpicue oſtendit; qui eſt Græce ὀδυσσεὺς, ne plu-
„ ra commemorem. „ Ubi vero latinæ voci *Myrmillones* græcam *Myrmidones* reſpondere cenſeatur; de eorum origine, facile intererit, huc transferre locum Euſtathii, qui ad Libri A Iliadis verſum 180. ſcripſit hæc: „ Phthiotæ appellati ii „ (utor eximia interpretatione Viri doctiſſimi clariſſimique Alexandri Politi)
„ qui gentili nomine vocati fuerunt Myrmidones, ſubjectique
„ erant Achilli: de quibus poſtea clarius agemus in Bœotia.
„ Myrmidonas jam inde ab initio dictos ferunt, primos habita-
„ tores Æginæ (inſula hæc in conſpectu Atticæ) de quibus
„ etiam fabulam hujuſmodi confinxerunt. Obtinente Æaco Æ-
„ ginam inſulam, præ hominum raritate, paucos fuiſſe, in quos
„ ille imperium exerceret. Quum ergo regia ejus auctoritas in-
„ tra paucos dumtaxat homines concluderetur, ſupplicaſſe eum
„ hac de cauſſa Patri ſuo Jovi, a quo, quæ illic erant formicæ,
„ in homines fuerint commutatæ. Inde magnam hominum mul-
„ titudinem Æaci imperio acceſſiſſe: eoſque homines a prima ge-
„ neris ipſorum origine, ἀπὸ τῶν μυρμήκων, *a formicis*, Myrmidonas fuiſ-
„ ſe denominatos. Atque ita quidem fabularum ſcriptores: de
„ quibus etiam Lycophron Myrmidonas dicit *formicarum exercitum*,
„ *qui ſex pedibus graderetur*. Verum qui huic fabulæ per hiſtoriam
„ medentur, ii narrant, Æginetas fodiendæ terræ operam na-
„ vaſſe, ita ut terram, ſpeluncarum in modum, excavarent, ea-
„ que latibula incolerent, egeſtos vero inde aggeres latius ex-
„ panderent, ut idonea ferendis fructibus terra redderetur: pro-
„ pterea quod ea inſula aſpero eſſet extrinſecus, ac ſalebroſo
„ ſolo; terra vero intus ſatis fœcunda, ac bona. Hac igitur de
„ cauſſa, qui operi huic intentos viderunt, quum eos, propter
„ formicinum, ut ita dicam, vivendi inſtitutum, μύρμηξι, *formicis*,
„ aſſimilarent, Myrmidonas appellarunt. Verum inde poſtea non-
„ nulli cum Æaco Phthiam commigrantes, eam ipſi ſecum ap-
„ pellationem abduxerunt, &, quum inſularibus, conterraneis
„ ſuis, conceſſiſſent, ut Æginetæ nominarentur; Phthiotas ipſi
„ de ſuo nomine Myrmidonas vocarunt. Atque hæc quidem ita
„ dicta ſunto. „

XXXIII. Alterum Calliachii Commentariolum *de Suppliciis Ser-*

vorum inſcribitur ; quod argumentum hactenus (quantum ſcio) ſeorſum nemo tractavit. Multa ſunt in eo ſcitu digna. Ubi vero Nicolaus de flagellis agit (pag. 350. E.) quibus Servi plectebantur, numerat *lora*, *nervos*, *fuſtes*, *flagra*, *virgas*, *ſcorpiones*, & *vites*. Addere etiam oportet *funes;* quos adhibitos fuiſſe ſatis apparet in vetuſtis quibuſdam imaginibus, in marmore, *anaglyptico* opere, ſcalptis; quas, exceptas in chartam & æs, publici reddidit juris Franciſcus Ficoronius in eo Commentario, cui titulum fecit: *le Maſchere Sceniche* (pag. 25.) Ex illis duas, ad rem noſtram maxime facientes, hic iterum exhiberi poſſe opportune, pu-



tavimus. Eos vero *funes* fuiſſe *ſparteos* colligere licet ex Horatio (ubi is Menam Libertum inſectatur) *Epod.* Ode IIII. verſu 3.

Ibericis peruſte funibus latus.

Iberici enim ab Horatio dicuntur *funes*, quoniam *ſpartum* (vitilium genus) ex quo funes nectebantur, herba erat, cujus in Hiſpania copia magna inveniebatur. Pro funibus tamen *tranſlatum a Pœnis ſparti uſum perquam ſimile veri* habendum eſſe, Plinius ait, Lib. XVIIII. cap. 2. Porro, *vites* adhibitas fuiſſe ad Ser-

vos verberandos, vix credam ſine auctore aliquo probatæ fidei. Nam hoc ita proprium erat militis Romani flagellum, ut ne ad extraneum quidem militem in ipſa Romana acie transferretur. Colligimus ex Livio Lib. LVII. *Epitom. Quem militem* (Scipio Africanus cum Numantiam obſideret) *extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus; ſi extraneus, fuſtibus* (*virgis* legunt nonnulli) *cæcidit*. Quod autem pertinet ad *ſupplicia ſervilia*, quæ refert (pag. 350. A) Calliachius ex Ariſtophane in *Ranis*, Act. II. Sc. 6. dubitabit fortaſſe aliquis, num ea dici re vera ſupplicia potuerint; an potius nominanda eſſent tormenta ad veritatem extorquendam. Agitur enim ibi de furto detegendo apud Æacum Inferorum judicem. Sed a peſſima Servorum forte ad feliciſſimam, a Suppliciis ad Manumiſſionem, tranſeamus.

XXXIV. *De Servorum* enim *Manumiſſione apud Romanos*, poſt illas Calliachii Diſſertationes, a nobis exhibentur *Libri quatuor*, docte & erudite conſcripti, primumque editi, *Ultrajecti* anno 1685. ab *Wilhelmo Loonio* Neomagenſi, eo tempore nondum juventutem egreſſo. Quamvis autem Manumiſſionum materia ſit inter illas numeranda, de quibus hac tempeſtate in foro altum eſt ſilentium, nec ea ſane ad uſum Juriſprudentia hodierna indigere videatur; nihilo tamen minus ea quoque materia ad integrum Romani Juris Syſtema recte ſciteque intelligendum, valde conducit: neque vero ab eodem pars ulla profecto poſſet avelli, quin eidem toti perniciosa læſio aliqua inferretur. Adde, ab hujuſmodi partibus modum ſuppeditari perveſtigandi bene multas eruditæ Antiquitatis notitias, quemadmodum Looni cordi fuit; qui tum juſtas atque ſolemnes, tum minus ſolemnes, Manumiſſionum apud Antiquos ſpecies exponit; de modis ac perſonis, a quibus Manumiſſio aut dabatur, aut percipiebatur, agit; docetque ut nonnullis libertas aliquando etiam ſine Manumiſſione provenire potuerit; nominum Libertorum rationes non prætermittit; & alia ſimilia ſubdit; atque, ubi occaſiones ferunt, varia veterum Auctorum loca eleganter illuſtrat.

XXXV. Sequitur *Diatriba de Nutricibus & Pædagogis*, quam conſcripſit (ediditque Ultrajecti una cum ſua Diſſertatione *de Salutationibus Veterum*) Joh. Jacobus Claudius, Iſaaci F. Jo. Jacobi N. Hagæ Comitum ortus ille eſt an. 1684. Meliorum litterarum ſtudio ſtatim ab ætate prima flagravit; cumque Opuſcula modo commemorata in lucem emiſerit anno 1702. ætatis ſuæ decimo octavo, jure meritoque numeratus eſt inter eos, qui ingenio præcoci floruere: Londini an. 1712. immaturo fato diem obiit. Qua autem ætate Claudius Opuſcula illa ſit commentatus, eo libentius expoſuimus, quod erudita adeo ſint, ut ea ætas, qua Claudius illa compoſuit, facile nequeat conjectura cognoſci. Ceterum recens natos infantes traditos plerumque fuiſſe ancillis nutriendos, ex Pignorio etiam (pag. 1255. F.) colligere licet; qui itidem docuerat (pag. 1205. A.) Pædagogos e Servorum genere fuiſſe. Sed de illis atque de his ſpeciatim agens, multo plura, & variis eruditionibus ornata, tradidit Auctor noſter.

XXXVI.

XXXVI. Sequuntur noſtro in Volumine *Hieronymi Mercurialis de Arte Gymnaſtica Libri ſex.* Cl. Niceronius (quem nuper deceſſiſſe , ægre tulimus) in ea , quam inter cæteros diligenter alioquin edidit, Mercurialis Vita, ejuſque Operum ſerie *(Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire des Hommes Illuſtres &c. Tom. XXVI. pag.* 17.) hoc primum omnium fuiſſe , affirmat ; quippe ſcriptum Romæ intra ſeptennium, quo tempore ibi egit apud Alexandrum Farneſium Cardinalem, magnum Litteratorum Patronum : illuc autem, quamvis juvenem, ad Pium IIII. Pont. Max. a Civibus ſuis Forolivienſibus legatum fuiſſe an. 1562. Verum nec adeo juvenis tunc erat, ut pote natus an. 1530. quod Niceronius non ignorabat (multo minus *adoleſcens* erat ; quamvis Tomaſinus in ejus *Elogio* ſcripſerit, *Forolivienſes adoleſcentem illum* , Mercurialem , *Legatum ad Pium IIII. Sum. Pont. elegere.*) neque is primus ejus ingenii fœtus fuit . Nam , ut variarum Lectionum libros quattuor primos ubi & quando ſcripſerit, hic quærere omittamus, Patavii certe an. 1552. libellum emiſerat, qui Niceronium ac cæteros fugit, *Nomothelaſmum*, *ſeu Rationem lactandi infantes* inſcriptum, cujus exemplar, rariſſimum quidem, in Bibliotheca vidimus Civis ejus, & Amiciſſimi Collegæ noſtri, Viri longe doctiſſimi ac celeberrimi Jo. Bapt. Morgagni. Cæterum tot ex Libris , quos poſtea , non adoleſcens , ſed vir ſcripſit , & præſertim cum ab an. 1569. ad an. 1587. in hac noſtra Academia , aut ab eo ad an. 1593. in Bononienſi, aut deinde in Piſana Medicinam e ſupremo loco magnis præmiis profiteretur, aut denique in Patria, quo, poſtremo vitæ ſpatio, conceſſerat , iterum faceret , donec an. 1606. ibidem e vivis exceſſit; tot, inquam , ex Libris nulli ſunt facile his *Gymnaſticis* anteferendi. Nam, etſi ejus Prælectiones, & Conſilia Medica vel priuſquam typis ederentur, tantam ipſi exiſtimationem conciliaverint, ut an. 1573. (non 1583. quod perperam , in *Gymnaſio Patavino* , pag. 298. ſcribit Tomaſinus) a Maximiliano II. Cæſare in Germaniam fuerit ad ſui curationem, quam & feliciſſime abſolvit , evocatus , a pleriſque autem aliis Principibus certatim fere deſideratus : etſi plures ejus Libri , ſive medici , ſive eruditi , tantam præ cæteris , tamque conſtantem laudem retulerint , ut hodieque , unum in volumen collecti , *Opuſculorum Aureorum* nomine circumferantur; tamen vel inter hæc primus locus iis, quos hic damus, eſt attributus ; nec quiſquam eſt Antiquitatis peritus , qui merito attributum eſſe non cenſeat. Eoſdem autem in Volumine hoc noſtro, quod rebus præſertim ad Servos attinentibus illuſtrandis dicavimus, omittendos non fuiſſe , omnes intelligent , qui ex iis , qui in *Gymnaſtica Arte* exercebantur, quot Servi eſſent, animadverterint.

XXXVII. Quin ad Servos referendi etiam videntur quidam alii Gymnaſiis miniſtrantes , ut (pag. 524. E.) *Fornacatores*, ut *variarum rerum venditores* , & inter hos *Libarii* , *Botularii* , *Cruſtularii*: ſed non libet ire per ſingula; nimis multa ſunt in Libris illis pertinentia ad Servos , & quæ propoſito noſtro in hoc contexendo Volumine apprime conducant. Potius itaque obſervabi-

mus, Mercurialem Operi ſuo lumen ingens Figuris illis pluribus, quibus illud ornavit, attuliſſe. Ex eis vero, ſive a Mercuriali primum exhibitis, ſive ad res ſuas accommodatis, haud paucis uſi ſunt quidam alii poſt ipſum: ita Joannes Schefferus *Trochi* figuram in ſuos *de Re Vehiculari* (cap. 58.) Libros induxit ex Mercurialis (pag. 615.) Libris: ita Philippus Tomaſinus in *Librum* ſuum *de Teſſeris Hoſpitalitatis* (vide Gronovii Vol. IX. pag. 256. & 261.) Figuras tranſtulit duas, quas dederat Mercurialis (pag. 506. & 514.) ita quattuor illis Figuris, quas explicat Mercurialis (pag. 559. D. 560. E. 566. B. 573. B.) Joannes Potterus in ſua Archæologia Græca (hæc exſtat in Gronovii Vol. XII.) egregie uſus eſt.

XXXVIII. Neque ſolummodo, poſtquam ad plures abierat Mercurialis, varii Homines docti varia ſunt ab ejus *Gymnaſtica* mutuati; ſed etiam eo vivente florenteque; ut ipſe in Additionibus, quibus inſtruxit Editionem ejuſdem Artis Gymnaſticæ quartam, profeſſus eſt. *Petrus*, ait ille (vide pag. 512. D.) *Ciaconius*, *&* *Fulvius Urſinus*, *rerum antiquarum peritiſſimi*, *quique multis annis poſt meam gymnaſticam de triclinio ſcripſerunt*, *proculdubio ad veritatem accubitus acceſſerunt*, *atque ſi æquus lector noſtras cogitationes illorum ſcriptis comparare velit*, *certe ſtatim animadvertet*, *fere quicquid hac de re boni dixerunt*, *e noſtro libro accepiſſe*, *præterita tamen memoria*, *ſecus quam fecit eruditiſſimus Galliæ ocellus Petrus Faber*, *qui non modo ſumma ingenuitate in libris ſuis agoniſticis* (inſertis a Gronovio in Græc. Antiq. Vol. VIII. pag. 1757.) *incredibili doctrina refertis*, *non erubuit profiteri ſeſe magnopere ex libris de re gymnaſtica noſtris profeciſſe*, &c. Quidni itaque Libri, uſus tanti inter Eruditos, in Antiquitatum Theſauros hoſce introducerentur? Digniſſimi profecto erant, qui vel octavum ederentur. Primum in vulgus editi ſunt Romæ, ut conjicio ex Mercurialis ipſius Epiſtola nuncupatoria ad Maximilianum II. Imperatorem (qua illi editionem ſecundam dedicavit) in ea enim, *quamvis hos Libros*, verba ſunt Mercurialis (pag. 458.) *quo tempore Alexandri Farneſii Card. ſapientiſſimi*, *ac prudentiſſimi Medicum Romæ agebam*, *pepererim*, *illique dicatos in vulgus ediderim*. Altera eorundem Librorum editio prodiit *Venetiis*, *Apud Juntas*, an. 1573. quam editionem nonnulli ceu primam ponere viſi ſunt. At in ejus fronte legere eſt, Mercurialis de Arte Gymnaſtica Libri VI. *Secunda editione aucti*, *&* *multis figuris ornati*. In hac tamen Editione fruſtra quæras Additiones, quibus Editio quarta locupletatur. Pariſienſis Editionis anni 1577. meminit Niceronius (pag. 22.) eandemque in Præfatione ad ſuam Librorum eorundem Editionem (de qua paullo infra) ſubindicavit Andreas Friſius. Alia Editio recenſetur in *Catalogo Bibliothecæ Joſ. Ren. Imperialis S. R. E. Cardinalis*, ita: *Mercurialis Hieronymus*. *De Arte Gymnaſtica*. *Venetiis per Juntas*. 1587. *Editio III. aucta*: itaque Veneti typographi Pariſienſem Editionem non numeraſſe videntur. Tum iidem Juntæ, itidem Venetiis, aliam dedere editionem, in cujus titulo Libri Mercurialis de Arte Gymnaſtica dicuntur, *quarta editione correctiores & auctiores fa-*

cti. Atque ut de Additionibus dubitare nemo posset, *Indice eorum, quæ hac editione quarta sunt addita ab Auctore*, primas Editionis hujusce pagellas Juntæ exornarunt. Hancque Editionem præstantem censeo. Exemplar vero illud *Venetum*, *an.* 1644. quo usus est, & de quo plura habet in Præfatione sua Frisius, exstat inter *Hieronymi Mercurialis Opuscula Aurea*, *& Selectiora*, edita, non *Hæredibus Juntarum curantibus*, ut idem Frisius ait, sed *apud Juntas*, *& Baba*. Demum Mercurialis Libri descripti typis æneis fuere *Amstelodami*, *Sumptibus Andreæ Frisii an.* 1672. Mercurialis ad Maximilianum II. Epistolam, & carmina nonnulla (seu Mercurialis elegantes quasdam laudationes) a Frisio prætermissa, in nostra editione restituimus. Cæterum præsertim illam Frisii pro nostro Volumine adhiberi curavimus Editionem; quarta tamen non neglecta.

XXXIX. Nonnullis autem Editionem illam suam Figuris auxit Frisius, iisdemque breves quasdam adnotationes associavit. Atque earum mentionem in Præfatione, quam suæ Editioni præfixit, injiciens, indicavit Figuram *Naumachiæ* ex *Panvinio* (exstat hæc in nostro Vol. pag. 628. & in Vol. IX. Grævii) Figuras *Amphitheatri Titiani & Veronensis*, ac *Gladiatorum depugnantium* ex *Lipsio* (in nostro Vol. pag. 591. 594. 595. ac in Grævii Vol. IX.) & ex *Liceto*, vel, si mavis, *Petro Stephanonio* (pag. 571.) Figuras *saltantium supra utres unctos*, fuisse desumtas. Ex Gemma Stephanonii *saltantium* Figura illa excerpta fuit. Nuper, occasione *eximii & vetustissimi anaglyphi*, Fesulis anno 1722. inventi, in quo scalptus cernitur vir nudus personatus, retrorsum collapsus, & pone eum uter inflatus, duo Viri & doctissimi, & oppido eruditi, Fr. Ant. Gorius (*in Inscriptionum Antiquarum in Etruriæ urbibus exstantium* Parte II. pag. 104.) & Rodulphinus Venutius (in Libro, cui titulus est: *Saggi di Dissertazioni Accademiche* &c. *in Roma* 1735. pag. 87.) multa protulerunt apte nexa, & egregie elaborata, ad illustrandam cognitionem Ludi illius supra utres saltantium, qui ΑΣΚΩΛΙΑΣΜΟΝ a Græcis dicebatur, eratque apud eos celebris. Sed nimis multa sunt, neque possunt huc transferri: ut neque doctæ illæ animadversiones, quibus Raphael Fabrettus (*de columna Trajani*, pag. 262.) evicit, Cæstus minime instructos fuisse globulis illis (plumbeis dicemus ne an ferreis?) quibus referti videntur in Mercurialis Figuris, pag. 563. (Mercurialis autem eas Figuras ab Ligorio acceperat) sed Cæstus nonnisi ex simplicibus loris fuisse contextos. Placuit hæc non prætermittere: at nolo esse longior. Pergam ad eum, qui sequitur, *Tractatum*.

XL. Nimirum veniam ad *Antonii Bombardini de Carcere & antiquo ejus usu Tractatum*. De quo egregio Viro nonnulla scribam eo libentius, quod plures annos in hoc Gymnasio una fuimus, peculiari etiam alio munere conjuncti, neque ejus vitam hactenus quisquam mandavit litteris; quamobrem honesta quidem ratio postulare videtur, ut quidpiam de eo hic commemorem. Antonius Bombardinus, Patavinus Patricius, natus est anno 1666.

Cum in Scientiis, quibus egregie operam dederat, admodum profecisset, *Canonicam Juris matutini sedem* (quam modo *Civitatis* vocant) hic in Patrio Gymnasio, anno 1691. adhuc juvenis obtinuit. Ex ea ad *Criminalium exhedram* traductus est an. 1694. Post plures autem annos ad statum Ecclesiasticum transgressus, ad Sacerdotium deinde evectus, ac postmodum *Canonici Primicerii* munere *in Ecclesia Cathedrali* Patavina functus, in eadem *Criminalium sede* versatus est usque ad hujusce seculi annum vigesimum quintum, quo *Locus ei primus Juris Civilis vespertini* demandatus est. Anno sequenti e vivis excessit repentino morbo sublatus.

XLI. In publicam emisit lucem an. 1713. *Seminarii Patavini* typis, Tractatum hunc, qui Thesauris adjunctus est, visusque in tertium hoc Volumen posse referri. Multa enim habet ad Servos pertinentia; ut ubi (pag. 817.) diligenter ostenditur, Lictores, seu Satellites, servilis conditionis fuisse, & ex libertina conditione desumtos; ubi (pag. 770.) de publicis agitur Servis; ubi (pag. 821.) sermo est de iis, quos *præministrare Servorum vices jusserunt Romani*; alibi alia: sed, quod caput est, res pertinentes ad *Carcerem privatum Servorum*, & ad *Ergastula* (pag. 788.) bono in lumine collocantur; eorum vero locorum notitiæ necessariæ prorsus sunt ad antiquam Servorum conditionem integre cognoscendam. Ante Bombardinum autem nemo (quod sciam) qui Commentarium ullum de *Carceribus* litteris mandaverit, inventus est. Quamobrem, vel hoc nomine, ut omnes antiquitatis partes Thesauris Antiquitatum clauderentur, operæ pretium erat Tractatum hunc inter res nostras inferre. In quo Auctor eruditi viri munus plane executus est; & in argumento, quod tractandum sibi sumsit, tam multa ex celebrioribus Auctoribus, delectu habito, hausit, ut pauca sint quæ desiderari videantur. Ac, si exiguæ quædam maculæ in hoc Opere notatæ sunt, nil mirum, cum proclive sit, eum, qui nullius ante tritam pede viam ingressus fuerit, aliquando offendere, etiam labi. Sed quoniam in *Diario Italico* (*Giornale de' Letterati d' Italia Tom. XVIII. pag. 63.*) eruditissimus illustris Vir Apostolus Zenus Poeta & Historicus S. M. C. C. ea commentatus est, quæ & nævos illos abstergant, & rei toti lumen præclarum affundant: iccirco ab alio itidem eruditissimo illustri Viro ea, quæ Diario continebantur, in Annotationes divisa, Latine reddita, & aucta, in nostra hac editione locis suis adposita sunt. Mens erat Auctori (ut ex ejus ad Lectorem Præfatione, pag. 736. colligi facile potest) *rem totam* de Carcere *in duas partes distribuere; quarum altera historiam Carceris, altera praxim complecteretur*. Sed secundam Partem hanc perducere ad umbilicum non potuit, morte præventus. At hæc Pars nostrum ad institutum minime pertinuisset.

XLII. Cui tamen instituto convenire quidem arbitratus sum Schoettgenii *Librariorum Historiam*, quæ post Bombardini *Tractatum* nostro in Volumine occurrit. Librariorum enim bene multi ex Servorum familiis educebantur, præsertim ab Romanis; ut vel in hac commemoratur Historia: nam ubi de veterum Ro-

ma-

manorum Librariis & Bibliopolis agitur, perſpicue proditur (pag. 841. B.) *eorum conditionem plerumque fuiſſe ſervilem*. Præclariſſimus Auctor, qui admodum in Græcis & Hebraicis litteris verſatus eſt, variaque (præter id, quod in Volumen hoc induximus) elegantia eruditionis ſpecimina edidit, degit Dræſdæ, Rectoriſque Crucianæ Scholæ munere fungitur. Hiſtoriam illam, Latine ſcriptam, in vulgus emiſerat Lipſiæ an. 1710. At deinceps eandem *certis ex cauſſis* (ut in Præfatione, pag. 834. profitetur) *in Germanicam convertit linguam*, *ſed ordine alio*; auxitque novis additamentis, *cum in his rebus dies diem doceat*. Hæc autem *Hiſtoria Librariorum* Germanice exarata, publici juris an. 1722. Norimbergæ facta eſt: & hanc converſam de Germanica in Latinam linguam, pro ſingulari ſua humanitate, mihi miſit Cel. Jo. Erhardus Kappius, in Lipſienſi Academia Profeſſor Eloquentiæ publicus ord. præſtantis eximiæque eruditionis Vir. Ipſe etiam mihi indicavit nonnullas vitæ Eſchenbachii notitias, quas poſſe nunc ad rem meam pertinere exiſtimo.

XLIII. Jo. Andreas Eſchenbachius in vitam venit Norimbergæ IX. Kal. April. an. 1663. Melioribus litteris operam dedit Altorfina in Academia; & ibi etiam Philoſophiæ *Magiſter*, *Laureatuſque Poeta* renunciatus eſt; deinde Jenam conceſſit; tum peregre profectus Belgium inviſit, ac poſtea redux ad patrios lares haud multum in patria conſtitit, ſed Altorfium commigravit, ubi *Inſpector alumnorum*, *& œconomiæ*, an. 1691. fuit conſtitutus. Inde vero Norimbergam revocatus, in Ægidiano Gymnaſio Profeſſorem egit Eloquentiæ, Poeſeos, Hiſtoriarum, Græcæque linguæ. Plura edidit opuſcula critica atque erudita; VII. Kal. Octob. an. 1722. Norimbergæ e vita diſceſſit. Quæ ad rem noſtram translata eſt Eſchenbachii *Diſſertatio de Scribis veterum Romanorum* prodiit primum Jenæ an. 1687. tum (ut refert Jo. Alb. Fabricius in *Bibliographia Antiquaria* pag. 517.) in ejuſdem Eſchenbachii tomo 2. Syntagm. Diſſ. A. an. 1700; àtque tertium in Diſſ. Academicis V. Norimb. an. 1705. Porro, ut recte noſter animadvertit Auctor (pag. 859. B) *multi ex illis* Romanorum Scribis *mancipia & ſervi erant*. Non ita apud Græcos res ſe habebat, ut perſpicue prodidit Cornelius Nepos (in Eumene cap. I. & vide noſtrum, pag. 862. C.) cum enim narraviſſet, Eumenem a Philippo Amyntæ filio habitum eſſe *ad manum*, *ſcribæ loco*; ſubdit, *quod multo apud Grajos honorificentius eſt*, *quam apud Romanos*. *Nam apud nos revera*, *ſicuti ſunt*, *mercenarii ſcribæ exiſtimantur*. Non autem privatos æque ac publicos, non quovis tempore, Romani Scribas unius ejuſdemque conditionis habuere. Qua de re multa ſcripſit eximiæ elegantiſſimæque eruditionis Jureconſultus Chriſtianus Henricus Trotzius in *Opuſculo de Scribis*, quod inſeruit doctis Annotationibus ſuis in *Hermanni Hugonis de prima ſcribendi origine* Librum; quem Librum a præclariſſimo Viro exornatum, atque hoc ipſo, qui convertitur, anno editum, cum nuper acceperim, eo mirifice ſum delectatus. Sed in præſentia rerum, hæc ſatis erit indicaviſſe.

XLIV. Huic de Scribis Differtationi aliam *de ſtylis Veterum, & de diverſis chartarum generibus*, ſubjicere placuit. Non quod putarem, ulla ratione ad res Servorum explicandas eam pertinere; ſed quod poſt ea de Scribis, hæc de inſtrumentis, quibus ſcribebatur, & de rebus, in quibus ſcribebatur, dari poſſe, ſaltem ceu parerga, opinarer. Fateor autem, in fronte Libri (ſine loci & Conſulis nota editi) quem mihi miſit Amicus meus Batavus doctiſſimus idemque honeſtiſſimus, nomen Auctoris typis æneis impreſſum non extitiſſe; nomen dumtaxat ſcriptorio calamo erat exaratum: cur tamen illuſtri nomine, opuſculum illuſtri Auctore plane dignum non exornarem?

XLV. Sed inde ad res noſtras ſtatim reverſus, curavi, ut *Laurentii Pignorii de Servis* Commentarius in Volumen hoc tertium inferretur; nimirum, ut ipſi Volumini dignum haud vulgari exiſtimatione pondus accederet. Qualis autem quantuſque Pignorius fuerit, declarat ei poſitum a Dominico Molino Veneto Senatore, Litteratorum illo tempore Mecœnate, monumentum exſtans in hac Urbe ad parietes porticus Templi Ædis ſacræ D. Laurentio, quod (emendate ex lapide ipſo deſcriptum) ſubjeci:

D. O. M.
Laurentio Pignorio
Alteri hujus Eccleſiæ primum Parocho
Deinde Tarviſii Canonico
Pietate, ac morum ſanctitate ſpectatiſſimo
Vero candoris, & pudoris exemplo
Litterarum omnium cum graviorum tum politiorum peritiſſimo
Penitioris antiquitatis non minus certo quam curioſo indagatori
Patriæ, amicorum, & ſui ipſius memoriæ
Luculentiſſimis ſcriptionibus propagatori
Muſarum denique & Gratiarum corculo, & ocello
Dominicus Molinus Sen. Ven.
Amico, ac hoſpiti cariſſimo, & jucundiſſimo P.
Obiit An. cIɔ Iɔcxxxi. Idibus Junii
Vixit Ann. lix. Menſ. viii.

Ejus vitam litteris mandavere, Operaque enumeraverunt ab eo ſcripta, Jac. Philippus Tomaſinus in *Illuſtrium Virorum Elogiis* (Tom. ii. pag. 199.) & Niceronius in Commentariis (Tom. xxi. pag. 338.) jam a nobis commemoratis. Suum vero ad Opus tranſtulit Pignorius quidquid de variis Servorum generibus atque miniſteriis ex probatis antiquis auctoribus, ac ex veteribus monumentis haurire potuit. Id tamen Opus *compreſſum*, ut (ſua in Præfatio-

ne, pag. 1133.) testatur ipse Pignorius, *supra nonum annum fuit*; neque illud *evolare* passus est *de nidulo suo*, nisi anno 1613. quo Augustæ Vindelicorum Commentarius ille in publicam prodiit lucem. Iterumque editus est Patavii an. 1656. Ac tertium Amstelodami, sumptibus Andreæ Frisii (una cum Velsero *de Zeta & Zetario*, nec non cum Popma *de Servorum Operis*) qui Frisius jure adjecit Libri titulo, *Editionem* suam *auctam* esse atque *emendatam*. Et potissimum ex ea Frisii descriptus est Pignorii Commentarius (tum etiam desumta Opera Velseri, & Popmæ) in Editione Veneta hac. Neque vero textum in plura Capita tribuendum putavimus: quamvis nobis exemplo esse potuisset postrema Patavina Editio (an. 1694.) qua exhibetur Pignorii Commentarius, *pro rerum diversitate discretus in Capita additis Titulis denotata*.

XLVI. Sequitur Antonii Velseri *de Zeta & Zetario*, *sive Diæta & Diætario*, *Epistola*, quæ in lucem emitti consuevit conjuncte cum eo *Pignorii Commentario*, consentiente profecto materia; quandoquidem *Zetarii*, sive *Diætarii functio* (vide pag. 1318. A.) *servilis erat*.

XLVII. Postremum Volumini huic coronidem imposuimus *Libro de Operis Servorum a Tito Popma* conscripto. Celebris hic Vir in lucem venit *Elosti*, quod *Phrysiæ* oppidulum est, ex nobili & antiqua Familia. Patrem habuit Ausonium a Popma; fratres (inter quos ipse natu secundus) Sixtum, Cyprianum, Ausonium: plerique scriptis egregiis inclaruerunt. Patrem juvenes amisere. Itaque mater cum filiis, ut liberalibus ii studiis imbuerentur, Groningam petiit; at postquam filii ibi profecerant plurimum, Coloniam migravit; &, aliquanto post, Lovanium. Titus an. 1586. nobilem virginem uxorem duxit, quam post annum amisit. Ejus *Tabulæ in Sphæram*, *& prima Astronomiæ Elementa* prodiere Coloniæ ann. 1569. Eas fuisse primum fœtum ingenii ejus opinor, cum juvenis ille Coloniæ degeret. Plura alia edidit Opera erudita. Vixit adhuc superiore seculo; at de anno mortis nihil hactenus comperi. Hic de Servis Liber in *Catalogo Bibliothecæ Card. Imperialis* perperam tribuitur Ausonio Popmæ a viro doctissimo, qui *Catalogum* illum concinnavit. Verum quidem est, Ausonio & Sixto fratribus suis eum Librum inscripsisse Titum epistola eleganti; quam, a Frisii typographi editione jam olim ablegatam, cum in editione prima reviserem scripturus hæc, plane existimavi, eam modo, quasi postliminio (ut ita dicam) esse recuperandam; hujusmodi autem ea est:

„ Titus Popma Sixto & Ausonio Popmis
„ Fratribus suis VV. CC. S. D.

„ Quæ de Operis Servorum ex Libris nostris a me obiter notata „ erant, feci non invitus, ut ea subsecivis horis nunc recogno„ scerem; & aliorum auctorum adscitis testimoniis illustrarem. „ Nam semper mihi curæ fuit Juris Civilis scientiam cum opti„ marum artium studiis & rerum veterum notitia conjungere: „ quod harum ignoratione peccari persæpe, & multa in occul-

„ to latere viderem. Itaque operam dedi, ut ad homines antiquitatis, & rerum Romanarum ſtudioſos, aliqua ex Libris noſtris utilitas ſtudio meo perveniret, quod licet aliis fructuoſum, moroſis tamen quibuſdam fortaſſe non probabitur, quorum natura eſt ad criminandum, quam ad laudandum proPenſior. Penes doctos viros, & vos, Fratres cariſſimi, judicium eſto, qui ſpretis honoribus, & lucris, ducti ſolo amore τȣ̃ καλȣ̃ in hoc Circo decurritis. Valete. III. Non. Julii, Anno cIↃIↃC. VII. „ Porro vel ex hac Epiſtola perſpicue apparet, quanti ex illo Popmæ Libro fructus percipi poſſint. Jam vero exiſtimo, de illuſtrium Auctorum Libris iis, qui tertio hoc Volumine continentur, ſatis jam a me dictum eſſe. Tu vero, Lector erudite atque benevole, ut pro tuo erga optimas litteras amore opera illa, in hanc ædificii partem ſelecta, probabis, ita pro humanitate tua ne Architecti induſtriam improbes. Vale.

Patavii, Calendis Novemb. cIↃIↃCCXXXVIII.



SE-

SERIES SCRIPTORUM

Qui Tertio Volumine Novorum Supplementorum utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque continentur.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Paolo Tomaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolato: *Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova Supplementa Tom. III.* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni Coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Paſquali Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 21. Decembre 1738.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.

(

(Z. Pietro Paſqualigo Reff.

Agoſtino Gadaldini Secretario.

1738. 8. Genaro M. V.

Regiſtr. nel Magiſtrato Eccellentiſſimo della Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segr.

MONUMENTUM
SIVE
COLUMBARIUM
LIBERTORUM ET SERVORUM
LIVIÆ AUGUSTÆ
ET CÆSARUM

Romæ detectum in Via Appia Anno cIɔ. Iɔ. cc. xxvi.

AB

ANTONIO FRANCISCO GORIO

PRESBYTERO BAPTISTERII FLORENTINI

Descriptum, & XX. Ære incisis Tabulis illustratum

ADJECTIS NOTIS

CLARISS. V. ANTONII MARIÆ SALVINII.



ILLUSTRISS. REVERENDISS. DOM.

D. MARCO ANTONIO
ANSIDÆO
ARCHIEPISCOPO.

Episcopo Perusino, Pontificii Solii Aſſiſtenti, S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Aſſeſſori, Signaturæ Gratiæ Decano

ANTONIUS FRANCISCUS GORIUS.



UM res nulla ſit, quæ magis alliciat homines ad amandum quam Virtus, qua nihil præſtantius, nihil pulchrius, nihil amabilius eſſe poteſt; cum propter virtutem, & probitatem, ut ait

Romanæ eloquentiæ princeps Cicero , eos etiam quos numquam vidimus diligamus ; haudquaquam miraberis , AMPLISSIME PRÆSUL , *si splendore , ac fama tuarum virtutum maxime excitatus , eximium tandem erga Te obsequium , ac voluntatem meam , ingenii aliquo monimento declarare voluerim . Qualis enim quantusque Vir sis ; probe mihi compertum est , non ex vulgi laudibus , quod interdum fallitur , sed ex doctissimorum Virorum editis elogiis , quibus Te exornarunt ; vel ex eorum sapientum vocibus , qui Te intime norunt , egregiasque animi tui dotes , in Urbe omnium principe diutius perspexerunt , atque sunt admirati ; inter quos non postremum sibi vindicat locum Ferrantes Comes Capponius , Senator amplissimus , qui ad Te colendum optatum mihi aditum præbuit . Quotiens enim , ut ingenue fatear , ab amatoribus veræ solidæque Virtutis , in cotidianis eruditis sermonibus Te prædicari , & ad cœlum ferri audiebam ; laudari pietatem tuam in Deum singularem , prudentiam atque justitiam incomparabilem , insignem animi candorem , inculpatos mores , innocentiam , gravitatemque admirabilem , summa cum humanitate conjunctam ; laudari præclarissimam divini humanique Juris scientiam , miram dicendi vim , ac suavitatem , qua omnium animos in tui obsequium , & admirationem rapis ; multiplicem doctrinam , legumque interpretandarum peritiam , qua celeberrimas Decisiones , ex tua agnatione Cl. V. Alexandri Benincasæ Rom. Rotæ Auditoris , Patricii Perusini , Tibi inscriptas in optimum lumen , atque ordinem multo labore digessisti : quotiens , inquam , quæ maxima , ac verissima tuarum laudum est , & cum paucis comparanda , Te esse intelligebam* Justum , & tenacem propositi Virum , *Justitiæ Vindicem , ac defensorem acerrimum ; venerandæ Antiquitatis , penitiorisque eruditionis , & literaturæ cum sacræ , tum profanæ , omniumque optimarum artium , ac disciplinarum cultorem summum , ac præstantissimum ; instructo ad id Museo , quod in deliciis habes , thesauris erutæ Vetustatis locupletissimo ; & hoc amplius de studiosis , clarisque Viris , de Christiana Republica , de Purpuratis Romanæ Ecclesiæ Principibus , qui Te res gravissimas enarrantem identidem audiunt , de Apostolica Sede , de Religione , cujus maximi momenti negotia tractantibus per decem jam annos assides , optime meritum ; dudum a Cognitionibus Signaturæ Justitiæ , & Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a Secretis ; aliisque conspicuis Ecclesiasticis muneribus , summa cum laude , honorifice functum ; denique quum Te esse didicissem Romanæ Ecclesiæ , & Aulæ insigne decus , & ornamentum : gestiebam animo , mihique præ gaudio temperare satis non poteram , ex eo tempore præclare admodum de me , præclare de meis studiis actum cogitans , si partis aliquando ingenii mei laboribus , tuoque splendidissimo nomine insignitis , me totum perpetuo Tibi vovere , tuoque amplissimo patrocinio frui contigisset . In hanc spem mirifice postea sum excitatus , quum cognovi Te tribus Summis Pontificibus carum admodum fuisse , utpote Veritatis propugnatorem eximium , æquive servantissimum , qua laude tantopere emines ; adeo vero placuisse Pontifici Optimo Maximo* BENEDICTO XIII. , *tuarum virtutum , ac meritorum æstimatori sapientissimo , ut statim suscepto universi orbis regimine , Te , omnium plausu , Damiatæ Archiepiscopum , ac postea* PE-

RUSII *tuæ inclitæ Patriæ Episcopum renuntiarit ; atque in dies in majoris dignitatis , & gloriæ fastigio Te collocatum iri omnes sperent . Neque hic ego nobilissimæ tuæ Gentis decora ; majorumque tuorum gesta præclara commemorabo , quum in Perusinis Historiis disertius celebrentur . Difficile siquidem dictu est , an majorem sibi laudem literarum studio , & amore , quorum & Tu ipse exemplar es absolutissimum , vel armorum , egregiorumque facinorum gloria compararint . Nemini enim ignoti esse possunt , ut paucos e recentioribus referam ,* SCIPIO ANSIDÆUS *Sacræ Hierosolymitanæ Religionis Eques splendidissimus , & proavi tui frater ; cujus animi virtutem , ac gloriam Historiæ monimenta testantur ;* BALTHASSAR ANSIDÆUS , *avus tuus clarissimus , Præpositus Bibliothecæ Vaticanæ , eruditione non minus quam pietate conspicuus ; item* JOSEPH ANSIDÆUS , *Pater tuus , Vir omni laude dignissimus ,* COSMI III. *Magni Ducis Etruriæ Nobilis a Cubiculo , qui Regiam Etruscam Aulam præstantium virtutum exemplo condecoravit ; quique ad evellendas penitus e nobilium hominum animis Christiano nomine indignas simultates , & contentiones , aurea vulgavit præcepta ; quæ meus Petrus Andreas Andreinius , ejusdem scientiæ consultissimus , atque ut de Augusto dictum refert Suetonius ,* amicitiarum optimus conciliator , & fautor , *cum sapientibus viris magno in pretio habenda identidem prædicat . Quare gratulandum mihi summopere video, qui Te tanta virtute præditum, tantis meritis insignem, studiorum meorum Fautorem eximium , amplificatoremque optatissimum sim consequutus . Nec minimum vereor, quin Tibi gratissimum esse debeat hoc mearum vigliarum munusculum, quod in perennem obsequii erga Te mei significationem animo libens dedico , atque commendo . Gaudebis enim, ut spero , non mediocriter tecum ipse , quum cernes ab oblivione , & ab interitu vindicatum celeberrimum , atque ornatissimum illud aureo ævo constructum* MONUMENTUM , *quod nuper in Via Appia detectum est ; quod plane si , ut par erat , stetisset , eoque prorsus modo uti primum eruditorum oculis patuit , atque ut in hoc Volumine omni suo cultu integrum peraccurate repræsentatur ; neque a barbaris hominibus , & a Musis alienis , avaritiæ studio direptum , ac , non sine omnium horrore , penitus deletum fuisset , profecto esse poterat omnium sæculorum , omnisque posteritatis admiratione dignissimum . Quamvis enim Libertorum , ac Servorum* LIVIÆ AUGUSTÆ , & CÆSARUM *fuerit conditioni convenienter extructum , tamen quia omnium antea effossorum elegantissimum est , pulcherrimisque ornamentis valde refertum , præcellentem quamdam priscæ Romanorum gloriæ , & in tenujoribus quoque operibus incomparabilis magnificentiæ speciem , & exemplum omnium mentibus ingerit præstantissimum ; multaque sunt quæ ex his pretiosis omni ævo reliquiis , literario orbi hactenus incognita colligi potuere ; quæ quidem a sapientibus viris digna habita sunt , ut in iisdem illustrandis , atque explicandis plures Antiquitatis studiosi ingenio , & eruditione sua sedulam operam navarent . Interim , quæ tua humanitas est ,* OPTIME , AC PRÆSTANTISSIME PRÆSUL *(utinam liceat quamprimum Te alio augustiori nomine compellare !) hos ingenii mei qualescumque fructus benigna , ac serena fronte excipe.*

re digneris ; atque , ut non confido , me Tibi parem in præconio Tuæ Virtutis tribuendo , ullo tempore futurum ; ita obſequio , & amore nemini umquam ceſſurum , quod fauſtum felixque ſit , ex animo ſpondeo .

Florentiæ VIII. *Kal. Septembr.* CIↃIↃCCXXVII.



Ex antiquo marmore in Cenobio SS. Rufinae et Secundae Romae

PRÆFATIO.



OMNIGENÆ eruditionis, maximæque voluptatis expers est, qui præclara VETUSTATIS MONUMENTA non colit, & mirifice eorum cognitione non delectatur. Nihil enim est quod non doceant; nihil quod ad illustrandos gentium ritus, ad optimos auctores Græcos, & Latinos, præsertim Historicos accuratius enucleandos, ad universam Ethnicorum Theologiam probe intelligendam, ad omnium denique disciplinarum apparatum copiose, ac feliciter amplificandum conferre non possint. Sed de laudibus ANTIQUITATIS, ac de veteris ævi reliquiarum tum Ecclesiasticarum, tum profanarum studio, politissimoque viro digna cognitione, haud opportunus hic agendi locus. In perennem harum priscarum lautitiarum laudem illud dixisse sufficiat, hoc sæculo vere aureo, & cum Augusteo comparando, ubique gentium adeo coli, & in dies magis magisque florere antiquarum rerum uberrimum, jucundissimum, & utilissimum studium, ut jam non a solis tenuioribus hominibus, verum etiam a summis Viris, Principibus, & ab ipsis Regibus in amore atque in deliciis merito habeatur. Hi enim, quamvis immensis opibus abundent, nullos se habere thesauros arbitrantur, si thesauris careant venerandæ Antiquitatis: paramque mereri de optimis artibus, ac disciplinis, quas regiis opibus fovent, si ad hos ditissimos inexhaustæ eruditionis fontes, ad hæc insignia, & certa Historiæ lumina, ac fundamenta illustranda doctos viros non accendant, præmiisque excitent amplissimis. Votis præstantium virorum, ac litteratorum ipsa quoque Natura, & ipse Urbium, ac Regnorum Genius respondet, qui in hæc amplissima studia symbolam suam cotidie, ut ita dicam, confert; & ignotos, ac per tot sæcula in terræ visceribus consepultos antiquorum monumentorum thesauros, in lucem, *& in apricum*, ut ait Horatius, in dies profert. Frequenter audimus eruta variis in locis vetusta, ac præclara artificum opera, Numismata, Gemmas, Statuas, Toreumata, Idola, Sepulcra; ipsaque Urbium Regina ROMA, in qua sedem suam Antiquitas ipsa, & Magnificentia conlocavit, novi semper aliquid affert, quod incomparabiles eruditionis opes mirifice augeat, amplificet, ornet. Quare gratulandum nobis est, quibus optata sæpius a majoribus nostris ea FELICIA TEMPORA venerunt, in quibus inventis hisce Antiquitatis divitiis, quarum lucem tot illustres omni ævo Viri non aspexerunt, pæne omnis inscitiæ caligo depulsa fuerit; quæque illis incognita fuere literario orbi hoc tempore sint clarissima, & magnorum virorum lucubrationibus æternitati consignata: quæ profecto, ut verbis utar Ovidii, (1)

—— nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

1 fine Metamorph.

Hæc ipſa tempora jamdudum auguratus eſt, aliud agens, Latinorum Poetarum Princeps Virgilius, qui ita cecinit; (1)

Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra robigine pila;
Aut gravibus raſtris galeas pulſabit inaneis,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa SEPULCRIS.

Mirandum ſane in Via Appia, olim omnium celeberrima, Romanorum mauſoleis, & ſepulcris ornatiſſima, nuper inventum eſt Monumentum, ſive Columbarium Libertorum, Servorumque LIVIÆ AUGUSTÆ, & CÆSARUM, quamplurimis Ollarum Titulis, Inſcriptionibus, Aris, Urnis, Sarcophagis anaglyfico opere pereleganter ſculptis, muſivo opere, parergis, emblematis, monſtris, quæ nos *ſtucchi*, & *grotteſche* patrio ſermone appellamus, tectorio opere, aliiſque eximiis ornamentis valde inſigne, cultorumque omnium Antiquitatis aſpectu digniſſimum; cujus antiqua ſupellex Sculpturæ quoque, & Architecturæ præſtantiſſimis artibus non parum lucis conferre poteſt. Ex hoc pariter colligi poteſt quanta fuerit DOMUS AUGUSTÆ majeſtas, ſplendor, & magnificentia; quam admirabilis ſervitiorum ordo, ac diſciplina; quanta CÆSARUM, aliarumque Auguſtarum Feminarum, præcipue vero LIVIÆ AUGUSTÆ amplitudo, faſtus, gravitas, potentia; quibus tot Servorum Libertorumque pæne infinita agmina ſerviebant, varias in claſſes diſtincta, variiſque miniſteriis deſtinata; quorum quamplura, quæ ad hoc tempus eruditis incognita fuere, quæque non mediocriter illuſtrant Romanæ Hiſtoriæ monumenta, per tot ſæcula tenebris damnata, in dias luminis oras nunc emergunt, ac prodeunt. Nihil enim, quod ſciam, de honoribus Libertis collatis, de Immunitate, de Ingenuitate Libertis donata, de cura a Regionibus Urbis iiſdem demandata, hactenus memoriæ proditum eſt; atque hic plures Liberti HONORATI, IMMVNES, INGENVI, A REGIONIBVS VRBIS DECVRIONES, & PROCVRATORES laudantur. Plures item libero homine digniſſimis artibus operam navaſſe celebrantur, & in Auguſta Domo fuiſſe dicuntur A STATVIS, A TABVLIS, AD IMAGINES, PICTORES, INAVRATORES, AVRIFICES, MEDICI, CHIRVRGI, COLORATORES, COMOEDI, LECTORES, LYRISTÆ, AMANVENSES. Pluribus officiis DECVRIONES præpoſiti, qui aliis ſub ſe præeſſent, Decurionatu quoque inſignitæ Feminæ, ut alia inferioris ordinis miniſteria, & officia prætercam; quæ profecto magnæ, ac non minima ex parte novæ eruditionis ſeges quanti ſit facienda nemo non videt. Ex his Medicorum LIVIÆ AUGUSTÆ nomina diſcuntur, inter quos memoratur TYRANNVS, M. LIVIVS BOETHVS, Medicorum decurio; quique aliis Medicis, quos ceteris Servis anteponit Juſtinianus (2) tum dignitate, atque ut ita dicam, principatu, artiſque ſcientia eminebat SVPRA MEDICOS. M. LIVIVS ORESTES; item HILARVS MEDICVS. CHIRVRGVS, ut alios omittam Aliptas, Jatraliptas, Coloratores, Unctores, Thermularios, & exoticorum unguentorum Curatores. Ex his denique intelligimus Malchionem fuiſſe PAEDAGOGVM DECVRIONEM DRVSI CAESARIS optimi, ac fortiſſimi Principis, probiſque moribus, & præceptis eum inſtituiſſe; Hymnum PAEDAGOGUM IVLIAE GERMANICI filiæ extitiſſe; atque adeo in omnibus pæne ſepulcralibus Titulis aliquid novi ſumma cum jucunditate perdiſcimus. Eorum vero Servorum, ac Libertorum, Servarum Libertarumve, quæ corporis curam, quoad cultum, & ornatum habebant, eorum qui rebus ſacris præerant, vel in triclinio potoria, vel eſcaria aurea atque argentea vaſa inſtruebant, & miniſtrabant, vel oblectamenta cujuſcumque generis parabant; opes, & magnificentiam auguſtæ ſupellectilis oſtentabant, & cuſtodiebant; purpureas pretioſas veſtes, pænulas, margaritas, thura ad ſacrificia curabant, vel domo egredientes Principes comitabantur ſequebanturve, quam magnus, ac pæne immenſus numerus! Nullum non artificium Servorum opera expediebatur, nullæ non liberales artes, & ſtudia Servi profitebantur: quæ quidem quodam ordine,

1 Georg. Lib. I. v. 493. 2 *L. In communes* 1. §. *Ne autem* 5. *Cod. de Comm. Serv. monum.*

ac ne-

ac nexu, inter ſe inferius exponuntur; quamvis in Monumento ſive Columbario nulla majoris dignitatis, & officii ratio habita fuerit, ſed promiſcue nulloque ordine per parietes ſepulcrales omnes Tituli ſervorum, ac Libertorum diſpoſiti fuerint.

Verum hoc ipſum Monumentum, cui per tot ſæcula aliud ſimile Roma non protulit, quodque in AVGVSTAE DOMVS gloriam, & decus, ad vivacem poſterorum recordationem, integrum, illæſum, omnique ſuo cultu exornatum, ut inventum eſt, ſervari debebat, quorundam hominum maleferiatorum certante avaritia cum egeſtate, immaniter poſtea dirutum eſt, ac pæne deletum: perelegantes Tituli, de quorum ingenuitate, ac ſinceritate dubitare nemo poteſt, fere omnes cum e parietibus oſcitanter, & tumultuario opere refigerentur, miſere fracti: quos quidem eo prorſus modo repræſentare voluimus, addito coronidis ornamento e plaſtico opere, quo ſupra ſingulos loculos, ſive Columbaria perbelle ornabantur; omnia denique ſuſque deque confuſa, labefactata, & omnibus qui volebant vendita; adeo ut hoc tempore eo in loco vix aliquod veſtigium tam præclari, ac magnifici Ædificii ſuperſit, vel ſi ſuperſit, non ſine lacrymis ab eruditis viris conſpici poſſit.

Id quum primum intellexiſſet priſcarum omnium eruditæ Antiquitatis memoriarum eximius admirator, & cognitor Petrus Andreas Andreinius, Patricius Florentinus, antequam hoc celebre Monumentum iniqua fata ſubiret, Franciſcum Equitem Victorium, Romæ degentem, magni Petri Victorii Patricii, ac Senatoris Florentini, de literaria Republica optime meriti adnepotem, quem honoris cauſſa nomino, jamdudum ſibi familiariſſimum, per epiſtolas amantiſſime monet, orat, obſecratque, ne pro communi in venerandam Vetuſtatem amore, tam inſignis Sepulcri memoriam penitus excidere, atque aboleri ſinat; Pictores, & Architectos eximios velit eligere, qui univerſum ædificium ſcrutentur, metiantur, delineent diligentiſſime; vetera omnia Anaglypha, & elegantiſſimos Sarcophagos, quicquid denique in eo invenerint antiqui, ac præcellentis operis, accurate ſibi excipiant; ipſum quoque rem ſibi facturum gratiſſimam, ſi omnes Ollarum Titulos, & Inſcriptiones, ea qua ſolet diligentia, ex archetypis velit exſcribere, omniaque e miſerabili jam proxima clade eripere; optare hujuſce ornatiſſimi monumenti memoriam in ſuo Muſeo exſtare ſempiternam.

Votis Andreinii perquamlibenter annuit Victorius; veteres omnes Ollarum Titulos, quotquot reperire umquam potuit, accuratiſſime ex prototypis deſcribit; Orthographiæ, Ichnographiæ, Scenographiæ aliorumque omnium inſignium monumentorum delineandorum curam commendat amico optimo Equiti Hieronymo Odam ex Ordine Conſtantiniano S. Georgii, Sereniſs. ANTONII FARNESII Parmæ, ac Placentiæ Ducis Honorario a Cubiculo Aulico, Antiquarum rerum ſtudio, & amore flagrantiſſimo, atque in delineandis obſervandiſque vetuſtis eximiis operibus, ut eruditis notum eſt, peritiſſimo; qui exquiſito labore XX. Tabulas, quas afferimus, adornavit; omnemque priſcam ſupellectilem, qua ubique hoc volumen condecoratur, genio ſuo indulgens, inſtruxit.

Has Auguſtei ævi, veteris elegantiæ, & eruditionis acceptas opes, admodum lætus Andreinius in ſui Muſei ornamentum dicavit. Verum paullo poſt increbreſcente rumore, ac tandem fama ubique pervulgata, hujus elegantiſſimi Sepulcreti, in ejus rei teſtimonium, vix rudera relicta fuiſſe; omnia ſitu mota, confracta, diſtracta, direpta; animo ſecum agitare cœpit eruditis Viris rem ſe facturum gratiſſimam, bonoque literariæ Reipublicæ ceſſuram, ſi hujuſmodi Monumentum quamprimum in publicam lucem prodire faceret, quod plane inter domeſticos parietes non ſine piaculo occultari poſſe videbatur. Interim omne conſilium ſuum, ea qua ſolet humanitate, mihi aperit; ad hunc laborem libenti animo capeſſendum, Genioque ſuo litandum vehementiſſime accendit. Præter Inſcriptiones, ac ſepulcrales Titulos omni eruditione refertos, & Tabularum omnium apparatum, familiares exhibet epiſtolas

Equitis Victorii, ea occasione sibi missas; quæ in hoc Monumento describendo, magno mihi adjumento esse possent. Addit præterea Clarissimi, ac Doctissimi Viri Antonii Mariæ Salvinii in Servorum Libertorumque Nomenclaturam, quam e Græco fonte illustravit, lectissimas Notas, tum ad distinguendos Servos, ac Libertos a Servabus Libertabusque, tum ad lucem meis lucubrationibus adjiciendam valde utiles: denique jubet, ut præclara omnia monimenta meis quoque observationibus illustrem; quod eo, ut vides, modo factum a me est, amice Lector. Licet enim cælatis jam aliquot Tabulis, censorumque calculo probatis notis, & observationibus, ut in lucem prodirent, audivisset Andreinius Illustrissimum, ac Reverendissimum Præsulem Franciscum Blanchinum Veronensem, Summi Pontificis BENEDICTI XIII. Prælatum Domesticum, in hoc Monumento, & quantocyus edendo sedulo incumbere; tamen ab incepto opere nullo modo cessandum censuit, sed expectandum in tanti viri obsequium, ut ejus Opus in lucem primum prodiret, quod nostrum paullo post subsequeretur. Neque hic silentio præterire possum eximiam ejusdem Clarissimi Præsulis in me voluntatem, qui cum superiore anno, autumni tempore Florentiæ moraretur, auspice Serenissima VIOLANTE, Etruriæ Magna Principe, ac Senensis Ditionis Gubernatrice, quæ ad eum omni obsequio prosequendum me misit, ex eo tempore omnis benevolentiæ, omnisque officii honore cumulavit, donavitque me edito præclaro suo Opere, patrio sermone conscripto; quem ego Virum hoc nomine, & propter claram, testatamque omnibus doctrinam, ac probitatem summopere semper suspiciam, & colam.

Non igitur te latet, benevole Lector, cui debeas hujus Operis laborem, cui editionem, cui exitus curam. Nihil profecto in eo exornando sedulitatis, & diligentiæ prætermissum est; quod etiam pluribus aliis ineditis Inscriptionibus, eximiisque monimentis, præsertim ex locupletissimo Museo Victorio Romæ opportune ubique illustratum conspicies. Cur vero inscripserim *Monumentum, sive Columbarium Libertorum, & Servorum LIVIAE AVGVSTAE, & CAESARVM* inferius exponam Salvinianis Adnotationibus in fine literam S majorem adscripsi, ut a meis observationibus, notisve distinguerentur, quibus nulla sigla apposita est.

Tabulas omnes ære sculpsit peraccurate Ferdinandus Ruggierius Florentinus, egregius Architectus, & Chalcographus, qui optime de Patriæ gloria meritus est, editis jam præstantium Architectorum operibus, quæ Florentina præclara Ædificia exornant; pluribus voluminibus ea complexus, quæ jam ex his prælis Regiæ Celsitudinis Magni Ducis Etruriæ prodiere. In his quoque nostris Tabulis excudendis sedulam operam navavit R. P. Antonius Lorentinius; quorum diligentiam, & studium non sine laude hic commemorandum esse duxi. Quinque primæ Tabulæ ad probe intelligendas omnes MONUMENTI partes, proportiones, mensuras, symmetriam, ordinem, atque elegantiam pertinent. His usus sum in Descriptione, ut totum Ædificium primum universo suo complexu ante oculos ponerem, ac describerem, deinde per singulas partes illustrarem: distincta Descriptione, seu Dissertatione in Paragraphos XIV. in quibus quid singulatim observetur præpositus Index ostendit. In Tabula XVIII. lit. A. coronæ majoris modulum, quæ universum Sepulcrum ambiebat, præcipuum ædificiorum ornamentum, ut eam appellat Vitruvius, (1) Serlium, aliosque Architectos imitati, obliqua facie dedimus. Tabula XX. ædicularum, sivæ columbariorum per parietes miro ordine, ac proportione dispositorum exhibet schema, Ichnographiam, ac Scenographiam; Titulorum item columbariis superpositorum locum, concinnitatem, ac distantiam oculis subjicit. Genio eorum qui hoc Monumentum, quum erutum est, non perspexerunt, ut fieret satis, tres Titulos varietate quadam notandos repræsentari curavimus, quorum primus in eadem Tab. XX. lit. A. utrimque perpulchre scriptus est, insculpta hasta in medio, in inferiori parte bicorni,

1 De Arch. Lib. III. cap. 3.

qua epigraphes quæ dextræ ollæ respondet, & ad eam pertinet, ab epigraphe sinistræ ollæ discernitur; quod tamen, ut ita dicam, discerniculum, non eodem modo, eademque forma in pluribus expressum erat, ut infra videbimus. Secundus Titulus in eadem Tabula lit. E læva tantum parte scalpro deletus fuerat, nulla alia superaddita epigraphe. Postremus lit. C totus omnino abrasus, sed utrimque postea superinsculpta epigraphe ornatus, quæ legitur; de quibus lituris infra sermo habetur. (1) Quod attinet ad characteres eorumdem Titulorum duas hic literas notatu dignas observamus, quæ ubique inferius repræsentari minime potuere ob peculiarem figuram; quæ videlicet hoc modo erant efformatæ G & Y, & in quamplurimis Titulis occurrebant; neque vero his similes usquam observavi in Florentinis lapidibus, qui ex aliis Columbariis ad nos translati sunt, præcipue in locupletissimo Museo Suburbano Strozio, licet in aliquibus viderim apud Gruterum. (2) In vetustis Græcis Codicibus non solum Y, verum & alias literas intersecari lineola solitas animadverti. In pluribus Titulis Y supra reliquas literas eminebat, ut infra n. CXLIII. ex. gr. CHRYSARIVM: quod non solum in marmoreis, verum etiam in æneis cælatis Tabulis factum a veteribus fuisse clare ostendit Honesta Missio data ab Imperatore Servio Sulpicio Galba Veteranis, qui militaverunt in Legione Prima Adjutrice, idque conspicitur in voce PHRYGIO; cujus antigraphum ex prototypo Musei Andreinii jamdudum exceptum primus omnium in lucem edidi in Prima Parte Inscriptionum Etruriæ Urbium. (3) In nonnullis Titulis ut in sequentibus n. LXXXII. literæ hoc modo ruditer sculptæ occurrebant AMT. Quare cum constet eos cælatos esse aureo atque optimo Augusti sæculo, profecto quum videmus lapides similibus rudiusculis literis consignatos, non ita facile calculum ferre debemus sequiori sæculo conscriptos esse, nisi id certo probari possit. In reliquis vero Tabulis monumenta quæ afferuntur adeo accurate ex archetypis delineata sunt, ut striges quoque probe enumeratæ in Sarcophagis, pari numero in editis fuerint repræsentatæ.

Architecti, qui aureo Augusteo ævo floruit, nomen nos latet; nisi forte in quodam laterculo exhibeatur, qui in hoc Columbario inventus est, & exstat in Museo Victorio, tribus orbiculis a Figlinæ opificibus distinctus; in quorum primo extimo legitur VENVLEIO APRONO ARTICTAETC (f. ARCHITECTO, vel ARTIF*ice* TECTORE,) in alio I. AFICI M ANNI VAR. & in intimo SA. RPB. In exstruendo hoc Monumento nova, ac peculiari forma, omnibusque numeris absoluta, quanta Architecti fuerit præstantia, ingenium, & solertia, ex paullo ante descriptis Tabulis intelligi potest. Plura sane præteritis annis hujus generis Monumenta, & Ædificia Romæ detecta sunt, atque a viris doctis illustrata, quorum inferius in Descriptione meminimus; nullum vero huic simile tanto artificio, tanta elegantia fabricatum, totque ornamentis splendide exculptum hactenus repertum est. Hoc ipso anno duo Columbaria, sive Sepulcra parum inter se distantia inventa sunt in Via Appia, lævorsum, intra Urbem, non longe a Porta Capena, quæ hodie a proximo Templo S. Sebastiani appellatur, nullo tamen modo cum hoc nostro comparanda; omni cultu, omnibusque pæne Titulis, & Inscriptionibus destituta, & alias spoliata; in quibus præter columbaria oblonga quadrata forma, præter parietes ex lateritiis eleganter compositos reticulato opere, quod laudat Vitruvius, (4) nil aliud, vel pauca alia observata sunt. In hoc vero Sepulcro columbaria superne rotunda, & arcuata erant, ut Tabula XX. lit. B, & D ostendit; atque tam concinna serie, perpetuoque ordine per parietes, per absidas, per tribunalia ubique disposita, ut nihil pulchrius, elegantius nihil perspici posset. Summum Architecti judicium, ut id tantum dicam, vel hinc elucet, quod eadem columbaria consulto quibusdam in locis non constituit; quemadmodum super ostium superius Monumenti Tab. III. lit. B quamvis in similis absidis hemicyclo in altera parte condiderit. Noluit enim eo in loco, ubi arcus, ut dicitur, in plano con-

1 pag. 58. 2 p. DCV. II. CCCLXXXIII. 4. CCCCVII. I. 3 pag. 257. 4 De Archit. Lib. II. Cap. VIII. & Philandrum vide in Adnot.

ſtruendus fuerat, cui arcus major ſuperne innitebatur, columbaria reponere, ne partium diminutione ibidem Monumentum hiſceret, aut labefactaretur. Eadem ratione columbaria non conſtituit in ſpatio infra minorem coronidem ſuper oſtium inferius Monumenti Tab. III. lit. A. & in pilariis, & in utroque latere cum dextro, tum ſiniſtro ſuperioris, & inferioris oſtii, ne iiſdem in locis ædificium infirmaretur debilitareturve; quare nil mirum ſi hoc tempore poſt tot ſæcula integrum, nec vi, nec tempeſtate dirutum, vel dehiſcens circa ea loca inventum fuerit; licet nonnullæ labes tectorii operis per parietes, leves quidem, apparuerint, poſteriorum temporum vitio; quas in his Tabulis, aliorum Antiquariorum exemplo, haud repræſentandas eſſe duximus.

Eximium igitur hoc Monumentum, quod Vetuſtas ipſa tantopere coluit, penitus noſtra ætate intercidiſſet, ſi ſtatim ac repertum eſt, & ruderibus purgatum, plures Antiquitatis cultores diligenter non delineaſſent, ſummique Viri pretioſam ſupellectilem qua ornabatur in ſua Muſea opportune non tranſtuliſſent; inter quos præcipua laude commemorandi ſunt Eminentiſſimi Principes, & Cardinales ampliſſimi ALEXANDER ALBANUS, qui ſepulcrales Titulos e miſerabili clade eripuit pæne omnes; Aras item duas quas vide Tab XVI. lit. B & D quarum prima Conſulum Annii Veri, & Eggii Ambibuli collegio inſignis eſt, aliaque rariora monumenta acquiſivit: MELCHIOR POLIGNAC, cui Chriſtianiſſimi Galliarum Regis ad ſummum Pontificem negotiorum moles, & cura commendata, qui Sarcophagum, ſive Urnam omnium elegantiſſimam, trium Gratiarum emblemate inſignitam, adeptus eſt. Quamplures Sarcophagos in ſui Muſei ornamentum comparavit Nobiliſs. & Excell. ----- Somerſet Dux de Beauford in Mag. Britannia, qui & ipſe Antiquitatis ſtudio mirifice delectatur.

His benevolo Lectori expoſitis, ſupereſt, ut eximia quædam veteris elegantiæ, & eruditionis monumenta, quæ ad ornatum hujus Libri addita ſunt, paucis illuſtremus. Primum in ejuſdem fronte occurrit ex Muſeo Victorio æreum numiſma, in quo cernitur caput Juliæ Auguſtæ velatum, cum epigraph· DIVA AVGVSTA; cujus altera pars, in qua expreſſum Auguſti caput, cum epigraphe DIVVS AVGVSTVS. S. C. videri poteſt apud Franciſcum Angelonium in Hiſtoria Auguſta pag. 33. quod tamen non ſub Tiberio Cæſare, ſed ſub Claudio in ſerie collocandum fuerat. Siquidem LIVIA AVGVSTA, poſt obitum, prima omnium Auguſtarum ab Claudio Imperatore ejus nepote conſecrata, in Deorum numero recepta, DIVA appellata eſt, ut Dio, & Suetonius teſtantur. (1) In nummis a Græcis Urbibus, & Coloniis in ejus honorem percuſſis, dicitur ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ. ΙΟΥΛΙΑ ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. (2) Velata inducitur tum in Gemmis præclaro artificio ſcalptis, ut in Auguſtea, memoratu digna, quæ Auguſtum, & Liviam jam conſecratos exhibet, erudite illuſtrata a Cl. V. Giſberto Cupero, (3) tum etiam in Romanis, & Græcis numiſmatis; quemadmodum in æreo Mediceæ Regiæ Gazæ, a Perinthiis in LIVIAE inter Deas relatæ memoriam poſteris dicato; cujus antica pars licet ejuſdem claro nomine inſignita non ſit, ejus tamen ipſiſſimam effigiem exhibet; appoſitis ſpicis, quaſi altera Ceres habita fuerit; poſtica vero myſtica cyſta ornatur, & inſcriptione ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ, quod eadem magnitudine, & modulo delineatum vide in ſequenti adjecta Tabula n. 1I. Velum capiti additum, nummos poſt ejuſdem obitum percuſſos denotat, ut Johannes Foi-Vaillant Vir Clariſſimus obſervat; nam conſecrationis, divinitatis ſymbolum eſt; (4) quod etiam præferunt Juno, quam eo modo velatam deſcribit Martianus Capella, (5) Veſta, Ceres, Iſis apud Ægyptios, Diana in Epheſiorum, & Smyrnæorum nummis; quorum exemplo, adulationis gratia Auguſtis Feminis Dearum habitu, & effigie cultis velum tributum eſt. Jovem quoque Deorum ſenatum convocaturum. velato capite inſignem deſcribit idem Martianus Capella.

1 Dio Lib. LX. Suetonius in Claud. c. 11. 2 Vide Foi-Vaillant. Num. Imp. Græc. pag. 6. 7. 3 pag. 202. 4 Vide Num. Select. max. m. p. 15. 5 Lib. 1. de Nupt. Phil.

Quam ſummi & præcellentes honores Liviæ Auguſtæ habiti fuerint, propter egregias ejus virtutes, ſingularem prudentiam, & in omnes eximiam liberalitatem, ſupervacuum eſt recenſere; ea enim tantum notanda cenſuimus, quæ ad nummos in ejus honorem æternitati conſignatos illuſtrandos ſpectare poſſunt. Carpentum ſtatuis, & imaginibus perpulchre ornatum decretum ei fuit, ejuſque exemplo deinceps aliis Auguſtis Feminis, (1) quod in ejus nummis conſpicitur cum inſcriptione S. P. Q. R. IVLIÆ AVGVST. hoc eſt: *Senatus Populuſque Romanus Juliæ Auguſtæ*; ex altera parte TI. CÆSAR. DIVI. AVG. F. P. M. TR. POT. XXIIII. (2) quem nummum maxime omnium conſervatum inſpexi in Regio Muſeo Mediceo. Idem carpentum a mulabus tractum in alio nummo deſcribitur ab Adolpho Occone, (3) cum epigraphe, S. P. Q. R. DIVÆ IVLIÆ. AVGVSTI FIL. cujus in anteriori parte expreſſa eſt figura capite radiato ſedens, dextra oleam, ſiniſtra haſtam tenens, cum ara ante pedes, addita inſcriptione, DIVVS AVGVSTVS PATER; ex quibus deducitur decretum fuiſſe carpentum Juliæ Auguſtæ, & tamquam Sacerdoti Auguſti, & tamquam DIVÆ, & in Dearum numerum relatæ, & conſecratæ; cujus conſecrationis, ut infra admonemus, (4) fit mentio in vetuſtæ Tabulæ fragmento penes Gruterum. In laudato nummo Diva Julia Auguſta conjugis FILIA dicitur, ut in Hiſpanienſi marmore Gruteriani Theſauri, (5) quod jampridem obſervavit doctiſſimus Lipſius; (6) diſertiſſimumque addi poteſt teſtimonium Velleii Paterculi, qui ait; (7) *Livia nobiliſſimi, & fortiſſimi viri Druſi Claudiani filia, genere, probitate, forma, Romanarum eminentiſſima; quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad Deos* SACERDOTEM, *ac* FILIAM; recepto ſcilicet, & inde tradito apud Romanos more, ut a conjugibus, liberis, & propinquis aſſumerentur ejuſmodi ſacerdotia; ut obſervat longe eruditiſſimus Spanhemius Diſſertatione VII. de præſtantia, & uſu Numiſmatum antiquorum. Statuis quoque adhuc vivens donata eſt, ut ſcribit Dio Lib. LV. itemque in venerationis, inanis quidem, argumentum, ſub effigie, & habitu Dearum PIETATIS, IVSTITIÆ, & SALVTIS in pluribus nummis repræſentata. Exſtat in Regia Medicea Cimeliotheca numiſma ex ære rariſſimum, non mediocris, ſed primi moduli, quod Emeritenſes Coloni, Auguſti conditoris beneficiorum memores, Liviæ uxori, novis cum Juliæ, & Auguſtæ nominibus dedicarunt; quodque in allata Tabula n. III. accurate delineandum curavimus; propterea quod Vaillantius inter incerta repoſuerit, nec ſatis diligenter expreſſerit. (8) Nam in poſtica Dea, quæ Juliam Auguſtam refert, ſedens in auguſta ſede cum ſuppedaneo, læva haſtam, dextra non *pateram*, ſed pingues ſpicas verſus terram curvatas tenet; circa quam ſcriptum IVLIA. AVGVSTA. C. A. E. hoc eſt, *Julia Auguſta, Colonia Auguſta Emerita*; & in antica parte circa caput ejuſdem Deæ, SALVS AVGVSTA PERM*iſſu* AVGVSTI. In alio numiſmate ibidem apud Vaillantium, ab iiſdem Emeritenſibus percuſſo, qui Coloniam ſuam ex ejus nomine *Juliam Auguſtam* appellandam cenſuere, Liviæ caput velatum eſt.

Præterea adhuc vivens LIVIA, velut altera IVNO eodem nomine, & habitu culta fuit; quod diſerte teſtatur Ovidius; (9)

Cum tibi contigerit vultum JUNONIS adire,
Fac ſis perſonæ, quam tueare, memor.

& Prudentius,

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia JUNO.

Eodem auguſto Junonis nomine inſignita in hoc Rom. lapide inedito, ex MS. Fr. Jucundi penes Illuſtriſs. Eq. Marmium, (10)

1 Agrippinæ Claudii conjugi de qua Tacitus Lib. XII. Annal. cap. 42. item Fauſtinæ, &c.
2 Perperam apud Angelonium TR. POT. XXIII. 3 Imper. Rom. Numiſm. ed. Antuerp. Chriſtophori Plantini pag. 69. 4 pag. 219. 220. 5 p. CCXXXIV. 2. 6 Ad Lib. I. Annal. Taciti.
7 Lib. II. c. 75. 8 Numiſm. Col. Munic. pag. 79. 9 Lib. III. ex Pont. El. I. v. 145. & 117.
10 Eruto in Via Flaminia, vide infra.

GENIO AVGVSTI ET TI. CAESARIS
IVNONIS LIVIAE MYSTES. L

& in quodam ſingulari nummo Mediceæ Gazæ, quem cum ceteris delineandum mihi perhumaniter exhibuit eximius Vir, eidem Præpoſitus, Sebaſtianus Blanchius; cujus ſolam epigraphen dedere docti viri; (1) primuſque omnium Spanhemius, (2) verum mancam, & inemendatam, hoc modo.. BIAN HEPAN, ex altera parte, ΘΕΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ; quum tamen expreſſe habeat ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ. & ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, ut exhibet addita Tabula n. I. in qua nunc primum in lucem producitur. Cernitur igitur Liviæ caput crinibus plexis, ac compoſitis, tæniolis retro propendentibus perpulchre ornatum; additis inauribus, quibus Romani, Etruſcorum exemplo, ſua Numina interdum ornare conſuevere; qui nummus duos quoque vetuſtos Titulos penes Gruterum illuſtrat, (3) in quibus Liviæ Auguſtæ Libertæ memorantur AVRICLÆ, hoc eſt, *auriculæ* ORNATRICES. Lorum e collo perſpicue pendere in nummo cernitur, addita, ut auguror, bulla, quam Dii quoque, ac Deæ præferre ſolent, eademque eas donare veteres in more habuere, ut oſtendit elegantiſſima Tabula a Grutero deſcripta, (4) in qua Junoni adſtat a dextris Mercurius, a læva Venus, addita in ejus baſi epigraphe, in qua Claudia Sabbatis bullam IVNONI PLACIDÆ CONSERVATRICI AVGVSTÆ dono dediſſe, ſeu dedicaſſe memoratur; itemque ſcyphum, & tripodem addidiſſe FORTVNÆ AVGVSTÆ. In altera Medicei nummi parte Veneris nomine, & forma conſecrata cernitur Julia Auguſti filia, ut ait Spanhemius, quæ Veneris exemplo, corporis cultui, & ornatui valde ſtuduit, ut ex Macrobio colligitur, (5) ni potius ſit Julia Tiberii Cæſaris uxor. Livia præterea inſcribitur, quod etiam poſt Auguſti conjugis exceſſum promiſcue appellata fuerit LIVIA AVGVSTA, & IVLIA AVGVSTA; idque diſerte confirmant ſequentes hujus Columbarii Tituli, & quamplures apud Gruterum, ut obſervavit laudatus Spanhemius. (6)

His honoribus LIVIA adhuc ſuperſtes, & poſt obitum cumulata, exemplum ceteris Auguſtis Feminis fuit, ut ſimili modo a Senatu Populoque Romano, & ab Imperatoribus vana ſuperſtitione colerentur, honorarenturque; quod Druſillæ Caii Cæſaris ſorori poſt mortem factum ſcribit Dio, (7) cui omnia ut antea Liviæ decreta fuere; quæque ob plurimos, ac divinos honores ei delatos PANTHEA appellata eſt. Liviam quoque Auguſtam, veluti Deam *Pantheam*, Deorum Dearumve omnium cultu, & attributis honoratam fuiſſe, ut facile credam, facit ſingularis, & pereximia hactenus inedita Gemma ſimul & Cameum ex Achate orientali in eadem Tab. n. V. quod tamdiu Andreinia Cimelia ornavit, donec Cl. Præſuli Leoni Strozæ, veterum elegantiarum arbitro non innotuit, qui ea, invito licet Andreinio, potiri voluit, in cujus Muſeo hodie aſſervatur. Utinam tam inſigne monumentum integrum ad nos perveniſſet, præſtanti opificio exculptum; ceteraque Numinum ſymbola, quæ deſunt, innoteſcere potuiſſent! Cernitur igitur in medio Livia Auguſta, poſteriori parte capitis velata; qualem invocat Tibullus, (8) ut cum Baccho Ambaruali ſacro adſit;

Bacche veni, dulciſque tuis e cornibus uva
Pendeat: & ſpicis tempora cinge Ceres.

Eodem modo ſpicis revincta, & tenui velo adoperta conſpicitur in Gemma admirandi operis, quæ exſtat in Cimeliotheca Criſpia, quam delineatam ibidem vide n. VI. Præter papavera, fecunditatis ſymbola, ſpicas Cereri tribuere, ante fores ejus templi ſpicea corona ſuſpendebatur, ut canit Tibullus; (9) & in annuis feſtis matres ſpicea ſerta, primitias ſuarum frugum,

1 Oct. Falconerius in Inſcr. Athleticis pag. 33. Cuperus in Auguſtam Gemmam pag. 208.
2 Diſſert. VII. de Præſt. &c. 3 pag. DLXXIX. 2. 3. 4 p. XXV. 2. 5 Saturnal. Lib. II. cap. 4.
6 Diſſert. VII. de Præſt. &c. 7 Lib. LIX. 8 Lib. II. Eleg. I. 9 Lib. I. Eleg. I. v. 21.

Cereri afferebant, (1) quod frumenti antea ignoti inventrix fuisset, modumque serendi, molendi, ac servandi homines docuisset; hinc a Græcis ΔΗΜΗΤΗΡ *Terra mater*, eorumque imitatione a Romanis CERES AVGVSTA MATER, (2) & CERES MATER MAXIMA FRVGIFERA in inscriptionibus appellatur. (3) In rubro jaspide Dactyliothecæ Andreiniæ, quem vulgavimus, (4) inscribitur ΔΗμητὴρ ΕΥΗΛΠΙC, hoc est *Ceres Bonæ Spei*, quod spes copiosæ messis habendæ alat agricolas, ut ait Tibullus. (5) Liquet igitur Liviam veluti alteram *Cererem*, seu *Cererem novam* habitam fuisse; qua magnifica appellatione Julia quoque Augusta Severi uxor insignitur in Florentino marmore. (6) Eadem pariter Livia *Matris* nomine honorata, ut in insigni nummo primæ magnitudinis apud Vaillantium, (7) in cujus postica visitur Dea sedens, pateram tenens, velato capite, cum inscriptione AVGVSTA MATER PATRIÆ. Super hac re audiendus Tacitus cujus verba inferius adducimus. Cererem eamdem ac Bonam Deam esse veteres memoriæ prodiderunt. (8) Sacra item Bonæ Deæ ab Livia Augusta maxime culta fuisse, & solenni ritu celebrata, ex elegantissimo Titulo hujus Columbarii colligi infra potest, (9) in quo *Philematio Augustæ Liberta Sacerdos a Bona Dea* memoratur. Coronant Liviam Augustam scalptam in medio Achatis orientalis, rubro colore insignis, quamplura Numinum attributa, ac symbola, anaglyptico opere ex albo ejusdem Gemmæ sculpta, quæ eamdem Liviam quasi Deorum Dearumve omnium reginam, vel eorum honore, & consortio dignam designant; quorum primum mystica cista secretorum capax, e qua serpens erumpit, qua etiam in Orgiis Bacchi uti solebant; (10) quæque in allato Perinthiorum nummo in ejus honorem percusso conspicitur; deinde fax, quæ accensa pariter in Orgiis Liberi Patris deferri solebat, quod nocturno tempore celebrarentur. Sæpe etiam facem gestantes inducuntur Bacchus, & Hercules invictus, ut in fragmento marmorei anaglyphi Florentiæ in Ædibus Nobb. Rodulphiorum; Ceres, quam Ovidius (11) tædiferam vocat, quod filiam Proserpinam a Plutone raptam tædis in Ætna monte accensis investigarit; Amor, ut infra videbimus; Diana, quæ in Gemmis, ut in Medicea facem defert, & in aliquibus simulacris, quæ a Pausania describuntur; (12) item Lucina mulierum partubus præses, cujus habitu, & effigie expressa Livia cernitur in numismate ex ære majoris moduli, quod afferimus in allata Tabula n. IV. ex Regio Museo Mediceo, in quo Romulenses Coloni, de quibus Plinius, (13) magnifico illo *Genetricis orbis* titulo, eidem ac Tiberio adulantur; quod numisma rursus oculis eruditorum subjicere volui, quod ab editis ab Augustinio in Dialogis, & a Vaillantio aliquantulum differat; nec ante vultum Tiberii Cæsaris fulmen appositum appareat, nec Liviæ caput globo impositum, & luna crescenti desuper ornatum, laurea corona, ut exhibet Augustinius, redimitum sit. (14) Declarat hoc quoque numisma Liviam Augustam veluti alteram Dianam creditam; subjectus vero globus, in quo etiam Augusti effigies collocata conspicitur in eximio, & singulari Cameo Musei Carpinei a Cl. Senatore Philippo Bonarrotio edito, (15) veterum superstitioni alludere videtur, qui Augustos Principes, vel in aliquo sidere, vel in ipso cælo collocarunt, & quosdam planetas eis convenientiores incolere, & in eorum regimine partem habere putarunt. Liviam item, ut putat V. Cl. Patinus, in quodam nummo ΜΗΝΗ ΣΑΜΙΩΝ, *Luna Samiorum* appellatur. (16) Ovidius eamdem Veneris formam, Junonisque mores habuisse testatur. (17) Præter hæc symbola cernitur in laudato Cameo clypeus, hasta, ac noctua, Palladis nota insignia; caduceum Mercurii, copiæ cornu Fortunæ, Felicitatis, & Concordiæ proprium; quod fortassis illud aureum designat, quod Romæ ostendebatur in Concordiæ delu-

1 Ovid. Metamorph. Lib. 10. 2 Apud Gruterum XXVI. 9. 3 Apud Reinesium Cl. I. n. XXXV. 4 In Prima Parte Inscr. Urb. Etr. Tab. X. Gem. I. pag. LXVII. 5 Lib. II. Eleg. VII. v. 3. 6 Ibidem vide pag. 123. n. 8. 7 Inter numismata præstantiora pag. 2. 8 Vide inferius pag. 145. 9 pag. 144. n. CV. 10 Catullus de nupt. Pel. & Thet. v. 279. 11 Lib. III. Fast. 12 In Phocic. c. 37. 13 Hist. Nat. Lib. III. c. 1. 14 Dial. VIII. pag. 231. Ed. Rom. 15 Vide Observ. Histor. in Numism. max. m. pag. 45. 16 Vide med. numism. 58. 17 Lib. I. de Pont. Eleg. I.

bro, Augustæ donum, quæ in eo præstantissimam illam anularem gemmam inclusit, quæ fuerat Polycratis Severi Samii, insularum, ac litorum tyranni, de qua Plinius. (1) Sequitur post hæc patera, quæ Felicitati tribuitur, & Delphinus Neptuno.

His illustratis, ad alia elegantissima, atque inedita hujus libri ornamenta observanda veniamus. Dedicatoriam Epistolam perbelle ornat pereximium eburneum toreuma, ex Museo Victorio, ejusdem plane magnitudinis, eborarii præstantis artificis opus, in quo quatuor Genii, qui etiam quatuor anni tempestates juxta Ethnicam Theologiam repræsentare possunt, & in pluribus urnis sculpti, eodem fere modo, conspiciuntur, Hermerotem sive Amorem Mercurium in medio sedentem, Mercurii insignibus caduceo, crumena, & ariete ornatum circumstant, & honoris causa comites se se ei adjungunt. His Geniis Deorum effigie, & symbolis insignitis, veteres, juxta priscorum Philosophorum dogmata, animas mortalis vitæ vinculis absolutas repræsentare voluere, & in eo sidere receptas, ex quo in terram delapsæ fuerant; vel in Elysiis campis iisdem studiis, & artibus se se oblectantes seduloque vacantes, quibus viventes delectatæ fuerant; de quibus plura non dicam post Clarissimum Virum Philippum Senatorem Bonarrotium, Antiquitatum omnium scrutatorem oculatissimum, & eruditissimum. (2) Geniorum chlamydem in dextro humero gemma pro fibula subnectit. Fibulam ex flavo ære inargentatam, cujus generis vix alterum reperire exemplar potui, profero ex Museo Victorio, quæ valde insignis est cum propter formam, ac magnitudinem, quam subjicimus, tum propter faustæ acclamationis formulam, quæ his ectypis literis exprimitur: VIRTVS. IN. AMO. VIVET. hoc est; *Virtus in animo vivet*: siquidem M monogramma duas literas N I simul complectitur; quam fibulam ad militare cingulum, vel balteum ornandum, ab aliquo Imperatore dono strenui militi, aut Tribuno datam fuisse reor.



Nam ut fortes viri ad bellicam laudem, vel ad certaminum palmam consequendam accenderentur, literatis hisce monimentis, vel gemmis faustis adprecationibus insignitis donari, & excitari solebant; ut expressum in Carneola anulari Dactyliothecæ laudati Equitis Odam, ornata literis ectypis ex albo, donata fortassis Aurigæ, vel Athletæ *Auxilio*, in qua legitur Latina, & Græca epigraphe AVXILI NIKA; hoc est, *Auxili Vince*.

Præter faustam acclamationem in donariis fibulis expressam vario modo, quæ in aliis jam editis, & in nostra legitur, inscriptum quoque constat nomen ejus viri, seu feminæ cui donabantur. (3) Fibulæ siquidem præclare nobilitatis insignia habebantur, tantique eas faciebant Equites, & Tribuni, qui aureas in trabea, vel chlamyde gestabant, ut in theatro, & in publicis ludis sæpenumero ostentarent, ut ex Martiali colligitur. (4) Imperatores quoque Libertos a FIBLIS, seu *a fibulis* Præpositos habuere,

1 Lib. XXXVII. cap. I. 2 In Numismata maximi moduli Musei Card. Carpinei pag. XXVI. & pag. 42. 43. & 44. 3 Vide Observationes in Vasa Vitrea Cœmet. pag. 208. & in Præf. v. Epigr. 41.

qui

qui eas curarent, ac cuſtodirent. (1) Auream fibulam, ſingularis, & antea incognitæ formæ, cum nonnullis aliis ornamentis Peruſiæ repertam in monumento barbari hominis, militari officio functi, ac præſertim DISCUM argenteum votivum, veterum Chriſtianorum Donarium, ex Albano Muſeo nuper depromſit, & elaboratiſſimo Commentario explicavit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Juſtus Fontaninus, Archiepiſcopus Ancyranus; cujus ſummum judicium, ſummam præſtantemque doctrinam, ut par eſt, laudare ſatis non poſſum.

Pulcherrimum marmoreum anaglyphum, quod exſtat Romæ in Cœnobio *SS.* Rufinæ, & Secundæ Præfationi præpoſitum ad ſe nos vocat. Altum eſt pal. I. $\frac{1}{2}$. longum pal. itidem v. Præſide Pſyche puella, quæ coronarum conficiendarum operi ſedulo incumbit, quinque Genii, coronarum florumque luxu gaudentes, in eo repræſentantur. Princeps Genius in medio ſedet ſuper vimineam ciſtulam floribus refertam, dextra myrteum ſertum, ſiniſtra calathum floribus cumulatum tenens; quem poſt terga alter Genius complectitur, ſolutam corollam læva ferens, quaſi ea caput ejuſdem ſit coronaturus. Duo item Genii ſolutas corollas oſtentant, quorum unus libræ lances floribus plenas æquatas in humero defert; alter paſtorale pedum. His coronariis Geniis ſepulcra frequenter ornarunt veteres, ut animarum apud Elyſios beatitatem, ac lætitiam oſtenderent; qui etiam defunctorum animas valde coronis, & floribus delectari putarunt. Perſpicuum eſt enim vel his qui Vetuſtatis ſtudia in limine ſalutarunt, teſtamento veteres Ethnicos caviſſe, ut quotannis eorum cineres, & aræ floribus, & roſis largiſſime exornarentur, & ſpargerentur, myrteæque coronæ afferrentur; quod ſepulcrales quamplures lapides teſtantur. (2) Qui coronas conficiebant, floreſque laneis floccis, & velleribus alte ſuſpenſis nectebant, & eleganter aptabant, ut clare oſtendit vetuſtum anaglyphum, quod exſtat in Florentino noſtro Baptiſterio, *Coronarii* appellabantur; quorum fit mentio in antiquis tabulis penes Gruterum, (3) & Fabrettum. (4) *Coronarii* item dicti a Tertulliano (5) quidam ſupplices, ex numero ſacrificulorum; item ſervi qui Reipublicæ temporibus coronas in triumphis ferebant; quæ poſtea in manibus a quibuſdam Victoriolis deferebantur, & triumphalibus Auguſtorum curribus appendebantur, quas Victoriolas deſcribit Prudentius. (6) Non ſolum naves, verum etiam trieres in feſtis, vel ludis coronari ſolitas diſcimus ex antiquo lapide Ravennate apud Fabrettum, (7) in quo legitur ATHENIO. DE III. DANAE. CORONARIVS, &c. hoc eſt; *Athenio de Triere Danæ* (a Danæ ejus tutela denominata) *Coronarius*. Phaſelum coronatum inducit Propertius (8). In conficiendis corollis induſtria, ac ſtudio, ceteris feminæ præſtabant, quæ ſedentes illas componebant; inter quas laudatur a Plinio Glycera coronaria, quam Pamphilus Apellis præceptor valde amavit, municipem quoque ſuam, *certandoque imitatione ejus ad numeroſiſſimam florum varietatem, perduxit artem illam; poſtremo pinxit eam ſedentem cum corona; quæ nobiliſſima tabula appellata eſt* ſtephanoplocos, *ab aliis* ſtephanopolis, *quoniam Glycera coronas venditando ſubſtinuerat paupertatem*. (9) Eodem plane modo Pſyche in hoc elegantiſſimo anaglypho ſculpta eſt ſedens, quæ ſpicas bonæ ſpei indices læva tenet, dextra calathum reddit Genio ſuo miniſtro, floribus quidem vacuum, impoſito tamen intus lauri ramuſculo, quaſi pro ejus præmio. Alter Genius qui æquatas lances floribus cumulatas defert, penſa diurna Coronariis data fuiſſe deſignat, quemadmodum lanificibus ſervis, ac puellis lanæ penſa diſtributa fuiſſe inferius obſervabimus.

Poſt has eruditæ Antiquitatis veneres Gemmæ obſervandæ occurrunt, quibus hic liber condecoratur. Earumdem Gemmarum magnitudo, & menſura iiſdem in locis vel ſuperpoſita, vel ſubjecta eſt. In fine Præfationis principem locum tenet rariſſima, ac nobiliſſima Gemma, Sardæ inſcalpta, quæ nunc primum prodit ex lectiſſimo Muſeo Hieronymi Equitis Odam. Huic operis argumento

1 Vide Gruter. Inſcr. p. CCCCLXXIV. 2 Gruterus pag. CCXXXVII. 5. CCCCXXXV. 1. CCCCLX. 3. CCCCIII. 8. 3 DCLI. 7. 4 Inſcr. Ant. Cap. X. pag. 701. num. 230. 5 In L. de Cor. Mil. 6 Lib. II. contra Symmach. 7 Inſcr. Ant. Cap. V. p. 366. n. 120. 8 Lib. IV. Eleg. VII. v. 59. 9 Lib. XXXV. c. 11

probe convenire visa est, quod feralem causam eleganter a Propertio descriptum referat, (1) nempe Dircen Lyci Thebarum regis uxorem, repudiata Antiopa, ab Amphione & Zetho ejus filiis, ex Jove genitis, ad ulciscendas matris contumelias, ferocissimo tauro trahendam, & in frusta discerpendam alligatam. Mirum, quantum hujus Gemmæ præstantissimus artifex laudari debeat, qui affabre in Amphione, & Zetho sævitiam, rabiem, furorem expressit; insistendo quoque furenti, ac minaci tauro, intorta cauda jam jam in cursu præcipitem se se effundenti, expeditam vim, ac robur immensum; quem alter cornu colloque apprehenso tenet; alter confecto laqueo funem cornibus injicit, cui alligata est Dirce, collectis in nodum capillis supra caput, seminuda, in terram prolapsa, flexo, alteroque laxato genu, debilium more, ad significandam mœroris sui acerbitatem; quæque quum nullam aliam rem facere possit, passis apertisque manibus, miserandum in modum, veniam ac pietatem implorat. Eadem fabula expressa conspicitur in allata Tabula in Præfationis ornamentum num. VIII. in insigni ex ære Numismate, ex eorum genere, quæ *contorniati* vernaculo sermone dicuntur, quod primus exhibeo ex archetypo penes Franciscum Ficoronium, clarum notumque satis eruditis viris Antiquarium. In antica parte cernitur Homeri Græcarum Musarum Coryphæi imago, addito palmæ ramo, quod ei Poetices palma ab omnibus tribuatur, inscripto ejus immortali nomine ΩΜΗΡΟϹ; ut in alio adsimili numismate legitur apud Jacobum Sponium (2), qui edidit, & Smyrnæ repertum vidit; itemque illustravit Cuperus in Homerica Apotheosi; (3) quum tamen ΟΜΗΡΟϹ, ut in aliis nummis, scribendum fuisset. Si hoc numisma alterius generis fuisset, præstantiorique artificio cælatum, Asinio Pollioni auctori non invitus adscripsissem, Homeri studiosissimo, qui ejus imaginem, vultumque in sua Bibliotheca dicavit, ut memorat Plinius; (4) & inter præstantissima celeberrimorum Artificum opera, quibus ejus domus referta erat, præsertim celebrabatur Dirce Tauro alligata ab Amphione, & Zetho, confecto vinculo ex eodem marmore, Apollonii, & Taurisci opus immensi artificii, ex Rhodo Romam advectum, Augusto imperante, quod hodie in Farnesiano Palatio ingenti cum stupore, & laude ab omnibus observatur. (5) Neque absurdum videri poterat Asinium Pollionem eo monimento, quod domi habebat, quo nil illustrius, & magnificentius excogitari poterat, ut apud posteros immortalis vigeret ejus memoria, ornari voluisse Homeri imaginem. Sed allato numismati, utpote ut dicitur *contorniato*, ac proinde sequioribus sæculis invento, & cuso, ut constans est virorum doctorum sententia, hæc nullo modo convenire possunt, neque ad ea florentissima, & aurea tempora referri potest. Cur vero Dirces historia in eo expressa fuerit, alii investigabunt. Homerum lego tantum laudasse Amphionem, & Zethum, (6) qui, ut ait, Thebas fundarunt, & præaltis turribus muniere.

In fine Descriptionis Monumenti, illustratis funerum antiquorum ritibus, & cæremoniis, observatisque Sarcophagorum sigillis, emblematis, & fabulis, in ornatum posita est antiqua Gemma, ex rubro jaspide, feralis videlicet coloris, ex Museo Victorio; quæ exhibet Genium, non cantharo Baccho sacro, ut aliis visum est, sed cinerariæ amphoræ Diis Manibus dicatæ insidentem, plenisque euntem velis per mare ad Elysios; quos, ut inferius dicemus, vel in Oceano, vel insulis ultra Oceanum constitutos esse veteres putarunt; ad quos post mortem deferrentur eorum animi, qui sancte religioseque vixissent. Eo modo in ornamentis e plastico opere, & in pluribus cameris sepulcrorum Romæ, Genios expressos se vidisse memorat Cl. V. Senator Bonarrotius, (7) in cujus Museo alias Gemmas huic similes vidi, in rubro jaspide scalptas, in quibus dum alter Genius vela regit, & expandit urnæ insidens, al-

1 Lib. III. Eleg. XIII. Consulendus quoque Apollodorus de Deorum orig. ejusq. Interpres Lib. XXXIV. & Nicocrates in Cypr. 2 In Miscell. erud. Ant. Sect. IV. p. 140. 3 pag. 8. Ed. Amstel. 1683. 4 Hist. Nat. lib. XXXV. Cap. 2. 5 Edidit Dominicus Rubeus in Libro qui inscribitur *Raccolta delle Statue antiche, e moderne*, &c. & illustravit Paulus Alex. Eq. Maffæjus. 6 Odyss. Lib. XI. 7 Vide Obser. in Vasa Vitr. Cœmet. pag. 197.

ter tibiis canit, quibus & in funere uti ſolebant; in altera Genius ſtans quaſi gubernator curſum per mare moderatur. In alia ſimili Gemma apud Gorlæum (1) addita eſt epigraphe ET VLTRA. Animabus poſt mortem non ſolum Elyſiorum felicitatem, & gaudia optarunt veteres, ut plures Inſcriptiones teſtantur, verum etiam Genios iiſdem comites dedere; qui etiam frequenter in urnis, & in ſarcophagis ſculpti ſunt cymbas agitantes, piſcatui indulgentes, vel hamo piſces efferentes, (2) ut Elyſiorum gaudia, riſus, amœnitatem, varia animarum ſtudia, & voluptates indicarent; (3) atque hinc fortaſſis Homerus Oceanum Deorum omnium patrem eſſe dixit.

Hanc Gemmam altera item ex rubro jaſpide, ex eodem Muſeo Victorio, ſequitur in fine Obſervationum, & Adnotationum in veteres Titulos, (4) in qua Pſyches, & Cupido mutuis amplexibus ſe ſe blande conſtringentes, in ſublimia feruntur; cælum, ut auguror, aſcenſuri, ubi eorum nuptias celebratas fuiſſe ſcribit Apulejus; (5) qui tamen ait a Mercurio Pſychen arreptam, & in cælum perductam, & hauſto ambroſiæ poculo accubuiſſe cum conjuge ſuo ſupremo in thoro accumbente nuptiali cenæ, cui aderant per ordinem diſcumbentes ceteri Dii; quibus pocula miniſtrabat Liber Pater, Horæ roſis, & floribus purpurabant omnia, Gratiæ ſpargebant balſama, Muſæ canora perſonabant, cantante Apolline ad cytharam, formoſa Venere ſaltante, ſuavi muſicæ ſuperingreſſa, ceteriſque Diis plaudentibus. Amorem, & Pſychen ſculptos obſervavi in aliis Gemmis, in plurimis aris, & ſepulcris, ſed ſtantes, non vero in ſublime elatos. Sed de Amoris, & Pſyches arcanis apud veteres myſteriis nil eſt quod addam poſt Obſervationes ſacras numquam ſatis laudati Viri Cl. Philippi Senatoris Bonarrotii in Vaſa Vitrea Cœmeteriorum. (6) Vario, ac promiſcuo modo nunc Pſyches ad dexteram, nunc Amor ad lævam, vel in Gemmis, vel in Statuis, vetuſtiſque anaglyphis confinguntur, vel e contra. Modo Pſyche ſeminuda conſpicitur, ut in noſtra Gemma; modo palla ad pedes defluente velata, ut apud Sponium. (7) Amor quoque modo nudus, modo rejecta in humeros chlamyde ornatus. (8) Facem in cineres collabſam interdum inverſam tenet Cupido, ut apud Sponium, (9) interdum Pſyches, ut in eleganti Gemma ex Muſeo Stoſchio, quæ ſuperius initialem literam implet; in qua mœrentes Sponſi conſpiciuntur, nec ſe ſe mutuo obſervantes, neque ut in aliis, quaſi alter alteri oſcula infigere videatur. In ea quoque Pſyche defluenti ad pedes veſte induta eſt; & Amor nudus corollam dextra tenet, læva tantum Pſychen ſuam complexus. In altera Gemma onyche cælata, quæ initialem literam exornat ex Cimeliis Hieronymi Equitis Odam ſolus Amor ad tumulum proficiſcitur, amphoram ad condendos cineres in humero deferens, dextra facem accenſam inverſam, ut in luctu, & in parentalibus ſacris fieri ſolebat. His gemmis quæ ſupremo funeri alludunt, veteres in anulis uſos fuiſſe arbitror, ut mortis memoria, (adeo impie debacchabantur) majori ſtudio, ac frequentius ſe ſe deliciis, & voluptatibus ingurgitarent, de quibus infra. (10) In quamplurimis item vetuſtis Inſcriptionibus, (11) frequenter Viri nomen EROTIS, ideſt *Cupidinis* aſſumunt; Mulieres vero PSYCHES, & PSYCHARIONIS, ideſt *Animulæ*, ut ait Plautus.

In principio Deſcriptionis hujus Monimenti initialis litera ornatur Gemma ex Praſino Muſei Equitis Odam; in qua ſculpta Lupa Romulum, & Remum uberibus inhiantes lactans, ſub ruminali ficu, (12) quæ quidem non in nummis tantum Familiarum Romanarum, Coloniarum, & Imperatorum, & in clypeis Romæ Deæ dicatis, & in vetuſtis anaglyphis conſpicitur, verum etiam in Sepulcris, & in Aris, ut in Florentina Muſei Gaddii, (13) & in Gruteriano Theſauro. (14) In iiſdem quoque Sepulcralibus Urnis ſculpta Olenia Capra Jovem puerulum lactans, (15) (ni aliquis Genius ſit) a qua totiens Juppiter *Olenius* ab Homero appellatur.

1 In Dactyl. Par. II. n.80. 2 Vide Fabr. Inſcr. Ant. Cap. v. p. 382. 383. 3 Virg. Æneid. Lib. VI. v. 657. Lucian. de Ver. Hiſt. L. II. 4 232. 5 Metam. Lib. VI. 6 In Tab. XXVIII. Fig. 3. pag. 193. &c. 7 In Miſc. erud. Ant. pag. 7. Fig. n. VII. 8 Apud eumd. ibid. n. VII. 9 Ib. n. VII. & IX. 10 p. 213. 11 Vid. Grut. p. DXCVII. 7. DCCCXXXV 4. Fabr. p. 336. n. 502. 12 Vide Ovid. II. Faſtor. & Panvinium in Urb. Rom. 13 In Pr. Par. Inſcr. Ant. Etr. Urb. p. 191. n. 6. 14 p. DCCCXXXIV. 9. 15 Vide eumd. Grut. pag DCCCLXIX. 13.

Gemmas circumornant quædam, ut ita dicam, eruditæ Vetustatis bellaria, non ingenio excogitata, sed ex antiquis monumentis desumta multa solertia, ut plane operi convenirent. Palmæ (1) Augusti victoriis alludunt, cupressus funeri, Sphinges monumento, quæ in pluribus aris exculptæ; & in quadam urna apud Gruterum occlusam sepulcri januam custodiunt. Sphinge quoque Augustus initio imperii sui in libellis, epistulis, ac diplomatibus signandis usus est. (2) Larva item terrifico vultu, passis crinibus, & hianti immaniter ore expressa ex antiquis prototypis, mortuorum imagines referebat, quam mensis apponebant veteres, ut se se ad hilaritatem invitarent. Capricorni, quos agitant flagris insidentes Genii, faustum Augusti thema referunt, quod vulgavit, nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est.(3) Iidem pariter in piscem desinentes sculpti in defunctorum aris, & cippis. (4) In Sepulcris quoque constat appensos fuisse lychnuchos, ut infra ostendemus. (5) Genii super amphoras cinerarias dormientes, *somnum æternalem*, ut veteres dicebant, germanum mortis designant. Serpenticuli papiliones devoraturi, juxta Ethnicorum Theologiam, malignum fatum, vel defunctorum Genium famulum, geniumve loci denotant, ut putavit Æneas ex Anchisæ tumulo prorepentem videns. (6) Quin etiam angues non solum Deorum famuli, ut auctor est Silius Italicus, (7) verum etiam mortuorum umbras comitari, & eis famulari credebantur. (8) Papilio animæ fuit symbolum, quare papilionis alæ Psyche, idest animæ, a veteribus datæ. (9) Vervecibus item, & capitibus bubulis, pendentibus vittis ornatis, nil frequentius in antiquorum tumulis, Geniis item inversas faces, mortis mœrorisque symbolum, tenentibus. Hinc expressi ardentem lucernam attollentes, sæpenumero etiam calathos tenentes in elegantibus Sarcophagis; ut Elysiorum, ut stulte credebant, felicitatem, bonorumque omnium copiam indicarent; qui etiam inter donaria Collegii Centonariorum leguntur apud Gruterum. (10)

In allatam denique Tabulam observationes absolventes literatam Gemmam anularem subjicimus Chrysolitho scalptam, quam nuper acquisivit Andreinius; asserente extero homine, qui vendebat, dum Florentiæ versaretur, inter alias præclaras Gemmas, & eximia Cimelia inventam esse in hoc Monumento; quæ jam antea in studiosorum Antiquitatis manus venere; nec pauca Florentiæ vidimus apud nobilem exterum virum; quod verum esse ejus epigraphes ostendit, nam pertinet ad Libertum Augusti, cujus nomen in ea incisum ita est; TI. IVLIVS. AVG. L. PHILOMVSVS; i. *Tiberius Julius Augusti Libertus Philomusus*: in manumissione assumto Juliæ gentis nomine, & prænomine Tiberii, Augusti in imperio successoris, & ab eo adoptati, quem Senatus, ut ait Dio, volebat, ut in diplomatibus, epistulis, ac libellis LIVIÆ AUGUSTAE *filius* diceretur. Sed de prænominibus Libertorum inferius sermo erit. Anulis donatos fuisse Libertos testantur plures Romanæ Historiæ scriptores. Ex hoc liquet Philomusum, suo nomine inscriptum, anulum gestasse; nam gemma pulcherrima est, & in inferiori parte perlucidior.

Interim, erudite, ac benevole Lector, si quid est in hoc meo labore, quod tibi non displiceat, UTERE FELIX; sin vero minus genio tuo fecerim satis, æqui bonique consules; majora aliquando daturus; ne cum Juvenale semper dicam:

O parvi nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, aut tenui soleo exornare corona.

1 In fronte hujus Libri. 2 Plin. l.XXXVII.c.I. Suet.in ejus vita c.50. 3 Idem Suet.in ejus vita c.54. 4 V.Grut. p. MXLIII 3. 5 p.50. 51. 6 Æn. Lib.v. vers.87. 7. Punic. Lib.VI.v.288. 8 Vide Val.Flac. L.III.v.457. 9 Vide Obser.Sacr.in Vas.Vitr. Cœmet. p.197. & Spon. in Misc.p.7.& 8. 10 2 CLXXV. 4.



DESCRIPTIO MONUMENTI SIVE COLUMBARII

Libertorum, & Servorum

LIVIÆ AUGUSTÆ

CUM OBSERVATIONIBUS

In antiqua Opera in eo reperta.



Omani victoris Gentium Populi, in condendis Sepulcris, magna fuit religio, incredibile studium, singularis magnificentia; quam, non obscuro exemplo, indicare mihi videtur hoc Monumentum Libertorum, & Servorum JULIÆ AUGUSTÆ aureo ævo constructum, omnique cultu Sarcophagis, Urnis, Aris, Signis eleganter ornatum; quamvis non inter splendidiora Conditoria (*a*) sit recensendum.

§. I.

NUper, literariæ Reipublicæ bono, detectum est in Via Appia, (*b*) magnificis olim ædificiis, Deorum templis, & illustrium Familiarum Sepulcris ornatissima; (*c*) in Vinea Josephi Bencii, inter I. & II. ab Urbe lapidem, (*d*) lævorsum exeuntibus e Porta Capena, quæ hodie, a proximo Templo, S. Sebastiani appellatur. Quonam modo detectum fuerit, utpote tot sæculis terra penitus obrutum, paucis libet exponere. Quum Vinitores, terram alicubi paullo eminentiorem effoderent; forte contigit, ut unius absidis, quam nos *tribunam* a Latino tribunal, & patrio sermone *nicchia* appellamus, apicem offenderent; circa quem, defossa terra, parietum latera, ac non longe e topho, & calce permixta constructam ca-
A meram repererunt; verum in medio, ingenti hiatu, prorsus dirutam; e quo dilabsæ maceriæ totum intus ædificium adeo oppleverant Tab. III. a litera C, usque ad K, ut nulla ex parte prorsus adiri posset. Egesta circumquaque terra, ruderibusque purgato loco, fossores id assequuti sunt, ut in Sepulcrum paullatim sese demitterent, & tandem ad pavimentum usque pervenirent. Elegantissimi Monumenti interiorem prospectum, sive Orthographiam Tabula I. accurate delineatam exhibet.

§. II.

B TOtum Columbarium, ut Tabula III. docet G. G. lateritia structura constabat; verum tanta, ac tam exquisita arte elaboratum, ut elegantia ipsa, & venustas, longe operis materiam superaret. (*a*) In inferiori extima parte, quemadmodum alia communia Libertorum, ac mediocris sortis hominum Sepulcra, (*b*) ultra dimidium, in topho exscisum erat; quam cum parietum crassitie ostendunt Tab. III. H. H. ac sequentes. Superiorem hujusce Columbarii partem, quæ antiquitus in Viæ Appiæ solo prominebat, & conspiciebatur, præcellentiori opere, exterius undi-
C que marmoreis tabulis circumseptam fuisse conjicimus ex pluribus magnæ molis e marmore fragmentis, quæ intus inter rudera sunt reperta. (*c*) Duo, Meridiem versus, habebat ostia; unum in superiori parte Tab. III. B. alterum in inferiori. A. Ostium superius; quod in Gruteriana Tab. DCCXI. 3. dicitur *Porta superior*, & *Janua superior*. Communia Monumenta, sive Sepulcra sæpe in duo vel tria cubicula distinguebantur. Apud Fabrettum CUBICULUM SUPERIUS memoratur Inscr. Ant. Cap. I. pag. 105. num. 301. quorum Schema exhibet Ciampinus in Par. I. Vet. Mon. Cap. XIX pag. 170. Tab. XLII. Fig. I. Ita apud nos plura sæcula-
D rium hominum sacra Sodalitia Hypogea sunt, & in ipsa per plura ostia, quorum primum superius, alterum inferius dicitur, descenditur. Superius ostium (sequiori ævo parietinis obstructum) ea de

a Vide Ciampinum Vet. Mon. Par. I. Cap. XIX. pag. 163. & 170. *b* De Via Appia fusius Antiquitatum illustrator, & amplificator Panvinius in Urbe Romana; Marlianus Topogr. Urb. Cap. VIII. Dempsterus in Rosinum Antiq. Rom. Lib. I. Cap. 13. *c* Sepulcra Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum, quorum meminit cum laude Cicero, addi quoque potest Sepulcrum Gentis Ogulniæ, de quo laudatus Fabrettus Inscript. Antiq. Cap. II. pag. 68. num. 37. præter alia quamplura. *d* In pluribus Sepulcrorum Tabulis inscriptis notatur locus ubi conditum Monumentum, distantia ab Urbe, qua parte; dextra, an læva; in cujus agro, vel fundo, ut apud Gruterum MLXXXI. I. Fabrettum Inscr. Ant. Cap. I. pag. 10. Omnibus compertum est, Vetera Romanorum Sepulcra in agrorum limitibus, & secus publicas vias constituta fuisse, quum lege XII. Tabularum, defunctorum corpora in Urbe urere, aut sepelire vetitum esset; de quo more Kirchmannus de Funer. Rom. lib. II. cap. 22. quem ab Atheniensibus Romanos accepisse, Thucydidis testimonio, docet Benedictus Averanius Dissert. XXIV. in Thucyd. num. 3.

a De hujusmodi Sepulcris vide Fabrettum Inscr. Antiquar. Cap. III. pag. 205. *b* Vide Kirchmannum de Funer. Romanorum lib. III. cap. 15. *c* Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 205. plura memorat per Agrum Romanum splendida monumenta, superne fani speciem retinentia, tumulis, & loculis in hypogæo absconditis.

cauſſa poſitum, ut circumquaque ſupra coronidem euntes, cinerarias ollas in ſingulis columbariis recondere commode poſſent. Ibidem, per ſcalam cum aditu exterius in topho exſciſam, ad inferius oſtium B. ut credimus, deſcendebatur; (*a*) quæ ſcala in Ichnographica Tabula II. non apparet, quod is locus hactenus ruderibus minime repurgatus fuerit; qui ſi aliquando repurgabitur, ut ſperare libet, præter ſcalam, alia plura in lucem prodibunt vetera monumenta. Nam probabile valde eſt huic Sepulcro aliquod aliud ſimile ædificium conjunctum eſſe, aliorum Sepulcrorum in plures aulas, ſeu cameras diſpertitorum exemplo; inter quæ celeberrimum illud eſt detectum Via Aurelia, in Villa Corſinia; editum ab eximio Viro Petro Sancte Bartoli; (*b*) aliud quoque in Via Appia repertum, & ab Clariſſimis Viris Ciampino (*c*) & Fabretto (*d*) diſerte deſcriptum. In aditu, cum ſuperioris, tum inferioris oſtii, camera ſuperpoſita Tab. V. A. & B. e Tiburtino lapide conſtructa erat; diſpoſitis quoque in pariete aditus columbariis. Coronis, quæ totum cingebat hoc Monumentum Tab. III. D. D. e Tiburtino pariter lapide confecta, & tectorio opere (*e*) tam venuſte, & eleganter ubique obducta, ut non comparentibus juncturis, tota e ſolido marmore conſerta eſſe videretur. Eadem coronis duobus circiter Romanis palmis in pariete inſerta erat, Tab. III. E. E. Tab. XVIII. A. prominebatque duorum palmorum, unciarumque ſex, cum dimidia, latitudine, quæ tanta erat ut ipſam circuire, ollaſque in altioribus ædiculis, ſeu columbariis, admotis ſcalis, ut ſupra diximus, recondere facile poſſent. Coronidis altitudinem antiquum Viæ Appiæ ſolum, cujus rudera ibidem reperta ſunt, pæne æquabat. Simile huic monumento aliud eſt, quod exhibet laudatus Johannes Ciampinus Tab. XLII. Fig. 3. & 4. (*f*) alia item duo Sepulcra, quæ deſcripſit, & Ichnographica ſchemata protulit in domeſticis ſuis antiquis Inſcriptionibus Fabrettus. (*g*)

Peculiaris admodum, ac pervenuſta eſt interior hujus Columbarii figura, quemadmodum Ichnographica Tab. II. repræſentat. In medio cujuslibet partis conſpicitur ornatiſſima abſis, ſive tribunal, cujus ſuperior pars, pereleganti velut conchylio, cæruleo colore circumquaque depicto exornata Tab. III. F. F. Vittis hujuſce coloris Deorum Manium aras, & ſepulcra velari ſolita docuit Virgilius: (*h*)

—— ſtant Manibus aræ,
Cæruleis mœſtæ vittis atraque cupreſſo.

In luctu cæruleo quoque colore Veteres uti ſolebant, ut in eumdem locum notat Servius; Cyaneus color, ſive cæruleus apud Græcos nigrum ſignificat. Homerus Iliados primo:

Η καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσιν εὖσε Κρονίων

Dixit, cæruleiſque ſuperciliis annuit Jupiter. S.

(*a*) noſque Florentiæ, more majorum, velis item cærulei coloris ornamus Templa in funerum pompa, & apparatu, ad mœrorem ſignificandum.

Latum erat a Meridie ad Septentrionem Romanis palmis XLIIII. longum vero ab Oriente ad Occidentem palmis Romanis LXI. & unciis IV. ut Tab. II. commonſtrat. Lumen intus immiſſum putamus, uti in aliis Sepulcris apud Ciampinum, (*b*) Fabrettum, (*c*) & Petrum Sanctem Bartoli, (*d*) per parvas feneſtras in hemicyclo utriuſque frontis, cum ab Ortu, tum ab Occaſu Tab. IV. & V. lit. I. I. quæ non indicantur in his Tabulis, propterea quod ibidem collabſi parietes reperti fuerint. Parietes tectorii operis nitore, ex albo colore, (*e*) tam pulchre exornati, ut marmoreis tabulis operti viderentur. De tectorio opere hæc ſcribit Plin. Lib. XXXV. cap. 14. *Lacedæmone quidem exciſum lateritiis parietibus* (opus tectorium) *propter excellentiam picturæ, ligneis formis incluſum Romam deportavere in ædilitate, ad Comitium ornandum, Murena, & Varro.* Per parietes, & tribunalia, ab imo ad ſummum, diſpoſita pluribus ordinibus columbaria, ſive loculi, unus ſuper alium, in quibus binæ occluſæ ollæ fictiles, aſſervandis defunctorum cineribus deſtinatæ Tab. III. G. Supra ſingula columbaria, ut in eadem Tab. III. H. præfixus titulus, ſive marmorea parva tabula, cum epigraphe reconditis ollis reſpondente, in qua expreſſum defuncti nomen, officium, quandoque etiam, ſed raro, ætas; exceptis tamen angulorum columbariis Tab. II. *a. a. a. a.* quæ propter loci anguſtias, ſingulares ollas, quarum frequenter in vetuſtis lapidibus fit mentio, (*f*) ſingulari pariter titulo ſuperpoſito, continebant. Columbariorum omnium exterior arcus, ac tabularum ſive titulorum ora eleganti coronide et plaſtico opere circumornata erant Tabula XX. A. B. qui quidem omnes, non fracti, ſed integri ad nos perveniſſent, ſi in refigendo, foſſores, quanta oportebat, uſi eſſent diligentia; nam nimia eorum incuria, & oſcitantia factum eſt, ut maximo damno, plures vel perierint, vel clam fuerint ſubrepti. Cameram totumque Sepulcrum plaſticis, ac figlinis operibus, variiſque emblematis, ac Deorum ſigillis elegantiſſime ornatum fuiſſe deducimus ex quamplurimis eorundem operum fragmentis, quæ ex ruderibus collecta ſunt; quorum nonnulla afferimus Tab. XIII. D. Tab. XVII. B. C. D. E. Tab. XIX. C. E. veluti artificum Auguſti ævo præſtantium elegantiora ſpecimina. Præalta faſcia, quæ veluti hypobaſis, inferiorem Monumenti partem per gyrum ornabat Tab. III. lit. I. I. opere pariter tectorio, pulvere marmoris intermixto, (*g*) concinne perpolita erat, & amarantino colore obducta. Pavimentum, eo in loco ubi integrum obſervatum eſt, teſſellato, ac muſivo opere, ex albis nigriſque lapillis, mira

a De Scalis, oſtiis, & valvis Monumentorum, non raro fit mentio in vetuſtis ſaxis apud Gruterum DCCXI. 3. DCXXVI. 6. DCCCCLXIV. 2. apud Reineſium Cl. VII. n. 486. Cl. IX. n. 34. Vignolium Inſcr. Select. Cl. II. pag. 283. item apud Fabrettum Inſcr. Antiq. Cap. III. pag. 154. n. 235. pag. 159. nu. 279. pag. 165. n. 301. Vide Kirchmannum de Funer. Rom. lib. III. c. 13. *b Negli antichi Sepolcri ovvero Mauſolei Romani, & Etruſchi* edit. Romæ anno M.DC.XC.VII. *c* Veter. Monum. Par. I. Cap. 19. pag. 174. *d* Inſcr. Antiquar. Cap. I. pag. 10. *e* De tectorio opere, & quomodo fieret luculenter Vitruvius lib. VII. c. 2. Plinius lib. XXXVI. c. 23. Palladius lib. I. c. 14. Videndus quoque doctiſſimus Jacobus Guterius de Jure Manium lib. II. c. 28. qui erudite agit de albario, ac tectorio opere, quo vetera ſepulcra exornari ſolebant. *f* Veter. Monim. Par. I. Cap. 19. pag. 170. *g* Cap. I. pag. 54. 55. & 56. *h* Æneid. lib. III. v. 63.

a Vide etiam Gutherium de Jure Manium lib. III. c. 28. qui luculenter de veſte lugubri veterum. *b* Veter. Monim. Par. I. Cap. 19. Tabula XLII. fig. 3. & 4. pag. 173. *c* Inſcr. Antiq. Cap. I. p. 12. *d Negli Antichi Sepolcri, ovvero Mauſolei Romani* ed. Romæ 1697. Tab. 9. *e* Chriſtus Dominus Scribas, & Phariſæos ſimiles eſſe dixit *τάφοις κεκονιαμένοις*, *ſepulcris dealbatis*. Matth. Cap. XXIII. v. 27. Etruſcorum Sepulcra, albario opere, item ornata fuiſſe, teſtantur edita monumenta in Dempſteriano præclaro Opere Tab. LXXXXII. ad finem Tom. II. In Florentinis antiquis Inſcriptionibus p. 154. n. 80. fit mentio C. Julii Salvii Structoris Parietarii. Templa quoque & Deorum ædes, opere albario, exornari ſolitas, docet Muſei Medicei marmor, ex Africa allatum, quod vulgavimus pag. 58. n. CXXXX. item inſcriptio apud Gruterum pag. CLXXII. 2. *f* Apud Fabrettum Inſcr. Ant. Cap. I. pag. II. n. 42. 46. 47. & p. 12. & 13. *g* Vide Vitruvium lib. VII. c. 3. & Fabrettum in Tab. Iliadis pag. 315. 316. & Inſcriptionum Antiqu. Cap. VI. n. 59. pag. 449. Vide etiam Gutherium de Jure Manium lib. II. c. 28. qui de opere tectorio fuſius, & erudite.

arte, in varias figuras, pisces, aviculas, aliaque emblemata dispolito, affabre elaboratum erat. Quædam insigniora pavimenti fragmenta, injuria temporum minus labefactata, producimus Tab. XIX. A. B. Tab. XX. E.

§. III.

SUper pavimento Sarcophagi, Aræ, Urnæ aliaque antiqua opera, quæ æreis cælata Tabulis exhibemus, hoc modo, & ordine dispofita, nonnullis tamen humi jacentibus, ac subversis, reperta sunt; quemadmodum majoribus his literis notatum est in Tabula II. Ichnografica, cujus hic habes explanationem.

A. Aditus, & ingressus subterraneus in Columbarium.

B. Pes marmoreus, ut conjicimus, statuæ fragmentum, cum inscriptione in ejusdem basi TI. CLAVDI. FIRMI; idest, *Tiberii Claudii Firmi*. Vide Tab. XII. E.

C. C. Musivi operis majus fragmentum hoc in loco repertum, quod exhibet Tab. XX. E.

D Marmoreum Viri caput Tab. XII. A. delineatum heic jacebat.

E. Ara marmorea, sive Cippus arietinis capitibus ornatus, pendente ex eorum cornibus encarpo, cum inscriptione DIS. MANIBVS ANTONIAE PANEROTIS. &c. Tab. XV. A.

F. F. Scrobes valde profundi in pavimento; qui quum ruderibus nondum purgati fuerint, incompertum, an aliquid notatu dignum lateat.

G. Heic conlocatum marmoreum lectisternium, semifractum, cum Viro in eo jacente, Dis Manibus C. Julii Bathylli Augusti Liberti dicatum Tab XIV.

H. Locus ubi reperta est super ollam cujusdam Columbarii fictilis lucerna, quæ exhibetur Tab. XI. A.

I. Arca fictilis, cum pariete conjuncta, superne magnis tegulis operta Tab. VIII. A.

K. Heic detecta vitrea ampulla, occlusa in olla fictili parvi Columbarii, seu loculi Tab. XVII. A.

L. L. L. Loca in pavimento excavata, sub musivo opere, operta majoribus tegulis, in anguli formam in medio acuminatis; in quibus humata defunctorum corpora; capite, ad ostium B. hujus Monumenti, converso; pedibus vero versus absidem, sive tribunal directis, quod R. litera designatur.

M. Cellula, sive hypogæum subterraneum sepulcrum, sub pavimento excavatum, superne concameratum, ad plures sarcophagos recipiendos.

N. Operculum quadratum, fictile; longitudine, ac latitudine duos Romanos pedes non excedens; superne ornatum pavimenti opere musivo, ostium claudens descriptæ cellulæ.

O. P. Q. Sarcophagi temporarii, lateritio opere constructi, ac parieti adfixi, loco marmoreorum Sarcophagorum, qui ibidem postea collocari debebant, ut inferius veterum lapidum auctoritate ostendemus; in quibus reperta corpora, haud cremata.

S. Sarcophagus marmoreus elegantissimus, Gratiarum simulacris in medio loculamento ornatus, Tab. VI. cui subjectæ erant bases e Tiburtino lapide, altitudine fere unius palmi; ab angulis mediæ absidis R. tantum distabat, ut retro commode quis transire posset.

T. Sarcophagus marmoreus in medio, Viri, & Uxoris stemmate insignitus, &c. Tab. VIII. B. retro tamen nullo relicto spatii loco, ut circuiri posset.

A V. Cippus, sive ara marmorea C. Cosconio Commodiano dicata; posita ante Sarcophagum T. descriptum Tab. XVI. B.

X. Urna, seu ara marmorea, Diis Manibus M. Ulpii Menophili Augusti Liberti, Adjutoris Procuratorum ab Ornamentis posita, Annio Vero III. & Eggio Ambibulo Consulibus; cui etiam subjecta hypopasis e Tiburtino lapide, Tabula XIV. B.

Y. Urna in modum Aræ, seu Cippi confecta, intus plena crematis ossiculis, cujus operculum prope jacebat semifractum; consecrata Diis Manibus Calami Pamphiliani, Tiberii Claudii Cæsaris Augusti Germanici, Vilici ex Horreis Lollianis,
B Tab. XV. D.

Z. Z. Z. Loca excavata in pavimento, superioribus L. L. L. similia, ad defunctorum corpora obruenda, ut paullo infra dicemus.

A. A. Ara, sive Cippus humi jacens, cum inscriptione DIS. MANIB. IVLIAE. SEDATAE &c. idest, *Diis Manibus Juliæ sedatæ* &c. reconditis intus ossibus crematis, Tab. XV. C.

B. B. Sarcophagus marmoreus Tab. IX. A. relatus, parum a pariete distans, ornatus virili protome in medio stemmate; rudi tamen prima sculptura expresso; cui pariter subjectæ bases e Tiburtino
C lapide.

C. C. Sarcophagus marmoreus, in cujus medio loculamento sculptus Meleager ante aram ignitam stans, ac sacrificans; Tab. IX. B. suppositis item e Tiburtino lapide binis basibus; in quo marmoreum bisomum inventum est, Tab. XI. D. delineatum.

D. D. Heic positum Vas Cinerarium, sive Ossuarium, ustis ossiculis intus refertum, Tab. XII. B. repræsentatum.

E. E Sarcophagus fictilis, paullo in medio fractus, Tabula XVII F.

F. F. Frons marmorei Sarcophagi in medio lo-
D culamento adolescentis sigillo, infra vero Ledæ cum cycno decumbentis emblemate insignita, Tab. X. B.

G. G. Sarcophagus marmoreus, superne tectus marmorea tabula; eximio opere sculptus, & encarpis eleganter ornatus, supra quæ posita quatuor oscilla Tab. VII. Aperto Sarcophago inventa in eo sunt bina defunctorum cadavera, quorum unum ornatum veste auro intexta; plura item præstantissimorum artificum monumenta, ac pretiosa cimelia, que in mortuorum honorem in sepulcris condi solebant; quæ vero sint, satis adhuc non constat.

E H. H. Locus extra Columbarii ædificium distans, plus minus, XV. passibus; ubi detectus in topho exscisus marmoreus Sarcophagus, ornatus in medio loculamento, ostio monumenti semiaperto, Tab. X. A.

I. I. Aditus hypogæus, id est subterraneus, in topho excavatus, prope Viam Appiam; qui quum hactenus ruderibus purgatus non fuerit, an ad ostium Columbarii, vel ad aliquem alium locum perduxerit, per gradus in topho pariter excavatos, incertum est.

F

§. IV.

HActenus totum Sepulcrum Libertorum, ac Servorum Liviæ Augustæ descripsimus, & eruditorum oculis exposuimus; nunc singula antiqua Opera, quibus eleganter ornabatur, explicanda, atque illustranda sunt; atque, ut ordinis ratio postulare videtur, primum a præstantioribus monumentis incipiendum; inter quæ, Sarcophagi, Aræ, Urnæ, Signa numerantur, ac

principem locum tenent; post quæ minores Urnas, Columbaria, Ollas, inscriptos Titulos observavimus.

Sarcophagis tum marmoreis, tum lapideis, ac fictilibus, (*a*) ut observat Plinius, (*b*) a Sarcophago lapide nomen factum est; in quo primum corpora defunctorum condita, intra quadragesimum diem, exceptis dentibus, absumebantur. Sarcophagorum frequens fit mentio in vetustis Inscriptionibus, in quibus pro Sepulcris ponuntur. Marmoreos Sarcophagos, variis emblematis, (*c*) Deorum simulacris, & sigillis, quibus Historia, & Ethnica Theologia illustrantur, veteres ornare consuevere; quæ ornamenta quum ab eruditis viris describantur, (*a*) heic rursus exponere supervacuum plane est. Vetustum lapidem proferre libet, quem ex Onuphrio Panvinio vulgavit Gruterus, (*b*) in quo habetur mentio consecrationis Sarcophagi, Idibus Augusti, Pudente, & Orphito Consulibus; anno scilicet U. C. DCCCCXVII. & Christi CLXV. item sigillorum, & operum quibus fuerat insignitus, denique basium, quas Sarcophagis hujus quoque Columbarii subjectas fuisse supra notavimus.

a Fabrettum vide Antiq. Inscr. Cap. I. pag. 13. num. 59. Sponium in Miscell. pag. 394. at Reinesium Cl. xx. num. 451 apud quos Sarcophagus, & Sarcophagum, & Sarcophaga genere neutro leguntur. Gruter. DCXLIII. I. & DCCCCIII. 12. Vide quoque Kirchmannum de Funer. Rom. lib. III. c. 17. *b* lib. II. c. 96. & lib. XXXVI. c. 17. V. Gutherium de Jure Manium lib. II. c. 20. *c* Stemmatum in Sepulcris meminit vetusta inscriptio apud Fabrettum Cap. I. pag. I. Gruterum DXCIV. 8. Vide Guther. de Jur. Man. lib. II. cap. 29.

a Jo. Rosinus Antiq. Rom. lib. V. c. 39. Kirchmannus de Fun. Rom. lib. III. c. 18. Sarcophagus factus cum Pantheo, legitur apud Fabrettum Inscr. Antiq. Cap. X. pag. 140. num. 505. *b* Pag. DCCLI. 3. De privata conjugum, parentum, ac liberorum consecratione erudite Kirchmannus de Fun. Roman. lib. IV. cap. 13.

D. M. ET. SOMNO. AETERNALI
SECURITATI. MEMORIAEQ. PERPET
AELIAE. FLAVIAE. MELITANAE

Q. V. AN. XXXI. M. III. D. X.
TI. FL. HYMNVS. CONIVGI. SANCTISSIMAE
DVLCISSIMAE. Q. CVM. QVA. VIX. AN. XIII
T. T. FLL. COL. MARCELLVS. ET. TITIANVS
ET. FLAVIA. T. F. AMPELLE. MATRI. PIENTISS
SARCOPHAGO. SIGIL. CVM OPERE. ET. BASIBVS
FECER. ET. CONSECRAVERVNT. IDIBVS. AVGVSTIS
PVDENTE. ET. ORPHITO. COS

Discimus quoque ex veteri Inscriptione apud Reinesium, (*a*) interdum extructis pilis Sarcophagos superpositos fuisse.

Sarcophagis, præter emblemata varia, ac sculpturas additæ insuper inscriptiones, quæ tamen raro occurrunt. (*b*) Nuper Pisis plures animadverti Sarcohagos sepulcrali Titulo inscriptos; (*c*) Florentiæ quoque duos, unum in Regio Mediceo Museo, quem prope diem vulgabimus, (*d*) alterum apud Nardios, Græca Epigraphe ornatum. Integra defunctorum corpora in Sarcophagis recondebantur, quod veterum lapidum auctoritate compertum est; (*e*) quare eos aperire, infringere, aliud corpus superponere, obviolare, mortuos inquietare, pœnis, ac diris vetitum, summumque nefas creditum. (*f*) His breviter prænotatis, eximios hujus Columbarii Sarcophagos observare, atque illustrare operæpretium nunc est.

TABULA VI.

Sarcophagus, striato opere (*g*) sculptisque eximio artificio simulacris, omnium elegantissimus. In medio loculamento sunt tres sorores Gratiæ, quas Græci Charites, ἀπὸ τῆς χαρᾶς *a gaudio* dicunt, ut Fornutus ait, (*h*) insigni forma virgentes; stantes, nudæ, ridentes; (*a*) comtis vario modo crinibus, ac mutuo brachiorum nexu inter se junctæ. Media, a nobis aversa, alias blande complectitur, quæ laneam corollam, vel ni fallor, Venereum cestum tenent, ac conciliandum revocandumque amorem omnibus illecebris cumulatum; quem Venus apud Homerum (*b*) Junoni exhibens, valde commendat. Cestus tribus nodis est revinctus, quemadmodum & ipsæ Deæ Gratiæ, nodo inter se conjunguntur; quare ad nodum solvendum segnes dicuntur ab Horatio: (*c*)

Te Liber, & si læta aderit Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ
Dum rediens fugat astra Phœbus.

Medium loculamentum in quo sculptæ Gratiæ, honoris, & cultus caussa, ornatum est defluenti appenso velo; quo defunctorum sepulcra frequenter condecorantur, quum in ipsis immortalium Deorum simulacra, vel Defunctorum imagines, quasi in Deorum numerum relatorum, repræsentantur, ut in pluribus monumentorum anaglyphis observari potest. (*d*) Infra hinc, & hinc bini gutti statuti, cum linteis supra positis; quos Gratiis appositos arbitror, ad indicandum corporis cultum; quum Gratiæ omnis pulchritudinis, & elegantiæ Deæ sint, (*e*) quas Horatius decentes appellat; & Veneris non solum *χαμμωτρίαι or-*

a Cl. VI. num. 90. *b* Vide Gruterum DCCXC. 8. Fabrettum Inscr. Antiquarum Cap. X. pag. 740. n. 505. *c* Nonnullos edidit C. V. Josephus Martini in Appendice Theatri Basilicæ Pisanæ. *d* Inscript. Antiquarum Urbium Etruriæ Par. I. pag. 15. n. XVI. *e* Apud Gruterum DCLXXVIII. 10. DCLXXXIX. 8. *f* Vide antiquos lapides apud Gruterum DCCCX. 10. DCCCCIII. 6. *g* Pares quoque Florentiæ sunt Sarcophagi, miro artificio striati. In quodam Sarcophago, in Platea S. Spiritus, strigibus, pendentibus velis, ac vittis ornato, in medio visitur simpuvium pro inferiis, ac parentalibus sacrificiis Deorum Manium. De variis strigum generibus videndus Vitruvius lib. IV. c. 13. & in aliis pluribus locis. Normam, quam veteres adhibebant in excavandis strigibus in marmoreis Sarcophagis, exhibet marmorea Tabula elegantissima apud Fabrettum Cap. VIII. Inscr. Antiquar. pag. 587. n. CII. ex Cœmeterio D. Helenæ, quam vide. *h* De natura Deorum cap. 15.

a In Hymno Homeri, qui Orpheo tribuitur, Gratiæ dicuntur Χαρμοσύνης γενέτειραι, ἐράσμιαι, *Gaudii genitrices, amabiles.* *b* Iliad. lib. XIV. v. 204. quem appellat ἱμάντα ποικίλον, acu pictum, ac vario modo contextum. Vide Martial. lib. VI. Epigr. 13. & Vossii Etymologicon. *c* Carm. lib. III. Od. 21. *d* Vide Petrum Sanctem Bartoli, in libro qui inscribitur, *Gli Antichi Sepolcri* Tab. 9. & 56. Purpureis velis ornari solebant Sepulcra, teste Amm. Marcell. lib. XVI. *e* In quodam eleganti vitro apud Fabrettum Gratiæ pictæ sunt nudæ, ornatæ binis armillis in unoquoque brachio, & periscelidis, Inscr. Antiquar. Cap. VII. pag. 539.

natri-

natrices sint, quæ ita Venerem ornantes exhibentur in Chalcedonio anaglyphico opere exsculpto Regii Musei Medicei; verum etiam ἀλείπτριαι *unctrices*; quemadmodum canit Homerus: (*a*)

Ηδ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Αφροδίτη,
Ες Πάφον, ἔνθάτε οἱ τέμενος, βωμός τε θυήεις,
Ενθά τε μιν Χάριτες λῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
Αμβρώτῳ, οἷα θεὺς ἐπενήνοθεν αἰὲν ἐόντας.

quæ ita reddidit Græcarum, Latinarum Etruscarumque Musarum decus, doctissimus Salvinius:

In Cyprum venit cultrix Venus aurea risus,
It Paphon, hic templum, fragans & odoribus ara,
Illam ubi laverunt Charites oleoque unxerunt
Ambrosio: tale est Diis immortalibus aptum.

Oleum, & pretiosa unguenta, quibus corporis formam tuemur, & augemus, in guttis quoque asservari solebant, teste Juvenale, (*b*) & A. Gellio. (*c*) Item gutti, teste Plinio, (*d*) ad libationes guttatim fundendas in sacris adhibebantur; quare Gratiarum quoque cultum fortassis innuere possunt. (*e*) Lintea, sive mappæ guttis superpositæ sunt ad manus ablutas tergendas; nam antequam sacris operarentur aquam manibus sumere solebant, teste Tibullo: (*f*)

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Utrimque in extremis Sarcophagi segmentis, quasi termini, sculpti duo formosi Juvenes, nudo corpore, statu, & gestu omnino similes, effusis incomtisque crinibus; manibus capiti suppositis; quo gestu expressos puto, ut mœrorem significent. (*g*) Ita Priamus apud Homerum, Achillem ad muros accedentem videns, vi doloris, manus capiti injicit; (*h*)

Ωμωξεν δ' ὁ γέρων, κεφαλὴν δ' ὅγε κόψατο χερσὶν
Ὑψόσ' ἀνασχόμενος, μέγα δ' οἰμώξας ἐγεγώνει.

Ploravit autem senex, caputque ille pulsavit manibus
In altum tendens, valdeque ejulans clamavit.

Quem referant hi mœrentes Juvenes, an Adonin Veneris cultorem, an Hyacinthum, vel Narcissum, forma præcellentissimos, ac celeberrimos, incompertum plane mihi est. An fortassis in his forma insignibus Juvenibus Juventus expressa, quam Horatius cum Gratiis, Cupidine, Nymphis, ac Mercurio, Veneris comitem facit, (*i*) & ita celebrat? (*k*)

Fervidus tecum Puer, & solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,
Et parum comis, sine te, Juventus
Mercuriusque.

Prope hos Juvenes pendent depositæ vestes e quadrata columella, quas superne fibula subnectit. (*l*) Additæ quoque arbores, præcisis aliis surculis, vitæ celeri fato interceptæ symbola.

a Odyss. lib. VIII. v. 360. quem Homeri locum imitatus est Virgilius Æneid. lib. I. v. 415. *Ipsa Paphum sublimis abit*, &c. *b* Satyr. VI. Vide Pignorium de Servis. Benedict. Averanium Diss. LXXXV. in Anth. n. 16. 17. *c* Lib. XVII. c. 8. *d* Lib. VI. cap. 38. *e* De Gratiarum cultu vide Pausaniam in Bœoticis lib. IX. cap. 35. pag. 780. Thomasinum de Donariis cap. III. *f* Lib. II. Eleg. I. v. 13. *g* Vide Observationes Cl. V. Senatoris Bonarrotii in Vasa Vitrea Cœmeterialia Tabula IV. pag. 24. *h* Iliad. lib. XXII. v. 33. *i* Horum quoque Numinum simulacris vetera monumentorum anaglypha ornantur. *k* Carmin. lib. I. Od. 30. *l* Virg. Æneid. lib. V. v. 139.

(*a*) Pæne in angulis sunt parvuli Genii, qui, uti in luctu solet, (*b*) dilabsas in cineres faces eversas tenent; quemadmodum in morte Tibulli cecinit Ovidius: (*c*)

Ecce Puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.

In fictili lucerna, quæ exstat Florentiæ in locupletissimo Museo DD. Comitum e Gherardesca, expressæ sunt tres Gratiæ, his omnino similes, cum Inscriptione L. CÆSAR. Sculptas eas arbitror in his feralibus monumentis, ut animarum post mortem apud Elysios, ut stulte credebant, beatitudinem, gaudium, ac felicitatem indicarent; nam ridentes, & amabiles in hoc quoque monumento inducuntur. Sunt quoque beneficentiæ, & grati animi symbola, ut docet Phornutus, (*d*) qui Jovis filias εὐεργετικάς *beneficas* vocat; & earum nuditate, (*e*) & amplexu significari docet, ut simus faciles, & promti ad beneficia præstanda. Quare in sepulcris fortassis expressæ, ut *bonis etiam mortuis benefacere oportere* ostenderent; quod testatur marmorea elegantissima ara Florentiæ, in Hortis, ac Museo Nobb. Gaddiorum, (*f*) in qua legitur:

C. IVLIO. AVG. L. PHOEBO
RVFIONINO
CESTVS. DE SVO. FECIT
ΤΟΥϹ ΑΓΑΘΟΥϹ ΚΑΙ ΘΑΝΟΝΤΑϹ
ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ ΔΕΙ

Hesiodus Gratias in Olympo habitare cum Musis dixit; earumque nomina tradidit, *Euphrosynen*, *Aglaian*, *Thalian*; quamvis alii veteres auctores in tradendis nominibus, & origine non concordent. (*g*) Pindarus Asopichum Orchomenium, stadii cursorem, laudaturus, (*h*) Charites invocat iisdem nominibus, quæ Hesiodus tradidit; aitque, earum ope, omnia delectabilia, & dulcia esse mortalibus; omniumque operum dispensatrices esse in cœlo; neque immortales Deos absque ipsis ducere choros, aut agere convivia. Reginas quoque celebres eas appellat pinguis Orchomeni, Fluminis Bœotiæ, ubi templum ditissimum, ac potentissimum earumdem fuit, ab Eteocle Rege conditum, cui Thebani tributa pendebant; (*i*) easque ait sortitas aquas Cephisias. Hinc sæpe Charites Nymphis junguntur, ut ait Horatius: (*k*)

Junctæque Nymphis Gratiæ decentes;

& in vetustis Anaglyphis Nymphæ Fontium, visuntur nudæ, ridentes, nodo inter se junctæ; adeoque Gratiis in hoc elegantissimo Sarcophago expressis, omnino similes. (*l*) Verum quæ hic cestum, ut credimus, tenent, in votivo Anaglypho cum inscriptione apud Mazochium ex

a Vide Gruterum DCLXX. 5. DCXCII. 10. Inscr. Ant. Etruriæ Par. pag. I. 355. 356. *b* Vide Kirchmannum de Funer. Rom. lib. II. c. 7. *c* Lib. III. Amorum Eleg. 9. *d* De Natur. Deor. c. 15. *e* Gratiæ prisco more erant vestitæ. Socrates Philosophorum omnium princeps, quum sculpturæ operam daret, vestitas effinxit, ut in ejus vita apud Laertium. Neque compertum est qui primus nudas vel pinxerit, vel sculpserit. Vide Pausaniam in Bœot. lib. IX. c. 35. *f* Hanc vulgavimus, & descripsimus in Par. I. Inscr. Antiq. Etruriæ pag. 191. n. 6. *g* Vide Pausaniam Lib. IX. c. 35. & Phornutum de Nat. Deor. c. 15. *h* Olymp. Ode XIIII. *i* Strabo lib. VIII. Steph. de Urbib. *k* Carm. Lib. I. Od. 4. & 30. Lib. IV. Od. 7. *l* Vide antiquum lapidem apud Fabrettum de Col. Trajani Cap. VI. pag. 174. & Inscr. Antiquar. Cap. VI.

urnis aquam fundunt. (*a*) In aliis quoque vetustis toreumatis Nymphæ Aquarum, & Fontium, quemadmodum Gratiæ, tres sculptæ sunt, sed corpore inferius velato, ut videre est apud Sponium, (*b*) & in votivo marmore Nymphis sanctissimis, quod exstat in Regio Museo Mediceo. (*c*)

Sculptas quoque in Sepulcris, ac feralibus monumentis Charites veteres voluere, quod scilicet forma, atque ætate præstantes, a Diis, amoris gratia rapi, & sideribus inseri solitos crederent. (*d*) Apud Theocritum, (*e*) Adonin raptum a Proserpina, & vinculis adstrictum in Acheronte, uberrimis lacrymis deflent cum Venere Charites, & Cupidines; & Hymenæus, in mœroris argumentum, nuptialem facem extinguit.

TABULA VII.

Sarcophagus marmoreus, forma oblonga semirotunda, sculpturis pulcherrimis affabre ornatus. Ad extrema duo Genii stantes, encarpos sustinent, coronario eleganti lupu, pomis, pampinis, foliis, ac frondibus intextos, qui pendent in medio e thyrso, utrimque tecta cuspide munito, religante, ac defluente longiuscula tænia. Posita sunt super encarpis oscilla, sive personæ; dextra Bacchæ, Satyri; læva Fauni, & Bacchæ, in se mutuo conversa; emissiciis oculis, & insanientium more, Bacchico furore correptis. Fauni caput, circa quod positum pastorale pedum, corona e pineis ramusculis intexta redimitum est; (*f*) Fauni, ac Satyri capita, aures, ut ait Horatius, acutas habent. (*g*) Satyri, & Baccharum capita laneo obtorto filo, sive lemnisco, omnium antiquissima corona, velantur; (*h*) quemadmodum & Hercules in pluribus vetustis Anaglyphis; umbrantibus hederis, pampinis, ac corymbis; quales describuntur ab Oppiano: (*i*)

—— *χαροποὶ δὲ πέλοντο γυναῖκες,*
Οἰνάδες, *ἀσχοφόροι, τριετηρίδες, ἀνθοκάρηνοι.*

—— *formosæ feminæ*
Vinolentæ, pampiniferæ, trietericæ, florida fronte.

Bacchæ oscillum, læva parte, plexis quoque suis capillis, & in tricas dispositis coronatur; quæ in aliis Bacchantibus, non caput ambientes, sed solutæ conspiciuntur. (*k*) Has coronas ex capillis confectas laudat Pollux, (*l*) ac Lactantius Firmianus mirum capiti decorem addere affirmat. (*m*) Hedera Baccho sacra est, quia semper viret. (*n*) In Homeri Hymno, qui Orpheo tribuitur, Bacchus non solum hedera, verum etiam lauro redimitus inducitur *κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος*. Tibullus Bacchum corymbis ornatum ita alloquitur: (*o*)

Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus Osiri,
Sed chorus, & cunctus lenis, & aptus amor;
Sed varii flores, & frons redimita corymbis.

De pampinea Bacchi corona Horatius:

Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

Quibus coronis, a Baccho inventis, totum quoque ejus famulitium, & chorus condecoratur. Infra encarpos animalia quædam Leæna, Taurus, Caper, quæ sunt Baccho sacra, (*a*) non recto statu sunt, sed decumbunt; ut mortis, ac fati vim, omnia sternere, ac sibi subjicere ostendant. (*b*) Gallus vero gallinaceus escam avide depascitur; qui Soli sacer est, ac proinde Baccho, quem eumdem ac Solem esse ostendit Macrobius, his verbis: (*c*) *In sacris enim hæc religiosi arcani observatio tenetur; ut quum Sol in supero, id est, in diurno hemisphærio est, Apollo vocitetur: quum vero in infero, id est nocturno, Dionysus, qui est Liber pater habeatur.*

His oscillis Satyri, Fauni, ac Bacchantium positis super encarpos, qui veluti cymbas referunt, fortassis veteres transitum animarum ad Elysios designarunt; quas mirifice sertis, ac floribus delectari putarunt, ut ait Statius: (*d*)

Sertaque, & Elysios animæ substernere flores.

Poma quoque Elysios campos, sive Hesperidum hortos denotant. (*e*) Plutarchus animarum apud inferos statum describens, locum ubi habitabant, admodum similem esse dixit Bacchicis antris; sylvis, virore, herbis, variisque floribus ornatissimum. Proferam ejus verba: (*f*) *καὶ τὸν τόπον ἐν κύκλ, κατεῖχε Βακχεῖα, καὶ γέλως, καὶ πᾶσα μοῦσα, παιζόντων καὶ τερπομένων.* Ελεγε *δὲ ταύτῃ τὸν Διόνυσον εἰς θεοὺς ἀνελθεῖν, καὶ τὴν Σεμέλην ἀνάγειν. ὕστερον καλεῖσθαι δὲ λήθης τὸν τόπον.* Scilicet: *Locum vero circa, Bacchanal occupabat, & risus; & omnis elegantia ludentium, atque se oblectantium. Dicebat autem hac parte Bacchum ad Deos ascendisse, & Semelem postea adduxisse, vocari autem Lethes, hoc est, oblivionis locum.* Hinc facile ratio deduci potest cur tam frequenter in antiquis sepulcris Bacchanalia sculpta fuerint, Genii denique, qui hunc Sarcophagum ornant, & personas famulorum Bacchi deferunt super encarpis, duces, & comites sunt animarum ad Elysios, cum quibus variis in rebus, studiis, artibus, ac ludis, quibus dum viverent delectati fuerant, oblectari credebant. (*g*)

Huic Sarcophago duo alii admodum similes exstant Florentiæ; primus in Hortis Mediceis, in quo in angulis Genii encarpos sustinent, quatuor similiter personis, sive oscillis supra positis; quos item attollit in medio femina cum alis papilionaceis, quæ Psychen, sive Horarum unam repræsentat. Alter Sarcophagus, qui exstat in Ædibus D. Scipionis Marchionis Capponii, non quatuor, sed sex oscillis ornatur Bacchantium, Satyrorum, ac Faunorum; per quæ item, ut fabulabantur, animarum vehicula, & idola, & earundem ad Elysios transitus designabatur. (*h*) Bacchi quoque festa Dionysia, seu Liberalia oscillis celebrata ad purgationem animarum describit Virgilius. (*i*)

a Antiquar. Inscr. ex veteri editione, Romæ anno MDXXI. p. CV. a t. *b* In Miscell. Erud. Antiquit. p. 32. *c* Inscr. Antiquar. Urbium Etruriæ Par. I. p. 47. n. LXXXVII. *d* Vide Tristanum in Domitia Domitiani sorore Tom. I. p. 351. Fabrett. Inscr. Cap. III. p. 192. n. 448. & p. 194. Cap. X. p. 704. n. 24'. Gruter. DCCCCXXVIII. 5. MDXXIII. *e* Idyll. XXIII. *f* Hoc Fauni caput simile est Fauno, oleastro redimito, apud Cl. V. Stoskium Tab. XLIV. *g* Carm. Lib. II. Od. 18. *h* Isidorus lib. XIX. c. 30. Plinius lib. XXI. c. 3. Vide Carolum Paschalium de Coronis lib. II. cap. 12. & eruditissimum, clarissimumque Virum Jo: Antonium Ulpium in Observat. in Propertium lib. IV. Eleg. 6. v. 6. *i* Lib. IV. v. 232. *k* Vide Cl. V. Causeum in Museo Rom. Sect. I. Tab. 17. & Equitem Maffejum in Gemm. Ant. *l* Lib. II. *n* Lib. de Opil. Dei Cap. VII. *m* Plin. lib. XVII. c. 4. Ovid. lib. III. Fastor. *o* Lib. I. El. VII.

a Macrob. Saturnal. lib. I. c. 21. Virg. in Georg. lib. II. v. 385. *b* Vide Cl. Philippi Sen. Bonarrotii Observationes in Numism. m. mod. p. 141. 142. *c* Saturn. lib. I. c. 18. *d* Lib. V. Silvarum. *e* Ovidius Metamorph. lib. V. Fab. VIII. V. Fabr. Inscr. Ant. Cap. III. p. 161. 162. *f* De Sera Numinis vindicta, versus finem. *g* Virgilius Æneid. l. VI. v. 657. Vide Observationes in Numismata maximi moduli laudati Senatoris Bonarrotii p. XXVI. & 42. *h* Vide prælaudatum Senatorem Phil. Bonarrotium in Observ. in Numism. max. mod. p. 43. 46. 47. & in Vasa Vitrea Cœmeter. p. 6. & 184. Cl. V. Benedictum Averanium Diss. VI. in Livium. *i* Georg. Lib. II. v. 385. &c.

TABULA VIII.

Sarcophagus marmoreus, forma alteri superius descripto persimilis; striato opere, elegantibusque sculpturis, & emblematis perbelle ornatus. In medio rotundo stemmate, Uxoris, & Viri, adhuc viventium, in superstitum solamen, & vivacem posteritatis memoriam, (*a*) icones repræsentantur. (*b*) Læva positus Vir, barbatus, toga insignis; qui sinistra volumen tenet, admota dextera manu pectori, ut Uxori dextrorsum constitutæ, (*c*) quæ eum blande complectitur, amorem, & benevolentiam erga se suam ostendat.

Quam magno affectu conjuges sese dilexerint, summoque honore coluerint, satis superque liquet non solum ex vetustis sculpturis, verum etiam ex sepulcralibus epigramatis, & elogiis, quibus Viri, & Uxores mutuo se celebrant, & honorant; quæ quidem persæpe in uno lapide tam copiosa sunt, tantoque affectu expressa, ut, pæne dixerim, hyperbolica videri possint. Ea heic repetere minime opus est, quum in Scaligeriano luculentissimo Indice penes Gruterum Capite XIV. omnia relata fuerint, & postea a Fabretto Inscriptionum Antiquarum Capite IV. non parum aucta. Illud quoque in posteritatis exemplum notandum est, frequentius in inscriptis sepulcralibus Titulis, significari Conjuges simul vixisse sine lite, sine controversia, sine offensione, sine bile, sine querela, sine contentione &c. (*d*) Neque tantum post mortem conjuges laudibus sese ornabant, verum etiam se vivis; cujus rei exemplum esse potest Cicero, qui patria pulsus, in epistolis ad Terentiam uxorem suam, ac liberos, (*e*) eam dulcissimam, suavissimam, probissimam, fidelissimam, optatissimam, incredibili virtute, ac fortitudine præditam; denique lucem, ac vitam suam cum lacrymis appellat, & in ejus complexu se emori optare dicit. Plinius quoque Secundus mirifice Calpurniam uxorem suam prædicat in epistolis, & quanti ejus virtutes faciat, & quantopere eam diligat, ostendit. (*f*)

Prisco more, ut in aliis tum Christianorum, tum Ethnicorum monumentis, Conjux ad dexteram Viri est; qui tamen locus antiquitus, non ut hodie honoratior, sed minus dignus habebatur, præsertim cum lævam haberet aliquis majoris ordinis, ac dignitatis. (*g*) Sub stemmate, Uxorem, ac Virum defunctos, pallentes imagines, sive personæ repræsentant, ore immaniter hianti, terrifico, (*h*) & ad doloris atrocitatem exprimendam composito; quod mortuorum umbras apud inferos vociferari lacrymas fundere, & mœrore confici crederent. (*i*) Persona, sive umbra quæ Uxorem refert, calamistrata coma inducitur, quemadmodum matronæ, ac feminæ ornari solebant; (*k*) quæ autem Viro supposita est, eumque exprimit, velo ante ac retro pendulo tecta exhibetur; quo significatur mortuorum status, sub terra incolentium loca undique caligine, ac tenebris plena; quæ ita apposite descripsit Homerus: (*a*)

Ἔνθα δὲ κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμος τε πόλις τε,
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτούς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτινέσσιν,
Οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται,
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.
Illic autem Cimmeriorum virorum populusque civitasque
Caligine, & nebula cooperti: neque umquam ipsos
Sol lucidus superaspicit radiis,
Neque quando tendit ad cœlum stellatum,
Neque quando retro in terram a cœlo vertitur,
Sed nox exitialis involvit miseros homines

Hinc Tibullus velatam mortem inducit, ac terribilem facit: (*b*)

Jam veniet tenebris mors adoperta caput.

Græci communi usu sepulcrales lapides, ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΚΘΟΝΙΟΙΣ, idest; *Diis Subterraneis*, sive *Infernis* scribunt; Latini vero DIIS MANIBUS: quandoque etiam *Diis inferis*, sed raro, ut observat Fabrettus. (*c*)

Hæ defunctorum imagines, sive personæ ab Homero dicuntur (*d*) *εἴδωλα καμόντων idola*, sive *simulacra mortuorum*, & alibi (*e*) *νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα*; scilicet *mortuorum imbecilla capita*, & *species evanidæ*; quæ Tibullus Messalam laudans (*f*) *leves umbras* dixit; allatamque superius inferorum locorum descriptionem Homeri eleganter imitatus est; cujus versus non pigebit afferre:

Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Queis numquam candente dies apparuit ortu,
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit ut inferno Plutoni subdita regna,
Magna Deum proles levibus discurreret umbris.

Virgilius *umbras*, (*g*) & *imagines*, (*h*) & *simulacra* appellat; Ausonius *effigies*, alii *larvas*, *spectra*; (*i*) quibus Platonicorum sententia, animarum vehicula, & exuviæ symbolice denotantur, quæ apud Inferos, vel in Elysiis detinebantur, dum spiritus in Deorum superum consortio versaretur. (*k*)

Utrimque sculpti sunt horrentibus jubis leones, qui efferato, & immani rictu, duo animalia, capram, dextra parte, in qua est Uxor; aprum sinistra, in qua Vir conspicitur, humi strata, ac fusa unguibus apprehendunt, ac sibi subjiciunt, jam jam devoratura. In pluribus Sepulcrorum Sculpturis hoc modo visuntur leones diversi generis animalia prosternentes, avidoque ore discerpentes: quo symbolo veteres inexorabile fatum, mortisque vim, & imperium denotarunt; quibus omnia subjecta esse credebant. Nam mors, sicuti leo nemorum, & ferarum rex, omnia domat; ipsa vero indomita est, ut ait Horatius: (*l*)

Heu, heu, fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

Orcus etiam omnium devorator. Catull. Carm. III.

At vobis male sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis.

a Vide Plinium Sec. lib. 3. epist. 10. *b* Sequioribus sæculis, in vetustorum Monumentorum anaglyphis, & Mausoleis, quæ in Catholicorum Ecclesiis conspiciuntur, viri sanctitate, dignitate, doctrina, rebusque gestis illustres, frequentius non viventes, sed mortui, & jacentes repræsentantur; quamvis, sed raro apud nos, viventes flexis genibus super sepulcrum orantes, vel si clarissimi milites, ac duces fuerint equitantes, aut equo insidentes, quasi equestri statua exornati spectentur. *c* Apud Gruterum in urna marmorea pag. DCXC. 4. notatur effigies Juliæ secundæ filiæ, dextra sculptæ, læva vero, Corneliæ Tyches, matris ejusdem: notandum etiam in sepulcralibus Titulis, quos sibi viventes Conjuges ponunt, primo in loco positum Uxoris nomen, secundo Viri. Vide Gruter. DCCCCLXXXIV. 5. & DCCXCVI. 2. quod sexcentis aliis exemplis confirmari posset. *d* Vide quæ notavimus in Par. I. Antiq. Inscript. Urbium Etrur. pag 206. *e* Lib. XIV. Epist. ad Famil. Ed. Amstel. MDCLXXXXIII. cum Recensionibus, & Animadvers. Cl. V. Joannis Georgii Grævii. *f* Lib. IV. epist. 19. Lib. VI. ep. 7. Lib. VIII. ep. 5. Lib. VIII. epist. 11. *g* Id observavit in Vasa Vitrea Cœmeter. pag. 146. 160. Cl. V. Phil. Sen. Bonarrotius. *h* Juv. Sat. V. *i* Vide Homerum in Odyss. lib. XI. pluribus in locis. *k* Vide Cl. V. Laurentium Pignorium de Servis p. 193. 194. 195.

a In Odyss. lib. XI. v. 14. *b* Lib. I. El. v. 84. *c* Inscr. Ant. Cap. II. p. 86. *d* Odyss. lib. XXIII. v. 14. Odyss. lib. XI. v. 29. *e* Lib. IV. Eleg. I. v. 68. *f* Æneid. Lib. IV. v. 386. *g* Ibidem v. 654. *h* Plinius in Epist. 27. Lib. VII. Vide Cl. V. Benedictum Averanium Dissert. LXXXIV. in Anthol. *k* Vide Plat. in Phæd. Marsil. Ficin. lib. IX. Theol. c. 3. & Lib. XV. c. 1. & c. 12. Lib. XVIII. c. 4. Vide Cl. V. Philippum Sen. Bonarrotium in Observ. in Numism. max. mod. p. 42. 43. & in Vasa Vitr. Cœmet. p. 6. & 184. qui multa affert auctorum testimonia, & laudatum Bened. Averanium Diss. XXVI. in Virg. n. 7. *l* Carm. Lib. II. Od. 14. V. Fabrett. Inscr. Antiquar. Cap. III. p. 87. 88.

Leones quoque Sepulcris appositi ad morbi vim, & malignitatem denotandam; quod, ut ait Artemidorus, (*a*) morbus eæ feræ ad modum similis sit, adeoque hominis vires prosternat, & domet. Decumbunt præterea, & accubant sub leonibus animalia, ut defunctorum in Sepulcris jacentium statum significent; quare apud Virgilium: (*b*)

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris.

TABULA IX. Lit. A.

Sarcophagus marmoreus, utrimque strigibus eleganter ornatus, cum Viri imagine posita in medio rotundo stemmate. Viri caput, ut in pluribus monumentorum anaglyphis, nullis lineamentis expressum est, sed prima rudi sculptura inchoatum; quod ab antiquis sculptoribus interdum consulto fiebat, ut postea, emptorum genio, ejus viri seu feminæ effigiem, qui in eo sepulcro recondi debebat, suprema accedente manu, longe simillimam exprimerent. Id etiam observatur in alio eximio Sarcophago hujus Columbarii, quem exhibemus in hac Tab. lit. B. in quo Meleagri, & Atalantæ capita ruditer sculpta sunt, nullaque effigie donata; propterea quod post mortem effigiem suam in Deorum simulacris, ut Diis similes viderentur, exprimi vellent; (*c*) quem morem privatæ personæ fortassis ab Imperatoribus accepere, qui suas imagines cum Deorum simulacris venerandas proponere consueverunt, ut veluti quædam præsentia Numina haberentur, & colerentur. Mirifice, & eleganter id expressit Horatius Augustum alloquens: (*d*)

—— alteris
Te mensis adhibet Deum!
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris, & Laribus tuum
Miscet Numen.

Exertam habet dexteram manum e pallio, tribus digitis eminentibus, duobus infimis conclusis; quem gestum facere solebant veteres, quum se salutabant, & bona feliciter adprecabantur. (*e*) Hoc quoque modo sculpta defunctorum simulacra, ut mortalibus ante sepulcrum prætereuntibus, faustisque acclamationibus quæ in sexcentis vetustis Tabulis expressæ sunt, mortuos salutantibus, omnia bona se illis optare, & resalutare declararent.

Sub stemmate duo copiæ cornua decussata, vittisque religata conspiciuntur; quæ quidem frequentius in Urnis, & Sarcophagis variis frugibus, & multiplici florum luxu implentur, ut Elysiorum beatitudinem, & felicitatem significent; (*f*) verum in hoc Sarcophago puris collabsis foliis ornantur, pinea nuce in medio conspicua; quæ luctus, ac mœroris feralia signa habentur. Nam pinus, quemadmodum & cupressus, tarde crescunt, & semel excisæ non regerminant, nec reviviscunt; quare apud veteres, inter funestas arbores fuere, & in funeris pompa adhibitæ. In pereleganti marmore Sarcophago, qui exstat Florentiæ in Ædibus Nobilis Viri D. Alamanni Minerbetti, utrimque in extremis partibus apparent leones, quos pueri, seu servuli rustica veste recinti regunt, umbrante eos pinu, nucibus inter ramos referta. Marmoream quadratam urnam dedimus (*g*) ex Museo Nobilium DD. Cerretaniorum, in qua in angulis super tripodes repositæ sunt pineæ nuces, lugubri prorsus significatione; quod eximii vasis fictilis aliorumque veterum monumentorum testimonio ostendit Fabrettus; (*a*) qui etiam observat, in inscriptione GAVII in Roma Subterranea apud Aringhium, (*b*) in Christianis quoque Sepulcris retentam fuisse ex Gentilitate pineæ allusionem ad funebria. Folia in his copiæ cornibus expressa humanæ vitæ brevitatem indicare possunt, Homeri quoque Poetarum sapientissimi testimonio, (*c*) qui homines, quod caduco, & causario corpore utantur, foliis comparat.

TABULA IX. Lit. B.

Sarcophagus marmoreus, elaboratis utrimque strigibus, variisque eximiis simulacris elegantissime ornatus. In medio Sepulcri loculo, sive ædicula visitur Meleager sacrificans, reducta in sinistrum humerum chlamyde, quam in dextro fibula subnectit; læva manu venabulum, lato ferro, inversum tenet; dextra invergit pateram, & libamina fundit super ignitam aram rotundam; ut ostendat se Diis inferis sacrum facere. Ad pedes juxta aram jacet Calydonii apri recisum caput. Adstat post ἐνυάλιον *martium* Meleagrum, πωκλυτὴ συμβόλος *generosa, apri interfectrix* Atalanta, ut ait Oppianus, (*d*) veste alte recincta, nodatis supra caput crinibus, ac pendente ab humeris pharetra, quæ Meleagri dexterum, & sinistrum humerum amplectitur, vel potius summa vi cohibet, quasi a sacrificio revocare velit, ut sibi faciendum vindicet; nam, teste Pausania, (*e*) omnium prima immanem efferatamque belluam sagittis confixit, ejusque capite, & pelle, virtutis ergo, donata fuit; quamvis (semper enim virtutis comes est invidia) hanc gloriam sibi tribuat Meleager apud Ovidium, (*f*) qui Atalantam ita alloquitur:

—— sume mei spolium, Nonacria, juris,
Dixit, & in partem veniet mea gloria tecum.

Meleagro invergenti libamina in ignitam aram assistit adolescens amictus chlamyde; unus, ut arbitror, ex lectissima illa Heroum manu, qui cum eo in venationem profecti sunt, ut immanem belluam, omnem regionem, Dianæ jussu, late vastantem strenue interficerent. Narrat Pausanias, (*g*) post Atalantam, & Meleagrum, Theseum expressum fuisse ex una parte in antica Templi Aleæ Minervæ, apud Tegeates; in qua exhibita fuerat apri Calydonii venatio: quare Theseum hac juvenis figura repræsentari facile crederem.

Sepulcri extrema ornantur simulacris Castoris, & Pollucis, qui tenent venabula lato ferro, & gladium cum vagina elatum. Bene comati sunt, tecto capite rotundo pileo, pineæ nucis instar reticulato, ovumque in medio sectum referente, e quo, ut canit Ovidius: (*h*)

Tindaridæ gemini præstantes, cæstibus alter,
Alter equo ——

ex Leda nati finguntur. Ipsi quoque Meleagrum comitati sunt in venatione Calydonii apri ferocissimi; (*i*) hinc etiam chlamyde insigniuntur, quam fibula in humeris subnectit; quæ vestis pro-

a Lib. II. c. 12. & 59. *b* Æneid. Lib. I. v. 546. & Lib. V. vers. 371. *c* Vide Sponium in Miscell. Sect. I. Art. IV. pag. 13. *d* Carm. lib. IV. Od. 5. *e* V. Philippum Senatorem Bonarrotium in Observ. in Vasa Vitr. Cœmeter. pag. 81. 82. *f* Horatius Carm. lib. IV. Od. ult. *g* Inscr. Ant. Etruriæ Urbium Par. I. pag. 267.

a Inscr. Ant. Cap. VI. pag. 492. *b* Tom. II. pag. 176. *c* Iliad. lib. VI. *d* Cyneg. lib. II. v. 23. & 17. *e* In Arcad. lib. VIII. c. 45. pag. mihi 693. *f* Metamorph. lib. VIII. Fab. 4. *g* In Arcad. lib. VIII. c. 45. *h* Ovid. Metamorph. Lib. VIII. Fab. 4. v. 301. *i* Vide Ovidium ibidem, & Pausaniam in Arcad. Lib. VIII. c. 45.

pria erat non militarium hominum tantum, eorumque qui peregrinationi se dabant, ad injurias cœli depellendas; sed venatorum quoque; quod, præter vetustorum marmorum auctoritatem, diserte docet Virgilius; qui, ut observavit doctissimus Petrus Victorius, *(a)* Didonem describens in venationem proficiscentem, ornatam rebus omnibus, quas tempus illud postulabat, chlamydem etiam gerentem finxit, cecinitque: *(b)*

Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Hanc vestem, quum venarentur, in humeros rejiciebant, ut expeditiores essent; & ita cum chlamyde in humeros rejecta Meleagrum describit Philostratus.

Meleagri fabula, utpote feralis, recte Sepulcris aptatur. *(c)* Gemini quoque fratres Castor, & Pollux non in hoc tantum Sarcophago, verum etiam in pluribus aliis sculpti sunt, ut rerum humanarum vicissitudinem significent, ut docet Homerus: *(d)*

Οἱ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ᾽ ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Τεθνᾶσιν, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσιν.

Qui & sub terra honorem ab Jove habentes
Alias vivunt alternis diebus renascentes, alias rursus
Moriuntur, honorem vero sortiti æqualem Diis.

De inferiis quæ Diis Manibus fiebant, nonnulla infra subjiciam. Illud præterea observandum est, in medio hujus Sarcophagi emblemate, flammam ignis in ara accensi, non erecte in altum uno apice assurgere, quemadmodum visitur in pluribus Numis, & vetustis Anaglyphis, quæ exhibent sacrificia superum, & immortalium Deorum; sed in varias partes tortuose extra aram scindi; fortassis vel quia sacrum fit Diis Inferis, vel quia Atalanta Meleagrum a sacro revocare studet, utpote primum a se faciendum, quæ prima aprum interfecit. Id etiam observavi in marmoreo Sarcophago Florentiæ, qui feralem Proserpinæ raptum exhibet, quem impedire vult Minerva; & visitur ara ignita, flammis extra eam undantibus, & in diversa abeuntibus; quod veteres infelicitatis, malique ominis indicium credebant; contra vero optime se litasse existimabant, si recte flamma uno apice in altum assurgeret, quod inter exilii ærumnas optabat Ovidius: *(e)*

Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara,
Detque bonum voto lucidus omen apex.

TABULA X. Lit. A.

Sarcophagus marmoreus, columnis ordinis Corinthii, ac strigibus perpulchre ornatus. In medio pereleganter sculpta janua semiaperta, quæ ostium sepulcri, adeoque ipsum sepulcrum designat. Sarcophagum Tibullus appellavit *marmoream domum*. *(f)* Ethnici Sepulcrum dixere *domum æternam*; *(g)* quod in his defuncti, æternum moraturi, detinendi essent. Christiani quoque *domum æternam*, οἶκον αἰῶνος, *domum æternitatis*, *domum sæculi* nuncuparunt, ut in vetustis inscriptionibus legitur, *(a)* sed longe alio sensu; pro æterna scilicet domo intelligentes futurum, & infinita sæcula duraturum beatorum statum. *(b)* Janua, ut in pluribus aliis Sarcophagorum anaglyphis cernitur, semiaperta est, ut defuncti animæ transitum ad Elysios ostendat; quod clarissime apparet in Florentino pereleganti marmoreo Sarcophago, in quo janua sepulcri in medio semiaperta est, e qua egreditur Mercurius, petasatus, cum caduceo, & marsupio, animam defuncti asportaturus, ac deducturus ad Elysios. *(c)* Etrusci quoque januam in defunctorum sepulcris effinxere, ut ostium sepulcri designarent; quæ tamen non reserata, sed clausa conspicitur in aliquot jam editis monumentis in præclaro Dempsteriano Opere. *(d)*

Januæ fores, quas ornatissimas fuisse apud veteres compertum est, *(e)* in superiori loculorum ordine Gorgonum, in inferiori Leonum capitibus insigniuntur; quæ in sepulcris frequenter occurrunt, quod feralia sint ornamenta. Originem moris statuendi Leones in sepulcris ab Hercule ductam Hephæstion apud Photium tradit. *(f)* Nam quum Hercules Nemeæum Leonem strangularet, Leo dentibus ipsi digitum amputavit, qui Lacedæmone sepultus est, addito super id sepulcrum Leone; ex eo ferunt institutum, ut Leonibus monumenta ornarentur. De Gorgoneis capitibus in Urnis, ac Sarcophagis frequenter insculpi solitis, nonnulla inferius dicemus, quum Tabulam XI. observabimus. In Pisano marmoreo Sarcophago *(g)* sculpta quoque est janua sepulcri; in qua cum in superiori, tum in inferiori forium loculamento Genii cum facibus visuntur; animarum, ut diximus, comites ad Elysios. In anaglypho Musei Suburbani Villæ Stroziæ, quod vulgavimus *(h)* in foribus sepulcralis januæ sculptæ sunt urnulæ, quæ vitæ, & mortis vicissitudines denotant; unde Horatius: *(i)*

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna: serius ocyus
Sors exitura; & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Utrimque in januæ fastigio, in defuncti adulationem, & pompam statuti elata fronte equi marini, quibus defunctorum animas ad Elysios per Oceanum deduci credebant, ut mox dicemus ad Tabulam XIII. A. Tympanum ornatur corolla myrtea, seu foliacea, circumfluentibus tæniolis revincta; nam solebant veteres sepulcra floribus spargere, & coronare. *(k)*

Illud quoque præterea observandum est, ut in aliis Sarcophagis, januam hujus Sepulcri, juxta veterem consuetudinem, extrinsecus reclusam esse. Quum enim domo egrederentur, solebant ædium fores, non ut nos introrsum trahendo, sed in publicam viam pellendo aperire; quare ne quispiam qui præteriret, aut pro foribus staret,

a Var. Lect. Lib. II. c. 21. *b* Æneid. Lib. IV. v. 136. *c* Vide Macrobium Saturnal. Lib. I. c. 21. & marmoream aram cum Inscriptione apud Gruterum p. DCXXIV. 1. *d* Odyss. Lib. XI. v. 301. *e* De Ponto lib. IV. Eleg. 9. Vide Jo: Saubertum de Sacrificiis Veterum cap. XVI. *f* Tib. III. Eleg. 2. v. 22. *g* Vide Inscriptiones quas affert Fabrettus Cap. II. pag. 113. 114. & Cap. X. pag. 749. n. 562.

a Apud Fabrettum loco suprascripto. Vide Reinesium Cl. XIV. n. 16. *b* Consule Thomam Reinesium, & Fabrettum, ibidem. *c* Vide Lucianum in Mortuorum Dialogis, Pausaniam in Arcadicis. Petronium Satyr. c. 100. Virgilium Æneid. lib. IV. Horatium Carm. lib. 1. Od. 10. *d* De Etruria Regali Tom. 1. Tab. LXXIII. *e* V. Præfationem ad Observationes Sen. Bonarrotii in Numism. max. mod. pag. XX. *f* Photius in Bibliotheca n. 190. de Ptolem. Hephæst. Vide Bened. Averanium Dissert. XXXII. in Antholog. n. 10. *g* In Theatro Basilicæ Pisanæ in Vet. Sepulcr. n. 9. *h* Inscriptionum Antiquarum Urbium Etrur. Par. 1. pag. 428. *i* Carm. Lib. II. Od. III. *k* Vide Kirchmannum de Funer. Roman. Lib. IV. cap. 3.

ab impulsa janua pelleretur, solebant antequam aperirent, crepitu intus indicare, ut ii qui foris erant sibi caverent. Hinc apud Comicos Poetas frequenter legitur *foris crepit*, dum quis domo egressurus est; quod observavit vir doctissimus Muretus Variarum Lectionum Lib. I. c. 17.

TABULA X. *Lit. B.*

Sarcophagi læva parte perfracti frontem elegantissimam exhibemus; striato opere, columnisque Dorici ordinis, utrimque in extremis partibus ornatam. In stemmate medio sculpta est imago adolescentis prætexta, & pallio induti, cum volumine in dextra manu. Sub stemmate Sepulcri emblema appositum; videlicet Leda Tyndari filia, Laconiæ Regis uxor decumbens, in cujus sinum prope arborem convolavit Juppiter in cycnum conversus; qui, ut ait Ovidius, (*a*)

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.

Gemina ova cum postea peperisset, ex uno Pollux, & Helena, ex altero Castor, & Clytæmnestra orti finguntur; quorum simulacra, ut supra diximus, defunctorum ornant monumenta, quod rerum humanarum vicissitudinis, vitæ mortisque sint symbola; quæ Leda quoque eorumdem mater referre potest; quam post mortem Nemesim vocatam esse dicit Lactantius, (*b*) creditamque non pati cujusquam felicitatem perpetuam, ac sempiternam esse. Sepulcralem lucernam ornatam cycnorum capitibus, & Ledæ protome exhibuit Vir Cl. Michael Causeus in Museo Romano Tab. VII. Sect. IV. pag. 95.

TABULA XI.

Observatis integris Sarcophagis, anaglyphicis operibus, & sigillis eleganter ornatis, quibus veterum ritus, fabulæ, mores, religio, & opiniones circa defunctos luculenter illustrari possunt; superest ut nonnulla insignia Sarcophagorum Fragmenta, in hac Tabula, & in sequentibus, eruditorum conspectu penitus non indigna, explicemus; quæ quidem (quod silentio prætereundum non est) superiorum temporum clade, ac fato, in ipsa Columbarii detectione, tam misere labefactata reperta sunt.

In primo Fragmento litera B. exposito, duo jugales equi, veloces auras cursu anteuntes exhibentur; qui indicant pro Sarcophagi emblemate sculptos fuisse vel Circenses ludos, quibus non raro ornantur sepulcra; vel funebres Bigarum decursiones; quæ certamina in honorem defunctorum celebrari solebant; ut in Patrocli, ac Menelai funere apud Homerum; quæ etiam conspiciuntur in anaglypha Tabella Homeri Iliadem referente apud Fabrettum, numero 69. ubi notat cum in Circensibus ludis, tum in Bigarum decursionibus equos a dextra versus lævam circumagi solitos.

Observanda sunt ornamenta equi dextra parte currentis, lunula, & tintinnabula, quæ e pectorali fascia seu loro pendent, veluti e monili; quo nomine veniunt apud Virgilium, qui ex Homero describens equos a Latino Rege Æneæ Oratoribus dono datos, ait: (*c*)

Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Ipsa pectoralia equorum lora a suspensis lunulis *lunata* appellata fuisse, Papinii aliorumque veterum Poetarum testimonio, probat Fabrettus de Columna Trajani. (*a*) Lunulas inter alia feminarum ornamenta recenset Isaias cap. III. v. 18. Verum tintinnabula non ad ornatum solum equis data puto, sed etiam in velocioris effusiorisque cursus incitamentum, ut acrius perarguto tinnitu excitarentur; quemadmodum & hodie fit, appositis perstreperis orichalci bracteis in equis cursoribus in Florentino Stadio. Phaleras, & frena equorum culta olim apud veteres Romanos fuisse observat Phavorinus ab Johanne Scheffero relatus in eruditissimo Opere de Re Vehiculari Veterum Lib. I. Cap. 13. Κώδονας, ait Phavorinus, ἐν ταῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων οἱ στρατηγοὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς εἶχον, ὥσπερ καὶ νῦν. Κωδωνοφαλαροπώλους λέγει Ἀριστοφάνης τοὺς χρωμένους κώδωσι. Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁμοίως, ὅπερ ἐγὼ Βαρῖνος πολλάκις ἑώρακα. *Tintinnabula in phaleris, & frenis equorum milites apud veteres habuere, sicut nunc quoque.* Codonophalaropolus, *id est*, Codonophalaropullos, *equos cum phaleris tintinnabula habentibus memorat Aristophanes de iis, qui usurpant.* (*b*) *Simile quid & Romanis usitatum, sicut ego Varinus conspexi.* Appensa quoque tintinnabula ad utramque maxillam narrat Diodorus Lib. XVIII. agens de mulis in curru Alexandri, καὶ παρ' ἑκάτερον τῶν σιαγόνων εἶχεν ἐξηρτημένον κώδωνα χρυσοῦν, *& ad utramque maxillam habebant appensum tintinnabulum ex auro.* Ceterum dossuaria jumenta, & boves tintinnabulum, quemadmodum & hodie, collo appensum habebant. (*c*)

Sequitur marmorei Sarcophagi eleganter striati fragmentum in eadem Tabula lit. C. quod præfert Gorgonis horrificum caput alatum, truci obtutu, obrigentibus in fronte capillis, assurgentibus binis anguibus, caudis in nodum sub mento religatis; quo veteres defunctorum quoque sepulcra, urnas, & aras frequenter muniebant contra violatores; in eoque, veluti favorabili amuleto, inesse vim quamdam ad abigenda pericula, & ad securitatem præstandam putabant. Virgilius cum aliis ferarum monstris Gorgonas custodes in Orci foribus constituit, Æneidum Libro VI. v. 289. quo in loco notat Servius sequentes hos versus a Poeta relictos, ab ejus emendatoribus sublatos fuisse:

Gorgonis in medio portentum immane Medusæ,
Vipereæ circum ora comæ, cui sibila torquent,
Infamesque rigent oculi, mentoque sub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

TABULA XII.

In Fragmento extremæ partis dextræ marmorei Sarcophagi lit. C. Faunus nebride indutus conspicitur, læva manu tenens, & in humero ferens puerum Liberum Patrem Nymphis nutriendum, ut in Hymnis Homeri, qui Orpheo tribuuntur, & apud Pausaniam, (*d*) & Ovidium; (*e*) dextra brevem thyrsum gerit, cum duplici cuspide tecta hederaceis superpositis foliis. Ad pedes decum-

a Metamorph. Lib. VI. *b* De falsa Relig. Lib. I. cap. 21. Vide Benedicti Averanii Dissert. XVI. in Euripidem. n. 3. & Dissert. [illegible] in eumdem Euripidem [illegible] *c* Æneid. Lib. VII. v. 276.

a Cap. VII. pag. 221. item pag. 259. & ad Tab. Iliadis pag. 340. quem vide. *b* Aristophanes in Ranis, quem locum ibidem affert Schefferus. *c* Idem Schefferus de Re Vehic. Lib. II. c. 2. Vide Observationes in Vasa Vitrea Cœmeter. pag. 73. *d* In Laconicis c. 24. *e* Metamorph. Lib. III. Fabula 3.

bit ejus comes Panthera, quæ vini amiciſſima eſt, & in Bacchi tutela. Plinius Lib. XXXVI. cap. 5. præſtantium ſtatuariorum opera deſcribens, & enumerans, Liberum patrem Veneri delatum a Satyris dicit: *Multa in eadem ſchola ſine auctoribus placent. Satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem palla velatum Veneri præfert; alter Liberam ſimiliter: tertius ploratum infantis cohibet, quartus cratere alterius ſitim ſedat; duæq; Nymphæ velificantes ſua veſte.* (*a*) In elegantiſſimo marmoreo Vaſe, quod Cajetæ cernitur, Salpionis Athenienſis opus, (*b*) ſculptus eſt Bacchus infans, qui affertur a Mercurio educandus Leucotheæ materteræ, quæ primum ubera puero dedit; quem comitantur Nymphæ, & Fauni plaudentes, tympani, ac tibiarum ſono.

Aliud Fragmentum extremæ partis ſiniſtræ marmorei Sarcophagi lit. D. exhibet Baccham cymbaliſtriam ſaltantem, Bacchico furore percitam, Liberi Patris Orgia celebrantem effuſis crinibus, & oblonga veſte alte ſuccinctam. Ænea cymbala pulſat utraque manu, nudiſque brachiis, ut aera aere vehementius repellere poſſit. (*c*)

TABULA XIII.

Frons marmorei Sarcophagi lit. A. non leviter fracta, ornata in medio ſtemmate adoleſcentis imagine, quem defunctum comitantur, & ad Elyſios per Oceanum ducunt Tritones monſtroſo corpore, quibus inſident Nereides. Addita quoque alia marina Numina, & Nymphæ; quarum quæ conſpicitur lyram plectro pulſat. In Suburbano Magni Ducis Etruriæ (*d*) exſtat anaglyphum marmorei Sarcophagi obſervatione dignum, in quo Nymphæ defunctum magna pompa, ac plauſu ad Elyſios deducentes tympana pulſant, & myſticam ciſtam, veluti in Bacchi Orgiis, deferunt, luſitantibus hinc inde Geniis. Pervulgata veterum fuit opinio poſt mortem animas per Oceanum deferri ad Elyſios, quod etiam expreſſe dixit Homerus, eorumdem locorum felicitatem deſcribens: (*e*)

Τῇ περ ῥηίστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
Ου νιφετὸς, οὔτ᾽ ἂρ χειμὼν πούς, οὔτε ποτ᾽ ὄμβρος
Ἀλλ αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

Ubi facillima vita eſt hominibus,
Non nix, neque hyems multa, neque unquam imber;
Sed ſemper Zephyri ſtridule ſpirantes auras.
Oceanus mittit ad refrigerandum homines.

Sequitur lit. B. valde inſigne Fragmentum anaglyphi Sarcophagi e marmore, quod multa diligentia ex archetypo delineatum eſt, & ab interitu, & oblivione vindicatum. Vehiculi quoddam genus exhibet, quod plauſtrum eſſe cum forma, tum rotæ teſtantur. Non parum differt ab antiquo plauſtro, quod Romæ viſitur in veteri Monumento in Ædibus Barberinis, quod olim Lucas Pætus edidit, (*f*) & Schefferus luculenter illuſtravit in laudato Opere de Re Vehiculari Veterum. (*g*) Trahitur ab juvencis effuſe currentibus, quos curſu proſequitur canis ornata torque, ſeu monili. Poſt rotam viſitur adoleſcens brevi recinctus veſte, quæ ruſticis convenit. Plauſtro incumbit arcera, in arcæ modum conſtructa, ligneis, ut ita dicam, parietibus circumſepta. Intus repoſitæ vimineæ tres ciſtæ, quarum capita eminent, & conſpiciuntur.

Duo inſuper notanda ſunt, obſervatione digna, in hoc eximio monumento; rotarum ſtructura, & jugi collo boum cum loris inſerti figura. Rotæ tympanum e tribus ligneis tabulis ſimul conſertis, & conjunctis conſtat; tranſverſis ferreis, ut puto, clathris, ſeu laminis firmatum. Schefferus (*a*) tranſverſis aſſeribus rotas firmatas aſſerit. Hæ rotæ quia differunt ab illis quæ radiatæ dicuntur a Probo, tympana vocata fuere, quod tympanum repræſentent; quorum meminit Virgilius: (*b*)

Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plauſtris.

Servius in hunc locum, tympana, *tecta vehiculorum* interpretatus eſt; quem erroris arguit Schefferus, qui ait, plauſtra ruſtica, & oneribus geſtandis facta, tecta minime habuiſſe. Verum hodie apud nos velis operiri ſolent, præſertim æſtate, ad arcendos maximos æſtus, & imbrium injurias in autumno. Plauſtrum vero Monumenti Barberini quod illuſtrat Schefferus, non ruſticum, ſed venatorium eſt; quippe impoſitis feris, & præda onuſtum; quod etiam arguit venatica canis odorans. Schema venatorii plauſtri nuper vulgavimus in Prima Parte Antiquarum Inſcriptionum Urbium Etruriæ pag. 119. ex anaglypho marmoreo Regii Muſei Medicei; in quo tamen rotæ non ex pluribus tabulis conſtant, ſed ex integra lignea tabula. In rotis hujus noſtri monumenti notandus quoque eminens in axe modiolus, in quo canthus ferreus infertus eſt; quibus indicatur ſolas rotas circumagi potuiſſe. Schefferus, quia axis rotarum monumenti Barberini plane quadratus eſt, neceſſarium fuiſſe fidenter aſſerit cum rota circumagi. (*c*)

Alterum, quod notari volo, eſt jugum valde diverſum ab edito ſchemate monumenti Barberini, & ab eo ex Ædibus Fr. Porcii deſumto, (*d*) & ex Columna Trajani (*e*) in quo jugi extrema capita anſerculi ſculpta effigie ornantur. Non enim deorſum, ſed ſurſum incurvum eſt; nec lora extra ex ſummis capitibus pendent acicula religata; ſed ſupra bovis caput nexa ſunt, & jugo circumvoluta; ex quibus argui poteſt lora majora ſimul cum jugo boum capitibus inſerta, & impoſita fuiſſe.

Duo Genii, quorum unus Mortem, alter Somnum repræſentare videntur, (*f*) ſculpti ſunt in angulis, qui ſuperſunt, hujus marmorei Sarcophagi, lit. C. Frequenter in pluribus Sepulcris eodem ſtatu occurrunt, mœrentes, quaſſis inverſiſque facibus innixi; qui præterea hic ferales laneas corollas collabſis manibus tenent. Faces in terram verſæ ut extinguantur, animam quoque e corpore migraſſe denotare poſſunt. (*g*) Coronæ funebria dona ſuper Sepulcra defunctorum ponebantur, hiſque decorabantur. (*h*) Laneæ quidem corollæ valde erant in pretio, e lanæ flo-

a V. Oppianum Cyneget. Lib. IV. Pantheram Bacchus inequitat in Num. max. m. apud Cl. V. Vaillantium pag. 21.
b Edidit Sponius in Miſcell. Sect. II. pag. 25. *c* Vide laudatum Sponium in Miſcellaneis Sect. I. Art. VI. pag. 21.
d Quod dicitur *Villa a Caſtello*. *e* Odyſſ. Lib. IV. verſ. 565.
f de Ponderib. & Menſuris Rom. *g* Lib. I. cap. 6. pag. 45. Lib. I. cap. II. pag. 125. & Lib. II. cap. 20. pag. 270. & pluribus in locis.

a Lib. I. cap. 6. *b* Georg. Lib. II. v. 444. *c* Lib. I. c. 6. pag. 45. *d* Exhibet Schefferus Lib. I. cap. 7. pag. 77.
e Idem Schefferus Lib. I. cap. II. pag. 118. & pag. 122.
f Conſule Cl. V. Philippum Senatorem Bonarrotium in Vaſa Vitrea Cœmeter. pag. 186. & 187. qui de his fuſius, & erudite. *g* Cuperus in Apoth. Homeri pag. mihi 178. *h* Propertium vide lib. III. El. 14. v. 23. & Kirchmannum de Funer. Rom. Lib. I. c. II.

re confectæ; quales deſcribuntur a Pindaro: (a) Ὑψηλᾶν ἀρετᾶν, ϗ στεφάνων ἄωτον γλυκύν, τῶν Ὀλυμπίᾳ.

Dormientes, ac ſuper facem quieſcentes in Sepulcris Genii effinguntur, quod inter Somnum ac Mortem tanta ſit ſimilitudo, ut alterum pro altero uſurpetur. Hinc plures ſepulcrales Tituli inſcripti ſunt, SOMNO ÆTERNALI. (b) SOMNO SEPVLCHRO AETERNALI SACRVM. (c) In Florentino vetuſto lapide: (d) SOMNO PERPETOALI. In alio apud Fabrettum, (e) SOMNO AETERNALI. QVIETI. AETERNAE. Vetus Tabula marmorea, quam Romæ exſtare dicit Reineſius (f) dicata eſt GENIO AETERNALI; quo nil aliud quam ipſa Mors denotatur; quam ne pronuntiarent quidem maxime cavebant veteres. (g) Catullus: (h)

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Homerus (i) χάλκεον ὕπνον, *ferreum ſomnum* mortem dixit; quem imitatus eſt Virgilius: (k)

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.

In altero quod ſequitur lit. E. marmorei Sepulcri Fragmento Gymnicorum adoleſcentium certamina, pro emblemate, ſculpta fuiſſe manifeſtum eſt; quorum capita ſolummodo apparent; & quod obſervatu dignum eſt, truncum manibus, ac pedibus ſimulacrum quadrangula forma, quod Herma dicebatur, juvenili & ipſe pulcherrima ſpecie decorus; gymnicis adoleſcentibus certantibus valde ſimilis; eratque Palæſtrarum & Gymnaſiorum præcipuum ornamentum, & ipſorum Athletarum Genius Deus. In eo marmoreo ſimulacro ſolebant ſtatui præmia, imponi coronæ, infigi palmæ, quemadmodum in hoc conſpicitur; in quo binæ palmæ victorum præmia propoſitæ ſunt, & elatæ, ut ab certantibus videri poſſent; quæ etiam ipſos acrius ad invictum animi robur effundendum, & victoriæ laudem conſequendam accendere poſſent; quod ab Ænea dum gymnicos ludos in honorem defuncti Anchiſis celebraret factum fuiſſe teſtatur Virgilius, propoſitis ante Athletarum oculos præmiis. (l)

Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio ſacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti aurique talentum.

In anaglypho Sarcophagi quondam Romæ in Hortis Carpenſibus, quod edidit Sponius in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis (m) cum certantibus pueris Herma primus omnium ſculptus eſt ſine palmis. In eo ludentes pueri caput habent non nudum, ut noſtri, ſed loris, ut arbitror, circumquaque revinctum. Quod autem Athletæ loris tranſverſis caput ſibi munirent, veterum ſcriptorum teſtimonio certum eſt; idque confirmat inſignis Athletæ protome e marmore, quæ viſitur Florentiæ in Muſeo DD. Marchionum Nicoliniorum, cujus caput eo modo tranſverſis loris circumligatum eſt.

Hermarum item ſimulacra non ſolum in delubris, ædium veſtibulis, in villis, in compitis, in agrorum limitibus, in balneis, in Palæſtris, in Xyſtis, ac Gymnaſiis veluti tutelaria numina ſtatuebantur, verum etiam Sepulcris apponebantur, ut in ſecundo de Legibus Tullius indicat.

Jucunda ſane ſunt hæc Sarcophagorum emblemata, in quibus, ut in hoc Fragmento, pueri ſeu genii gymnicis variis ludis ſe exercent; (a) interdum choreas agunt, floreas corollas nectunt, lyram plectro pulſant; (b) clypeos, ſcuta, caſſides, thoraces aliaque arma militaria interdum ſedulo fabricant; (c) ſæpiſſime Circenſes ludos edunt, & currus agitant; (d) venationis ſtudio, ac præda delectantur, (e) & bellica ſpolia geſtantes inducuntur. Putarunt ſiquidem, quæ etiam Platonicorum fuit ſententia, (f) animas a corpore ſejunctas in Elyſiis genio ſuo indulgere, iiſque rebus incumbere, & aſſidua cura ſtudere, quibus in humanis agentes operam dederant, ac valde delectatæ fuerant, quod ita expreſſit Virgilius: (g)

—— quæ gratia currum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitenteis
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

TABULA XIIII.

Marmoreum Sepulcrum exhibetur in hac Tabula, aliqua in parte non leviter fractum; in quo in tricliniari lecto ſuperne recumbit Vir, ſiniſtra vas fractum tenens, qui defunctum repræſentat C. Julium Bathyllum Auguſti Libertum, Æditum Templi Palatini Divi Auguſti, & Divæ Auguſtæ, immunem, & honoratum; ut colligitur ex inſcriptione, quam inferius, cum ceteris inciſis in his æreis Tabulis, explicabimus poſt Ollarum Titulos.

Hoc ſtatu frequentiſſime licet aſpicere in Etruſcis, (h) Græcis Romaniſque monumentis (i) defunctos in cenatoriis lectis molliter, ac genialiter recumbentes, & pateras dextra tenentes; quaſi feralium epularum, ſive parentalium, quæ ſtatis temporibus, ad eorum ſepulcra a propinquis afferri ſolebant, participes eſſent: vel ut eo typo forſitan indicarent mortuos in Elyſiis beatam vitam agere, & in quieta ſede inter delicias, & epulas eſſe conſtitutos.

Obſervatu dignum eſt hoc Sepulcrum tricliniaris lecti forma conſtructum, intus vacuum, ut defuncti cineres, & oſſa recondi poſſent; non ſuperne ut in aliis ſimilibus monumentis, ſed exinde remoto operculo inferius apertum, & poſtea clauſum marmorea tabula, quæ per quaſdam cavitates inſtar hirundinis caudæ, ut noſtri dicunt, educe-

a Olympic. Ode v. in princ. *b* Apud Reineſium Cl. xi. n. 72. 119. Fabrettum Inſcr. Antiquar. Cap. 1. pag. 84. n. 145. pag. 165. n. xxxi. pag. 182. n. 385. *c* Apud eumdem Reineſium Cl. xvii. n. 179. *d* Inſcriptionum Antiquarum Etruriæ Par. 1. pag. 173. n. 152. & 153. pag. 383. n. 139. *e* Inſcr. Ant. Cap. 1. pag. 53. n. 308. *f* Cl. 1. n. 293. *g* Vide Inſcr. Ant. Etr. Par. 1. pag. 297. n. 26. v. 10. *h* Carm. V. v. 6. *i* Iliad. Lib. xi. *k* Æneid. lib. x. verſ. 745. *l* Æneid. Lib. v. verſ. 109. *m* Sect. vi. pag. 228.

a Vide Fabrettum Inſcr. Antiquar. Cap. II. pag. 82. num. 121. & Cap. v. pag. 381. 382. 383. 384. *b* Apud Cl. V. Montfauconium Diar. Ital. Cap. xxviii. pag. 451. *c* In Par. 1. Inſcriptionum Antiquar. Urbium Etruriæ pag. xiii. *d* Apud laudatum Fabrettum de Columna Trajani Cap. vi. pag. 145. 147. *e* In Par. 1. Inſcr. Ant. Urbium Etruriæ pag. 119. *f* Plato in Gorg. Vide Cælium Lib. x. cap. 9. & Macrobium Lib. 1. cap. 9. in Som. Scipionis. *g* Æneid. Lib. vi. verſ. 653. quem locum vide. *h* Vide Dempſterum de Etruria Regali Tom. 1. Tab. lxxxvii. Tab. xxxvi. Tab. liii. Tab. liv. & ad Monumenta Etruſca eidem Operi addita Explicationes, & Conjecturas pag. 38. & 39. *i* Apud Gruterum dcccxliii. Vignolium Inſcr. Select. pag. 281. In Par. 1. Inſcr. Ant. Urb. Etruriæ pag. 81.

(*a*) educebatur, & inducebatur, quæ ex una parte indicantur litera A.

§. V.

SUſcepto operi conſentaneum eſſe videtur, ut expoſitis Sarcophagorum emblematis, ac ſimulacris, nonnulla elegantiora figlina Anaglypha obſervemus, quibus totam hujus Columbarii cameram ornatam fuiſſe compertum eſt; quæ quamvis haud leviter fracta ſint, tamen non omnino ſunt contemnenda, tum propter artificum, Auguſti ævo, in his operibus effingendis præſtantiam, tum propter varia ſymbola, quæ Sepulcris recte convenire veteres putarunt. Pleraque hæc Anaglypha quum inter ſe ſimilia ſint, & ſæpe in Sepulcrorum ornatu repetita occurrant, argui poteſt, ut Plinii verbis utar, (*b*) non prototypa, ſed ectypa dicenda eſſe, hoc eſt forma ad id parata, in ipſa argilla cruda impreſſa fuiſſe, & inde excocta.

Fragmentum quod primum producimus Tab. XIII. lit. D. Feminam refert alatam, ſoluto crine, & alte recinctam veſte; quæ fortaſſis vel Nemeſim Deam nimiæ hominum felicitati adverſam, vel Fortunam repræſentat; quæ ut ait Auſonius,

Semper movetur, variat, & mutat vices,
Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit;

cui alas dedere, (*c*) qualis etiam in variis Numiſmatis cernitur. Apud eumdem Auſonium Occaſio comis faciem tegit, quod cognoſci nolit; hic vero in ſincipite capillos nodo collectos gerit; ut indicetur, ni fallor, eam ex occaſione bene arrepta plerumque pendere. Ita quoque collecti nodo capilli in ſincipite obſervantur in Dianæ ſimulachris, in Apolline Muſei Farneſii, & in Gratiis in ſuperiori Sarcophago Tab. VI. Victoriam quoque fortaſſis referre poteſt, in Sepulcris apponi pingique ſolitam, ut videre eſt in camera Pyramidis C. Ceſtii apud Petrum Sanctem Bartoli; (*d*) ni tamen ſit Æternitas alarum remigio volitans, floream corollam, & diadema manibus tenens; quaſi his ornamentis defunctorum animas decorare velit, vel in Deorum numerum referre.

Fragmentum Tab. XVII. lit. D. Zophorum monſtris ornatum exhibet, ſupra quem feminam effictam fuiſſe, ea quæ ſuperſunt aperte indicant. Quæ a noſtris dicuntur *grotteſche*, (*e*) ab Vitruvio *monſtra* appellantur; quibus frequenter non ſolum Templa, quemadmodum ſcribit Pauſanias, (*f*) de Æde Dianæ Stymphaliæ, verum etiam Sepulcra ornari ſolebant; quum ſcilicet, ut ait Horatius;

Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne.

vel in avium crura; ita & homines, quum monſtroſa in poſtremis ſuis partibus effigie, & aſpectu exprimuntur. Duæ igitur heic feminæ conſpiciuntur, incomtis crinibus, mammoſæ, alatæ, quæ in volucrum crura ac pedes deſinunt. Meleagridas Oenei Calydoniæ Regis filias, Meleagri ſorores referre puto; quæ quum eumdem mortuum ad tumulum deflerent, ſecundum Poetarum fabulam, (*g*) in aves converſæ dicuntur. Medium inter has

a Vide Philandrum in Adnot. in Vitruvium Cap. VIII. pag. mihi 62. *b* Lib. XXXV. cap. 12. *c* De Fortuna ceteriſque Diis alatis vide Cuperum in Apoth. Homeri. *d* *Negli Antichi Sepolcri, ovvero Mauſolei Romani* Tab. 69. *e* Vide Cl. V. Laurentium Pignorium pag. mihi 13. in Menſam Iſiacam. *f* In Arcad. cap. 21. pag. mihi 641. *g* Vide Ovidium Metamorph. Lib. VIII. Fab. 4. Plinium Lib. X. cap. 26. & Lib. XXXVII. cap. 2.

cernitur bubulum caput laurea ſeu myrtea ſoluta corolla coronatum.

Fragmentum in eadem Tabula expoſitum lit. E. Dianæ venatricis *ἀναπαυομένης in quiete poſitæ*, ſignum referre puto; vel Amazonis ſigillum, quæ demiſſum arcum tenet, gemma ſuperne in medio ornatum. In Monumentis tam communibus, quam ſingularibus ſigna Deorum, & Geniorum Familiæ ſtatui ſolebant, velut pro tutela. (*a*)

Fragmentum in Tabula XIX. lit. B. dextra parte ornatur tibia, ac fiſtula decuſſatim conjunctis. Fiſtula compacta eſt novem æqualibus calamis; fortaſſis tres minores pro uno calamo inſervire potuere. Nam fiſtulæ, cujus auctorem eſſe ferunt Pana Paſtoralem Deum, fere ſeptem cannis, ſive cicutis cera conjunctis conſtabant; hinc Virgilianus Corydon: (*b*)

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula; ——

quamvis Theocritus novem calamis ſonoram faciat, qui ait: (*c*)

Σύριγγ' ἀν ἐποίησα καλὰν ἐγὼ ἐννεάφωνον.

Fiſtulam ego pulchram feci novem vocum.

Fiſtulæ ex ſeptem calamis conſtantes pictæ ſunt pendentes cum phyliris, corollis ſolutis, unionibus, ac gemmis in vetuſto Sepulcro Via Aurelia detecto, quod accuratiſſime delineatum exhibet Petrus Sanctes Bartoli Tabula IX. (*d*) Siniſtra parte ornatur figlinum hoc Anaglyphum Bacchæ capite, ſeu oſcillo vitta redimito, defluentibus undique elegantibus cinnulis, umbrantibus pampinis, corymbis, & hederæ foliis.

In eadem Tabula Fragmentum litera A. Feminam Sacerdotem repræſentat operantem Deorum Manium ſacris, quæ inferiæ dicebantur. Cernitur capite diademato, ſolutis crinibus, ſacra veſte induta, læva manu ſimpuvium invergens, & libationes in Defunctorum honorem humi fundens; quæ omnia accurate expendenda ſunt. Teſtatum ſatis ſuperque eſt veterum Scriptorum, ac Poetarum auctoritate (*e*) in luctu cum feminas, tum viros, ſi qui comam alerent, ſolutis incomtiſque crinibus mœrorem ſignificaſſe; ex hoc vero figlino Anaglypho manifeſtum eſt Antiſtitas, & ſacrorum Miniſtras inferias Diis Manibus miſiſſe, paſſo, ac reſoluto crine; quod etiam docuit Virgilius Didonis rogum deſcribens: (*f*)

Stant aræ circum, & crines effuſa Sacerdos.

Obſervanda quoque funerea ſacerdotalis palla defluens in varios breves ſinus, dependente ab ſiniſtro humero lato ſtrophio. Siniſtra manu ſimpulum invergit, ut Diis Inferis, Diisve Manibus ſacrum facere oſtendat; nam Diis ſuperis manu dextra libare mos erat. Libet Senecæ Tragici in Oedipo afferre teſtimonium, qui ſacrificium a Tireſia Diti factum ita deſcribit:

—— *irrigat ſanguis focos,*
Solidaſque pecudes urit, & multo ſpecum
Saturat cruore; libat & niveum inſuper
Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu
Læva. ——

a Conſule Reineſium Cl. XIII. num. 64. & Cl. I. n. 240. *b* Ecl. II. v. 36. *c* Idyll. VIII. *d* *Negli Antichi Sepolcri, ovvero Mauſolei &c.* *e* Vid. Kirchmannum de Funer. Rom. Lib. II. cap. 12. *f* Æneid. Lib. IV. verſ. 509. *g* Act. II. ſub initium.

In parentalibus ſacris, ſive inferiis ſacra libamina erant vinum, aqua, ſanguis, mel, lac, oleum, quæ vel ſuper victimas, vel in tumulum, & in cineres defunctorum fundebantur. Quare urnula, ſive urceolus invergens, ſcilicet verſus terram vergens, ſimul cum patera ſculptus cernitur in ſepulcralibus Aris, propterea quod tum in ſacris Deorum Manium, tum Inferorum urnulam vel pateram invergerent; quod diſerte docet Virgilius: (*a*)

Quattuor hic primum nigranteis terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos.

Et Statius Lib. VI. in funere pueri Archemori:

Pallentique croco ſtrident ardentia mella,
Spumanteſque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.

Præter figlina Anaglypha, alia quoque fuere ornamenta cameræ hujus Monumenti, videlicet parerga, zophori, cymatia ſedulo & exquiſito artificio confecta, plaſtico opere, ex gypſo marmoreo pulvere intermixto, quod noſtra ætas *ſtucchum* appellat; (*b*) quorum duo majora Fragmenta, quæ haberi potuere, producimus Tab. VXII. lit. B. & C. Cameram antiqui Sepulcri, quod dextrorſum in Via Flaminia conſpiciebatur, deſcribit doctiſſimus, ac Clariſs. Vir Philippus Senator Bonarrotius in Obſervationibus in Vaſa Vitrea Cœmeteriorum, (*c*) quam ornatam fuiſſe teſtatur plaſticis operibus, & anaglyphis, quorum in medio Caſtor, & Pollux, circa quod reliqua cameræ ſpatia in quadratas, & octogonas figuras diſtributa, oſcillis implebantur. Aliud quoque Romæ in Vinea Nobb. e Cavalieris detectum anno MDCCXV. deſcribit in honorem Damæ Aſclepiadis Medici, undique marinis conchis, ac plaſticis operibus exornatum. (*d*) Picturis inſuper condecorata fuiſſe veterum conditoria conſtat ex Sepulcro Naſoniæ Gentis, & ex allatis Columbariis a Petro Sancte Bartoli, quæ in Villa Corſinia Via Aurelia reperta undique eximiis picturis nitebant; (*e*) verum nullis picturis noſtrum Columbarium exornatum fuiſſe compertum eſt; quum eorum loco camera figlinis Anaglyphis, & plaſticis Operibus undique referta eſſet.

a Æneid. Lib. VI. verſ. 243. Conſule Em. Henricum Noritium in Cenotaphia Piſana Diſſert. III. cap. 5. verſus finem. *b* Vide Philandri commentaria in Vitruvium de Archit. Lib. V. *c* In Tab. I. Fig. I. pag. 6. *d* Apud eumdem in Obſer. in Vaſa Vitrea Cœmeter. pag. 137. *e* *Negli Antichi Sepolcri, ovvero Mauſolei*, &c.

§. VI.

POſt marmoreos Sarcophagos, variis ſignis feralibuſque anaglyphis exornatos, fictiles Sarcophagi occurrunt, quos ſuperius indicavimus lit. I. & E. E. in explanatione Tabulæ II. Ichnographicæ, & variis in locis collocatos fuiſſe diximus in hoc ornatiſſimo Monumento. Ea quæ in his notari poſſunt, ſilentio minime prætermittam. In fictili Sarcophago, cujus ſchema exhibetur Tab. VIII. lit. A. prope extimum labrum, aliud adſimile interius conſpicitur, ad id factum, ut ſuperpoſitæ tegulæ, quibus integebatur, ab eo ſuſtineri tutius poſſent. Alter vero, qui Tab. XVII. lit. F. producitur, unico labro coronatur; quem tegulis quoque ſuperne opertum fuiſſe certum eſt. In his tegulis, quæ fortaſſis in lapide penes Gruterum, Sarcophagi munitura dicuntur, (*a*) non raro liquet inſcripta fuiſſe defunctorum nomina. (*b*) Ex vetuſtis Inſcriptionibus diſcimus in Sarcophagis fictilibus quandoque oſſa condita, cum frequentius integra corpora reponerentur. (*c*) Veteres adnotavit Plinius (*d*) in fictilibus doliis recondi maluiſſe, præſertim ſi humili loco nati eſſent, ac pauperes; verum vigente Romani nominis ſplendore, ac majeſtate, tanta fuit in Monumentis condendis religio, ac magnificentia, ut Liberti etiam mediocris conditionis in marmoreo vellent recondi tumulo, vel in ſacello, vel in Heroo; item parentales profuſiones quotannis ſibi fieri, roſas ſpargi, coronas ad ſepulcrum afferri, lucernas accendi, funebres ludos, & epulas inſtitui, omnique honore, & cultu poſteris commendari. Quare fictiles hos Sarcophagos ad tempus poſitos fuiſſe puto, quum ſcilicet neceſſitate preſſi marmoreos in promtu non haberent; quod diſerte docet Romana Tabula in Gruteriano Theſauro: (*e*) in qua, quod ad rem noſtram facit, legitur exemplum libelli dati Celſo Promagiſtro ab Velio Fidio Jubentio:

a DXC. 7. *b* Vide Par. I. Inſcript. Antiquarum Etruriæ Urbium pag. 214. 3. & Reineſium Cl. II. pag. 280. *c* Apud Gruterum DCCCXCIII. 12. & DCLXXXVIII. 10. DCLXXXIX. 9. De humandi ratione Cyrus ad filios, Xenophon in Cyropædia. *d* Lib. XXXV. cap. 12. *e* DCVII. 1.

CVM. ANTE. HOS. DIES. COIVGEM. ET. FILIVM
AMISERIM. ET PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA
EORVM. FICTILI. SARCOPHAGO. COMMENDAVE
ſic RIM. DONIQVIES. LOCVS. QVEM. EMERAM. AEDI
FICARETVR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II
ET. III. EVNTIBVS. AB. VRBE. PARTE. LAEVA. CV
STODIA. MONVMENTI. FLA. THVMELES. A. MESO
LO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE. PERMIT
TAS. MIHI. IN. EODEM. LOCO. IN. MARMOREO. SAR
ſic COFAGO. QVEM. MIHI. MODO. COMPARAVI. EA
CORPORA. COLLIGERE. VT. QVANDONE. EGO
ESSE. DESIER. PARITER. CVM. EIS. PONAR &c.

Majori ratione idem affirmare licet de Sarcophagis cum parietinis Columbarii junctis Tab. II. lit. O. P. Q. quos temporarios fuiſſe facile crederem, utpote lateritio opere conſtructos, & ruditer excitatos; ſcilicet ut commodius poſtea, eorum loco, marmorei Sarcophagi reponerentur.

Hi temporarii loculi, excipiendis ad tempus defunctorum corporibus, loca Sarcophagi fortaſſis appellantur in hac Romana Inſcriptione penes Fabrettum, (*a*) quæ etiam marmoreis tabulis operta fuiſſe dicuntur:

a Inſcr. Antiquar. Cap. III. pag. 156. n. 253.

NOSTRO. LOCA SARCOPHAGI DVA QVAE TAB....
MARMOREIS OPERTA SVNT QVAE DONATA SVNT
SATVRNIO EVTYCHETI ☿ LIBERTISQVE
POSTERISQVE EORVM

Ad humanda defunctorum corpora præter marmoreos, ac fictiles Sarcophagos, quos deſcripſimus, plures quoque retecti ſunt loculi Sarcophagis ſimiles in pavimento excavati, quos ſuperius in Tab.II. Ichnographica oſtendimus, lit. L. L. L. & Z. Z. Z. Fuit hoc ſepulturæ genus antiquiſſimum, quam plures optarunt, propterea quod, ut ait Plinius, (*a*) eadem terra, quæ *nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, noviſſime complexa gremio, jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens*, benigne recipiat. Quare a prætereuntibus ea verba ſalutationis, & funebris acclamationis dici ſibi rogabant S. T. T. L. ideſt; *Sit Tibi Terra Levis*, quæ ita expreſſit Tibullus: (*b*)

Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo;
Et bene, diſcedens dicet, placideque quieſcas,
Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.

Hinc defunctorum corpora ſi in Sarcophagis ſepulta eſſent, *condita*, ſeu *poſita* (*c*) ſi vero ſub terra in loculis, ſeu fictilibus arcis, *ſita* dicebantur; quod frequenti hac formula exprimebatur, H. S. E. vel O. H. S. S. ideſt; *Hic Situs Eſt*, vel, *Oſſa Hic Sita Sunt*; cum in Aris, & in Cippis, tum etiam in ſepulcralibus Titulis; quemadmodum legitur in ſequenti parva Tabula, quæ exſtat Florentiæ in Urbanis Hortis DD. Marchionum Corſiniorum; (*d*)

OSSA. HIC. SITA
SVNT. AVCTAES
APVSTIAE. RVFAE. QV
AE. FVIT. ROGO. PER. SVPE
ROS. QVI. ESTIS. OSSA. MEA. TVEATIS

Hæc loca ſepulturæ in pavimentis Sepulcrorum defoſſa *Obrendaria*, id eſt *Obruendaria*, ni fallor, dicebantur; quorum fit mentio in vetuſta Tabula penes Gruterum, (*e*) vel *Obrendaria Vaſa*, id eſt *Obruendaria Vaſa* appellabantur, ut in alia Regii Muſei Medicei; (*f*) quæ idem Fabrettus cenſet fuiſſe loca in pavimento ad obruenda ibi integra corpora relicta. (*g*) Eadem ſuperne majoribus tegulis operiri ſolebant, ut ſupra obſervavimus, quas tegulas, vel ſub tegulis poſitum ſepulcrum fortaſſis indicat ſequens Inſcriptio ſequioris ævi, quam edidit Cl. V. Jo. Vignolius (*b*).

a Hiſt. Lib. II. c. 63. *b* Lib. II. El. IV. v. 47. *c* Gutherium de Jur. Man. Lib. I. c. 8. pag. 44. *d* In Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. p. 145. n. 54. *e* DCCCLXXXIV. 16. *f* Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. pag. 21. n. XXXIX. *g* Inſcr. Ant. Cap. I. pag. 15. *b* Inſcr. Sel. p. 271.

FELIX FAVSTINIAN
VS EMIT SIBI ET VX
ORI SVAE FELICITATI
FELICI FOSSORI
IN BALBINIS BASILI
CA LOCVM SVBTE
ſic GLATA SE VIBVM

Pro SVBTEGLATA, legendum videtur SVB TEGVLATA. Hæc loca religioſa erant, cavebantque ne quis tranſeundo oſſa obviolaret, & ſacrilegium committeret; (*a*) quare etiam Terrenum ſacrum dicebantur. (*b*) Ex quibus omnibus colligitur, quod obſervavit Fabrettus, (*c*) rejecta diſtinctione Alexandri ab Alexandro, (*d*) uno eodemque tempore uſum cremandi, & humandi viguiſſe, tum a Romæ conditæ temporibus, tum Cæſarum ætate; (*e*) ſiquidem clariſſime patet ex hoc Monumento ſive Columbario, atque ex aliis pluribus jam erutis, (*f*) varietas utriuſque ſepulturæ, ſcilicet non integrorum corporum ſolum, verum etiam ollarum cinerariarum.

Ichnographicam Tabulam II. ſuperius deſcribentes notavimus pag. 6. litera M. N. cellulam plurium Sarcophagorum capacem in pavimento excavatam, quam etiam Hypogeum, ſive ſubterraneum Sepulcrum appellavimus, & intrinſecus quidem concameratum, oſtio ſuperne clauſum, quod extrinſecus muſivo opere ornatum erat. Horum Hypogeorum, quæ in Monumentis fieri ſolebant, non infrequens occurrit mentio in vetuſtis inſcriptionibus. (*g*) Sepulcrum CHRISTI DOMINI in petra exſciſum, in quo nondum quiſpiam ſepultus fuerat, Hypogeum fuiſſe arbitratur V. Cl. Salmaſius in Exercitationibus Plinianis.

Supereſt ut rotundos Scrobes in pavimento defoſſos, quorum ſupra meminimus pag. 6. in explicatione Ichnographicæ Tabulæ II. obſervemus. Scrobes profundiores, plurium cadaverum capaces, (*h*) in pavimento alte defoſſos, deſcribit Fabrettus in quodam vetuſto Sepulcro; aitque quadrata forma conſtructos fuiſſe. Verum quum hi rotundi ſint, nec ruderibus omnino repurgati, minime auſim adfirmare, an inſervierint vel recondendis fictilibus amphoris, & oblongioribus

a Vide Gruterum DCCLIV. 16. *b* In veteri lapide apud Fabrett. pag. 54. n. 312. *c* Inſcr. Ant. Cap. I. pag. 17. & 18. *d* Dier. Gen. Lib. III. cap. II. *e* Vide Kirchmannum de Funer. Roman. Lib. I. Cap. 2. *f* Idem Fabrettus ibidem Cap. I. pag. 54. & 55. *g* Vide Fabrettum Inſcr. Antiquar. Cap. II. pag. 89. 172. & in Tabellam Iliadis pag. 377. *h* Inſcr. Ant. Cap. I. pag. 55.

urnis, quæ non nisi in massa sepulcrorum, vel in profundis loculamentis poni possunt, quarum schema Tab. XVI. exhibet; vel urendis defunctorum cadaveribus, quæ loca *Ustrina* appellantur in antiquis saxis; (*a*) sed id non crederem, quum in Via Appia Ustrinum valde commendabile fuerit cujus emendatissimum schema attulit Fabrettus. (*b*) Probabile est in hos Scrobes, in sacrificiis Deorum Manium, missas fuisse χοὰς, scilicet sacra libamina, sanguinem, lac, mel, oleum, vinumque; quæ Virgilius in describendis veterum ritibus, & consuetudinibus accuratissimus, in feriis Anchisæ factis ab Ænea, humi fusa fuisse dicit.

§. VII.

Descriptis hactenus, observatisque cum marmoreis, tum fictilibus Sarcophagis, in quibus non raro ossa, frequentius vero integra corpora defunctorum condebantur, superest ut cæteras majores Urnas illustremus; quæ servandis cineribus & officulis, defunctorum Diis Manibus consecrabantur; quod forsassis indicant in dextro, & in sinistro earumdem latere sculpti urceoli, ac pateræ, quæ sacrificiorum præcipua erant instrumenta; quare Urnæ, Cippi, seu bases funebres, Aræ sæpissime appellantur in vetustis inscriptionibus, ut cultus Deorum Manium ostendatur, quibus fuerant dicatæ. (*b*) Præcipua sepulcralium Cipporum sive Ararum ornamenta sunt Inscriptiones, quibus defunctorum memoria apud posteros commendatur propagaturque; eorumdem quoque imagines quibus non raro Aræ, ac Cippi insigniuntur; varia stemmata, & anaglypha, in quibus varia signa sculpta conspiciuntur; Sphinges, Gryphes, Aquilæ, Anseres, Galli pugnaces; Hammones, Gorgones, verveces, arietina, ac bubula capita; larvæ, oscilla, aviculæ, & quamplura animalcula, quibus interdum fati, ac morbi malignitas, quod ad defunctos attinet, designantur; præterea Delphines, Tritones buccinantes, lusitantes Genii, puerilia item ludicra oblectamenta, ad indicandos varios affectus, ac studia animarum apud Elysios, quibus tenebantur dum mortali corpore clauderentur; præter hæc tripodes, accensa candelabra, arma militaria, fabrilia hominum, & ornatoria mulierum instrumenta; suspensæ quoque ac defluentes corollæ, item encarpia multiplici florum pomorumque luxu concinne, & eleganter composita, multaque alia, quæ in descriptionibus anaglyphorum Urnarum legi possunt apud Gruterum, & Fabrettum. Ex his ornamentis nonnulla in his quoque Aris seu Cippis conspiciuntur, ut Tabula XV. ostendit. In prima Ara seu Cippo lit. A. præter arietina capita, e quibus defluentibus utrimque vittis perelegans encarpus pomis refertus pendet; item præter Sphinges, quas in angulis sculptas esse, alæ vestigium quod superest indicat, observanda est aquila subvolans, quæ Antoniam Panerotis Libertam Helenam adtollere, & ad cœlum ferre videtur, in Apotheoseos symbolum: nam consecratorum animas in cœlum aquilis vehi putarunt; quod plures auctores testantur, (*a*) & numismata in quibus effigies Divi Imperatoris, & Aquila cum his verbis: CONSECRATIO S. C. vel ipsi consecrati Imperatores Aquilæ insidentes visuntur. Siquidem Aquila, avium omnium regina, Jovi nato in insula Creta nectar attulisse dicitur; propter quod officium immortalitate donata, & cœlo adscripta fuit. (*b*) Id forte respicit vetus Epigramma in Anthologia, quo Poeta fingit supra monumentum Platonis Aquilam constitutam. Quod vero etiam privatorum imagines, & cineres consecrarentur, Pontificum vel Imperatorum permissu, clarum est ex pluribus inscriptis antiquis Tabulis. (*c*) Unam tantum hic afferre libet, ut genio venerandæ Antiquitatis cultorum faciam satis; quam inter alias legi apud Fabrettum, (*d*) in urnula rotunda undulata, penes Lucam Curtium:

a Apud Fabrettum Cap. III. pag. 176 n. 351. & pag. 225. n. LXI. & pag. 230. n. 608. *b* Ibidem Cap. III. pag. 231.

a Herodianus Lib. IV. Dio Lib. LVI. in funere Augusti. Artemidorus Lib. II. cap. 20. quorum testimonia affert Kirchmannus de Funerib. Rom. Lib. IV. cap. XIII. *b* Cl. V. Gisbertum Cuperum in Apotheosin seu Consecrationem Homeri pag. 24. *c* Apud Fabrettum Inscr. Antiquar. Cap. II. pag. 73. num. 71. & vide pag. 266.

D . M

T. AELIO. AVG. LIB. TATIANO. PRO (*f.* PROK. *i. Procuratori*)

A. LIBR. SACERDOTAL. DEI. CARNVN

ANN. XXXXII. M. III. D. XIX. MARIT. VIRGIN

DVLCISS. ET. INCOMPARABILI. BENE

QVE. MERITO. QVEM. FVNERAVIT

FL. AMPELIS. CONIVX. CARISSIMA

ET. RELIQVIAS. EIVS. PERMISSV. IMP

IPSA. PERTVLIT. CONSECRAVITQVE

CVM. Q. V. A. XII. M. III. D. XXI. SINE. VLLA

QVERELLA

Perspicuum igitur est veteres maximo honore, inani quidem, coluisse Defunctorum Manes Deos, quibus Aras dicarunt, & ut docent vetusta marmora literis consignata, lectissimis odoribus, & unguentis sæpissime perfusas, (*a*) thure, ac parentalibus epulis, & anathematis oneratas, rosis floribusque suavissimis sparsas, encarpiis belle ornatas, quæ Virgilius ararum torques dixit; (*a*) denique, ut templa maximorum Deorum æmularentur, æternoque in honore, ac cultu essent apud

a Vide Kirchmannum de Fun. Rom. Lib. IV. cap. 2. & Anacr. IV.

a Georg. Lib. IV. vers. 276. V. Fabrettum de Col. Trajani Cap. VI. pag. 157.

poſteros, in fani modum ſæpe etiam magnifice conſtructas. (*a*)

Cetera ornamenta, quæ in Aris ſive Urnis hujus Monumenti conſpiciuntur, ſane obvia ſunt, aliiſque ſexcentis communia; ſcilicet volutarum concinnitas, & elegantia, coronidum ſymmetria, Phrygia opera, quibus exornantur; Genii lit. B. in ſummo myrteam, ſeu foliaceam coronam vittis religatam tenentes, flexo genu; in altera, lit. D. aviculæ blandulæ hac illac ſubvolitantes; quæ omnia in Urnis paſſim occurrunt; non ſolum ornatus gratia, ac veluti ludicra quædam; verum, ut arbitror, ad ſignificandam Elyſiorum camporum lætitiam, & amœnitatem, quam jucundiorem fieri dulci avium cantu dixit Tibullus, Elyſiorum felicitatem ita deſcribens: (*b*)

Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.
Hic choreæ, cantuſque vigent, paſſimque vagantes
Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.

In his Aris, ſive Urnis, quæ exhibentur in Tab. XV. lit. A. B. C. D. reperta ſunt ſemiuſta oſſicula recondita. Frequenter Aræ, ſeu ſepulcrales Cippi inter volutarum cornua ſuperne excavati, ac terebrati viſuntur; vel ſcilicet ut ex ſuperiori receptaculo parentales libationes, & inferiæ in cinerariam amphoram, ſub cippo in terra obrutam, defluere poſſent; vel ut in his cavitatibus varii flores insererentur, quibus valde delectari defunctorum animas credebant; qui, ut ait Juvenalis, & Auſonius, in Urna perpetuum ver facerent. Sæpiſſime etiam Aræ planæ in ſuperiori ſuperficie occurrunt, ad id certe factæ, ut in annuis inferiis, ac ſacrificiis, funebres epulæ, & paren- A talia dona ſuper earum menſam poni poſſent.

Nonnumquam Urna, ſeu marmorea arcula in varios loculos diſpertita eſt, ut oſſa, & cineres plurium defunctorum ſeorſim reconderentur; qui loculi ſi duo eſſent, Diſomum, ſi tres Triſomum, ſi quatuor, Quadriſomum Vas, ſeu ſepulcrum dicebatur. (*a*) Diſomum aſſervandis duorum corporum oſſuis, & cineribus factum exhibemus Tab. XI. quod in Sarcophago ornato Meleagri, Atlantæ, Caſtoris, ac Pollucis ſimulacris, repertum eſt, caſu ibidem procul dubio repoſitum; quum in Sarcophagis ſupra defunctorum corpora aliud cor- B pus ſuperponere vetitum eſſet, nedum ante ſepulcrales arcas, cippos vel aras conſtituere. (*b*) Plato in Cratylo arguta quadam etymologia σῶμα, *corpus*, ait eſſe a σῆμα, *ſepulcrum*; quaſi ibi anima ſit tumulata. Hoc Diſomum videtur ſuperne clauſum fuiſſe operculo, quod intercidit. Fuere præterea tum marmorea, tum lapidea monumenta, quorum ſchemata frequenter apud Gruterum occurrunt, (*c*) ſuperne pluribus foraminibus excavata, in quibus Ollæ cinerariæ condi ſolebant.

Hoc ſepulcrum Diſomum, & Aræ, quas obſervavimus, ſuper pavimentum poſitæ fuere; verum ſuper coronidem quoque plures Urnulas circum- C quaque locatas fuiſſe, earundem opercula, quæ proferimus Tab. XVI. lit. A. & C. quæ ibidem inventa ſunt, certiſſime oſtendunt. Operculum A. ornatur in medio corolla, defluentibus tæniolis revincta; cujus angulos tuentur quatuor oſcilla calamiſtratis comis ornata, ore immaniter hianti, ac terrifico vultu; quæ, ut diximus, defunctorum idola, & imagines notabant, ac ſepulcris apponebant ne violarentur, & inquietarentur defunctorum Manes, quemadmodum penes Fabrettum; (*d*)

a Vide Fabret. Inſc. Ant. Cap. III. pag. 205. & Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. pag. 349. *b* Lib. I. Eleg. 3. v. 57.

a Vide Reineſium Cl. XX. n. CXVI. *b* Fabr. pag. 114. n. 288. Grut. DCCCCIII. 6. DCCLIV. 16. *c* DCCXVII. Vide etiam Gutherium de Jure Man. Lib. II. cap. 23. & Petrum Sanctem Bartoli in Libro, qui inſcribitur *i Sepolcri Antichi*, &c. Tab. 9. *d* Cap. IV. pag. 283. n. 181.

f. DEFVNCTO ITA LEVIS INCVMBAT TERRA DENVNCIO TIBI
f. ADSINT VEL ASSINT QVIETI CINERIBVS MANES TVIS
ROGO NE SEPULCRI VMBRAS VIOLARE AVDEAS

§. VIII.

Aſſervandis defunctorum oſſuis, & cineribus præter Aras, Urnas, ac marmoreas arculas, alia quoque vaſa præparavit, in funeribus diligens, & ſplendida antiquitas; ſcilicet Ollas majores, ac minores, hydrias, phialas, teſtas, cupas, amphoras, Oſſuaria, & Cineraria, quorum non infrequens ſit mentio in vetuſtis lapidibus. Cinerarium, ſive Oſſuarium marmoreum utrimque anſatum, cum operculo, intus crematis oſſiculis & cineribus refertum, quod repertum eſt ſuper pavimentum, exhibet Tab. XII. lit. B. Collocatum fuerat pæne in medio tribunalis, verſus Occaſum, cujus locum indicavimus lit. D. D. in Tab. II. Ichnographica. Cinerarium medianum memorat vetus inſcriptio apud Fabrettum, (*a*) fortaſſis quod in medio ædiculæ, vel tribunalis, vel ſolii, quemadmodum & hic cernitur, poſitum eſſet. Florentiæ in Ædibus D. Franciſci Comitis Guicciardini marmoream arculam obſervavi cum ſepulcrali titulo, qui ita incipit, CINERAR. ideſt, CINERARIVM; (*b*) quare argui fortaſſis poteſt Cineraria non ſolum rotunda, & ollæ forma conſtructa fuiſſe, verum etiam interdum quadrata figura. Cinerarium factum ab T. Nigrio Modeſto fratri ſuo T. Nigrio Simili legitur in antiquo marmore penes Sponium. (*a*) Oſſuaria duo cum inſcriptione profert Fabrett. (*b*) apud quem in quodam lapide, Ollæ oſſuariæ E ex ſortitione adquiſitæ, (*c*) & apud Gruterum, (*d*) in ædicula poſitæ leguntur. His addendæ Amphoræ cinerariæ, apud Etruſcos, (*e*) & Romanos valde in uſu, quæ cum apodes eſſent, & ut veteres dixere *futiles*, (*f*) infima parte acuminatæ, per ſe ipſas conſiſtere non poterant, quare ea de cauſſa in cæmento, & in maſſa ſepulcrorum, vel ſub pavimento collocabantur. Plures in monumentis erutas edidit Petrus Sanctes Bartoli Tabula XXIII. (*g*) & Michael Cauſeus in Muſeo Romano Sect. V. Art. III. Tab. X. Cinerariam amphoram fictilem in hoc Monumento ſive Columbario dete- F ctam producimus Tab. XVIII. lit. D. adjectis duobus fictilibus vaſculis diverſæ figuræ B. C. His fictilibus vaſis ſuperpoſitas fuiſſe conſtat marmoreas tabulas defunctorum nominibus inſcriptas, eo prorſus modo quo repræſentantur a laudato viro Petro

a Cap. I. pag. 16. n. 71. *b* Vide Par. I. Inſcr. Antiquar. Etrur. Urbium pag. 226. 2.

a In Miſcell. Sect. V. pag. 188. *b* Inſcr. Ant. Cap. I. pag. 16. *c* Cap. III. pag. 160. num. 284. & pag. 156. num. 258. *d* DCXXVI. 6. *e* Vide Monument. Etruſca Dempſter. add. Tab. 85. & Explicationes pag. 36. *f* Servius Æneid. Lib. XI. v. 23. *g* In Libro qui inſcribitur: *Gli Antichi Sepolcri ovvero Mauſolei Romani*.

jacentes, in medio aliquantulum cratere, ac cyatho excavatas, ex quo per parva foramina parentales libationes, & lacrymæ defluerent, quæ ad sepulcrum vel a parentibus amicisve, vel a præficis mercede conductis in defunctorum honorem fundebantur. In Urnis, ac Sepulcris persæpe vitrea vasa liquoribus, & lacrymis plena recondi solebant, in quorum fundo vel artificis nomen notabatur, uti habet vitrea urna alta ped. I. uncias I. lata uncias VIII. quæ exstat in Museo Andreinio, cujus inscriptionem vulgavimus, (*a*) vel Deorum sculptæ imagines, in quorum tutela erant defuncti, ut apud Causeum Sect. V. Art. III. Tab. X. n. I. qui vitream phialam profert Mercurii animarum ad Inferos ducis, & comitis sigillo insignitam; (*b*) vel defunctorum iconibus, ut cernitur in fundo cujusdam vitrei vasculi ad lacrymas continendas, quod exhibet Fabrettus, (*c*) & ait a se repertum in quodam Sarcophago; & in alio item lacrymatorio vase, quod ex Museo D. Leonis Strozæ veterum omnium elegantiarum cultoris, & conquisitoris eruditissimi protulit Cl. V. Paulus Alexander Eques Maffejus, (*d*) in cujus fundo præter defuncti imaginem, in aliis circulis, seu fasciis, encaustico opere expressa conspiciuntur Zodiaci signa, pugnantes galli, & capræ, pueri in palæstra ludo se exercentes, & discentes sub gymnastis, item aprorum, & hinnulorum venationes. Harum schemata vide Tab. XVIII. lit. G. quarum una e vitro est cærulei coloris, & repertæ sunt in hoc Monumento. Harum lacrymalium urnarum e vitro forma oblongior, collum ventre obstructius, quod facile manu perstringatur, ore patulo & incurvo ad lacrymas stillatim colligendas, quas in supremo funere vel defunctorum parentes, vel propinqui, vel Præficæ, aliæque mulieres pretio ad deflendum conductæ effundebant; de quibus eruditissime, & luculenter differuit V. Cl. Hieronym. Baruffaldus; qui fictilem Amphoram sepulcralem illustravit, vulgavitque e patrio Museo, nostræ similem, si operculum excipias, quod defunctæ Flaviæ Quartillæ Præficæ inscriptione, (*e*) & imagine ornatum erat; cujus exemplo evincitur non semper marmoreas tabulas inscriptas his amphoris superpositas fuisse; in quas e cyathi, seu crateris in medio excavati foraminibus, sacræ libationes, & lacrymæ defluerent. Plura hujus generis opercula ad lacrymas, & libamina excipienda (*f*) congerit Fabrettus Cap. II. Domesticarum Antiquarum Inscriptionum; nos quoque non pauca dedimus in Parte I. Inscriptionum Antiquarum Etruriæ Urbium, in quibus interdum unum, vel duo, vel tria, aut plura foramina in cyathis visuntur; (*g*) vel novem, ut in sequenti marmoreo operculo, quod ex Museo Nobb. e Victoriis, nunc primum in lucem prodit.

a In Par. I. Inscr. Antiquar. Etr. Urb. pag. 265. nu. 51. *b* Vide Lucianum in mortuorum Dialogis. Virg. Æneid. Lib. IV. vers. 242. Petronium Arbitrum Satyr. c. 100. *c* Inscript. Ant. Cap. VII. pag. 531. num. XXXII. Vide etiam Gruterum DCCCXII. 15. *d* In Par. I. Gemm. Ant. pag. 217. *e* Plures fictiles urnæ cinerariæ cum Inscriptione afferuntur a Grutero DCCCXCI. 4. DCCCCLXIII. I. &c. & in Museo Cospiano Lib. III. cap. 20. *f* Vide etiam Gruterum DCCCCXI. 17. & DCCCCXLVIII. 10. *g* Vide quæ notavimus in Par. I. Inscr. Ant. Etr. Urb. pag. 38.

DIS . MANIBVS
ATINATIAE. T. L. LASCIVAE
FECERVNT . CONIVGES
CARIS SIMAE



BENE MERENTI
VIXIT . ANNIS . XXII
C. CALPVRNIVS . VALENS
SVCCESSVS . AVG . L . POSVER

Quanto dolore afficerentur veteres in suorum funere, & quanta lacrymarum copia eorum ossa, ac cineres rigarent, liquet ex pluribus antiquis Inscriptionibus apud Fabrettum. (*a*) Animadversione digna est vetus tabula apud Gruterum, (*b*) quam referre libet in hujus rei testimonium.

T. PLAVTIO . P. F. DE . MVNICI
PIO . ATTACEN . OPTIME . ME
RITO . ET . XXXVIII . AET . ANN
E VITA . SVBLATO . TOTO . POP
CVM . MAGNA . LACRI . FVNVS
PROSEQ
QVINTIA . PAVLINA . MATER
ANN . LXXXIII . AD . FLET . AD
GEMITVM . RELIC . TVMVL
LACRIM . PLEN . E . MARM
HVM . D . DEDIT

Vitreum Vasculum dioton, sive cum duabus ansis, operculo munitum exhibemus Tab. XVII. A. quod sane perelegans est, altitudine unius palmi Romani, dimidium palmi ex diametro colligens, quod in fictili Olla inclusum fuerat. Gutherius (*c*) in veteri monumento Patavii eruto, repertam ait urnam coctilem sex versibus inscriptam, quos vulgavit Gruterus, (*d*) in qua erant quatuor urnæ minores versibus quoque exornatæ, cum alia minore urnula, & duabus ampullis, una ex auro, altera ex argento, liquidissimo liquore plenis. Liquores in his vasculis varios, fere ex lacrymis, & opobalsamo compositos fuisse censebat. (*e*) De odoramentis, quæ statis, & solennibus diebus sepulcris infundebantur, fit mentio in vetusto lapide Thesauri Gruteriani. (*f*) Ibidem vetus Narbonensis tabula meminit C. Lucii Philomusi Artificis Ampullarii: (*g*) in aliis memorantur Fictiliarii, Vascularii, Soliarii (*h*) Marmo-

a Cap. II. pag. 64. nu. 2. pag. 72. n. 65. *b* DCC. 13. & DCCII. 12. *c* De Jure Manium Lib. II. c. 32. *d* DCCCCXXVII. 5. *e* Vide Propertium Lib. IV. Eleg. 7. v. 31. &c. Johannem Nardium Med. D. Flor. in T. Lucretium Carum de Rerum Natura pag. 620. De odoribus in rogum copiose injectis ufius Kirchmannus de Funerib. Romanor. Lib. III. cap. 5. *f* MCXXII. 12. *g* DCXLIII. 10. *h* DCXLIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

rarii (*a*) & Urnamentarii, (*b*) qui, ni fallor, urnas cum anaglyphis, ceterifque ornamentis effingebant. A

§. XI.

QUandoquidem non pauca in fuperiori Paragrapho differuimus de Urnis tum fictilibus, tum vitreis, quæ in fepulcris condi folebant, fupervacuum hic fortaffe non erit nonnulla obfervare circa fepulcrales Lucernas, quas fatis fuperque conftat, non folum fculptas in marmoreis Aris, & Cippis pro infignibus, ac feralibus fymbolis, (*c*) verum etiam religionis caufa, in ipfis Sepulcris reconditas fuiffe, cum lacrymatoriis vafculis, ceterifque urnulis, quæ in omnibus fere Monumentis inveniuntur. Ufus enim includendi lucernas in fepulcris, nec Ægyptiis, Græcis, Etrufcis, Romanis, ipfifque antiquis Chriftianæ Religionis cultoribus ignotus, fed frequens. Primi Ægyptii lucernæ ufum monftravere, ut eft apud Eufebium Lib. X. Præpar. Evang. Huic Lucernæ convenit Difthicon Martialis in Apophor. XLI. B

Illuftrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor. C

(*d*) Duas tantum fictiles lucernas in hoc Monumento Libertorum Domus Auguftæ inventas exhibemus. Prima, Tabula XVIII. lit. E. unilychnis eft, ornatu non fingulari; altera vero Tab. XI. lit. A. ἐνδεχάλυχνος, undenis lychnis, & corona quercea, interjectis baccis, eleganter ornata. Quercus longævas effe putarunt veteres, earumque vitam æqualem effe vitæ Nympharum exiftimavit Pindarus, (*e*) ob eamque caufam Hamadryadas appellari. Quare in perpetuitatis fignum & emblema querceam corollam, glandibus refertam, quibus, ut fingebant, aureo ævo prifci homines vefcebantur, huic elegantiffimæ lucernæ additam autumare licet; quam etiam penfilem fuiffe foramina circa vacuum oftendere videntur. Hujufmodi vel fictiles, vel æneas lucernas ante fepulcrales Ollarum Titulos fupra fingula Columbaria hujus Monumenti appenfas fuiffe conjicimus ex æneis clavis, aduncifque laminulis, quæ in parietibus prominebant fere uncias IV. ante infcriptos Titulos; quas indicavimus Tabula XX. litera F. F. Credo equidem eas accendere conveniffe ante cinerarias Ollas, ut mortuos fummo afficerent honore in inferiis, ac folennibus parentalibus Sacrificiis. Nam cum hæc Monumenta, utpote Hypogea, ideft fubterranea valde obfcura effent, exiguumque lumen acciperent ex anguftis feneftris, & cum in his, vel in ædificiis eifdem junctis facrificia facere foliti effent, quod ex lapidibus perfpicuum eft; (*f*) neceffe erat ut per Sepulcrum accenfas lucernas appenderent, ut rite, ac diligenter Deo-Manium facra peragerent. Hanc meam opinionem confirmat auctoritas hujus marmoreæ Tabulæ, quam vulgavit Reinefius (*g*). D E

a Vide Fabrettum Infcr. Ant. Cap. III. p. 195. n. 463. *b* In Nemaufienfi lapide apud Spon. in Mifcell. p. 238. Vide Fabrettum Infcr. Ant. Cap. V. pag. 381. 384. *c* Vide Gruterum DCCXLI. I. DCCCLXV. 18. DCCCLXVII. 6. Monum. Dempftero add. Tab. LXXXIV. n. 2. *d* Confulendus Gutherius de Jure Man. Lib. II. cap. 32. Fortunius Licetus de Lucernis Lib. II. Vide etiam Explicationes, & Conjecturas ad Monumenta Etrufca Operi Dempfteriano addita p. 39. *e* Apud Plutarchum de Oraculorum defectu. Vide Benedictum Averanium Differt. XXXVI. num. I. in Virgilium. *f* Vide Fabrettum Infcr. Ant. Cap. I. p. 7. n. 29. & p. 10. n. I. Gruterum DCCCCLXIV. 2. *g* Cl. I. n. CCXL. pag. 222. F

Q. ALFIVS. Q. F. POBL.
AVCTVS. TRIB.
MILIT.
LEG. II. ADIVTRIC.
V.F.H. MONVMENT
COMM. FAMILIÆ EI
SIGN. HER. DD.
ET GENIO SIMIL. FAMILIAE
ET VRN. XXIX MARM.
CVM. SVIS OPERCVL. ET
LYCHNVCHI.....

. . . .

Cujus interpretatio hæc eft: *Q. Alfius Q. F. Pobilia Auctus. Tribunus Militum Legionis Secundæ Adjutricis. Vivens fecit hoc Monumentum Commune Familiæ ei Signum Herculis dedit dedicavit. & Genio Similis Familiæ & Urnas* XXIX. *marmoreas cum fuis operculis, & Lychnuchis........*

Quod vero lychnuchi ad lucernas fuftinendas appendi folerent in Sepulcris, docet Dio in Domitiano, & Plinius (*a*) memorat placuiffe etiam in delubris. Apud Reinefium, (*b*) cum ollariis, de quibus infra, lampadaria donata leguntur L. Servæno Olympo Liberto fideliffimo Tabulario Tignariorum, ut legendum puto. Hinc data fervis, & ancillis interdum libertas a dominis, ea conditione, ut fuis monumentis, alternis menfibus, lucernam accenderent, & folennia mortis peragerent. (*c*) Lucernis, facibus, lychnuchis, lampadariis addenda funt candelabra valde operofa, ac pulcherrima, quæ in funebri pompa defunctorum accendi folebant; quæ frequenter in fepulchralibus Urnis fculpta confpiciuntur.

§. X.

SPlendidioribus Libertorum, ac Servorum LIVIAE AVGVSTAE perfpectis Monumentis, ad minores Urnas, & Ædiculas, five parva Columbaria, in quibus Ollæ cinerariæ reconditæ fuerant, gradum facimus. Pluribus ordinibus ab imo ad fummum, ut fupra diximus, Columbaria ubique difpofita confpiciebantur per parietes, quæ tum propter elegantem coronidem, tum propter eximiam inter fe fimilitudinem, concinnam proportionem, & æqualem diftantiam, mirificum intuentium oculis afpectum præbebant, quemadmodum teftantur Tab. I. quæ univerfi Monumenti interiorem Orthographiam exhibet, item Tab. III. fectionem partis Monumenti Meridiem verfus continens; quam denotant lit. *BB.* in Tabula II. Ichnographica. Frontem verfus Ortum oftendit Tab. IV. cujus fectionem indicant in eadem Tabula Ichnographica lit. *CC.* alteram frontem ad Occafum Tab. V. commonftrat, cujus fectio literis *D.D.* in eadem Ichnographica Tabula defignatur.

a Hift. Nat. Lib. XXXIV. c. 3. *b* Cl. XI. n. C. *c* Modeftini refponfum affert Guther. de Jure Man. Lib. II. c. II. ex l. Mævia D. de manumiff. teft.

Quoniam igitur hi loculi per parietes æqualiter diſtributi, ordine crebri erant, & arcuatis cellulis periſterotrophiorum ſive columbariorum omnino ſimiles, (nam Ollarum prominentes cupæ, & opercula columbas in ſuis latibulis nidificantes referunt) ea de cauſſa, ob maximam inter ſe ſimilitudinem Columbaria ſunt appellati, ut liquet ex plurimis Ollarum Titulis, in quibus Columbaria plurali, & ſingulari numero vocitantur. Ab his parvis Columbariis univerſo Sepulcro, ac Monumento COLUMBARII nomen factum quoque legitur in vetuſtis Tabulis, quemadmodum oſtendit ſepulcralis eximius Titulus primo loco inferius exhibendus, & ſequens apud Fabrettum, qui clare veritatem hujus rei confirmat, & hæc habet: *(a)*

EX. TESTAMENTO. Q.

ERVCI. MONTANI. LEGATVM

C. QVINTIO. BATHYLLO. COLVM

BARI. ITVM. AMBIT. DEBETVR

Meridiana luce clarius eſt hic non indicari ea voce COLUMBARI, ideſt COLUMBARII parvum Columbarium, ſeu parvum illum loculum, in quibus cinerariæ Ollæ includebantur; ſed Columbarium, totum ſcilicet Sepulcri ædificium, ad quod dumtaxat, itum, & ambitum pertinere poſſe nemo non videt. Quare hac ratione libuit in hujus Operis titulo appellare ornatiſſimum hoc ædificium non ſolum MONUMENTUM, verum etiam COLUMBARIUM; nam conſtat tum in Monumentis, tum in Columbariis Ollas cum defunctorum cineribus in ſingulis loculis reconditas fuiſſe.

Parva Columbaria non ſemper rotunda, ſed interdum quoque quadrata occurrunt; *(b)* quæ Columbaria ſæpiſſime etiam Ædiculæ, Ædificia, & Ollaria vocitantur, *(c)* quæ ſynonima ſunt, ut Fabrettus oſtendit. *(d)* Controverſiæ tollendæ cauſa non ſolum eorundem numerus, *(e)* verum etiam locus notabatur in ſubjectis, vel ſupra poſitis inſcriptis Tabulis; an ſcilicet in dexteriori, vel ſiniſteriori parte in parietibus conſtituta eſſent; *(f)* an juncta vel disjuncta, *(g)* continua, unica ſcilicet ſerie diſpoſita, vel perpetua, ideſt non interrupta; *(h)* emta, an conceſſa, *(i)* mancipio vel permiſſu data, *(k)* in ſuperiori vel inferiori parte Sepulcri, in pilariis, vel ſcalariis, vel ſuper oſtium ingredientibus parte læva, vel dextra collocata; quæ omnia accurate, & quidem non infrequenter exprimuntur; ut non ſolum non confunderentur, ſed uti arbitror, ut in annuis parentalibus ſacris, & inferiis facilius inveniri, & ſacris libaminibus perfundi poſſent.

Ne quid ad hujus argumenti enucleationem deſit, Columbariorum per parietes diſtributorum proſpectum, Ichnographiam, & diſtantiam damus Tab. XX. Igitur lit. B. cernitur unum ex Columbariis majori forma expreſſum, tectorio opere, & coronide, ut diximus, e plaſtico opere circumquaque ornatum; cui ſimilia omnino ſunt cetera Ollarum loculamenta. In altero ſchemate litera D. cernitur Columbarium ſpoliatum omnibus ſuis ornamentis, ut lateritii operis ſtructura dignoſci poſſit. Quod attinet ad Ollarum ſub fornice Columbarii quieſcentium diſtantiam, ac locum, is colligitur ex eodem Ichnographico ſchemate lit. H. ſcilicet a litera *a.* uſque ad *b.* pedem I. uncias VII. a lit. *c.* ad *d.* pedem I. uncias VIII. & ⁝; a lit. *e.* ad *f.* pedem I. & uncias XIII. Denique lit. B. oſtenditur Columbariorum altitudo a lit. *g.* uſque ad *h.* pedem I. & uncias IV. ſupra dimidiam. Plura de his Columbariis notari poſſent, quæ cum diligenter obſervaverit Fabrettus Capite I. *(a)* Domeſticarum Inſcriptionum, brevitatis gratia omittimus.

Minime tamen ſilentio prætereunda ſunt varia Columbariorum ornamenta, quæ obſervari poſſunt in celeberrimo Monumento retecto Via Aurelia, in Villa Corſinia, quod Petri Sanctis Bartoli cura, & diligentia delineatum eſt, & pluribus ex ære Tabulis inciſum. *(b)* Apud eumdem parva Columbaria intus, & extra elegantiſſimis picturis, coloribus, phrygiis operibus, ac ludicris inſignita ſunt Tab. XX. præpoſita item arcubus loculorum defuncti imagine; additis in ſpatiis inter unum, & aliud Columbarium pulcherrimis ſimulacris, & Geniis encarpos ſuſtinentibus, vel ſoliaceas, vel roſaceas corollas, ut in Tab. IX. & T. XIII. quas ſepulcris veteres apponebant ut defunctorum genio facerent ſatis; qui ſibi optabant ſuper tumulum non horridos rubos, nec malos ægypyros, ſed violas, & amaracos, narciſſos terreſtres, & aquatiles, denique roſas omnia eſſe, *(c)* florumque perpetuum, & ſuaviſſimum ver, ut ſupra diximus, conſtitutum.

§. XI.

IN ſingulis Columbariis duæ ollæ fictiles, ſtructuræ ipſius Monumenti coævæ, in maſſa, *(d)* calcis glutino, ita infixæ, & incluſæ erant, ut exceptis operculis, dimoveri, aliove transferri minime poſſent. In his defunctorum cineres, & ſemiuſta oſſicula relata. *(e)* Ollarum magnitudo, & forma, ex archetypis accurate excepta, exhibetur in allato ſchemate Tab. XX. lit. D. in quo duobus modis repræſentandas curavimus, integra figura lit. K, & ſecta lit. I. Altæ Ollæ palm. I. unc. IV. latæ in ore ex diametro uncias IX. Conſtituta in angulis Columbaria Tab. II. *a. a. a. a.* propter loci anguſtias, ſingulares Ollas, ut diximus, ideſt ſolas, nec alteri conjunctas continebant; *(f)* præpoſitis item Tabulis ſingulari titulo inſcriptis; nam tituli Ollis reſpondent. Raro, ac notabili exemplo obſervavit Fabrettus in veteri Conditorio lævorſum detecto, ſua tempeſtate, in Via Appia, parva quædam Columbaria quatuor Ollas habere; *(g)* verum frequentius binas Ollas excepiſſe docent veteres Inſcriptiones; ex quibus colligitur, quod ſi duo Columbaria donata, vel data dicantur, quatuor Ollæ numerantur; ſi tria Columbaria, ſex Ollæ, & ſic de ſingulis. Si vacuæ eſſent Ollæ, & defunctorum cineres recondendos præſtolarentur, Ollæ virgines dicebantur: *(h)* quæ non ſemper fictiles, verum etiam marmoreæ interdum erant, addita vel in medio earundem, vel in operculis inſcriptione; *(i)* & in marmoreis arculis, ſuperne pluribus foraminibus excavatis, conditæ. *(k)* Neque etiam

a Inſcr. Ant. Cap. IV. pag. 320. n. 432. & Cap. X. p. 703. n. 247. *b* Ut in Conditorio Libertorum, & Familiæ Liciniæ Gentis, quod deſcribit Fabrettus Inſcr. Cap. V. pap. 376. & apud P. S. Bartoli *Sepolcri antichi* Tab. 7. 11. 13. *c* Inſcript. Ant. Cap. I. pag. 13. & 15. *d* Sponium vide in Miſcell. p. 287. & 288. in plurib. *e* Ibidem apud eumdem, & Fabr. p. 13. *f* In Par. I. Inſcr. Etr. Urb. pag. 412. num. 242. *g* Fabrett. pag. 11. *h* Idem pag. 10. num. 11. & pag. 11. in pluribus. *i* Ibidem. *k* Idem pag. 13. & Vignolius Inſcr. Select. pag. 285.

a Vide pag. 1. 10. 11. 12. 16. 18. & 19. 55. *b* *Negli Antichi Sepolcri, ovvero Mausolei Romani*, &c. *c* Vide Cl. V. Albertum Henricum de Sallengre in Novo Theſ. Antiquitatum Roman. Tom. I. ad finem Præſ. qui affert Nemauſienſem lapidem erutum anno 1710. Latina, & Græca inſcriptione inſignem. Vide etiam Gruterum DCCCIV. 5. DCXXXVI. 12. DCXXXVII. 4. DCLXXI. 6. & Fabrett. Inſcr. p. 71. n. 34. *d* De qua Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. I. p. 98. *e* Vide Kirchmannum de Funer. Rom. Lib. III. c. 7. & c. 8. *f* De his Columbariis, & Urnis ſingularibus vide Fabrett. Inſcr. Ant. Cap. I. p. 1. & 12. *g* Inſcr. Ant. Cap. I. p. 10. *h* Fabrett. Cap. I. p. 33. nu. 307. *i* Vide in Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. p. 17. & pag. 347. *k* Apud Gruterum DCXVII. n. 1. DCXXVIII. n. 1. Vide Gutherium de Jur. Man. Lib. II. Cap. 33. & p. 310.

ſemper

semper Ollæ in Columbariorum maſſa occluſæ, verum ut totæ videri poſſent, expoſitæ ſuper baſes, & ſolia in Columbariis, & in majoribus ædiculis, ut cernere eſt in prælaudato Monumento ſive Columbario Viæ Aureliæ apud Petrum Sanctem Bartoli Tab. VII. XI. XIII. Non raro etiam cinerariæ Urnæ ſuper columnas ponebantur in Sepulcris, ut alibi notavimus; (*a*) quæ veluti defunctorum Apotheoſin, ſive conſecrationem deſignarent; nam in Urnis condita oſſa, & cineres non ſolum ſacri dicebantur, habebanturve, verum etiam & ipſæ Ollæ, atque urnæ quæ eos ſervabant ſacræ, & conſecratæ nuncupabantur; ut liquet ex antiquis inſcriptis Tabulis; hinc diris execrati qui eas violare auſi fuiſſent. (*b*) Invaluit hic mos condendi defunctorum cineres in fictilibus ollis, vel in cryptis, vel in Hypogeis, ideſt ſubterraneis Monumentis, (*c*) tum apud Græcos, (*d*) tum apud Etruſcos, (*e*) quod jam pridem notarunt viri docti. Interdum etiam in una eademque urna plurium defunctorum cineres ſimul conmixti, (*f*) quod ab amicis, & a pluribus affectu conjunctis factum legimus, in priſtini amoris, fidelitatis, perpetuæque inter ſe benevolentiæ, etiam poſt obitum, argumentum. Ex ſequentibus Titulis conſtabit, ut videbimus, in hoc quoque Monumento mixtos ſimul aliquando in una eademque olla plurium defunctorum cineres.

§. XII.

PErtinent ad parva Columbaria, & ad cinerarias Ollas, marmoreæ perelegantes Tabulæ, in quibus inſcripta ſunt defunctorum nomina, & officia, quæ ob inſcriptionis brevitatem a Latinis *Tituli* appellantur, (*g*) atque in vetuſtis lapidibus ſimul cum Ollis dati leguntur, ut in ſequenti penes Fabrettum; (*h*)

PHILVSA . ANDREI
LIBERTI . VXOR
OLLAM . ET . TITVLVM
ſ.AD DATVM . AB . CONSERVAS
PEDISEQVAS

Horum Titulorum forma, & magnitudo, (duorum circiter Romanorum pedum longitudine, & dimidii ejuſdem pedis altitudine) obſervari poteſt in Tab. XX. in qua duplici majori ſchemate repræſentantur, addito perelegantis coronidis, e plaſtico opere, ornamento, lit. A. eoque item remoto lit. E. Quo ordine per omnes parietes diſpoſiti eſſent, allata Orthographica Tab. I. & ſequentes Tabulæ III. IV. & V. clare oſtendunt. In ſuperficie perfecte plani erant, exceptis iis omnibus qui in abſidibus, ſive in tribunalibus diſpoſiti erant, qui veluti in hemicyclum curvabantur, ut abſidum formam, & modulum imitarentur. Quod attinet ad ordinem, & locum Titulorum ſuperpoſiti erant omnes ſuis Columbariis, non vero ſub Columbariis locati, ut in aliis hujus generis Monumentis,

a In Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. p. 460. *b* Par. I. Inſcr. Ant. Etr. pag. 343. n. 20. V. Gruterum DXCIV. 5. *c* V. Fabr. Inſcr. Ant. Cap. III. p. 220. nu. 583. *d* Conſulendus Jo. Roſinus Antiquit. Rom. Lib. de Funeribus, & pulcris Cap. 39. *e* Philip. Senator Bonarrotius item videndus in Conjecturis, & Explicat. ad Monumenta addita Dempſteriano Operi §. XXVI. *f* Gutherius de Jure Manium Lib. II. cap. 25. In Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urbium pag. 43. n. LXXIII. pag. 420. n. 274. *g* Ovid. in Epiſt. Hypermneſtræ ad Lyncum. Martial. Epigr. 71. Lib. X. Vide Kirchmann. de Funer. Rom. Lib. III. cap. 19. *h* Inſcript. Ant. Cap. III. p. 157. n. 263.

ſive Columbariis videre eſt, quæ edidit, & luculenter deſcripſit Fabrettus. Quare ſi quis invenire velit ad quas Ollas Tituli pertineant, initium capiendum non eſt in hoc Monumento, ut in aliis, ab imo ad ſummum; ſed a ſummo uſque ad imum perveniendum; ex quo liquet præpoſitas inſcriptas Tabulas ſubjectas Ollas cinerarias ſuorum defunctorum indicare. Præpoſiti igitur Tituli, ſi unica inſcriptione fuerint inſigniti, quales ſunt omnes qui exſtant in angulis hujus Sepulcri, ob anguſtias ejuſdem loci, ut diximus, ſingularem Ollam in Columbario incluſam cum cineribus unius tantum defuncti deſignabunt; ſi vero duplici epigraphe cum dextra, tum læva inſcripti, duplices Ollas cinerarias duorum defunctorum in Columbariorum loculis quieſcentes indicabunt. Præterea ſi marmoreæ parvæ Tabulæ unica tantum parte vel dextra, vel læva (cujus generis quamplures inferius obſervari poſſunt) erunt inſcriptæ, ita ut in una parte Titulo vacent, in altera relictum ſpatium ſit quo inſcribantur; patebit, ea parte in qua Titulus legitur, conditam eſſe Ollam refertam defuncti cineribus; altera vero, adeſſe quidem, ſed adhuc virginem, ideſt, ut ſuperius diximus, vacuam, abſque defuncti cineribus, mox tamen recondendis, donandiſque Titulo, ſive Inſcriptione in vacuo ſpatio relicto.

In parietibus Monumentorum neminem latet æneis, vel ferreis clavis fixos fuiſſe marmoreos Titulos; quorum veſtigia, & foramina præſertim in anſis, vel circa extrema Tabularum frequenter conſpiciuntur. Tituli præterea non ſolum in pariete, verum in terra infigebantur, qui cum in utraque facie inſcripti eſſent ita collocabantur, ut Ollam tam ante quam retro poſitam reſpicerent, & ſui defuncti oſſa vel cineres indicarent. (*a*) Ita eodem modo Cippi in Monumentis defixi leguntur. (*b*) Infixionis hujuſmodi Titulorum meminit hæc vetus Inſcriptio in Gruteriano Theſauro, (*c*) quam in conſpectum libet exponere.

CAELIAE . VRBANAE . ET . L . CAELIO
PARDALAE . PARTEM . MONIMENTI D
EXTERIORIS . AREAE
CONCESSVM . SIBI . AB . T . MANLIO
CALLISTO . TITVLVM . INFIXERVNT

Etruſcos, eodem fortaſſis modo, inſertis Ollis in loculorum fundo, exterius appoſuiſſe Titulos, & parietibus infixiſſe, ſuadere videtur æneæ Tabellæ fragmentum, quod producitur Tab. LXXXIII. n. 9. in præclaro Dempſteriano Opere. Verum marmoreæ omnes Tabulæ hujus Monumenti parietinis non infixæ fuere clavis, ſed ferrea recurva laminula tranſverſim comprehenſæ tum ſuperiori, tum inferiori parte, ut firmius parietum locis inhærerent; quare, cum nuper foſſores defigere eas vellent, nimia celeritate, & oſcitantia id facientes, contigit ut plures maximo damno labefactarent, frangerent, & in plura fragmenta redigerent, quæ poſtea vix componi potuere. Probe id obſervatum eſt in pluribus Titulis, & in aliquibus, qui ad manus venere, in quibus iidem, ut ita dicam, ferrei uncinuli ſuperfuerant; quos delineatos vide Tab. XX lit. Marmoreas vero arculas æreis laminulis, ſeu ligamentis cluſas obſervavimus in Florentinis Inſcriptionibus pag. 348.

a Vide Fabr. Inſcr. Ant. Cap. IV. pag. 307. & Par. I. Inſcr. Ant. Etr. Urb. p. 149. n. 61. p. 167. nu. 130. *b* Fabr. Inſcr. Ant. Cap. III. p. 239. n. 638. *c* Apud Grut. DCCCLXIII. 3.

Non pauci in hoc Monumento reperti sunt Tituli absque inscriptione; quamplures etiam priori epigraphe scalpro deleta, & alia rursus reposita, vel non restituta eodem in loco, quorum exemplum subjicere voluimus Tab.XX.lit.K. Id fortassis, ut arbitror faciebant, vel cum eum locum sepulturæ cum alio commutarent, vel alteri donarent, vel cum Libertis vetarent in suo Conditorio sepeliri, & in Monumento jus habere propter delicta; quemadmodum in pluribus vetustis lapidibus legitur. *(a)* Quod attinet ad characterem plurimæ Tabulæ pulcherrimis optimisque literis sunt inscriptæ; quem indicant nonnumquam tenues lineæ, vel ductus a quadratariis facti, ut optime spatia distinguerent inter versus; plures quoque rudiusculo charactere exaratæ. Literæ interdum in aliquibus Tabulis, ut clariores essent, ut ait Plinius, *(b)* minio eleganter obductæ, ac pictæ; quod non solum Ethnici, verum etiam Christianæ Religionis Cultores fecere cum in Tabulis, quæ loculos claudunt in Cœmeteriis, tum in vasculis, ac vitreis ampullis, de quibus erudite Cl. V. Marcus Antonius Boldettius in Observationibus in Vetera SS. Martyrum, & antiquorum Christianorum Cœmeteria. *(c)* Literas in Urnulis, & Sepulcris rubricare Etruscis quoque in usu, quemadmodum plura monumenta testantur, a quibus eum morem fortassis Romani accepere; quamvis interdum Etrusci ex atramento inscribere ea consueverint, ut observavi in Etrusca Urna nigerrimis literis depicta, quæ exstat Florentiæ in Museo Nobb.DD. e Cerreto hodie Cerretanorum, quam vulgavimus in Prima Parte Antiquarum inscriptionum Urbium Etruriæ. *(d)* Mos quoque fuit Romanorum atramento tectorio scribere in fictilibus monumentis; cujus veteris scripturæ perrarum, & eximium profero exemplum in hoc fragmento fictilis laterculi, quod servatur in Museo Nobb DD. e Victoriis, in quo litera *f* simili ductu in Florentinis Pandectis scribitur; legendumque videtur *Rusticius ferbus* i. *Rusticius servus*.

Scriptionis hoc genus antiquum, cursivo, ut dicitur, longe simillimum est, vel ipsissimum est, quo communiter utebantur, cum vellent majori velocitate, & commoditate scribere *(e)* ii, qui, dicebantur ταχυγραφοι, *Notarii* Latinis, a notis. Alii enim, qui elegantiæ potius, quam brevitati studebant, vocabantur *Antiquarii*, Gr. καλλιγραφοι.

Scalpi prætérea solebant a quadratariis in sepulcralibus hisce Titulis alia pro libito ludicra ornamenta, ac parerga, quæ frequenter in ipsis cernuntur; scilicet pendentes in superiori parte foliaceæ corollæ, vel encarpia; spicula, aliquando acuta cuspide utrinque munita, ac tæniolis religata; surculi palmarum, qui in medio Tabulæ sculpti, Titulum unius Ollæ, ab altero subsequenti distinguunt; flosculi, hederaceæ philiræ, rosæ, violæ, hastæ annexis annulis; *(f)* quorum nonnulla in sequentibus Tabulis occurrunt. Raro in his Titulis præponitur dedicatio D. M. *Diis Manibus*; raro item anni, menses, dies, horæ enumerantur, ad indicandam vitam, & ætatem defunctorum; quare argui potest viventes sibi Titulum fecisse, vel ollas ad servandos cineres sibi donasse, ut securi posteritatis essent, & ne heredes rogarent.

a Apud eumdem DCCCXLIV. 4. DCCCLXIII. 3. *b* Lib. XXXVII c. 7. *c* Lib. I. cap. I. pag. 328. 94. *d* Pag. 275. num. 12. *e* De hoc scripturæ genere consulendus Vir Cl. Philippus Senator Bonarrotius pag. XVI. XXI. XXII. in Præfatione ad Observationes in Fragm. Vas. Vitr. Cœmeter. *f* Hæc ludicra ornamenta pro libito marmorariorum facta in Tabulis videri possunt apud Gruterum DXCIV. 3. DCCCCXXXIX. I. &c. & in Prima Parte Inscr. Ant. Urb. Etruriæ pluribus in locis, sed præsertim in Inscr. ex Urb. Hortis D. March. Corsinii, & Musei Suburb. Strozii.

§. XIII.

EX numero Ædicularum, sive Columbariorum supra quingenta, & quinquaginta, pluribus ordinibus, ac lineis ubique per parietes dispositorum, colligi facile potest numerus tum Ollarum cinerariarum in ipsis conditarum, tum Titulorum, in quibus inscripta sunt nomina, & officia Libertorum, ac Servorum Domus Augustæ, quos supra centum & mille promiscue cum feminis inlatos fuisse intelligimus in hoc commune Sepulcrum. Servilia hæc Libertorum Libertarumque agmina, quemadmodum ostendunt veteres Inscriptiones jam editæ, ac mox afferendæ, in varias classes, & ministeria distributa erant, quibus Decuriones præerant, ad omne officium, usum, pompam, commoditatem, delectationem, denique ad omnem luxum, ac magnificentiam ostentandam destinata. De immensa, atque infinita propemodum eorumdem multitudine quum erudite, & luculenter scripserint viri docti, *(a)* in re tam clara, ac pervulgata nil opus est ut diutius morer. Spectant ad alia Monumenta, ac Sepulcra quamplurimæ Inscriptiones Libertorum, ac Servorum LIVIAE AVGVSTAE, & Cæsarum Domus, quæ a Grutero, Reinesio, Sponio, ac Fabretto, aliisque præstantibus Viris de antiquaria Re optime meritis, in lucem editæ sunt; quæ Monumenta, ac Sepulcra diverso tempore, & loco, sed præsertim in Via Appia retecta sunt, ut Libertorum Liviæ Augustæ, & Cæsarum Conditoria frequentiora fuisse credere licet. Legitur in Gruteriano Thesauro sequens Titulus; *(b)*

EX . DOMO
CAESARVM ET
LIVIAE
LIBERTORVM ET SERVORVM

quem appositum fuisse alicui communi Sepulcro eorundem Libertorum conjicio, aliorum similium Titulorum exemplo apud laudatum Gruterum, *(c)* & Fabrettum; *(d)* qui indicant Sepulcra Libertorum, Libertarumque C. Mæcenatis, P. Licinii Silvani, & Scriboniæ Domus.

Huic ornatissimo Monumento aliud proximum fuit in Via Appia, cujus plures Inscriptiones ad Libertos Augustæ Domus, ac præsertim Liviæ spectantes afferuntur a Reinesio in Classe IX. *(e)* Aliud Conditorium describit Fabrettus, Inscriptionum Antiquarum Capit. I. pag. 10. quod vidit ad Viam Appiam lævorsum, ubi assurgere incipit, post Almonem fluviolum in Vinea D. Banchi celebris Doctoris Physici; in quo Columbaria observavit, ut diximus, cum quatuor Ollis in

a Pignorius in Præfatione ad Librum de Servis. Fabrettus Inscr. Ant. Cap. IV. pag. 343. & 344. Bened. Averanius in Thucydidem Dissert. XXI. Vide Inscriptiones antiquas, quæ exstant Florentiæ in Urbanis Hortis D. Marchionis Corsinii, & in Museo Suburbano Strozio, inter quas plurimæ ad Libertos Liviæ Augustæ pertinent, quas hic enumerare non vacat. *b* DCCCCXXXIV. 12. *c* DCCCCXLV. 10. MXCVI. 7. *d* Inscr. Ant. Cap. I. pag. 42. & 43. pluribus in locis. *e* Pag. 575. 578. 580. 582. 583.

iisdem conditis; quod ob incredibilem loculamentorum hujusmodi copiam in tres capacissimas aulas ab imo ad summum dispertitum fuerat, & Libertis Domus Juliæ ab Augusto, ut putabat, statutum. (a) Alibi quoque Libertorum Domus Juliæ memorias se conspexisse testatur Cap. I. pag. 50. & 51. scilicet in Via Cassia ad V. lapidem in Agro *d' Acqua traversa*; in Via Prænestina, ad Viam Latinam lapide XI. ad Viam Aureliam XVIII. lapide, prope Bebianæ rudera, ad Pontem *Di tre danari*, in Agro Nobb. de Falconeriis. Aliud Columbarium in Via Appia erutum, cum sepulcralibus Titulis Libertorum Domus Augustæ, optime delineatum visitur apud Petrum Sanctem Bartoli (b) Tab. XL. & XLI. ac Tab. XLII. aliud ibidem repertum exhibetur; ut alia Sepulcra præteream Pompejæ Gentis, Turanniæ, (c) & Æbuciæ, & cetera privatarum Familiarum, quæ in eadem Via Appia exstabant; & ea quæ describuntur a Georgio Fabricio in sua Roma Cap. XXI. & ab Johanne Ciampino delineata exhibentur in Prima Parte Veterum Monumentorum Cap. XIX. Tab. XLII p. 174.

Prænotandum vero hic est in hoc nostro Monumento non omnes Libertos Liviæ Augustæ, & Cæsarum conditos fuisse; sed, ut puto, locupletiores, (d) eosque præsertim qui honoratiores erant, ut colligitur ex eorum Inscriptionibus, in quibus permulti non solum INGENUI, & HONORATI, verum etiam IMMUNES dicuntur; quæ appellationes nusquam in aliis jam editis Titulis leguntur; de quibus inferius erit sermo. Constat etiam non tantum Liviæ Augusti conjugis, verum etiam aliorum Augustorum Augustarumque, & ipsorum Libertorum Libertos, ac Libertas ibidem sepultas fuisse; quorum nomina, & prænomina infra silentio minime prætermittentur. Verum quia majori ex parte in his Titulis leguntur nomina Libertorum Liviæ, vel Juliæ Augustæ, hac de caussa hoc Opusculum inscribere potissimum voluimus; *Monumentum, sive Columbarium Libertorum, ac Servorum LIVIÆ AUGUSTÆ. &c.*

a Vide eumdem Fabrettum Inscr. Antiquar. Cap. I. p. 50.
b In Libro qui inscribitur: *i Sepolcri Antichi, ovvero Mausolei Romani*. c Gruter. MXLII. & MLXIII. d Videndus Horatius in Ode 5. Carm. Lib. IV. in Menam Augusti Libertum potentissimum, ac locupletissimum, & Sat. 5. Lib. II.

§. XIV.

His prænotatis, nunc non abs re fortassis erit inquirere a quo nam conditum fuerit hoc Sepulcrum, an donatum Libertis ab Augusto, vel ex pecunia collata sociorum ædificatum. (a) Verum in re tam difficili atque obscura nil audeo adfirmare. In quadam Inscriptione hujus Monumenti, sive Columbarii mox afferenda, primo in loco legitur Tyrannum Vernam dedisse, sive donasse *Columbarium totum* Tiberio Claudio Augusti Liberto Veterano, qui in illud intulit Janthum Augusti Libertum fratrem suum. Notandum dixisse *Columbarium totum*, quum in aliis Titulis legatur donatio duarum Ollarum, vel unius Ollæ; quare si totum parvulum Columbarium donare voluisset, aliorum Titulorum exemplo inscribere poterat *dedit Ollas duas, vel unam;* cum unumquodque parvum Columbarium, exceptis iis quæ in angulis sunt, duas tantum Ollas contineat. Accedit etiam quod in aliis jam editis Columbariorum Titulis numquam legitur Columbarium totum, sed dumtaxat dedit Columbarium unum, duo vel tria &c. Quare si conjecturis indulgere liceat, crederem hunc Tyrannum Sociorum Curatorem fuisse, & Monumentum ex pecunia collata Sociorum ædificasse, cui fortassis dicata honoris caussa fuerit a Sociis marmorea imago, sive caput alicui signo reponendum, ut factum memorat Plinius in Apollinis Delubro Palatino; (b) quod exhibetur Tab. XII. lit. A. quam conjecturam illustrat hæc vetus inscriptio ex Museo Sabbatinio, apud Fabrettum. (c) Vide quæ infra.

a Vide Fabrettum Inscr. Ant. Cap. III. pag. 152. 153.
b Hist. Nat. Lib. XXXVI. c. 5. c Inscript. Ant. Cap. VI. pag. 449. num. 59.


L . LICINIVS . L . Ↄ. L . ALEXA . CVRATOR . SOCIORV
SECVNDVS . IS . MONVMENTVM . EX . PECVNIA
COLLATA . SOCIORVM . AEDIFICAVIT . ARBITRATV
SVO.IDEMQVE.TECTORIO.OPERE.FECIT.ET.IS.TRICHILINIV *sic*
SOCIORVM . EX . SVA . PECVNIA . OPERE TECTORIO
PERPOLIT . ET . AMICIS . DONVM . DEDIT
ET . EX . AMICORVM . AERE . COLLATO . IMAGO . EL *sic*
FACTA . EST . ET . SINE . SORTE . PRIMO . AB . SOCIS
QVAS . VELLET . OLLAE . SEXS . DATAE . SVNT
EIQVE . OR . OFFICIVM . ET . MAIESTATEM . EIVS
INPERI . ET VOM . IMMVNITAS . DATA . EST *sic*

Alterum hujus Monumenti Curatorem, vel Collegam præcipuum Ti. Claudium Firmum fortassis indicat marmoreæ statuæ fragmentum, quod cernitur in Tab. XII. lit. E. cujus nomen in basi notatum est. Nam in Sepulcris quoque viris dumtaxat optime meritis statuæ donari, ac dedicari solebant. Vetus inscriptio apud Fabrettum pag. 160. nu. 287. memorat M. Fabium Felicem Curatorem cum M. Æmilio Chresto, qui ex pecunia Sociorum XXXVI. Monumentum fecerunt.

In sequentibus Inscriptionibus leguntur nomina Gentis Ulpiæ, & Æliæ; ex quibus licet arguere Trajani quoque & Hadriani Imperatorum tempore Libertos inlatos fuisse in hoc Monumentum; quod ex descriptis, observatisque hactenus eximiis sculpturis, sarcophagis, anaglyphis, musivis operibus, ceterisque ornamentis liquet omnium pulcherrimum, & sumtuosissimum fuisse.

Pluribus jam perspectis Aris, & Sarcophagis qui tam misere fracti in ipsa detectione reperti sunt,

A non levi conjectura asserere possumus hoc Monumentum sequioribus seculis a Barbaris vastatum fuisse, spoliatumque præcipuis ornamentis, & pretiosa supellectile, quæ plerumque in Sepulcris recondi solebat. Nam quicquid in deliciis, & in pretio habuerant cum viri, tum feminæ dum viverent, in suis tumulis ab heredibus poni sibi post mortem testamento curabant; quod firmari quoque potest auctoritate vetusti lapidis penes Gruterum LIX. 2. in quo fit mentio Veneris Augustæ sigilli cum parergo, item phialæ argenteæ, & argenteæ tabulæ, addito *anulo aureo cum meliore* B *gemma*; quæ poni jubentur in conditorio Æmiliæ Artemisiæ. Sarcophagum superius descripsimus Tab. VII. superne marmoreis tabulis tectum, in quo, quia ei tantum sævæ Barbarorum manus pepercere, repertas fuisse ferunt nonnulli gemmas præstanti artificio scalptas cum aliis pluribus antiquis cimeliis. Quæ causa fuit Barbaris, ut hoc tam celebre Monumentum, eo tempore aliqua ex parte, quæ nos latet, pervium, diriperent, ac pessumdarent; ablatis quoque pluribus marmoreis Urnulis insigni opere & sculptura elegantissimis, quarum hodie duo tantum opercula supersunt Tab. XVI. lit. A. & C. ereptis item æneis valvis, quas & in hoc sepulcro positas fuisse constat aliorum exemplo, atque tam in superiori quam in inferiori ostio, æneæ plumbaturæ, quæ nunc visuntur, indigitant. In his Sepulcris in posterum eruendis, quæ non levia sunt Romanæ majestatis, & magnificentiæ argumenta, illud Ciceronis observari cupio, qui dixit ad finem IX. Philippicæ *Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est: quod nulla vi moveri, neque deleri potest; atque ut cetera extinguuntur, sic Sepulcra sanctiora fiunt vetustate.*






Auspiciis Reuerendiss.mi D. M. F. Saluatoris ASCANIO Ord. Praed. Catholici Hispaniarum Regis ad Mag. Etr. Ducem Ablegati.


ORTVS.

SEPTENTRIO


MERIDIES


OCCASVS







Auspiciis D. Iulii Equitis Morelli Patricii Florentini.



N. S. T. III. Pag. 48.
Tab III
Palm. Rom. XX
Auspiciis D. Bindi Ferdinandi de Bonaparte I.C. et Vicarii Gen. Miniatensis.






Auspiciis D. Hermolai Pisani Patricii ac Senatoris Veneti.






Auspiciis D. Iacobi Superantii Sebastiani Proc. Fil Laurentii Eq. et Proc. Nep. Patricii Veneti.






Auspiciis D. Thomae Dereham de Dereham Magnae Britanniae Baronetii. Regiae Societatis Socii.




Auspiciis D. Johannis Baptistae Comitis Casottii Canonici Pratens.
Ecclesiae Imprunetanae P. Design.


A



B




Auspiciis D. Philippi Martelli Patricii Florentini




Auspiciis D. Camilli Antonii Cō. Senatoris Buscaferrei Patricii Bononiensis

A




B



Auspiciis D. Octavii Mariae Abbatis Dini Patricii Florentini.


N. S. T. III. Pag. 48. Tab. XI




Auspiciis D. Gregorii Baiulivi Redii Patricii Arretini.

A

B






C

D

E







1. 2.

Plam . Rom .

Auspiciis D. Abbatis Cursi de Riccis Patricii Florentini



Auspiciis D. Petri Philippi Equitis Strozzi, Caroli Thomae Fil. Patricii Florentini.




Auspiciis R.mi P. M. Gerardi Capassii Flor. Theologi, et Exgeneralis Ordinis Seruorum B. M. Virginis

A




B



C




D





1 2 3 4


Palm. Rom.


Auspiciis D. Cerchii Dominici Cerchii, Senatoris, Equitis, et Patricii Florentini
















Auspiciis D. Dantis Catellini A Castilione, Marchionis, Equitis, et Patricii Florentini.


A




B



D




C




E





F



Auspiciis D.D. Praepositorum Bibliothecae Roncioniae Pratensi


N. S. T. III. Pag. 48.
Tab. XVIII.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
Palm Rom. V.
Auspiciis D. Francisci Senatoris Gondii, Patricii Florentini.













N. S. T. III. Pag. 48.


Auspiciis D. Joseph Smith Angl.















Auspiciis D Joseph Bondelmonti Francisci M.[ae] Eq. Fil. Patricii Florentini



MONUMENTI SIVE COLUMBARII LIBERTORUM ET SERVORUM LIVIÆ AUGUSTÆ *Tituli, & Inscriptiones.*

I.


TVRANNVS. VERNA. TAB. APPARITOR.
SACRIS. OMNIVM. IMMVNIS.
IS. DEDIT. TI. CLAVDIO. AVG. L. VETERANO.
COL.V.M.BAR.IVM. TOTVM.

MINISTRI

IS. INTVLIT. IANTHVM. AVG. L.
FRATREM. SVVM


IN hoc eximio lapide, cui merito principem locum damus, quod multa notatu digna contineat, Tyrannus Verna dedisse legitur Tiberio Claudio Augusti Liberto Veterano Columbarium totum; qui jure donationis in idem intulit Janthum Augusti Libertum Fratrem suum. Primi duo versus, quomodo explicari possint, inferius dicam. Interim, ut exordiar, tota, eaque non levis difficultas explanationis hujus Tituli in hoc sita esse videtur, ut vera, ac propria significatio hujus vocis IMMUNIS afferatur. Neque enim ea nunc primum prodit in lucem; quum in vetustis inscriptis saxis, plures immunes facti legantur, verum in quo consistat IMMUNITAS Libertis data, de qua hactenus viri docti siluere, profecto haud facile dictu est.

Immunitas igitur duplici modo considerari potest; vel in quantum ad rem civilem pertinet, vel ad rem sacram; plures vero sunt causæ, quibus variis personis dari potuit. Quod attinet ad rem civilem, dabatur ad liberandum vectigalibus; cu-

A jus immunitatis sexcenta occurrunt exempla. Plures civitates immunes, & liberas memorat Cicero in Oratione VIII. in Verrem, quæ scilicet nihil pensitabant. Qui enim sunt immunes, ii certe nihil debent, ut notat clarissimus interpres Hotmannus in eumdem locum. Oblatam fuisse ab Augusto immunitatem cuidam Gallo tributario, rogante Livia ejus conjuge, testatur Suetonius his verbis: *Et Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans, se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam Civitatis Romanæ vulgari honorem.*

B Immunitas quoque dabatur non modo Provinciis, Municipiis, Coloniis, Magistratibus, Collegiis, verum etiam Viris optime de iisdem meritis vel pro aliquo temporis spatio, vel perpetuo; nam in vetustis inscriptionibus, immunes iterum, & immunes perpetuo dicuntur, ἀλειτούργητοι διὰ βίου; ut apud Gruterum XIII. I. XCIX. I. XLVIII. I. LXXVIII. 3. CCXLV. 7. CLXXV. 10. CCLIII. I. DXXXII. 2. MXIII. 2. MXCIX. 6. & apud Fabrettum Inscriptionum Antiquarum Cap. VI. pag. 450. n. 61. & pag. 109. n. 266.

Sæpe etiam honoris caussa, & pro præmio immunitas data; quemadmodum Antonio Musæ Me-

dico; cui, ut narrat Dio Romanæ Historiæ Lib. LIII. versus finem, ob restitutam Augusto sanitatem, non solum pecunia multa ab Augusto, & ab Senatu, ususque anuli aurei datus, (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν, *Libertus enim erat*) verum etiam ἀτέλεια, *immunitas* cum ipsi, tum omnibus Medicis in posterum quoque tempus concessa.

Plerumque immunitas munera vel publica, vel privata respiciebat; & dabatur illis qui gravia, vel sumtuosa Magistratuum munia civilia, vel personalia, vel patrimonii exercere non poterant; quorum fit mentio in leg. ult. D. de mun. & honor. Item l. 3. D. de municip. in l. 2. & 8. C. de muner. patr. l. 10. de quibus satis erudite Edmundus Merillus Observationum Lib. VI. c. 40.

Veteranis item militibus immunitas concedebatur, qui post emerita stipendia, donati ab Imperatoribus missione honesta, militia deinceps, ut ait Livius Lib. I. immunes erant. Consulendus doctissimus Justus Lipsius de Militia Rom. Lib. V. Dial. VI. Legionem VIII. immunitate donatam legimus in vetusto lapide penes Fabrettum Cap. VI. p. 251. n. 33. quem etiam vide pag. 450. Octavius Falconerius Patricius Florentinus, Vir eruditissimus, in Inscriptionibus Athleticis pag 112. & seqq. vetustorum lapidum, & scriptorum testimonio ostendit, Athletis quoque qui in certaminibus victores extitissent, immunitatem datam fuisse; item pro præmio, & honoris causa Philosophis, seu Sophistis, Rhetoribus, aliisve Professoribus.

Quod attinet ad Libertos, de quibus hic sermo est, quibus data immunitas legitur, ea ut arbitror pluribus causis & his dari potuit ab Imperatoribus; vel scilicet ut a persolvendis fisco vectigalibus liberarentur. Neminem enim latet Libertos, præsertim Cæsarum Domus, valde divites fuisse: qui publicos ludos magno sumtu edere potuerint, præbere epulas, divisiones viritim facere sua pecunia; publicas vias pro ludis silice sternere, ut apud Gruterum in vetustis marmoribus CLXIX. 3. CL. 4. legitur; in suo suburbano Augustum rusticantem, & valetudini suæ consulentem accipere, ut narrat Suetonius in Aug. c. 72. & in Nerone c. 48. Quod vero Liberti fisci juribus subjacerent, clarissimum est ejusdem Tranquilli testimonium in Vespasiano c. 23. qui ait: *Et de Cerylo Liberto qui dives admodum ad subterfugiendum quandoque jus fisci, ingenuum se, & Lachetem, mutato nomine, cœperat efferre*. Certum igitur est Libertos immunitate ab Imperatoribus donatos fuisse, qui aliquando non solum sibi, verum etiam aliis immunitatem obtinuere, ut idem Suetonius memorat de Imperatore Galba his verbis, c. 15. *At contra nihil non per co[...], atque Libertos pretio adipisci, aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates, pœnas noxiorum*.

Immunitas præterea dari potuit Libertis a suis Patronis, sive Dominis, vel tamquam beneficium, vel tamquam præmium; ut colligitur ex sequenti inscriptione quam exhibet Gruterus DCCCLXXIV. 1. & ex alia apud eumdem Gruterum MCLVI. 1. quam Fabrettus Cap. VI. pag. 440. n. 60. Romæ extare dicit apud Nobiles de Mignanellis.

CIRATIA. IVLIA
ANNAI. F. NATIO
NE. NERVIA. AN
NO. XXVIII. INMV
NIS. BENEFICI. A
PRONI
H. S. E
RVFVS. IVLIVS
PRO PIETATE
POSVIT

IVLIO C. L
FAVSTO. IMMVN
INTESTATO. QVOT
EX. FVNERE. EIVS
SVPERFVIT. PER
SPIRONTE. ET
DEXTRVM
QVAESTORES
QVARTVM

Aliam produxit Gruterus DXXXII. 2. læva tamen marmoris parte mutilam. Tanti enim ab mancipiis libertas fiebat, ut quandoque ingenti pecunia eam sibi a Patronis compararent; ut Eros ille, qui, ut observat Vir Cl. Laurentius Pignorius in eruditissimo Opere de Servis pag. 35. manumissus, P. DECIMIVS. P. L. EROS. MERVLA scribitur Assisii in antiquo Titulo penes Gruterum CCCC. 4. ubi notatur pro libertate dedisse HS. IↃↃↃ. Seneca in eamdem sententiam: *quid autem melius potes velle, quam eripere te huic servituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata, omnino exuere conantur; peculium suum, quod comparaverunt, ventre fraudato, pro capite numerant*. Verum quamvis servi libertatem in manumissione consequerentur, tamen plures adhuc operas, officia, & obsequia ipsis Dominis præstare tenebantur, quæ ipsi Domini in manumissione sibi reservabant, ut colligitur ex Libro XXXVIII. Tit. I. D. de Operis Libertorum, a quibus ut in posterum vacarent, puto, præter libertatem, immunitate quoque donatos; quod & ipsum vocis etymon arguit. Nam, ut ait Festus, IMMVNIS ille est, qui est sine munere, nulloque fungitur officio; qui vel ætate, vel alio privilegio liber est ab onere, nec munia præstare tenetur. Quare IMMUNIS, Græce ἀλειτούργητος, vernaculo sermone dici potest, *l'esente, il privilegiato, il giubbilato, quegli che ha il riposo*. Tum primo immunitatis beneficio, quod respicit exemtionem a vectigalibus persolvendis, tum secundo, ut a ceteris operis præstandis liberarentur, autumare licet donatos fuisse hos Libertos Domus Augustæ, ac præsertim LIVIÆ; in præteritorum laborum, diuturni servitii, & emeritæ fidelitatis præmium; scilicet ut in posterum ab operis, officiis, atque obsequiis, quæ præstare debebant, vacarent, ac quiescerent; non secus ac Veterani milites, qui, ut supra diximus, post emerita stipendia, missione honesta, donisque non paucis, ac privilegiis ab Imperatoribus donabantur, ut immunes militia essent. In Cæsarum pariter Domo fuere Liberti Veterani, ut liquet ex hoc Columbarii Titulo, & ex aliis quamplurimis jam editis; ad quem gradum fortassis prius ascendere debebant, ut immunitatem postea consequerentur.

Immunitas alia erat, quæ ad rem sacram pertinebat, dabaturque a Corporibus, Collegiis, ac Sodalitiis sacris; quæ, ut puto, in eo consistebat, ut Viri συσύμαχοι, qui in eorum albo, vel decuriis censebantur, ab quarumdam legum, vel officiorum oneribus liberarentur; vel, uti explicat

A Fabrettus, auctoritate vetusti lapidis, quem exhibet Cap. VI. pag. 449. n. 58. ut eorum permissu sacri faciundi jus haberent. Ita imperante Nerva Tiberius Claudius Felix, & P. Lollius Paris Allectores, Cultores Silvani, idest Viri Religiosi sub Silvani tutela, immunes dicuntur in Romana columella, quæ legitur in Gruteriano Thesauro CXLV. 7. & in eximia marmorea Tabula ex domestico Museo Fabrettio pag. 448. n. XII. Sodales Sodalicii Dei Silvani Pollentis, non pauci IMMUNES scribuntur in primo marmoris segmento.

Hoc quoque sensu hos Libertos, quorum Titulos sepulcrales afferimus, immunitate donatos fuisse intelligere fortassis possumus; B quod scilicet, magna ex parte, in aliquo Collegio, Corpore sacro, ac religioso, seu Sodalitio descripti, & adlecti fuerint, & ab eo IMMUNES declarati; quod etiam innuere videtur ea vox addita pæne ad oram, & in angulo marmoris, MINISTRI; post quam, ut aliquid significet, supplendum, ni fallor, POSUERE. quæ vox MINISTRI, tum sacra communia, tum sacrorum ministerium indicare videtur. Sed quod nam Sodalitium, Corpus, sive Collegium horum Libertorum immunium esse potuerit, obscurum, ac perdifficile dictu est. An Cultorum Larum, & Imaginum Domus Augustæ? C Ex Pisana, nunc Florentina marmorea Tabula Cultorum Herculis Somnialis, quam Diis Manibus inscribunt plures Viri in Herculis Somnialis tutela, colligi facile potest juxta hæc Sodalitia, sive Collegia sepulturam in alicujus agro vel fundo sibi statuisse eorumdem Sodales, ac Collegas. In eximio marmore Ædium Barberinarum, quod primum edidit Sponius in Miscell. pag. 52. & deinde accuratius Fabrettus Cap. X. pag. 724. n. 443. fit mentio Collegii Æsculapii, & Hygiæ, quod erat in Via Appia ad Martis, intra miliarium primum, & secundum, ab Urbe euntibus parte læva; in cujus honorem, & in memoriam Flavii Apollonii Procura- D toris Augusti, qui fuit a Pinacothecis, & Capitonis Augusti Liberti Adiutoris, ingentem pecuniam, & alia plura dono dedit, variis conditionibus, Salvia Marcellina. In tanta rerum caligine, virorum doctorum, qui hæc meliori Minerva expendent, calculum libens animo accipiam.

Sed, si explicandum sit, hos Libertos donatos fuisse immunitate, quæ ad rem sacram pertinet, non levis insurgit difficultas, eaque est quod etiam feminæ simul cum viris immunes dicuntur; ut legitur in sequenti Titulo hujus Monumenti sive Columbarii, qui tamen singularis est.

E

C. IVLI. EVTYCHI

ET. QVINTILIAES. AVR AES

IMMVNIVM

Fateor feminas adlectas fuisse inter Augustales, vel in Decurias Augustalium apud Reinesium Class. I. Inscr. c. pag. 134. Gruterum MLXXXVIII. I. & 12. fateor etiam feminis non interdictum Sacerdotium, ut penes Fabrettum Inscr. Antiquar. Cap. V. pag. 405. n. 306. verum nusquam hactenus legi eas in aliquod F Virorum Collegium, sive Sodalitium cooptatas fuisse, & cum ipsis immunes factas. Quare diu cogitanti mihi, illud in mentem venit, an immunes dici potuerint hi Liberti ab impensis, vel factis in ædificando hoc communi Monumento; quam immunitatem fortassis innuit allata superius inscriptio ex Museo Sabbatinio pag. 63. vel ab aliis impensis, quæ in annuis solennibus inferiis pro defunctis fieri solebant. Constat enim, ut superius diximus, quotannis, stato tempore, sacra Diis Manibus facta in Sepulcris, vel in ædificiis iisdem junctis, in quibus accensæ leguntur lucernæ, appensi lychnuchi, libationes factæ, coronæ ad tumulum delatæ, sparsæ rosæ, parentales profusiones factæ, ferale epulum datum, ludi præterea præbiti, & acroamata; quæ omnia ex ære collato sociorum, vel ex pecuniæ fenore fiebant. Hæc exercitationis caussa dicta sunto; nil enim definio, & suum judicium cuique permitto; cum in re plane obscura divinatio minime illicita sit; ut ait Vir Cl. Cuperus in Apotheosin Homeri. His præmissis, ad singula verba hujus Tituli explicanda descendamus.

TURANNUS. Græce Τύραννος. unde diminutivum Tyrannio, Τυραννίων. S

In duobus aliis Titulis hujus Sepulcri, quos infra subjicimus, scriptum est TYRANNUS. Sæpe tam in vetustis lapidibus, quam in MSS. ponitur V pro Y; siquidem antiqui Latini V pro Y scripserunt; ut *Sulla*, *Ægupto*, *incluto*: pro *Sylla*, *Ægypto*, *inclyto*; nam Y peregrinum. Vide Ciceronem in Oratore, & Aldum Manutium de re literaria meritissimum, in Orthographia, in voce *Sylla*.

VERNA. Gr. Οἰκογενής. *Servus Domi natus*. Plautus in Mil. *Quid? nutrici non missurus quicquam, quæ vernas alit?* Hinc *vernaculus*. quo nomine veniunt domestici οἰκογενεῖς in sacris Literis. Genes. cap. XIV. & XV. S.

Cujus domini Verna fuerit iste Tyrannus non indicatur. Vetus inscriptio apud Gruter. DLXXXV. V. & apud Fabrettum pag. 215. num. 548. meminit Tyranni Actes Liberti Vernæ, Scribæ Librarii. Claudia Acte Neronis Liberta, & pellex fuit, quam, ut ait Suetonius cap. 28. *parum abfuit quin sibi justo matrimonio copularet, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent*. In Romana basi apud Gruterum CLXXV. 10. fit mentio Ti. Julii Tyranni, qui Immunis perpetuus dicitur. In titulo item Columbarii apud Fabrettum p. 158. XXVI. C. Mæcenatis Tyranni; & in alio pag. 156. n. 253. C. Julius Tyrannus memoratur. Prætermisso domini sui prænomine, ac nomine, quibus Liberti in manumissione donabantur, solo suo nomine inscribi maluit, ac Verna appellari; quasi in laudem ducens se non fuisse servum emtitium ante manumissionem, sed domi natum, & domino suo carum, ac probatum ab incunabulis. Vernæ appellationem nonnullos plurimi fecisse notat Fabrettus Inscr. Ant. cap. IV. pag. 296. Vetusta Tabula Antii effossa, quæ exstat in Museo Eminentiss. D. Cardinalis Alexandri Albani, quam edidit, & illustravit laudatus Cl. V. D. Franciscus Blanchinus in fine Prologomen. Tom. II. in Vitas Pontificum Anastasii pag. CCXXI. meminit Lysimachi Æditui VERNANI, quem puto fortassis fuisse vel Genium conservatorem, vel tutelare Numen Vernarum, eorum appellatione donatum, & ab ipsis præcipuo honore cultum: quemadmodum Servis, Herculis numen tutelare fuit, uti Herodoti auctoritate, & veterum inscriptionum testimonio observat Fabrettus Cap. II. pag. 75. 76. Libertorum vero Dea fuit Juno Feronia, quæ cognomine pariter a Libertis accepto, Juno *Libertina* appellata est, teste Livio Lib. XX. cap. I. in cujus templo raso capite pileum accipiebant.

TAB. APPARITOR. SACRIS. OMNIUM. Hæret mihi aqua, an legendum sit *Tabularius Apparitorum sacris omnium*; Gr. τῶν ἱεροδούλων: ita ut hujus Tyranni Vernæ officium fuerit tractare, & in tabulas referre rationes Apparitorum, qui omnium sacris præsto erant; an vero *Tabularius*, *Apparitor sacris, omnium immunis*, quod magis placet. Non enim repugnant duo diversa officia in uno,

eodemque Servo. Nam si quis Gruterum consulat in Inscriptionibus de Officiis Domus Augustæ pag. DLXXVII. 8. DLXXVIII. 1. 5. 6. DLXXXII. 9. DCXXXVI. 6. & in sequentibus pro comperto habebit pluribus diversis officiis Libertos quandoque insignitos fuisse. Tabularii Palatini diversi a Tabulariis publicis erant, de quibus erudite Pignorius de Servis pag. 147. edit. Patav. Quod attinet ad Apparitores, nemo est in Antiquitatis studio paullo versatus, qui ignoret datos fuisse Imperatoribus, Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Magistratibus, Collegiis, Vestalibus, Pontificibus, aliisque qui sacris operabantur. Consulendus Panvinius in Descriptione Civit. Rom. Sigonius de antiquo jure Pop. Rom. Lib. II. cap. 16. item Fabrettus Inscript. Ant. Cap. VI. pag. 450. n. XIII. Tertulliano in Apologetico, atque in libro de Præscriptionibus adversus hæreses *apparere* pro *ministrare*, & *apparitio* pro *ministerio* familiaria admodum sunt; ut adnotavit Rhenanus, ex Asconio Pediano id confirmans.

IMMVNIS. Notanda puncta in fine secundi, tertii, & quarti versus, etiam post integra verba. Raro marmora interpungi solere in fine versus, temporibus præsertim correctioris orthographiæ, notavit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 117.

COL.V.M.BAR.IVM. TOTVM. Puncta tum post literas, tum post syllabas usurpata etiam Augusti ævo hinc notare possumus; quamvis pro libito a quadratariis, divisis perperam syllabis, interposita fuerint. De hac scribendi ratione fusius Fabrettus Inscr. Ant. Cap. V. pag. 374. Id fortassis veteres faciebant, ut attentius, his pausulis factis, ea quæ sculpta erant in lapidibus legerentur.

IS. INTVLIT. Gr. εἰσέφερεν. idest in sepulcro condidit. Hoc verbum *inferre* sæpissime occurrit in vetustis inscriptionibus. In quodam Columbarii Titulo apud Sponium in Miscell. pag. 289. legitur.


M. VETVRIVS M. L. ALEXANDER
OLL . II. EMIT DE
**f*. ANTEROTE. IS — eN. OCTAVIO C. L. * ANTERONI
S. INTVLIT VETVRIAM
ELEVTHERINEM LIBERTAM
SVAM ET VETVRIAM PHILVMI
MATREM ELEVTHERINIS

Veteres scriptores utuntur eadem phrasi quum de sepultura defunctorum verba faciunt. Cicero in fine Philipp. IX. *Utique locum sepulcro in campo Esquilio C. Pansa Consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta quoquo versus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur.* Suetonius hæc narrat de Augusto c. 101. *Julias, filiam, neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri.* Hinc *inferiæ* sacrificia Deorum Manium, *ab inferendis* libationibus, quæ a Catullo Carm. XCVIII. *tristia munera* appellantur, in defunctorum tumulis, nuncupata sunt, ut vult Turnebus lib. IV. Adversar. cap. 22. Kirchmannus de Funerib. Rom. lib. IV. c. 2. & Emin. Card. Norisius in Cenotaph. Pisana Differ. III. c. 5. in princ. quamvis *ab inferis Diis* dicta tradat Servius in Virgilium Æneid. Lib. X. vers. 519. Mortuus qui ad sepulturam ducebatur, dicebatur *elatus*, ut in Romano lapide apud Gruterum DCCCLXV. 1. eademque phrasi utitur Terentianus Simo in Andr. Act. I. Sc. I. v. 88.

Egomet quoque ejus causa in funus prodeo,
Effertur, imus ——

IANTHVM. AVG. L. Ἄνθος, *flos*, ἴον, *viola*, ἴανθος, *flos violæ*, unde janthinus color, vestis janthina, de qua Martialis Lib. II. Epigr. 39. & Plinius Lib. XXI. c. 6. Sic Chrysanthus *flos auri*. S. Chrysanthina, χρυσάνθινα, quæ in nummis, & in marmoribus celebrantur Sardibus Lydiæ fuere certamina *auro florida*; quod victores donarentur coronis ex aureis floribus contextis. Videndus Cl. V. Johannes Foi-Vaillantius in Græcos Nummos Imperatorum p. 341. ubi agit de Festis, & Certaminibus Urbium. De Chrysanthinis certaminibus mentionem fieri in lapide Farnesiano non animadvertit Gutherius de Jure Manium Lib. III. cap. 27. quem vide.


II.



Idest: *Pasicratis Cæsaris Tabularii Immunis*; ἀλειτουργήτου. Pasicrates singulari nuncupatione, scilicet omissa nota SER. vel LIB. idest *Servi*, vel *Liberti*, dicitur *Cæsaris Tabularius Immunis*. Plura si-

ra similia exempla singularium appellationum producit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. I. pag. 40. Tabularii, Palatini ministerii erant portio non contemnenda; ut ait Pignorius de Servis pag. 147. quibus A Adiutores non sane pauci dati, tum ut moli negotiorum pares omnino essent, tum ut Cæsarum majestas, ex hoc etiam capite, elucesceret.

III.



PHIL. EPHEBO. Raro in vetustis lapidibus Libertorum, & Servorum nomina per compendiarias notas scribuntur. Quum post PHIL punctum sequatur, legendum est, forte vel PHILETO, vel PHILEROTI. vel aliquod aliud simile nomen, quod frequenter in Cæsarianis Libertis, & Servis occurrit.

EPHEBO. AVGVSTI. Gr. ἐφήβῳ Terentius Eun. 5. I. 8. *Iste Ephebus frater Phædriæ*: & Andr. I. I. 24. *is postquam excessit ex ephebis*. Donatus, ephebia prima, *ætas adolescentiæ est: adolescentia, est extrema pueritiæ*: quam ita descripsit Virgilius Æneid. Lib. VIII. v. 160.

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.

& Catullus Carm. LXVII. v. 16.

Jucundum cum ætas florida ver ageret.

Plures Titulos Ephebis inscriptos vulgavimus in Prima Parte Inscriptionum Antiquarum Etruriæ Urbium ex Museo Suburbano Strozio pag. 370. n. 121. pag. 396. n. 177. In varias ætatum classes distinctos Servos Domus Augustæ vetustarum Inscriptionum, & Scriptorum testimonio ostendi potest; nam in his Augustorum PVERI variis ministeriis destinati leguntur; item GLABRI, ut in vetusta Tabula ejusdem Musei Strozii pag. 406. n. 216. & Veterani de quibus superius egimus. Has varias ætatum classes in ministratoribus observavit disertissimus Philo, quo, ut ait Pignorius de Servis pag. 67. nemo melius descripsit quæ facies ministrorum tricliniarium esset, quis cultus, quæ frequentia, qui splendor, quæ species triclinii ipsius. Scribit enim de vita contemplativa his verbis Latine redditis: *Triclinia lectos habent eburneos, aut testudineos, aut pretiosioris materiæ, gemmatos plerosque, stratos auro, intexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis, oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digestorum per suas species; præsto sunt enim syphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum; ministrantibus formosis* MANCIPIIS, *non tam ad præsens ministerium quæsitis, quam ad exhilarandos aspectu convivis oculos. Ex his* MINORES PVERI *pincernas agunt*, GRANDIORES *aquam afferunt loti, nitidi, fucatique, & cincinnatuli; alunt enim capillitium, vel omnino intonsi, vel a fronte tantum præsectis in orbem crinibus; tenuissimas, candidasque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, utrimque mollibus tæniis adstricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus; sic ornati adstant nutus observando, quid quisque postulet. Adsunt & alii* ADOLESCENTES *prima lanugine mala vestiti, qui paullo ante amatorum suorum* DELICIÆ *fuerant, curiose docti gravioris momenti* MINISTERIA; *mera ostentatio magnæ opulentiæ*. Seneca & ipse concinne satis, de Brevitate Vitæ Cap. 12. *Convivia mehercule horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam, quam soliciti argentum ordinent, quam diligenter* EXOLETORVM *suorum tunicas succingant, quam suspensi sint, quomodo aper a coco exeat; quanta celeritate, signo dato*, GLABRI *ad ministeria discurrant*, &c. Servorum immensam turbam, & seculi sui magnificentiam in conviviis indigitat Virgilius Æneid. Lib. V. v. 703.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

Excedentes ex ephebis, primitias detonsæ comæ, quam pueri aluerant, (ut in cælatura marmoreæ Tabulæ laudati Florentini Musei Strozii pag. 334.) Phœbo consecrabant, plurimi Delphos profecti; Æsculapio alii, alii Fluviis patriis, aquæ hunc honorem tribuentes, ut alimoniæ parenti, vitæque conservatrici, ut narrat Lucianus, περὶ τῆς Συρίης θεοῦ, & Martialis Lib. I. Epigr. 32.

Fuere quoque *Ephebi*, qui variis ludis se exercebant, quibus mirifice Augustus delectatus est, ut narrat Suetonius in ejus vita c. 98. *Spectavit assidue & exercentes* EPHEBOS, *quorum aliqua adhuc copia ex vetere instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissa, immo exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum, & obsoniorum, rerumque missilia. Nullo denique genere hilaritatis abstinuit*. Hæc quoque scribit in Nerone c. 12. *Exhibuit & naumachiam, marina aqua innantibus belluis: item Pyrrichas quasdam e numero* EPHEBORUM, *quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit*. Allato superius Philonis testimonio notavimus servos suorum delicias fuisse amatorum antequam ad pubertatis ætatem pervenirent; Amaranthionem supra tres menses, puerum trimum, Cerylli delicium, damus in sequenti Titulo.

IIII.

M. LIVIVS. PYRSVS	AMARANTHIO
LOCHIADIS. L.	CERYLLI. DELICIVS
A MAN. OL. DAT	VIXIT. ANNIS. III. M. III.
CERYLLVS. DISP	DAT. OLLAM. CERYLLVS. L.

In sequentibus Titulis frequentius qui dat Ollam in recto ponitur, in dativo casu cui datur, vel donatur; quandoque etiam tam qui donat Ollam, quam ille cui donatur recto casu efferuntur, ut in hoc Titulo; quod ita explicandum est; *Marco Livio Pyrso Lochiadis Liberto a Manu Ollam dat Ceryllus Dispensator*; exemplo alterius inscriptionis, quæ legitur læva parte hujus Tituli, in quo perspicuum est *Ceryllum Libertum dedisse Ollam Amaranthioni Cerylli delicio, qui vixit annis tribus, mensibus tribus*.

M. LIVIVS. Libertis commune cum Domino prænomen, & nomen erat, quæ in manumissione obtinebant, ut notum est. Tertium Græcum nomen eorumdem erat proprium. Liberti Liviæ Drusillæ conjugis Augusti servant in his Titulis, & in aliis jam editis *Marci* prænomen, ex patre ejusdem Liviæ, qui fuit Marcus Livius Drusus Claudianus.

A Hic nullum Magistratum gessit; bello civili Octaviano Brutum, & Cassium secutus, post pugnam Philippensem in tabernaculo sibi ipsi mortem conscivit, ut narrat Vellejus Lib. II.& Dio Lib. XLIIX. Vide Richardum Streinnium de Gentibus, & Familiis Romanorum in Livia Gente, & Fabrettum Inscr. Antiquar. Cap. VI. pag. 438. Iidem Liviæ Augustæ Liberti, postquam ea ex testamentaria jussione Augusti, postque ejusdem obitum, in Gentem Juliam ex Livia transitum fecit, Juliæ Augustæ Liberti dicti sunt, ut ex sequentibus pariter Titulis liquet; assumto, quod notabilius est, promiscue tum *Caii*, tum *Marci* prænomine, pro diversitate temporum, ante, & post adoptionem, scilicet tam patris naturalis, quam adoptantis, ut observat Fabrettus loco suprascripto, auctoritate hujus fragmenti vetusti lapidis, ex Museo Ciampinio.
B

HONO . . . .

M. IVLIVS. AVG. L. POSIDES . . . .

M. IVLIVS. AVG. L. HEBER . . . .

TI.CLAVDIVS.AVG.L.ACTIVS.GVRGE . . . .

ARATVS. BITHI. FRAT . . . .

C. IVLIVS. AVG. L. BATHYLLVS . . . .

M. LIVIVS. BITHVS . . . .

Prænomen etiam Tiberii assumserunt iidem Liberti ex Tiberio Claudio Nerone Cæsare, qui filius fuit Tiberii Claudii Neronis, & ejusdem Liviæ, ab Augusto vitrico adoptatus, & imperium post eumdem consecutus, ut observari potest in pluribus vetustis Inscriptionibus in quibus expressa nomina Augusti, & Augustæ leguntur. Libet duas solummodo hic subjicere: Prima legitur apud Gruterum DLXXXI. 8. præter alias DLXXXVI. 3. DCXIV. 8. 11. DCXV. 1. Altera apud Fabrettum Inscr. Ant. Cap. V. pag. 380. n. 193. præter alias pag. 714. n. 361. & pag. 715. n. 362.

TI. IVLIVS
AVG. ET
AVGVSTAE. L
CVTISONVS
MEDICVS
OCVLARIVS

H. S. E.

C TI. IVLIVS. AVG. ET. AVG. L

PELAGIVS. MENSOR

SIBI ET SVIS

CISPIAE. C. L. MYCALE

C. IVLIO. C. L. ILISSO.

C. CISPIO Ɔ L. OPTATO

Interdum etiam omissis his prænominibus; ut apud Gruterum DLXXXVII.3.DCXV.3. Reinesium Cl.
D V. pag. 389. n. 55.

PYRSVS. Πυρσὸς. *ignis index in sublimi positus*; vel pro Πυῤῥός, *Pyrrhus*; ut τύρσεις, *turres*. *S.*

Argivorum festum fuit, πυρσῶν, idest *Facum* dictum, quod quotannis celebrabant in memoriam Lyncei, & Hypermnestræ, qui prolata face inimicorum, & Danai insidias effugerant, de quo Pausanias in Corinth. c. 25.

LOCHIADIS. Λοχιάς, Λοχία, *Obstetrix*. *S.*

Ita quoque cognominata Diana legitur in quodam Vase pulcherrimo, ex marmore candido, Neapoli in Palatio Caraffæ, in quo octo effigies di-

versæ, & circum hæc Inscriptio, quam affert Gruterus MXI. 3.

DIANAI. LOCH. S.P.C.C.D.S
CINECRIA. P. F. RVFA. POM
PONIA

Ideſt: *Dianæ Lochiæ*, ſive *Lochiadi*, ideſt, *Obſtetrici*. (*f. ſuſcepta prole conſecrandum curavit de ſuo*) *Cinecria Publii Filia Rufa Pomponia*. Horatius Lib. III. Od. 22.

Montium cuſtos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas,
Ter vocata audis, adimiſque Letho,
Diva Triformis.

Homero Diana dicitur Iliados π. μογοςόκος εἰλειθυῖα, *levans dolorem partus Eilethyia*, & Theocrito in Oariſty. μογοστόκος ſimiliter epitheton Homeri.

Frequenter, ut obſervabimus, mancipia nomen ſuum a Deorum cognominibus accipiunt.

A MAN. Ideſt, A MANV, ut in Romano lapide apud Gruterum DLXXXIV. 8. & in alio ibidem n. 11. LIBRARIVS AD MANVM; & apud Vignolium in Inſcript. Select. pag. 301. LIBRARIVS A MANV; *a manu* autem, & *ad manum* idem ſignificat. Horum opera, & manu veteres in ſcribendo, & exſcribendo utebantur. De his Gutherius de Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. cap. 7. & Pignorius de Servis pag. 109. Suetonius de Auguſto c. 101. *Teſtamentum, L. Planco, C. Silio Cos. III. Nonas Aprilis, ante annum, & quatuor menſes, quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipſius, partim Libertorum Polybi, & Hilarionis* MANV *ſcriptum*. Vide eumdem Suetonium in Tiberio c. 76.

OL. DAT. Ideſt: OLLAM. DAT. i. *donat*. In Romano lapide Theſauri Gruteriani DCCCLX. 4. OLLA DONATA. legitur; & DCCCCLXIIII. 1. C. Cornelius Hilarus amicus LOCVM. OLLARVM. DVARVM DEDIT DONAVITQVE. In pluribus hujuſmodi Titulis, qui ad Columbaria pertinent, interdum unum vel alterum ſupprimitur ſcilicet, vel OL. ideſt, OLLAM; vel DAT. quod ubi non exprimitur ſemper ſupplendum eſt. Gallorum quoque lingua *dare* dicitur *donare*, quos noſtri veteres Tuſci imitati ſunt.

CERYLLVS. Κηρύλλος forte diminutivum a Κὴρ; *Cor*; ideſt *Corculum*, vel *præconulus* a Ceryx, qui & *caduceator* exponitur in Gloſs. vetere. *S.*

DISP. i. DISPENSATOR. Græce Οἰκονόμος. Oeconomus. Diſpenſator is erat, qui univerſæ Domus rationi, (*all' azienda*) ut nos patrio ſermone dicimus, præerat. Suetonius in Veſpaſ. c. 22. ſcribit *admonente* DISPENSATORE *quemadmodum ſummam rationibus vellet referri*. Diſpenſatores cum Amanuenſibus juncti, & in hoc lapide, & apud Suetonium leguntur in Nerone c. 44.

AMARANTHIO. Amaranthio, nis. *ab Amaranto* flore de quo Plinius Lib. XXI. c. 8. Sed male cum TH hoc in loco, & in ſequentibus Titulis ſcribitur; namque ἀμάραντος, *incorruptibilis, immortalis*; vulgo *ſciamito*, flos purpureus, qui folia non perdit. *S.*

Amarantus cognomen abſque aſpiratione legitur in vetuſta Tabula penes Gruterum DCCCXXII. & apud Fabrettum Inſcr. Ant. Cap. I. p. 57. n. 314. LIVIAE. EVPHRE AMARANTI. VIX. A. XXII. & Cap. II. pag. 69. n. 34. floris nomen.

VT TVO. DE. TVMVLO. FLOS EGO. CERNERE. NOVVM
CRESCERE. VEL. VIRIDI. RAMO. VEL. FLORE. AMARANTI.

CERYLLI. DELICIVS. In maſculino, ut FATVS, in Florentino Lapide pag. 207. n. 40. & in alio pag. 404. n. 211. RAPVIT FATVS MALVS. Ita in Gruterianis legitur MONVMENTVS pro MONVMENTVM. Promiſcue cum mares, tum feminæ in vetuſtis ſaxis *Delicium*, *Delicius*, & *Delicia* feſtivitatis, & blanditiarum cauſa appellantur. Græce τὰ παιδικά, de quibus Suidas. Virgilius Ecl. II. v. 1.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
Delicias Domini. ——


Loquaces delicias dixit Statius Silv. Lib. V. ad Somnum v. 26.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias ——

Seneca epiſt. 14. *Deliciolum* dixit. Atque hoc ſenſu, puto lib. 6. §. 2. l. D. de Oper. Serv. dici Dominum in deliciis ſervum habuiſſe.

VIX. ANNIS. III. M. III. Notanda in hoc Amaranthione puero trimulo æqualitas numeri annorum, & menſium, de qua Fabrettus Inſcr. Ant. p. 328. Anthum Liviæ Puerum a pedibus exhibemus in ſequenti Titulo, quem in Angliam delatum fuiſſe nonnulli ferunt.

V.


ANTHVS. LIVIAE
PVER. A. PEDIBVS

ANTHVS. Ἄνθος. *flos, floſculus*. Catullus Carm. XXIV.

O qui floſculus es Juventiorum. S.


Frequens nomen in Cæſarianis Servis. Gruterus exhibet Anthum Lucii Cæſaris *ad argentum potorium* DLXXXII. 6. Fabrettus Anthum Antoniæ

pag. 41. n. 219. & Anthum Augufti Libertum pag. 118. n. IV. Hinc Bacchi *Anthii*, ideft *Floridi* cognomen apud Paufaniam in Atticis c. 31. qui meminit aræ Διονύσου Ἀνθίου apud Phlyenfes, & apud Patrenfes figni Bacchi *Anthii*, in Achaicis c. 21. In mufivo opere, five lithoftroto ex albis nigrifque lapillis, quod edidit Petrus Sanctes Bartoli in libro, qui infcribitur: *I Sepolcri antichi ovvero Maufolei Romani, &c.* Tab. 14. repertumque ait in Sepulcro Via Aurelia, in Villa Corfinia, cernitur Bacchus afello infidens, cantharum tenens, fub pergula uvis, & pampinis referta, quæ pictura valde illuftrat *Bacchi Sciantbi* ΔΙΟΝΙΣΟΥ ΣΚΙΑΝΘΙ cognomen, quod in votivo marmore Regii Mufei Medicei vulgavimus pag. 1. Primæ Partis Infcr. Ant. Urb. Etruriæ.

PVER. A PEDIBVS. Pueri a pedibus dicebantur fervi qui difcumbentibus, & epulantibus dominis, ad eorum pedes ftabant, & miniftrabant, vel eorum foleas cuftodiebant; quos exhibent vetufta Anaglypha, in quibus triclinia, & domini in ipfis difcumbentes vifuntur. Cicero Lib. VIII. epift. 5. ad Atticum laudat Pollucem fervum fuum A PEDIBUS; & in fecunda Verrina CIRCUMPEDES hos fervos appellat; de quibus erudite Pignorius de Servis pag. 65. & 66. Turnebus Lib. III. c. 23. Adverf. & Johannes Alftorphius in Differt. Philol. de Lectis Veterum.

Pueros A PEDIBUS eos quoque dictos exiftimo, qui aquam ad pedes lavandos antequam domini difcumberent miniftrabant; quod auctoritate Petronii Satyr. confirmari poteft, qui ita fcribit. *Camellam grandem juffit mifceri, potiones dividi omnibus fervis, qui* AD PEDES *fedebant*. Alibi quoque difertius: *Tandem ergo difcubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliifque infequentibus* AD PEDES, *ac paronychia cum ingenti fubtilitate tollentibus*. Apud D. Lucam cap. VII. ufus pariter Hebræorum declaratur dandi aquam pedibus, eofque unguento perfundendi, antequam difcumberent; quæ officia pueris hifce A PEDIBUS convenire poffunt. Sed revertamur ad Libertos IMMUNES, & in fequenti Titulo immunitatem feminæ quoque datam, ut diximus, obfervemus.

VI.




EVTYCHI. Εὔτυχος. *Fauftus*, *Felix*, *Fortunatus*; ita Latine reddita fcribuntur paffim in lapidibus Græca nomina Libertorum. *S.*

QVINTILIAES. AVRAES. Κυντιλίης Αὔρης. More Græco, ut in pluribus antiquis infcriptionibus; expreffo tum Græco, tum Latino genitivo cafu. Græcorum K, ut notum eft, Latinis eft Q. Ita in Gemma onyche, quæ Adonidem refert apud Philippum de Stofck Tab. XXIV. cum artificis nomine KOIMOY, lego KOINTOY i. *Quinti*, non *Coimi* opus, extrita linea tranfverfa monogrammatis KOINTOY. *S.*

AVRA. Nomen impofitum quoque cani in cælatura antiquæ gemmæ, & in marmorea tabula anaglyphis ornata apud Fabrettum Infcr. Ant. Cap. IV. pag. 330. n. 488.

IMMVNIVM. Quintilia Aura immunis fimul cum conjuge C. Julio Eutycho fcribitur. In duobus Titulis, qui fequuntur, tantum Viri Immunes dicuntur, non vero feminæ eorumdem conjuges.

VII.



HYMENAEI. Ὑμέναιος. Hymenæus Deus nuptiarum præfes. Catull. Carm. LX.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen.


Himenæum Tamyrianum Cæfaris fervum a Lapidicinis Caryftiis, quæ Paria marmora æmulabantur, exhibet Gruterus DXCIII. 8.

CONIVGIS PIISSIMAE, quæ conjugem fuum pie-

tate, hoc eſt debita benevolentia proſequebatur. Cicero ad Familiares epiſt. I. *Ego omni officio, ac*

A *potius pietate*. Plato Eutyphronem ſuum inſcripſit περὶ ὁσιότητος; ideſt, *de pietate erga patrem*. *S.*

VIII.




Ideſt: *Marcus Livius Marci Libertus Hilarus.* HILARVS. ἱλαρὸς: ideſt, *hilaris*, *lætus*. *S.*

ET. Ita quoque in ſuperiori Titulo; fortaſſis ante τὸ ET ſubintelligendum SIBI *fecit*, quod exprimi-

B tur in alio Titulo quem ſubjicimus.

PROPOSI. Gr. προπόσει. προπόσιι. προπόσι. *Propinationi*. *Præbibitioni*.

IX.



EROS. AVGVSTAE. Ερως. *Amor*. De Erote, & Anterote vide Alexandrum Aphrodiſieum in Problematis. *S.*

Laudat Pauſanias in Atticis cap.43. pag.105. Signum Erotis i. *Amoris*, Scopæ opus, in delubro Veneris, cui cognomen Praxis. Hujus pariter nominis legitur apud Gruter. DLXXXI. 4. Eros Sponſianus Auguſtæ Medicus, & alii nonnulli inferius.

LIBER. Ideſt, *Libertus*. Recedit hæc nota ad

D deſignandum Libertum a frequentiore receptiſſimoque uſu notandi vel per LIB. vel per ſimplex L. elementum.

MAECILIAN. ideſt, MAECILIANVS. Denominatus a Mæcilio. De hac Servorum, & Libertorum denominatione inferius aliquid dicemus. Adnotare hic obiter libet aliquando ab nutriciis denominationem habuiſſe, ut perſpicuum eſt ex hoc marmore Gruteriano DXCIII. 8.


HYMAENAEVS . CAESARIS . N
SER . THAMYRIANVS . A LAPIDICINIS
CARISTIIS. FEC. SIBI. ET. TAMYRO. NVTRICIO. OPT. &c.

PLOTIO. i. *Plautio*. Gentis Plautiæ ſervus. Clodius idem, ac Claudius. *S.*

HECTORI. Hector, *defenſor*, *vindex*, ἀπὸ τοῦ ἔχειν *a tenendo*, *a ſervando*. *S.*

E Interdum legitur immunitas data Patri non vero filio; interdum Patri ſimul ac filio, ut in ſequentibus Titulis.

X.



Hic Titulus inter rudera extra hoc Monumentum repertus eſt, videlicet circa oſtium Vineæ Joſephi Bencii; diverſus plane ab Titulis unicuique Columbario ſuperpoſitis, nam hic fere quatuor palmos latitudine colligebat.

Tamudia familia celebris cum *Quinti*, & *Titi*

prænominibus in inſcriptionibus apud Gruterum CCCCXLVI. 1. & apud Fabrettum Cap. 10. pag. 744. num. 524.

ORONTI. Ut Bellerophonti; dativus a recto Orontes.

ORONTI. Ὀρῶντι. *Videnti. S.*

Deſumto nomine ab Oronte Syriæ flumine. Ita ſuperius in Inſcriptione a Fabretto allata pag. 380. n. 193. legitur C. IVLIO. C. L. ILISSO; Iliſſi fluvii Athenarum cognomine.

In more poſitum fuit apud veteres nomina pete- A re a fluminibus præſertim celebrioribus, quæ pueris nono die luſtrico, puellis octavo imponebant, ut ſcribit Feſtus, & Macrobius Sat. 1. cap. 16. cavebantque ut fauſta nomina, ac bene ominata eſſent, vel quæ aliquibus ſtudiis, & artibus alluderent, ut poſtea provecta ætate, eorum amore, ac voluptate caperentur; ut obſervari poteſt apud Ariſtophanem in Nubibus in principio, ubi perſpicuus eſt uſus, qui & hodie communis apud nos eſt, renovandi in nepotibus avorum nomina. Vide quoque Fabrettum Inſcr. Antiq. Cap. v. pag. 380.

XI.



XII.



PANNYCVS. Legendum PANNYCHVS. In quodam C lapide apud Fabrettum Cap. III. pag. 150. num. 200. nomen feminæ legitur: D. M. TVCCIA PANNYCHIS. Interdum nota aſpirationis a quadratariis omittitur, ut in aliquibus Titulis, qui inferius exhibentur. Ut AGATOPVS. pro AGATHOPVS. Ita in alio apud Fabrettum ANTIOCV pro ANTIOCHVS. pag. 659. n. 502. & p. 248. n. 17. ANTIOCENSE pro ANTIOCHENSE ſcribitur in hoc marmore.

STRATONI . AVGG . LIB . NATIO
NE . SYRV . ANTIOCENSE . Q
VIXIT . ANN . LXXXVI . D . XVI
ACHILLEVS . ET. HEGEMONI
CVS . LIB . PATRONO . BENE
MERENTI

PANNYCHVS. *Totus nocturnus*. Homerus Iliad. β. v. 24.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

ut quidam vertit:


Stertere perpetuam non dignum eſt principe noctem,
Cui populique ſalus, & tanta negotia curæ. S.

POSTERISQVE. Interdum & in Titulis parvulorum Columbariorum occurrit mentio donationis Ollarum poſteris factæ.

D Alter Titulus, licet in dextro capite mutilus, ita fortaſſis reſtitui facili negotio poteſt. TI. CLAVDI. FESTI IMMVNIS ET. PONTI. FESTI F. IMMVNIS.

Hactenus Libertorum Liviæ Auguſtæ, & Cæſarum Domus Immunitatem, quoad potuimus, illuſtravimus; nunc de INGENVITATE eorundem aliquid dicendum, & de officio a Regionibus Urbis; quæ nunc primum e tenebris vetuſtatis emergunt, Antiquariis, ac doctis Viris uſque ad hoc tempus incognita. Legimus in ſequenti Titulo Ingenuitatem præpoſitam Immunitati.

XIII.



LIVIA. SECVNDA. Ideſt: DEVTERA, Græcum nomen Libertæ, quod legitur in aliis lapidibus, Δευτέρα. *S.*

Lege LIVIÆ SECVNDÆ. Diphthongum Æ. ita pariter ſcriptum in numiſmatis, & in lapidibus Auguſtei ævi.

FELIX. CAESERIS. Legendum CAESARIS. non vero CAESER. q. *Cæsaris Servius*. Nam constanter in vetustis lapidibus, & numismatis non CAE. sed CAES. i. *Cæsaris*, scribitur. Idem fabrile erratum legitur in hoc Florentino lapide in Suburbanis Hortis D. Marchionis Corsinii.

T . CLOELIO

NARCISSO . LANARIO

DE VICO . CAESERIS

MARCIA . PRISCA

VXOR . FECIT .

INGENV. Ideſt, INGENVVS. In Institutionibus Justiniani Lib. I. tit. 4. *Ingenuus* sic definitur: *Ingenuus is dicitur, qui statim ut natus est, liber est; sive ex duobus ingenuis matrimonio editus sit; sive ex Libertinis duobus; sive ex altero Libertino, & altero ingenuo*. Quod nam discrimen fuerit inter Ingenuos, Libertinos, & Libertos fusius exponit Johannes Rosinus Antiquitatum Romanarum Lib. I. Cap. XX. Libertinorum filiis, ideſt Ingenuis, concessum aliquando, Imperatoris munere, latum clavum memorat Suetonius in Claudio c. 24. & ut togam prætextam, & lorum in collo, pro decore bullæ, gestarent, teste Macrobio Lib. I. Saturnal. cap. 6.

Ex hoc Titulo discimus INGENVITATEM quoque concessam fuisse Libertis Domus Augustæ; qui quamvis e servis nati, & inde manumissione libertatem consequuti fuissent, tamen Principis munere, ac privilegio natalibus restituti, ingenui declarati sunt, veluti ex Libertinis parentibus editi essent. Confirmat hanc meam opinionem Suetonius, qui c. 74. ait Augustum in ingenuitatem asseruisse Menam Pompeii Magni Libertum, suas partes postea secutum. Ita enim inquit; *Valerius Messala tradit, neminem unquam Libertinorum adhibitum ab eo cenæ, excepto Mena, sed asserto in* INGENVITATEM, *post proditam Sex. Pompeii classem*. In hujus Menæ, hoc est *Menodori*, superbiam, divitias, ac potentiam ita invehitur Horatius Carm. Lib. IV. Ode 20.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus imprimis eques
Othone contemto sedet.

Videlicet contemta lege ab Othone Tribuno plebis lata, ne quis sederet intra quartumdecimum theatri gradum, nisi cujus avo patrique ingenuo quadringenta sestertia fuissent. Ejusdem Suetonii auctoritate in Vespasiano c. 23. superius notavimus Ceryllum Libertum admodum divitem ad subterfugiendum quandoque jus fisci ingenuum se, & Lachetem mutato nomine, cœpisse efferre.

In his Titulis, qui e miserabili clade superfuere, non lego ingenuitatem feminis datam. Flaviam Domitillam Vespasiani Imperatoris uxorem mox ingenuam, & civem Romanam ab eo pronuntiatam memorat Suetonius his verbis in Vespas. cap. 3. *Inter hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ equitis Romani Sabratensis ex Africa delicatam olim, Litinæque (f. Libertinæque) conditionis, sed mox* INGENVAM, *& civem Romanam recuperatorio judicio pronuntiatam*.

IN Videlicet INMVNIS, usitata in vetustis monumentis scribendi ratione, de qua Quinctilianus Instit. Orator Lib. I. c. 7. *Et* INMVNIS, *illud* N. *quod veritas exigit, sequentis syllabæ sono victum*, M *gemina commutatur*. Ita *collatus*, & *allectus*, pro *conlatus*, & *adlectus* scribitur.


A. REGIONIBVS. VRB. Ideſt, VRBIS; ut colligitur ex sequenti Titulo, in quo non compendiaria nota, sed integra scriptura exprimitur VRBIS. Quale nam fuerit hoc officium A REGIONIBVS VRBIS in Libertis hisce Augusti, non facile dictu est, cum nulla de eo habeatur mentio in antiquis jam editis monumentis, nec explicetur a doctis viris; quibus hactenus incognitum fuit. Quibus tamen cumque potero conjecturis illustrare conabor, quæ tamdiu placeant, donec ab eruditis Antiquitatum cultoribus certiora, ac meliora in medium afferantur.

Certum, & compertum est spatium Urbis ab Augusto divisum fuisse in XIIII. Regiones, ut memorat Dio, ac Suetonius c. 30. cujus hæc sunt verba: *Spatium* VRBIS *in* REGIONES *vicosque divisit; instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur; hos magistri e plebe cujusque viciniæ electi*. Has quatuordecim antiquæ Urbis Regiones accurate descripsit, & amplissimo, ac laboriosissimo commentario interpretatus est Onuphrius Panvinius; atque ex eo Johannes Rosinus Antiquitatum Romanarum Lib. I. cap. 13. & Thomas Dempsterus eruditis in eumdem notis. Idem Augustus ad tuendam Urbis æternæ dignitatem, & ad splendorem augendum aliqua nova officia commentus est, ut idem Tranquillus narrat c. 37. *Quoque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit; curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam Urbis, Triumviratum legendi senatus; & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescumque opus esset*. Adversus incendia excubias nocturnas, Vigilesque commentus est, teste prælaudato Suetonio in Augusto cap. 30. Horum Vigilum Cohortes, quæ Urbis tutelæ invigilarent, & incendia, si quando evenirent, extinguerent, VII. fuisse diserte ostendunt Florentinæ marmoreæ Tabulæ in Urbanis Hortis D. Marchionis Corsinii, quas ab omnibus mendis expurgatas, & accuratissimas dedimus in Prima Parte Inscriptionum Antiquarum Etruriæ Urbium pag. 125. n. 13. & pag. 129. n. 14. In aliis etiam fit mentio Præfecti Cohortium Vigilum. Urbanam Præfecturam consilio Mæcenatis sapientissimi viri instituit, continuamque ex temporaria fecit, primumque omnium eumdem Mæcenatem, equestris ordinis, Præfectum Urbis creavit, ut narrat Dio Hist. Rom. Lib. LIV. Præfecti Urbis plurima officia recenset Ulpianus ff. de Officio Præfecti Urbis, quæ item enumeravit Felix Contelorius Vir Cl. de Præfecto Urbis Cap. IV. De Urbanæ Præfecturæ Potestate, & Jurisdictione; quare hic rursus recensere supervacuum esse puto.

His igitur Augusti Libertis demandatam arbitror curam, & tutelam Regionum Urbis, ut præsto essent Magistris e plebe cujusque viciniæ electis, qui sortito annuatim Urbis Regiones & Vicos tuebantur; curarentve cum ipsis apud Principem commoda Regionum, earumdemque decorem, & elegantiam. Exstat apud Gruter. basis marmorea CCLXIX. 8. Hadriano dicata a Magistris Vicorum Urbis Regionum XIIII. in qua tam in dextro, quam in sinistro latere, Regionum, & Vicorum Urbis *Curatores*, *Denunciatores*, & *Magistri* recensentur, qui paucis exceptis Liberti omnes sunt. In alia item Inscriptione Gruteriani Thesauri CXXVIII. 2. leguntur nomina quorumdam Libertorum qui Ædiculam Regionis VI. Vico Portæ Collinæ veturæ

conlabsam a solo sua impensa restituerunt, cum eo anno essent Magistri. Quare conjicere possumus ad eos quoque pertinuisse custodiam, & tutelam publicorum operum, ædificiorum, templorum, ædicularum, vel simulacrorum, cum Augustus, ut narrat Suetonius cap. 57. simulacra Deorum vi- A catim dedicaverit: vel fortassis iisdem cura demandata exigendi census, & vectigalia. In sequenti Titulo n. XIV. exhibemus Tiberium Claudium Meropem Augusti Libertum Procuratorem a Regionibus Urbis, & in altero n. XV. Philodamum Cæsaris a Regionibus Urbis Decurionem.

XIV.




Quæ desunt in hoc Titulo dextra parte fracto, minimo negotio ita suppleri possunt. ANTIGONVS LIVIAE. L. ANTONIANVS. DEC. Idest, *Antigonus Liviæ Libertus Antonianus, Decurio*. Officium hujus Liberti quod per compendiariam notam DEC. i. *Decurio* hic scribitur, in aliis Titulis hujus Monumenti integra scriptura exprimitur DECVRIO. De Libertis Decurionibus infra suo loco. C

ANTONIANVS. Ita, ni fallor, denominatus a M. Antonio priori suo domino, a quo ad serviendum Liviæ Augustæ postea transiit. Supplendum DAT, vel DEDIT OLLAM *Tiberio Claudio Augusti Liberto Meropi Procuratori a Regionibus Urbis*.


MEROPI. Homerus μερόπων ἀνθρώπων. *variis linguis loquentium hominum*; vel, *varios vultus habentium*. Utrumque mirum in homine Dei artificium, & naturæ luxuriantis opulentiam significat. *S.*

PROCVRATORI. A REGIONIBVS. VRB. Idest, VRBIS. Diserte ostenditur in hoc Titulo officium Tiberii Claudii Meropis, qui fuit Procurator Tiberii Claudii Cæsaris Augusti, a Regionibus Urbis; qui scilicet operum locorumque publicorum XIIII. D Regionum Urbis curam gerebat, & privatæ, vel publicæ rationis res Principis procurabat. In altero superius edito num. XIII. & in sequentibus solum scribitur A REGIONIBVS. VRB. i. *A Regionibus Urbis*. Pari modo legimus in vetustis lapidibus apud Gruterum Augusti Libertos A RATIONIBVS pagg. DXIII. 1. DLXXXVIII. 2. 3. item Procuratores Augusti A RATIONIBVS. CCCLXX. 2. & apud Fabrettum pag. 128. n. 47. Procuratores Cæsarum innumeri pæne fuere, ad diversa officia destinati. Horum Procuratio erat honorifica, & aditus ad honores amplissimos, de quibus consulendus Vir Cl. Gutherius de Officiis Domus Augustæ, qui fusius agit Lib. III. Cap. 33. 34. & 35. Cornelium Masurium profert Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 196. n. 468. qui simul fuit Procurator Tiberii Cæsaris Augusti, & Liviæ Augustæ. In Romano lapide penes Reinesium Class. 1. pag. 229. n. CCXLIX. Legitur C. IVLIVS. SCYLEROS, V. E. AVG. N PROC. V. CVR. quem cum Curatoribus Viarum a Tiberio Claudio Augusto putat lectum Collegam, vel designatum, ut eorumdem in officio adjutor esset, qualis in 5. CCCLXXIV. apud Gruterum.

XV.



XVI.



CHARMOS. Χαρμός. Hinc Patronymicum *Charmides*, qui titulum dedit elegantissimo Platonis Dialogo. *S.*

VRBIS. Integra scriptura, non compendiaria, ut diximus. Quare evincitur non legendum esse, ut alicui videri posset, *a Regionibus Urbicariis*; quarum fit mentio Const. l. 9. Cod. Theod. de extraord. seu sordid. mun. *Non per Italiam tantum, sed etiam per Urbicarias Regiones, & Siciliam patrimonialium fundorum vires servandas esse perspexi-* F *mus*. Gratian. l. 1. Cod. Theod. si per obrept. *Sinceritas tua id ipsum per omnem Italiam, tum etiam per Urbicarias Africanasque Regiones, ac per omne Illyricum præclara oraculi hujus auctoritate firmavit*. Quæ Regiones Urbicariæ, ut puto, appellabantur, propterea quod Romæ commeatus, & annonæ portiones quasdam subministrarent. In has Provincias, & Urbicarias Regiones Procuratores ab Augustis mittebantur, alii ex equitibus, alii ex Libertis, qui publicos reditus colligerent,


&

& eorum mandata exequerentur; quos teste Dione Lib. LIII. Augustus omnium primus in Provincias suas, & Populi Romani misit. Vide Thesaurum Antiquitatum Romanarum Sallengre pag. 610. Latium Comment. Reipub. Rom. lib. II. c. 13. & Gutherium de Officiis Domus Augustæ Lib. 3. cap. 33. qui etiam cap. 26. hæc observat. *Inter Procuratores, qui in Notitia sunt, occurrit Procurator rei privatæ per* Urbicarias Regiones, *rerum Juliani. Hunc arbitror Julianum fuisse Didium, qui post Pertinacem Imperium arripuit.*

Titulus ita fortassis restitui potest. CHARMOS CAESARIS. AVG. A. REG. VRBIS. idest: *Charmos Cæsaris Augusti Libertus a Regionibus Urbis.*


Alter immaniter fractus, fortassis PARMENO AVG. L. A. REG. VRB. DECVRIO ita suppleri potest.

XVII.




Ex his Titulis discimus in tot Decurias distributos fuisse Libertos, quibus cura a Regionibus Urbis vel tuendis, vel ministrandis demandata fuerat, tum ab Augusto, tum ab Tiberio Claudio Cæsare. In hoc lapide damus Ponticum a Cæsare factum Decurionem a Regionibus Urbis. In altero quoque quem subjicimus, habemus Philodamum ejusdem Decurionatus insignibus, & ministerio a Regionibus Urbis ornatum.

XVIII.



Idest: *Philodamo Cæsaris a Regionibus Urbis Decurioni.* Quod vero DEC. *Decurioni* interpretandum sit, testimonio aliorum lapidum hujus Monumenti evinci potest, in quibus expresse legitur, DECVRIO, ut in sequenti.

XIX.



BERYLLOS. Βήρυλλος. *Gemma*, aquæ marinæ similis, de qua Plinius Lib. XXXVII. cap. 5. Propertius Lib. IV. Eleg. 7. v. 9.

A Beryllo proprium nomen accepit hic Libertus, qui a M. Antonio fuit manumissus; & manumissione nomen, ac prænomen ejusdem accepit. Liberti quoque, ut compertum est, suos servos manumittebant, notabantque tempus suæ manumissionis nonnumquam in vetustis lapidibus, ut observavi in hoc sepulcrali Titulo, quem exhibet Fabrett

Inscr. Antiq. cap. IV. pag. 248. n. 8. notandumque est Trebatiam Eutychiam conjugem Eutychiani Augusti Liberti Adjutoris a Rationibus, manumissam fuisse a Cnejo Trebatio Pitianacte Patre suo natura- A li, qui erat Libertus Cneii Trebatii Clarii, undecimo Kalendas Februarii, Commodo quartum Consule; anno scilicet Urb. 936. Chr. 183.

TREBATIAE . EVTYCHIAE
MANVMISS . A . CN . TREBATIO
PITIANACTE . PATRE . N . LIBERTO
TREBATI . CLARI . QVOND .
C . V . XI . K . F . COMMODO . IIII
C^OS . EVTYCHIANVS . AVG
LIB . ADIVT . A RAT . CONIVGI
B . M.

In alio in Vinea Card. Carpen. apud Grut CCCVIII. 9. legitur Cosmus Æditus Matris Deum Magnæ Idææ *gratis manumissus* ab Imperatore Augusto; B quæ marmorea Tabula quia IMMVNITATEM Libertis datam, de qua superius egimus, aliquo modo illustrare potest, hic exscribere minime gravabor.

COSMVS . AEDITVVS . MATRIS . D
ANTIOCHO . SACERDÓTE . ANNÍS . XII . EIVSD
AB . IMP . AVGVSTO . GRA'TIS . MANVMÍSSVS . OL
SVPRA . SVNT . H-S . N . L . DONATIÓNIS . CAVSA . MANCIP


CONTVBERNALI. SVAE. Contubernales dicebantur Vir, & Uxor Servi; nam inter eos justæ nuptiæ, ut inter cives Romanos, non contrahebantur; & eorum conjugium *contubernium* appellabatur, quasi sub iisdem trabibus jacerent. *S.*

ANTONIAE . LACENAE . Legendum LACAENAE . ex Laconia. Horatius Carm. Lib. II. Ode 11.

—— *eburna dic age cum lyra*
C *Maturet in comtum Lacænæ*
More comam religata nodum.

V. A. XIIX. Idest; *Vixit annis octodecim.* In sequenti quoque expresse legitur Tiberius Julius Mama Decurio. Non enim in cæteris in quibus per notam scribitur DEC. *Decanus* interpretandum est. Vide Gutherium de Officiis Domus Augustæ Lib. III. Cap. 30. pag. 669.

XXI.




Titulus læva parte, scalpro antiqua manu deletus; nullo alio deinceps ibidem restituto. De his Titulorum lituris superius diximus in Descriptione hujus Monumenti sive Columbarii §. XII. pag. 58.

MAMA. Eadem forma ut Dama. Persius Sat. 5.

Verterit hunc prætor; momento temporis exit
Marcus Dama —— *S.*

Ex hisce igitur sepulcralibus Titulis perspicue intelligimus Servos, ac Libertos Domus Augustæ, optimi ordinis servandi causa, *decuriatos fuisse*, ut verbis utar Ciceronis in Oratione pro Sextio; & in tot decurias distributos; adeout qui his Decuriis, scilicet denum hominum classibus, præesset, vel primus in ipsis esset, *Decurio* diceretur; eo prorsus modo ut apud nos in Regum ac procerum aulis qui primus inter servos est, aliisque præest, & domini jussa mandat facienda, patrio sermone di- E citur *il Caporale*, *il Decano degli Staffieri*. Qui plura desiderat Gutherium adeat de Officiis Domus Aug. Lib. III. Cap 29. qui de Decurionibus agit, atque auctore Ammiano Marcellino Lib. XX. inter Palatina Ministeria *Decurionum ordinem dignitatis fuisse pleniore gradu*. Ex Titulis quos subdimus constat in Cæsarum Domo fuisse simplices Decuriones, & Decuriones quampluribus officiis præpositos; videlicet Decuriones Cubiculariorum, De- F curiones Lectorum, Decuriones Mensorum, Decuriones Ostiariorum, Decuriones Pædagogorum, Decuriones Pedisequorum, Decuriones Stratorum, Decuriones a Tabuliis, præter Decuriones a Regionibus Urbis, de quibus supra nonnulla disserui- mus; & Decuriones Lecticariorum, Scribarum, & Unctorum Augusti, quorum fit mentio in vetustis lapidibus penes Sponium in Miscellaneis p. 213. & 223. & Decuriones Ministrorum penes Fabrettum Cap. IV. p. 257. n. 81.

XXI.




NICODEMVS, Νικόδημος, *Victor Populi*. *S.*
DEC. CVBICLARIOR. Ideſt; *Decurio Cubiculariorum*; nos *il Decano de' Camerieri*. Nullum alium lapidem jam editum reperio apud clariſſimos Antiquarios, qui nobis exhibeat Decurionem Cubiculariorum in Domo Auguſti. Suetonius cap.17. inter occiſores Domitiani Imperatoris Saturum (ſive ut alii legunt Saturium) nominat *Decurionem Cubiculariorum*.

B

CVBICLARIOR. Per aphæreſin, ut in aliis vetuſtis lapidibus legitur; ſic CRVSTLA. PROCLA. FELICLA. pro *Cruſtula*, *Procula*, *Felicula*, in quibus L abſorbetur. *S.*
THAMBVS. quaſi *ſtupor admiratio*. Homerus, θάμβος ἔχει με. *Stupor me poſſidet*. *S*
In ſequentibus exhibemus Amarantum, & Myrtilum SVPRA CVBICVLARIOS.

XXII.



PASCVSAE. ἀπὸ τοῦ πάσχειν. *pati*.
SVPRA CVBIC. LAR. Legendum, SVPRA CVBICLAR. Ideſt, *Supra Cubicularios*, ut diſerte legitur in hoc Titulo Gruteriani Theſauri, MXCI. I.

M. LIVIVS. AVGVSTAE
L. AMARANTHVS
SVPRA. CVBVCVLARIOS

Non enim legendum videtur *Supra Cubiculum Larum*; cujus officii nullum habeo exemplum; quamvis in vetuſtis Inſcriptionibus legantur Decuriones Larum; CCCXIX.9. & Magiſtri Larum Auguſtorum


D

CCCCVI.4. Fuit enim, ut hoc obiter dicam, in interiore parte domus Principis, ut & privatorum, locus Laribus dicatus, qui Lararium dicebatur, in quo Heroum imagines habebant, & colebant, ut obſervat Gutherius de Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. Cap. 29. pagg. 661. Hinc Lares familiares a Gloſſ. vet. ἥρωες κατοικίδιοι, & domeſtici. De Alexandro Imperatore narrat Lampridius, *illum matutinis horis in* LARARIO *ſuo rem divinam facere ſolitum, in quo & Divos Principes, ſed optimos, & electos atque animas ſanctiores, in quibus, & Apollinem, &* CHRISTVM, ABRAHAM, *& Orpheum habebat*.
Sæpe inter ſyllabas puncta a quadratariis ponuntur, quæ redundant, ut ſupra vidimus nu. I. pag. 70.

XXIII.



XXIV.



MYRTILVS. A myrto, una cum rosa, Veneri sacra; propterea quod, ut ait Pausanias in Eliac cap. 24. stirps utraque eximiam habeat pulchritudinis speciem. Pluribus feminis nomen impositum *Myetale* in vetustis lapidibus. Myrtillum Græci Mercurii filium fuisse tradidere, Oenomai aurigam, de quo Pausanias in Arcadicis c. 14.

SVPRA. CVBICV. Ideſt SVPRA CVBICVLARIOS. Præpositorum Cubiculo perhonestum fuit munus, ut de Helicone Præfecto Cubiculo Caii Cæsaris testatur Philo de Legatione. In Actis Apostolorum Cap. XI. v. 20 memoratur Blastus ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος βασιλέως *super cubiculum Regis* Herodis, quo deprecatore usi sunt Tyrii, & Sidonii, pacem postulantes, & ne Herodem infestum sibi haberent. SVPRA. CVBICVLARIOS. ὁ ἐπὶ κυβικλαρίοις.

ORTHRO. ὄρθρος. *mane, matutinum* (tempus). ὄρθρων. f. *Matutinus*. *S*.

ERACLA. Suppleto marmore legendum HERACLA. ἡρακλᾶ a recto ἡρακλᾶς; Dorice pro ἡρακλῆς. Herculi. *Augusti, vel Augustæ Cubiculario*. τῷ ἐπὶ κοιτῶνος. *S*.

B Cubicularii, ut notavit Pignorius pag. 232. gratiosi erant apud Dominos, & maximis quibusque muneribus præficiebantur. In Florentino marmore Musei Suburbani Strozii pag. 361. num. 94. legitur.

DEMETRIVS. CVB.

III. VIR

VENVSTO. ET. EPHEBO Q

C Ideſt: *Demetrius Cubicularius Triumvir*. &c. quare manifestum est ad honorum gradus Cubiculariis aditum patuisse. Parthenionem Liviæ Cubicularium cum L. nota, quæ eum *Libertum* indicat, producimus in sequenti; ex quo discimus Augustæ Domus Feminis viros Cubicularios, ad corpus earundem servandum, tuendumque datos fuisse. Duos lapides erutos inter Viam Appiam, & Latinam profert Reinesius Cl. IX. n. 89. & 90. ex quibus discimus Liviam Servas quoque Cubicularias habuisse; & ita inscripti sunt.

LIVIAE MELISSAE

SER . A . CVBIC

LIVIVS THEONA

AVG . SER . AD MAN.

LIVIAE . IVLIAE


SER . A . CVBIC

LIVIVS GRATVS

AVGVSTI MVLIO.

E An vero similiter adsignatæ fuerint Feminæ Cubiculariæ certo adfirmare minime audeam, cum in jam editis inscriptionibus Feminas Virorum Cubicularias hactenus minime reperire potuerim. Gruterus singularem exhibet Romanum lapidem DLXXVI. 5. & in Scaligeriano Indice Cap. VII. de Officiis Domus Augustæ exponitur, *Cubicularia ex Collegio*; quasi Domitia fuerit Cubicularia Zmaragdi, i. Smaragdi, & in aliquo Collegio descripta. Sed legendum videtur: *Diis Manibus Smaradi Liberti Domitiæ Pollinæ Cubicularii ex Collegio*. In quodam Romano fragmento Ecclesiæ Divi Pauli, quod producit Fabrettus pag. 182. num. 390. legitur HONORIO. AVG. V.... CVBECVLARIA. Verum ob immanem marmoris fracturam, dignosci non potest, cujus nam fuerit Cubicularia, an viri, seu feminæ.

XXV.




PARTHENIO. παρθενίων. *S.*
Meminit Suetonius in Domitiano c. 16. cujusdam Parthenii Cubiculo præpositi Domitiani Imperatoris, quem, ut ait, in corporis cura adhibuit.

PHILARGVRVS. Ideſt, *Argenti amicus*, φιλάργυρος. *S.*

Vide Notas in Florentinas antiquas Inſcriptiones pag. 362. Hujus quoque nominis Philargurum Liviæ Libertum dedimus p. 256. n. 44. ex Muſeo
A Andreinio, & pag. 404. n. 211. ex Muſeo Suburbano Strozio.

PARTHENIO. PATR. Ideſt; *Patronus*. Ollam dat. Dominus ſervum ſuum ſepelire tenebatur, argumento l. ſi filius familias 31. ∬. qui ſervum D. de relig. & ſumpt. fun. Hic contra notare poſſumus Parthenionem patronum Ollam dare Philarguro Liberto Parthenionis.

XXVI.



PAPHIAE. Παφία. Veneris cognomentum. Horatius Carm. Lib. 1. Ode 30.

O Venus Regina Cnidi, Paphique.

Paphus una e civitatibus inſulæ Cypri; quæ inſula Veneri ſacra. Venerem Paphiam. Oppianus Venerem Aſſyriam, & plenam Lunam nuncupat Juliam Severi, ſive Juliam Domnam. *S.*


CHRYSEROS. *Amor*, ſeu *Cupido aureus*; ut e-
B jus mater χρυσῆ Αφροδίτε a Poetis appellatur, ideſt *Aurea Venus*. *S.*

CVB. Ideſt. CVBICVLARIVS; idem qui A CVBICVLO, alibi.

THALLVSAE. Scilicet Libertæ. Θάλλουσα. ideſt *virens*, *pullulans*, *germinans* femina. θαλλός. *germen*. Catullus ad cognominem adoleſcentem Carm. XXV. 1.

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo.

XXVII.



PANAENVS. Πάναινος. *Undequaque laudabilis.* LECTOR ἀναγνώστης. *Anagnoſtes*. *S.* LECTOR
C DEC. ideſt; *Lectorum Decurio*, vel *Lector Decurio*.

Frequenter Lectores mensis apud veteres adhibebantur; ut accumbentes dominos acroamatis, & librorum lectione recrearent. Lectorum diserte meminit Plinius Secundus Lib. I. in epistola Septitio Claro, qui promiserat se venturum ad cenam, fidemque fefellerat, qui ita ait, *Audisses* COMOEDVM, *vel* LECTOREM, *vel* LYRISTEN, *vel quæ tua liberalitas omnes*. De Lyriste, ut hoc obiter moneam, videndus Salmasius in Plinianis Exercitationibus, & Julius Cæsar Bulengerus de Theatr. v. 37. Etiam extra cenæ, vel convivii tempus lectores adhibitos observo. Sueton. c. 78. hæc memorat de Augusto. *Si interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset*, LECTORIBUS *aut* FABVLATORIBVS *accersitis, resumebat, producebatque ultra primam sæpe lucem*. Idem Suetonius narrat Tiberium Cæsarem ex lectione quotidiana solitum quæstiones super cenam proponere.

A Lectores quoque ad ea recitanda, quæ domini scripserant adhibiti leguntur apud eumdem Tranquillum in Tiberio c. 23. & in Claudio c. 22. & 41. & Ciceronem II. de Oratore. Lectorum Ethnicorum in editis hactenus vetustis lapidibus nulla fit mentio. In quodam Titulo apud Fabrettum pag. 411. n. 347. Cnide Lectrix memoratur, ex quo arguere possumus Lectrices pariter feminas apud veteres fuisse ἀναγνωστρίας. Ita enim se habet.

B


CRENAEI . LIVIAE

DRVSI . CVBIC . SER

COLIT. OSSA. EIVS. CNIDE

LECTRIX. CONIVNX. EIVS

XXVIII.



DIADVMENVS. Διαδούμενος, idest; *Diadematus, diademate ornatus*. Fuit hoc pariter cognomen Marci Aurelii Antonini Macrini filii, qui Diadumenus, sive Diadumenianus appellatus est, teste Lampridio in ejus vita c. 4. propterea quod ex utero matris prodierit naturali diademate insignitus. Reinesius Cl. IX. n. XVIII. Romanum Titulum producit Diadumeno Augusti Liberto Procuratori positum.


MENSOR. DEC. scilicet *Mensorum Decurio*; vel *Mensor Decurio*; nam hoc quoque modo legi potest alterius Tituli exemplo, quem inferius observabimus. Hic Diadumenus Liviæ Mensorum Decurio, Mensoribus frumentariis Domus Augustæ

C præerat, primusque inter illos erat dignitate. Fuere quoque Mensores qui Principi in aliquam civitatem, vel locum ituro, præibant, & hospitia parabant, (vulgo *Forieri*) de quibus Gutherius Lib. II. c. 15. & Lib. III. c. 12. & Mensores ædificiorum in Domo Augusta, Grut. DXCIX. I. Alium Mensorem Liviæ Augustæ supra dedimus p. 74. ex Fabret.

LOCHIADI. Eadem fortassis Lochias, de qua supra n. IIII. pag. 73.

SARCINATR. Idest; SARCINATRICI. De Sarcinatricibus inferius erit sermo. Interim ceteros Liviæ Augustæ, ac Cæsarum Domus Decuriones hic ordine producamus.

XXIX.



ANTAEVS. Ἀνταῖος. denominatus ab Anteo, qui cum Hercule congressus est, & ab eodem victus.

IVLIAE. AVG. Idest. *Juliæ Augustæ*.

OSTIA DEC. scilicet *Ostiariorum Decurio*, vel *Ostiarius Decurio*, ut diserte legitur in Romano

D lapide in Miscell. Sponii Sect. VI. pag. 214. Gruterus pag. DLXXXVII. 3. Aurelium Erotem LIVIAE OSTIARIVM produxit.

Ostiarii portæ aditum custodiebant, ut admitterent vel demitterent eos qui dominum conveniebant; vel ut impedirent ingredi volentes, ut do-

cet Suidas a Sponio relatus in Miscell. pag. 215. Consulendus Pignorius de Servis pag. 214.

Læva parte Titulus ita facile suppletur: CALAMVS LIVIAE AVG. L. DISPENSATOR. Ideft; *Calamus Liviæ Augustæ Libertus Dispensator*. Vicarii quoque leguntur Dispensatoribus dati in pluribus lapidibus apud Sponium in Miscell. pag. 212. 2. & 3. & pag. 213. 6. apud Fabrettum pag. 302. n. 283. 284. pag. 303. n. 292. CALAMVS. κάλαμος.


LIVIA, ut supra adnotavimus, post viri obitum, in familiam Juliam adscita est, & IVLIA appellata, nomenque AVGVSTAE assumsit, teste Tacito Annal. Lib. I. c. 4. ejusque nomen in marmoribus, & in numismatis expressum; ut in nummo apud Cl. V. Occonem; in quo caput Juliæ, & hæc inscriptio, PERM. AVG. COL. ROM. IVLIA. AVGVSTA GENETRIX ORBIS. Verum AVGVSTAE cognomen tulit postquam nupsit Octavio, a quo postea Cæsares Augusti dicti cognominatique sunt, & ab ea eorumdem uxores, sorores, ac filiæ. Quid significet hoc cognomen, & quando Augustus assumserit, Suetonius exponit in ejus vita c. 7. his verbis. *Postea* C. CAESARIS, *& deinde* AVGVSTI *cognomen assumsit: alterum, testamento majoris avunculi; alterum Munatii Planci sententia; cum quibusdam censentibus*, ROMVLVM *appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisse ut* AVGVSTVS *potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur*, Augusta *dicantur, ab* auctu, *vel ab* avium gestu gustuve, *sicut etiam Ennius docet, scribens*,

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Antequam Livia Augusto nuberet, LIVIA DRVSILLA, ut notum est, dicebatur. Vetus epigramma quod affert Fabrettus pag. 92. n. 188. libet exscribere, quod meminit *Leiviæ*, ideft *Liviæ Galateæ*, ejusdem, ni fallor, Libertæ, & hæc habet.

L. AVRELIVS
COTTAE. L
PHILOSTRA
LEIVIA
DRVSILLAE
L. GALATEA
IN. FR. P. XII. IN
AG. XX. H. M
H. N. S

XXX.



CERINTHVS. *Cerago, mellificium*. κήρινθος. S.


C. CAESARIS. vel ipsiusmet Augusti. Vide inferius annotata.

C. CAESARIS. Cajus Cæsar M. Agrippæ, & Juliæ filius, cum Lucio fratre adoptatus fuit ab Augusto, teste Suetonio in Aug. c. 64. Liviam Drusi filiam uxorem duxit; Romam ex Armenia revertens Lamyræ in Lycia mortuus est; ejusque cineres, & ossa Romam delata. Livia immensæ molis porticum, quam in honorem Caii, & Lucii ædificarat, tum dedicavit; ut narrat Dio Lib. LVI. quibus a Colonia Pisana annuæ inferiæ decretæ, aræ erectæ, nullis honoribus, & ornamentis prætermissis, arcu triumphali, statua equestri, ac pedestri exornati sunt, de quibus eruditissime disseruit Emin. Card. Norisius in Cenotaphia Pisana.

Probissimus, ac fidelissimus iste Cerinthus Caii Cæsaris Ostiarius, quietos habuit cineres in sociorum Sepulcro; ceteri vero Caii Cæsaris ministri, Augusti jussu in Tyberis flumen præcipitati sunt ob nimiam rapacitatem, & avaritiam, qua in Armeniam Provinciam, decumbente Cajo ex morbo, grassati fuerant, ut scribit Suetonius in Augusto c. 68. *Pædagogum*, inquit, *ministrosque Caii filii, per occasionem valetudinis, mortisque ejus superbe avareque in provinciam grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen*.

OSTIARIVS, Gallice *huissier*, *usciere*. θυρωρός, *portinajo*, Italice; januæ custos. In Evangelio; *ancilla ostiaria*. Romani principes non in eum morem venerant, ut nobilibus personis ad officia, & ministeria Domus Augustæ uterentur; sed Servi, & Liberti implebant hæc officia. Aulici φίλοι, & amici Principis vocabantur. Quamobrem in Regia Pratolini Villa, in Aulæ summo lacunari legitur inscriptum: GENIO AMICORVM. S.

XXXI.




IVLIA. HELPIS; ideſt, *Spes*, quod etiam Latinum nomen proprium in Inſcriptionibus veteribus reperitur. Sed HELPIS ſemper cum aſpiratione denſa, quam Græci non agnoſcunt. *S.*

DEMOST. Ideſt DEMOSTHENIS. Subintelligendum *conjux*; cujus Olla cinerum ad dexteram, viri vero ad ſiniſtram collocatur: eo prorſus modo, ut in ſuperioribus Sarcophagis, uxorum imagines ad dexteram virorum ſculptæ ſunt.

OSTIAR. CVR. An *Oſtiariorum Curator*, vel *Oſtiariorum Curio?* ſeu potius *Oſtiarius Curiæ*, nempe Juliæ, quam Auguſtus ædificatam prope Comitium in honorem patris ſui dedicavit; in eaque imaginem Victoriæ poſuit, Tarento olim Romam A advectam, & a Cæſare tum in Curiam poſitam, (nam alteram Senatus ob cædem ejuſdem ibidem patratam dirui juſſit) & ſpoliis Ægyptiis decoratam, quo nimirum oſtendebat, imperium ſe ex Victoria eſſe adeptum, ut narrat Dio Rom. Hiſt. Lib. XLVIII. & Lib. 51.

Libentius legerem *Oſtiarius Curiæ*. Curiarum ſiquidem, ut Beroaldus interpretatur in vitam C. Julii Cæſaris c.22. duo genera Romæ fuerunt: nam locus, ubi Senatus rempublicam curat, *Curia* dicitur, & ubi cura ſacrorum tractatur Curiam appellamus. Ab his Curiones dicti, qualis fortaſſis P. Cæſennius Heraclida n. CXLIV. Curia non ſolum pro loco, ſed etiam pro hominibus accipitur.

XXXII.



AMPHIO. *Αμφίων*; *Amphion. S.*

Accepto nomine ab Amphione, quem ferunt inveniſſe muſicam, muroſque Thebarum extruxiſſe fidibus canendo. Horatius Carm. Lib. III. Ode 11.

Mercari, nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo,
Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.

OSTIAR. Ideſt OSTIARIVS. DAT. ſubintellige OLLAM.


Fuere quoque præter Oſtiarios *Velarii* in Domo Auguſta, qui conclavium fores velis obtectas cuſtodiebant, attollebantque cum opus eſſet: quo- B rum fit mentio in vetuſtis lapidibus apud Gruterum DXCIX. 7. & 8. eoſque illuſtrat Pignorius de Servis pag. 227. 228.

In veterrimis monumentis a Grutero allatis, præterea fit mentio Servorum, ac Libertorum, qui januas Domus Auguſtæ cuſtodiebant; qui A IANO; AB ATRIO; A IANO MEDIO; A IANO PRIMO PALATINO dicuntur pagg. DLXXVII. 1. 2. & DLXXVI. 9. Nam januæ ab Jano januarum præſide dictæ; cujus imago ad domus cuſtodiam, ſuper portam ſtatuebatur.

Quandoquidem circa oſtium, & januas Principum Domus Auguſtæ conſiſtimus, in ſequentibus Titulis ROGATORVM, item AB OFFICIIS ADMISSIONVM munia animadvertamus.

XXXIII.

XXXIII.



Ideſt; *Eros Auguſtæ Libertus Rogator*, *Livia Lezbia*, i. *Lesbia*. Alium ejuſdem cognominis ſupra dedimus n. IX. pag. 78. Erotem Auguſtæ Libertum Mæcilianum; qui hoc cognomen habuit, ut arbitror, a M. Mæcilio Tullo Triumviro Monetali ſub Auguſto, quem cum aliis recenſet Adolphus Occo in Numiſmatis Imperatorum Romanorum pag. 53.

ROGATOR. In Gruteriano antiquarum Inſcriptionum Theſauro, & in ejus ſupplemento Thomæ Reineſii, nulla fit mentio ROGATORVM inter officia Domus Auguſtæ. Singularem hunc Romanum lapidem invenio apud Fabrettum pag. 74. n. 74. quem libentius hic ſubjicio, eo quod mentionem faciat Dorcadis ORNATRICIS Juliæ Auguſtæ, cujus patria Capreæ fuere, inſula in Mari Tyrrheno Campaniæ adjacens, in qua Auguſtus ſeceſſui quatriduum impendit, ut narrat Suetonius in ejus vita c. 98. ibique varia munuſcula, togas inſuper ac pallia diſtribuit, & ſpectavit aſſidue exercentes Ephebos, quorum ſupra meminimus pag. 72. eaſque poſtea Tiberius Cæſar obſcena Venere deturpavit, ut idem Suetonius memorat c. 43.

IVNONI
DORCADIS
IVLIAE. AVGVSTAE. L
VERNAE. CAPRENSIS
ORNATRICIS
LYCASTVS. CONLIBERTVS
ROGATOR. CONIVGI
CARISSIMAE. SIBI


In Comitiis Rogator is vocabatur qui civibus in ſuffragiis ferendis ciſtam proponebat; in quam tabellas ſuffragii conjicerent, ut oſtendit Sigonius de Com. Rom. Lib. 1. c. 3. quem citat Fabrettus Inſcr. Ant. pag. 107. Verum in Domo Auguſta Liviæ ROGATOREM eum fuiſſe puto, qui ipſam rogabat vel pro clientibus, vel pro iis qui eam adire cupiebant, ut audiret quæ volebant. In Romano lapide apud Vignolium Inſcr. Select. pag. 224. Verus Evocatus Auguſti, memoriam ponit Corneliæ Muſæ CLIENTI cariſſimæ, ac piiſſimæ. In pluribus Inſcriptionibus apud Gruterum DXCVIII. 1. 2. 3. 4. 5. legitur officium Libertorum A CVRA AMICORVM. AVGVSTI.

Rogatorem quoque fortaſſis intelligere poſſumus eum qui alios rogabat de his, quæ Livia Auguſta volebat. Suetonius in Auguſti vita cap. 40. hæc narrat de Livia ejus conjuge: *Et Liviæ pro quodam tributario Gallo* ROGANTI (quod officium vel Liberti ejus nomine facere poterant) *civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans, ſe facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem*.

ROGATOR. Quoniam Romani Principes multum auctoritatis Senatui deferebant, & Senatusconſulta curabant fieri ad honores ſibi decernendos, & ad alias leges condendas, Rogator fungebatur rogandi Senatum officio. *S.*

LIVIA. LEZBIA. Ideſt. LESBIA. Litera Z ſæpiſſime pro S ponitur in vetuſtis inſcriptis ſaxis non ſolum Latinis, verum etiam Græcis. Ita apud Gruterum DLXXVI. 5. ZMARAGDI pro SMARAGDI, & DCCCCLI. 9. MCXLIX. 7. & apud Fabrettum Inſcr. Ant. Cap. 1. p. 49. n. 281. & POMPONIA ZMYRNA in Gruteriana baſe CXXIX. 16. & in pluribus aliis Titulis hujus Sepulcri mox afferendis. A Græcis quoque Z pro Σ uſurpatum reperitur, quod jam obſervavit doctiſſimus Spanhemius, & Octavius Falconerius in Inſcript. Athleticas p. 84. apud quem p. 78. in Athletica Inſcript. legitur ΚΛ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΖΜΥΡΝΑΙΟΥ, i. *Claudii Apollonii Smyrnæi*; & in alio ΚΩΖΜΩ, pro ΚΟΣΜΩ. Vetus ſiquidem eſt τοῦ Σίγμα aqud Lucianum querela de turbata ſibi poſſeſſione ὑπὸ τοῦ Ζῆτα, in Σμύρνα. Nonnumquam etiam Z pro Ξ uſurpatur in Græcis Numiſmatis, ut in numo Philippi ex Muſeo Chiſio, in quo legitur ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & in alio Caracallæ in Theſauro Magni Ducis Etruriæ.


XXXIV.



A In hoc Titulo conjunctum habemus ROGATOREM cum alio qui fuit AB OFFICIIS ADMISSIONVM, quorum nomina, fracto immaniter lapide, ad nos non pervenerunt. Suppletis aliquot literis legendum AB OFFICIIS ADMISSIONVM, cujus muneris meminit Suetonius in Vesp. c. 14. & Gruterus CCCCV. 4. *Decuriæ* IV. *Admissionum*; Constat enim Liviæ Augustæ aulam gravibus doctisque viris patuisse, quibus cingebatur assidue, ut testatur Macrobius Saturnal. Lib. II. cap. 5. quibus etiam comitabatur cum e Palatio exiret; cui dissimilis erat Julia Augusti filia, quæ, ut idem Macrobius scribit, juventutis, & quidem luxuriosæ grege circumsidebatur.

Igitur AB OFFICIIS ADMISSIONVM idem fuit qui hodie in Regum, ac Principum aula dicitur *il Maestro di Camera*; cujus munus erat eos admittere qui Augustos salutatum veniebant. Cicero in Philipp. *Salutatum veniebant, admissus est nemo.* Fuit etiam Admissionum Magister, de quo meminit Ammianus Lib. 15. cujus testimonium, aliorumque scriptorum, qui de Admissionalibus verba faciunt, attulit eruditissimus Pignorius de Servis, qui consulendus est. Alios Decuriones in sequentibus subjicimus, & in hoc Malchionem Drusi Pædagogum Decurionem, qui Helpidi Liviæ Libertæ dat Ollam.

XXXV.



B MALCHIO. Μαλχίων. Apud Petronium *Trimalchio, nis*. Porphyrii Philosophi nomen Syrum *Malchus*, idest *Rex*, Græcum sibi imposuit πορφύρεον, idest *Purpureum*, purpurei namque sunt Reges. *S.*

Hujus pariter nominis fuit Malchio Claudiæ Tiberii filiæ Dispensator, cujus meminit Romana Inscriptio Gruteriani Thesauri DXCVII. 6. Item DLXXXVI. 1. P. Statii P. L. Bionis Decurionis Pædagogorum Domini, qui vixit annis XCVI.

DRVSI fortassis Tiberii Cæsaris ex Agrippina filii, Divi Augusti nepotis.


Perspicue docet hic Titulus, in cæteris superius allatis, legi quoque posse CVBICVLARIVS DECVRIO. LECTOR DECVRIO. MENSOR DECVRIO. OSTIARIVS DECVRIO, ut supra monuimus; quamvis aliorum quoque lapidum exemplo legi possit CVBICVLARIORVM DECVRIO. &c.

PAEDAGOGVS. Pædagogus pueri educator, παιδαγωγός, Servi ministerium. V. Lysidem Platonis in fine; & Lydum Pædagogum apud Plautum in Bacchid. Act. III. Sc. 2. qui clare Pædagogorum officium ostendit. Senes erant, ut ab robustioribus infirmitas separetur, ut ait Quinctilianus. *S.*

In pueris instituendis quales Pædagogi esse debeant docet prælaudatus Quinctilianus Instit. Orat. Lib. I. c. I. his verbis: *De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de* NVTRICIBVS *dictum sit. De* PAEDAGOGIS *hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim; aut se non esse eruditos sciant; nihil enim pejus est iis qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sævientes, stultitiam suam perdocent.* C *Nec minus error eorum nocet moribus; siquidem Leonides Alexandri Pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque, & jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta.* Ex quo colligimus Pædagogum, nos patrio sermone *l'Ajo*, in pueris educandis atque instituendis curam circa eorumdem eruditionem, & vitæ mores habuisse. Sub Præceptoribus vero optimas artes, scientias, ac disciplinas addiscebant; ut liquet ex Quinctiliani testimonio, ibidem.

Pædagogos non pueris solum, verum & puellis (namque utrique educatione opus habent) datos observare possumus in sequenti Titulo, ex quo A scimus Hymnum fuisse Pedagogum Juliæ Germanici Cæsaris filiæ.

XXXVI.



HYMNVS. ὕμνος. *Hymnus*. S.

Quod vero puellæ Pædagogis educandæ, atque in moribus erudiendæ traderentur, præter hujus eximii lapidis auctoritatem, disertissimum est Plinii quoque Secundi testimonium in Epistola 16. Lib. v. in qua Marcellino minorem filiam Fundanii, immatura morte raptam, puellam supra ætatem omni virtute præditam laudat, his verbis: *Nondum annos quatuordecim impleverat, & jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat; & tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut illa patris cervicibus inhærebat? ut nos amicos paternos, & amanter, & modeste complectebatur? ut* NVTRICES, *&* PAEDAGOGOS, *ut* PRAECEPTORES, *pro suo quemque officio diligebat, quam studiose, quam intelligenter lectitabat? ut parce custoditeque ludebat?* &c.

IVLIAE GERMANICI FILIAE. Germanicus Cæsar, Neronis Claudii Drusi Germanici filius, & Antoniæ Junioris, Octaviani Augusti Nepos, a Tiberio Cæsare adoptatus, corporis forma, & animi bonis, institutioneque juxta ac robore, clementia, & modestia fuit præstantissimus. Agrippinam M. Agrippæ filiam, Augusti neptem habuit uxorem, ex qua, ut ait Tacitus Annal. Lib. I. multos suscepit filios, inter quos & Juliam, quæ in hoc Titulo memoratur, & Hymnum Pædagogum habuisse dicitur.

B Pædagogi voluntatis Principum quodammodo arbitri erant. Suetonius de Galba c. 14. *Regebatur trium arbitrio, quos una, & intra Palatium habitantes, nec umquam non adhærentes,* PAEDAGOGOS *vulgo vocabant*. Juliæ Germanici filiæ Nutricem reperi apud Fabrettum pag. 712. n. 238. quæ fuit Prima Augusti, & Augustæ Liberta, ut liquet ex hac Inscriptione.

PRIMA . AVGVSTI

ET . AVGVSTAE . L


C NVTRIX . IVLIAE . GEMA

FILIAE

Acutum Servum ejusdem Juliæ, cum Pater Germanicus Cæsar dicitur, notavi in quadam Vasis Inscriptione apud Vignolium Inscr. Sel. Cl.II. pag. 278. Hanc cum Julia Drusi filia, crimine incerto, nec defensione ulla data occidit Claudius Drusus Cæsar, ut narrat Suetonius c. 29


D Magistros quoque Decuriones, sive Magistros Decurionum, & simplices Magistros fuisse in Domo Augusta legimus in his Titulis quos subjicimus.

XXXVII.



QVI. IN. Forte QVI. INMVNIS. idest IMMVNIS. ut supra scriptum notavimus.

XXXVIII.



AMYRIS . LIVIAE PEDISEQ. Ideſt PEDISEQVA . Gr. ἀκόλουθος . *S.*

Orthographia in hac voce variat in vetuſtis Tabulis. In Gruteriano marmore MCXII. 10. legitur CINNAMVS. TI. CAESARIS. AVG. PEDISEQVVS. In duobus Florentinis, quæ affert Sponius in Miſc.

A p. 229. quæ intercidiſſe jamdiu puto, cum nuſquam reperire potuerim, ſcribitur PEDESSEQVOS, & PEDESEQVOS. antiquo more pro PEDESSEQVVS, & PEDESEQVVS. ut *Servos*, *Davos*, pro *Servus*, *Davus*: quos, quia Liviæ Auguſtæ Liberti ſunt, quin hic ſubjiciam, temperare non poſſum.

C. LIVIVS LIVIAE
AVGVSTAE SER.
PEDESSEQVOS

IVLIVS EROS LIVIAE
AVGVSTAE SER. PEDE
SEQVOS

In altero apud Fabrettum Inſcr. Antiquarum Cap. III. pag 130. n. XV. PEDISEQ. & pag. 210. n. 528. PEDISEQVS STATIONI CASTRESE.

Igitur Pediſequi, ac Pediſequæ dominum quocumque iret pedibus ſequebantur, quarum meminit Terentius in Andria, & Cicero Lib. II. ad Atticum. Alchen Pediſequam, & Araxem Cocum communi Titulo ſepulcrali junctos dedimus in Florentina antiqua Inſcriptione ex Muſeo Strozio p. 427. n. 296.

CNISMO. Κνισμὸς, *pruritus*; quaſi *is*, *qui amoris pruritum inducat*. Catullus Carm. XLVII.

Porci, & Socration, duæ ſiniſtræ
Piſonis, ſcabies, fameſque Memmi. *S.*

LIVIAE. SER. MAGISTR. Ideſt; *Liviæ Servo Ma-*

B *giſtro ſuo*. Tota Palatii diſciplina quoad mores, ad Magiſtrum Palatinum pertinebat, omneſque ſcholarum ordines, & officia regebat; ut obſervat Gutherius de Officiis Domus Auguſtæ Lib. II. cap. 20. In Gruteriano lapide MXXXIII. 8. legimus Tiberium Claudium Hermetem Auguſti Libertum Magiſtrum Puerorum Domus Auguſtæ. Ex hoc Titulo arguere poſſumus puellis quoque Magiſtros datos fuiſſe. Terentianus Geta in Phormione Act. 1. Sc. 2. v. 22.

Abeuntes ambo hinc tum ſenes me filiis
Relinquunt quaſi magiſtrum.

C ubi Donatus explicat *Magiſtrum*; ſic Latini, quem Græci *Pædagogum* appellant.

APHRODISIAE. ſcilicet; *Veneriæ*. *S.*

XXXIX.




Ideſt; *Regillus Liviæ Pediſequus*. REGILLVS. Hoc pariter nomen legitur in hoc veteri Titulo Muſei Suburbani Strozii pag. 350. n. 77.

D FELIX. LECTICARIVS
REGILLI

a Regillo forſitan oppido Sabinorum, ex quo orta eſt patricia Gens Claudia, ut ſcribit Suetonius in Tiberio c. 1.

XL.



M. IVLI. Ideſt; *Marci Julii*, ut in Florentino marmore pag. 131. nu. 15. LVCRETI i. *Lucretii*; ad quem locum vide quæ notavimus. Juvenalis:


—— *quicquid Maſuri rubrica notavit*.

B Maſurius Sabinus Juriſconſultus. *S.*


ELATE. PEDISEQ i. *Pediſequa*. ELATE. ἐλάτη. *abies*. *S.*

Pediſequorum Decurionem notare poſſumus in ſequentis Tituli fragmento; & Menalum, quem inferius dabimus.

XLI.




XLII.



PRINCEPS. πρῶτος. AM.... forte A MANV. *S*

C ...THVSAE. CONIV.. Reſtituendum ANTHVSAE. CONIVGI.

XLIII.



Primum non bene perſpecta lapidis fractura, & hiatu putabam legendum STRAT. DEC. i. *Stratorum Decurio*; vel *Strator Decurio*; qui ſcilicet vel menſas, lectos, ſcamna, ſubſellia, triclinia, ſtragulis, tapetibus, periſtromatis, aliiſve hujus generis operimentis, prout Liviæ dignitas, ac majeſtas poſtulabat, ſterneret; quod officium illuſtrat Vir Cl. Valerius Chimentellius in Marmor Piſanum de Honore Biſelli, Cap. XXXI. Verum, accuratius obſervato lapide, ſupplendas in parte marmoris, quæ deeſt, paucas literas putavi; ut dicat, MINISTRAT. DEC. Ideſt; *Miniſtrator Decurio*, vel *Miniſtratorum Decurio*. Miniſtratores, διάκονοι, menſæ Dominorum miniſtrabant, Petronio teſte, & quando inferendæ eſſent epulæ ſignum dabant, ut docet Seneca Epiſt. 93. *Tranſeo* PISTORVM turbam, *tranſeo*, MINISTRATORVM, *per quos ſigno dato, ad inferendam cenam diſcurritur*. Miniſtratorum Cæſarianorum fit mentio in veteribus Titulis Gruterianis MCXI. 14. DCI. 3. 5. MXCIV. 4. & in Reineſianis Cl. IX. n. 98. pag. 586. Apud Fabrettum legitur ſequens Inſcriptio pag. 257. n. 81. quam primo loco ſubjicio; altera vero quæ exhibetur ſecundo loco, apud Gruterum pag. DCXI. 4. exſtat.


F

D . M
T . AELIO . EVPREPETI
AVG . LIB . DECVRIONI
MINISTRATORVM
AELIA . NICE . CO
IVGI . BENEMEREN
TI . CVM . QVO . VIXIT
ANNIS . XXX SINE
VLLA QVERELLA

T . FLAVIO . AVG . LIB
ONESIMO . MINISTRAT
DEC . IIII . DEC . FAVORIS
T . FLAVIVS . VITALIANVS
PATRI . OPTIMO

Hujus Gruteriani lapidis auctoritate liquet per Decurias in varia munera distributas, censos fuisse Officiales Domus Augustæ; quemadmodum Milites sub Centurionibus, qui nominantur in militaribus saxis. In antiqua Tabula Musei Sabbatinii quam affert Fabrettus pag. 12. n. 56. legitur M. AEMILIVS. M. L. ANTEROS. DECVRIO. PRIMVS. & pag. 156. n. 257. Q. LVCCIO. EVHODO EX DEC VIII. ideft, *ex Decuria Octava*. In Decurias quoque constat digestos fuisse Artifices, Lictores, Scribas Librarios Quæstorios, Veteranos item Legionum, Cohortium, Alarum, Numerorum; quas Decu- B rias fusius illustrat, & explicat Reinesius ad Inscriptionem XIX. Classis Primæ pag. 44. & ad Class. VIII. n. LXXII. pag. 542. item Class. X. pag. 598. Has vero Decurias de pluribus quam decem numero dici, uti, & Centurias supra centum adscriptos milites habuisse, observat Reinesius loco suprascripto p. 44. & Fabrettus Inscr. Antiquar. Cap. VI. pag. 449. Opportune hoc in loco afferimus sepulcralem Titulum hujus Monumenti, ex quo discimus a Tyranno Verna Decuriæ III. Tribunorum Augusti donatam fuisse Ollam Philadelpho Conservo Potitiano Pistori.

XLIV.


TYRANNVS
VERN . DEC . III . TRIB . AVG .
DAT . OLLAM.
PHILADELPHO . COSER .
POTITIANO . PISTORI

Hunc Tirannum Vernam eumdem esse reor, qui superius memoratur in primo Titulo hujus Monumenti pag. 65. Liberti interdum Decurias pretio emebant, ut ad supremos honorum gradus, vel ad E Equestrem dignitatem pervenirent. Quod vero a Libertis, ac Servis Decuriæ emerentur disertissime testatur marmorea Romana Tabula, allata a Reinesio Class. X. nu. III. pag. 597. in qua plures Juliæ Domus Augustæ Liberti recensentur. Suetonius in vita Augusti c. 25. memorat Libertos quoque ac Servos in militiam translatos fuisse ab eodem Augusto; quem locum eo libentius affero, quod egregie hunc lapidem illustrare mihi videatur. Ita igitur scribit: *Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum causa, & si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est: semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis, eos Servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub primore vexillo habuit; neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos*. F

DAT. OLLA. Ideft DAT. OLLAM. Quandoque in his Titulis legitur DAT. OLLĀ; de qua scribendi ratione infra.


COSER. Ideft CONSERVO. συνδέλῳ; qui cum alio eidem domino servit. Sæpissime in veteribus monumentis N a quadratariis omittitur; ut CRESCES. PVDES. CLEMES; pro CRESCENS. PVDENS. CLEMENS. In marmorea arcula cineraria Musei Suburbani Strozii legitur;

C . IVLIVS . C . L .
BARNAEVS
OLLA . EIVS . SI QVI
OVVIOLARIT . AD
IFEROS . NON . RECIPIA
TVR

Quandoque etiam redundat, ut apud Fabrettum Inscr. Ant. Cap. III. pag. 13. nu. LII. legitur, PARIENS MEDIVS. pro PARIES MEDIVS.

De Pistoribus inferius, suis loco & tempore agemus.

XLV.



Quum in aliquibus Titulis hujus Monumenti observarim post unum I. alterum adjunctum, quod redundat; ut n. CXXXIII. IS. DAT. CHIO. HOMERII. FRATri. legendum arbitror A TABVLIS; quod scilicet Romanus Liviæ Decurio a Tabulis, pictas tabulas in Palatina Domo custodiret, vel peregrinas curaret in ornamentum Domus Augustæ. Juvenalis Sat. III. v.

—— hinc nuda & candida signa;
Hinc aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti
Phecasianorum vetera ornamenta Deorum.

De pictura, præclarisque pictorum tabulis fusius Plinius Lib. XXXV. qui varia delineandi genera veterum illustrat, & de pictura graphica, cujus duo exempla ære unico ductu incisa servantur in Museo Victorio Romæ. Sequitur Titulus C. Julii Pothini Cæsaris Fullonis. *Officinæ Fullonis* meminit idem Plinius Lib. XXXV. cap. 11.

DEC. A. TABVLIIS. Idest, *Decurio a Tabuliis: a Tabulis*. Si legendum Tabuliis, forte ab Archivis *l' Archivista*. χαρτοφύλαξ. *chartarum custos*. quasi ἐπὶ τοῖς ταβλείοις; *super Tabulariis*. *S.*

In Gruteriano marmore DLXXXVII. 11. memoratur *Marcus Aurelius Veturius Augusti Cartophylax*.

Titulus, sinisteriore parte, scalpro fuit deletus antiqua manu; alio postea refecto in ejus locum.

POTHINVS. Ποθεινὸς. idest, *desideratus, dilectus, amatus*. Πόθος, *Cupido, desiderium, amor*. Catullus Carm. II. v. 5.

Cum desiderio meo nitenti.

πόθῳ. ἱμέρῳ. cum amore, idest *amata*. *S.*


FVLLO. Caii Julii Pothini officium fuit Cæsaris vestes recentare, & maculas, ac sordes e toga eluere, & addito sulphure & creta rursum candefacere; nobis *il Lavandajo*. Vide Plinium lib. XXXV. c. 17. qui ibidem laudat legem Metellam Fullonibus dictam, quam C. Flaminius, & L. Æmilius Censores dedere ad populum ferendam; adeo omnia majoribus curæ fuere. Plautus in Aulularia Act. III. Sc. V.

Stat FVLLO, *Phrygio, aurifex, lanarius.*

Fullones Collegium habuisse compertum est auctoritate vetusti marmorei fragmenti a Fabretto allati Inscr. Cap. IV. pag. 333. num. 497. Item Gruterus CCCXXXIII 5. dedit Philomusum Fullonem Collegii Castrensis. De Fullonibus plura Pignorius p. 176. & Johannes Rosinus Antiquit. Rom. Lib. V. c. 32.

Quanta igitur, & quam immensa fuerit multitudo Libertorum Liviæ, ac Cæsarum, Decuriones in superioribus Titulis allati, & in sequentibus perspicue ostendere possunt.

XLVI.



PARAMONVS. *Permanens*; eadem notione ac PARMENO, idest, Παραμένων. *S.*

L. PTOL. DECVR. f. *Libertus Ptolemæjanus Decurio*.

STRATO .... Implenda marmoris lacuna, ut dicat STRATONICE: quod nomen in aliis Titulis hujus Monumenti infra legitur.

STRATONICE. vel STRATONICIS. *Victoria exercitus*. *S.*

Veneris quoque cognomentum; Venus Stratonice apud Tacitum Annal. Lib. III. Marmor Oxoniense pag. 5. & 6. memorat Ἱερὸν τῆς ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ.

Literæ hujus Tituli minio pictæ, claritatis, & nitoris addendi gratia. Minium inter colores floridos, ac pretiosos, quos Græci αὐθηρὰς vocant, ut

observat Salmasius in Plinianis Exercitationibus p. 267. 268. De minio sic Plinius Lib. XXXIII. c. 7. *Invenitur in argentariis metallis minium, & nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos non solum maximæ, sed etiam sacræ.* Apud Corinthios in Foro, ubi plurima templa, Liberi Patris signa duo lignea fuisse inaurata narrat Pausan. in Corinth. c. 2. præter ora tamen, quæ minio oblita erant. Miniatam quoque faciem Panis Dei Arcadiæ laudat Virgilianus Gallus Ecl. X. v. 26.

A

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

quare honoris, & cultus gratia triumphantium corpora minio picta fuisse narrat Plin. Lib. XXXIII. cap. VII. Tituli quoque, & librorum inscriptiones minio pictæ. Ovidius Lib. I. Trist. v. 8.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

XLVII.




Ita fortassis supplendus hic Titulus. M. LIVIVS. NATALIAN. DEC. DAT PROCVLO FIL TYCHE. MEMORIS. Idest: *Marcus Livius Natalianus Decurio dat Proculo Filio Tyche Memoris*; μνήμοιος, supplendum, *conjugis*. In Florentino lapide ex Urbanis Hortis D. March. Corsinii pag. 138. n. 39.

C

MYRTILVS . AVG . L
DEDIT . PRIMAE . L
MEMORIS . CVB . CON

idest; *Memoris Cubicularii, Conjugis*.

XLVIII.



Idest; *C. Julius Crescens Decurio dat Ollam C. Julio Eroti.*

CRESCES. idest, CRESCENS. ut cos. i. *Consul.* Κρήσκης. Πȣ́δης. apud S. Paulum, scilicet *Crescens, Pudens*. ςάς. ςαύτος, Lat. *Stans, Stantis*. In Passionario MS. in Bibliotheca Medicea, Criscus qui sub Decio in Etruria passus, dicitur


E

Criscus, nobis *San Cresci*; idest *Crescens*. *S.*

Ita quoque CRESCES legitur in alio lapide, in memoriam Liberti Tiberii Claudii apud Fabrett. p. 350. n. 33. & in alio pag. 333. n. 497. CRESCES, & CLEMES. & pag. 191. n. 447. CRISCERE pro CRESCERE.

XLVIX.

XLIX.



Titulus dextro capite fractus ita suppleri potest: C. IVLIVS. EROS. DEC. BASSA. EROTIS. DEC. i. *Erotis Decurionis Conjux*, ut colligitur ex sequenti. EROS. Ερως. *Amor*. *S.*

L.



LI.




DIO. forte *Dionysio*, vel *Dioni*. Ceterum Latini in recto dicunt *Dio*, pro *Dion*. Virgilius tamen Ecl. III. v. 40.

In medio duo signa Conon, & quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Et, *Amphion Dirceus* in Actæo Aracyntho. *S.*

LII.




OLYMPVS. CAVSTRI; ideſt credo, CAYSTRI, h.e. CAYSTRII.

LIII.




LIV.



ABASCANTI. Abaſcantus. Αβάσκαντος, *faſcinis, & faſcinationibus minime obnoxius;* nomen auſpicatum. *S.*

COTTIAE NICE. τῇ Νίκῃ. ideſt *Victoriæ*. *S.*

LV.





Ideſt; *Litto Liviæ Libertus Decurio dat* (ſupple *Ollam*) *Macariæ Liviæ Libertæ Conjugi ſuæ piæ*. De pietate, benevolentia, & amore Virorum erga Conjuges ſuas, ſupra diximus in Deſcriptione hujus Monumenti Paragrapho IV. pag. 17. & 18.

B LITTO. Forte Λυττῶν, *furens, rabie percitus. S.*

MACARIE. τῇ Μαλαρίᾳ. *Beatæ*. CONIVGI. SVAE. PIAE. τῇ ὁσία. τῇ φιλοστόργῳ. τῇ φιλάνδρῳ. *pietate maritum proſequenti. S.*

LVI. LVII.






LAMPADI. Hinc diminutivum λαμπάδιων. Lucretius Lib. IV. verſ. 1158. *loquacula*, λαμπάδιον fit. *S.*

LIB. DEC. Ideſt. *Lampadi Libertæ Decurioni*. Ex his ſepulcralibus Titulis conſtat in Domo Auguſta non ſolum Viros Decuriones fuiſſe, verum

D etiam Feminas; quæ ſcilicet aliis Libertis, ac Servis in plures Decades, ſive Decurias digeſtis, ordinis ſervandi gratia, præeſſent; ſeu primæ in officio, ac præeminentia eſſent. Decuriones alios, & Feminas item Decuriones in ſequentibus Titulis exhibemus.


LVIII.



ANTIGONO. Hujus pariter nominis ſupra dedimus n. XIV. pag. 83. Antigonum Antonianum Liviæ Libertum Decurionem. Gruterus DLXXX. 15. *Antigonum Druſi Cæſaris Avium Fartorem.*

F PONTIAE TYRANNIDI. Femininum nomen *Tyrannis*. Τυραννὶς. maſculinum Tyrannus, vel Tyrannus, unde diminutivum. *S.*

LIX.




HYLA. ὕλη. Feminæ nomen, uxoris Callisti Decurionis. Hylas Ὕλας, pueri nomen ab Hercule amati, cujus meminit Theocritus. Apud Virgilium Georg. Lib. III. v. 6.

A

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos? S.

HYLAES. ideſt *Hylæ*, vel *Hyles*. Utramque terminationem genitivi caſus Latine, & Græce jungebant. S.

XL.



Ideſt; *M. Antonii Iſmarii Decurionis*, ſubintelligendum OLLA.

B

ISMARI. Ισμαρίυ, e Thracia. S.


THYMELE DEC. i. *Decurioni*, (feminæ) τῇ θυμέλῃ. Thymele ſaltatricula nobilis ſub Domitiano. Martialis ad Domitianum Lib. I. Epigr. 5.

Qua Thymelen ſpectas, deriſoremque Latinum,
Illa fronte precor carmina noſtra legas.

Thymele ſcenæ pars, in qua ſaltabant, inde *Thymelici* Artifices ſcenici, Dionyſiaci. S.

Aliam cognominem Thymelen conjugem M. Livii Silvani damus in hoc alio Titulo.

XLI.



Hic Marcus Livius Decurio, Silvani Dei ſolido veroque nomine inſignitur. Sæpius vero homines derivata Deorum nomina vel cognomina aſſumunt, ut obſervat Cuperus in Monumenta antiqua inedita pag. 188. 189. Contra hominum nomina, & cognomina Diis indita fuiſſe clariſſime do-


C

cent vetuſta inſcripta marmora, in quibus *Diana Ræſiana*, *Ceres Orciliana*, & *Organiana*, *Fortuna Torquatiana*, *Tulliana*, & *Flavia*, *Hercules Ælianus*, *Mercurius Ciſſonius* leguntur.

Quid ſi ſit nomen Latinum τῆς ὕλα, ſeu τῆς ὑλαίυ; S.

THYMELE. SILVANI. Supple CONIVX, ut diximus.

LXII.




A CALLISTO. Κάλλιςος. *pulcherrimus*, *formosissimus*; male qui Calixtum dicunt. *S.*

Nullum lapidem reperio apud Gruterum, Reinesium, Sponium, & Fabrettum, in quo nomen legatur Tiberii Claudii Callisti, Liberti Tiberii Claudii Cæsaris. In Prima Parte Inscriptionum Antiquarum Etruriæ Urbium pag. 456. n. 7. & 8. ex Museo Andreinio duo fragmenta plumbearum fistularum aquæductus in lucem dedimus, inscripta nomine Tiberii Claudii Callisti. Hunc eumdem esse puto Callistum Cæsaris Claudii Libertorum potentissimum, qui in magnificentia Cornelium Balbum superavit. Nam ubi is pro miraculo insigni quatuor modicas columnas ex onyche in suo theatro posuit, triginta ampliores Callistus hic noster in scena quam exædificaverat, statuit; quas se vidisse testatur Plinius, qui hæc narrat Lib. XXXVI. cap. 7.

XENIAE CAESARIS. LIB. DEC. ideſt; *Xeniæ Cæsaris Liberto Decurioni*. Ξενίας. Lat. *Xenia*. S.

Juppiter cognomento Ξένιος Θεός, *Xenius*, *Deus hospitalis*, quod hospites curaret. Ab eo dem item Cæcilia nomen suum auspicata est, quod legitur in sequenti Titulo.


LXIII.



B XENICAE. ξενικῇ. *hospitali*. *S.*

Liviam Cerialem habemus in hoc alio Titulo, scilicet Cereris Deæ munere natam, & ab ea denominatam.

XXXIX.




C ALTES. LIVIAE. LIB. DEC. ideſt; *Altes Liviæ Libertus Decurio*. ἅλτης. Haltes, *Saltator*. *Epialtes* Dæmon incubus. *S.*

THOANTI. Θοάντι. ἀπὸ τοῦ θέω, *curro*. *S.*

OLLAM. I. ideſt, Ollam unam; supple DAT. Marmorarii pro suo lubito, ut solent, sæpe OLL. scripserunt, sæpe etiam OL. ut supra vidimus n. IV. pag. 73. ideſt OLLAM, ut in hoc Titulo, & in aliis sequentibus.

LXV.



PHILOMVSVS. LIVIAE
L. DRVSIANVS ET
EPAGATHO. LIVIAE. L. OL. DAT

PHILOMVSVS. φιλόμυσος Horat. *Musis amicus*: *elegans, concinnus, eruditus*. Nam Musæ omnem amœnitatem, & eruditionem complectuntur. *S.*

EPAGATHO. ἐπαγαθῷ, *al soprabbuono*: supra quam dicit potest bono. Gall. *tresbon*. In verna- A culis nostris priscis auctoribus, *Trabuono*. *S.*

Interdum quoque legimus DAT OLLA, & OLLA supra A. non notata transversa lineola, ut ex his ostendimus.

LXVI.


AMARANTHVS. C. CESARI
AVG. DAT. OLLA
VALERIAE. EGLOGIAE

Plures hoc nomine Amaranthos Liviæ, & Cæsarum Domus Libertos habemus in his Titulis, præter alios, quos exhibet Gruterus, inter quos memorandus est Amaranthus Cæsaris Ædituus ab Concordia, videlicet Ædis Deæ Concordiæ CCCXIX 6. & M. Livius Amaranthus Augustæ Libertus supra Cubicularios MCXI. I. cujus supra meminimus.

EGLOGIAE. i. ECLOGIAE. τῇ ἐκλογίᾳ. *Delectæ*, *Lectæ* feminæ. *S.*

Alibi legitur EGLOGE, ut in hoc Florentino Titulo alicujus Columbarii Libertorum Domus Augustæ, qui extat in Villa Scamnicia Nobilium e Gallis. B

IVLIA. EGLOGE. CAESARIS


L. APIONIS. *ANOS. VIXI* *sic*

XXII.

Meminit Suetonius in Ner. c. 50. cujusdam Ecloges nutricis Neronis Claudii Cæsaris, quæ, eo mortuo, reliquias condidit in gentili Domitiorum monumento cum Alexandra pariter nutrice, & Acte concubina.

C. CAESARIS. AVG. Idest. *Augusti*. Augustus primum C. CAESARIS, deinde AVGVSTI cognomen assumsit, teste Suetonio c. 7. Utrumque vero postea simul prætulisse, docet hic Titulus.

LXVII.



GEMINA. Ideſt; *Gemella*, Διδύμη. *Didyme*. Sic D. Thomas Apoſtolus, qui dictus eſt *Didymus*, ideſt *Geminus*. *S*.


ORNATRIX. κομμωτρία, *çomtrix*. *S*.

De ornatricibus Liviæ Auguſtæ nonnulla inferius obſervabimus, quum aliam ejuſdem Liviæ Ornatricem Libertam dabimus, nomine Auctam. Hunc Titulum afferimus, ut variam ſcribendi rationem in voce OLLA notemus.

DAT OLLA. ideſt OLLAM. Signum, ſeu nota τοῦ M in fine, in Pandectis Florentinis, & in Oroſio MS. Mediceo eſt linea horizonti parallela, cum puncto ſuppoſito, quod medium crus literæ hujus indicat, ad diſtinctionem ſimplicis lineæ tranſverſæ, abſque puncto ſubjecto, quæ literam

A N notat; quæ linea nonnumquam cum capitibus alterius parallelis, quaſi ad diagonalem literam N majuſculam, minuſcule reddit hoc modo —; poſtea capitula, ſeu lineolæ hinc poſitæ ad oſtendendendas parallelas majuſculæ N obſcuratæ, & in puncta συνιζόμεναι notam — fecerunt, quæ adhuc in noſtra ſcriptura viget, & promiſcue pro nota tum literæ M, tum literæ N finali accipitur, quod abſurdum eſt; quum idem ſignum non poſſit duobus elementis ſervire. Linea quoque tranſverſa horizontalis in MSS. Codicibus interdum viſitur, ut in M. Antonino Mediceo, ad declarandum illud eſſe nomen proprium, cum omnia minuſculis notis ſint exarata. Et in Græcis hæc nota apparet. *S*.

LXVIII.



FVSCO. μέλανι. *Nigro*. *S*.

Anacreon Tejus terram aptiſſimo epitheto *nigram* vocat:

Ἡ γῆ μέλαινα πίνει,
Πίνει δὲ δένδρε' αὐτήν,
Πίνει θάλασσα δ' αὔρας.

Et Terra nigra potat,
Hanc arboreſque potant,


B *Et potat æquor auras.*

IMM. ideſt IMMVNI. DEC. i. DECVRIONI. Decurionatum feminis quoque Libertis conceſſum ſupra notavimus. In privatis etiam Familiis Decuriones fuiſſe diſerte oſtendunt allatæ ſuperius nonnullæ Inſcriptiones in Notis, atque hæc, quæ a Grutero vulgatur e Schedis Pighianis pag. MCLI. 4. & ad comprobandam hujus rei veritatem non ſupervacuam hic eſſe puto.

DEIS. MANIBVS. M. FVLVII. M. L. LEITI
ARAM. PECVNIA. SVA. DECVRIO
* *ſic* NES. *DOMVVS. PATRONI. SVI

Hactenus igitur ea quæ notare potui de Libertis Domus Auguſtæ, ac præſertim Liviæ, IMMVNIBVS, INGENVIS, & DECVRIONIBVS pro ingenii C mei tenuitate expoſui in ſuperioribus Titulis; nunc aliquid dicendum ſupereſt de Libertis, qui in ſequentibus HONORATI appellantur.


LXIX.



Idest; *Actio Augusti a Regionibus Urbis, Immuni, Honorato. Plætoriæ Priscæ Acti*, idest *Actii Decurionis*, subintelligendum *Uxori*.

IMM. HON. Ex inscriptione, quæ cum Sepulcro dicata est Diis Manibus C. Julii Bathylli, Æditui Templi Palatini Divi Augusti, & Divæ Augustæ, quæ exhibetur Tab. XIV. perspicuum A est non legendum esse *Immunitate Honorato*, sed IMMVNI. HONORATO. Qui scilicet Principis judicio honores consequeretur, & aliis præferretur. l. ult. de alb. scrib. Quod enim hic per compendiariam notam scribitur, in prælaudato Titulo integra scriptura expressum legitur; quemadmodum & in his sequentibus.

LXX.




PROTHYMO. Προθύμῳ. *Promto, Alacri, Expedito. S.*

HONORA.. Idest; HONORATO. ἐντίμῳ. Horatius: B

Dives, HONORATUS, *liber, Rex denique Regum. S.*

LXXI.



....AE. L, supplendus ut dicat, LIVIAE, vel IVLIAE. *Libertus*.

HONORATVS, ἔντιμος, ut arbitror, in Augustorum Domo is erat, qui præmia, & honores fuerat consecutus, & in honore ab ipsis habitus; quem nos patrio sermone appellare possemus *il favorito*. Suetonius in Augusti vita c. 67. plures no- C minat Libertos ab eo honoratos, in hunc modum scribens: *Patronus Dominusque non minus severus, & clemens multos Libertorum in* HONORE, *& usu maximo habuit; ut* LICINIVM ENCELADVM, *aliosque*. Libertos amicis pares non raro fuisse intelligere possumus ex eodem Suetonio, qui hæc de Augusto scribit cap. 45. *Ipse Circenses ex* AMICO-

RVM

RVM *fere* LIBERTORVMQVE *cenaculis spectabat; interdum e pulvinari, & quidem cum conjuge ac liberis sedens*. Uberrimo congiario prosecutus est Libertos C. Julius Cæsar, ut idem Tranquillus narrat c. 27. his verbis: *Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna Senatus, gratuito, aut levi fenore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo congiario prosequebatur*: LIBERTOS *insuper servulosque cujusque, prout Domino, patronove gratus quis esset*. Quantum vero Tiberio Claudio Cæsari Liberti in honore fuerint, hæc memorasse sufficiat ex eodem Suetonio c. 28. *Libertorum præcipue suspexit* POSIDEN *Spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit. Nec minus* FELICEM, *quem Cohortibus, & alis provinciæque Judeæ præposuit, trium reginarum maritum*: & HARPOCRAM, *cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi jus tribuit. Ac super hos* POLYBIVM A STVDIIS, *qui sæpe inter duos Consules ambulabat. Sed ante omnes* NARCISSVM AB EPISTVLIS, & PALLANTEM A RATIONIBVS; *quos decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est*.

Jus quoque aureorum anulorum, quod Equestris ordinis erat insigne, solisque ingenuis concedi solebat a Magistratibus ante tempora Augusti, pluribus Libertis datum fuisse Historiæ testantur. Nam primus Augustus eodem honore insignivisse legitur Menam, & Antonium Musam Libertos; Menam quidem ob id, quod Sexto Pompejo relicto, ad se cum classe, & exercitu confugisset, ut narrat Dio Lib. LXVIII. Antonium vero Musam, quod ejus opera ex ancipiti morbo convaluisset, ut apud eumdem Dionem Lib. LIII. Icelum quoque Galbæ Libertum anulis aureis, & Marciani cognomine donatum tradit Tacitus Lib. I. Annal. & Suetonius in Galba c. 14. Vitellius Imperator Libertum suum Asiaticum primo imperii die aureis donavit anulis, ut scribit Suetonius c. 12. & Tacitus Annal. Lib. II. Sic Domitianus Etruscum Libertinum aureo anulo donatum inter equites retulit: quod indicare voluit Statius Lib. III. Syl. in Lacrymis Hetrusci, inquiens;

> *Mutavitque genus, lævaque ignobile ferrum*
> *Exuit, & celso natorum æquavit* HONORE.

De honore aurei anuli Libertis concesso alia plura erudite congessit Johannes Kirchmannus Lubecensis singulari Libro de Anulis Cap. XVI.

Honor præterea pro magistratu, imperio, præfectura, ac publicæ rei administratione accipitur; quo sensu honorati in L. Honorati C. de Offic. Jud. civ. & Honoratis viris L. 3. Cic. de Offic. diversi. Jud. Quare hos Libertos principis liberalitate, HONORATOS declaratos fuisse puto, idest aptos, & idoneos ut minorum Magistratuum honoribus condecorari possent; quod plures inscriptiones testantur; in cujus rei testimonium has tres hic producere operæpretium esse duxi. Hanc primam edidit Reinesius Cl. IX. n. LII. & Sponius in Miscell. pag. 232.

TI. CLAVDIO. AVG. L. FELICI
SCAPVLARIO. D. III. Q. III. QVINQVENNALI
IMMVNI TRIPLICARIO BENEMERENTI
EX CONSENSV DECVRIAE VNIVERSAE
HONORIS CAVSA ZOTHECAM
PVBLICE DEDERVNT
ATIMETVS. L. SVA PECVNIA ADORNAVIT

Sequentes Fabrettus Cap. V. pag. 409. n. 338. & n. 340.


HALICIVS.
MARCIO. FAVSTO
LIBERTO
SEVIR. AVG
DENDROPHORO
ALBENSI. ET
THEOPHILME. MATRI

D. M
C. CAESI. C. L
CHRESIMI
VI. VIR. AVG.
PATRON. COLL
CENTONAR. M̄. S̄
TINGETANA. LIB

Honorati quoque a Collegiis, ac Municipiis declarabantur qui ad eorum honores gerendos admittebantur. Gruterus CCCLX. 2. ex vetusto lapide exhibet L. Aquilium Modestum Conlibertum Magistrum Quinquennalem Collegii Fabrorum Tignuariorum Ostiensium Lustri Secundi, itemque Augustalem. Hinc nonnulli *Immunes iterum*, & *Honorati quartum* leguntur in antiquis monumentis apud eumdem Gruterum DCCCCIX. I. Eximium marmor producit Fabrettus pag. 170. num. 324. ex Museo Ciampinio, quod declarat honores decretos C. Julio Geloti Divi Augusti Liberto a Centumviris Municipii Augusti Vejentis, qui Romæ in Ædem Veneris Genetricis convenientes, eum ex Augustalium numero haberi æque ac si eo HONORE usus esset, decreverunt; item ut liceret ei omnibus spectaculis bisellio proprio inter Augustales considere, cenisque omnibus publicis inter Centumviros considere, & a persolvendis municipio vectigalibus cum suis Liberis immunem esse. De Libertinorum vero honoribus erudite, ac luculenter differit Reinesius in Epistola XXXI. ad Christoph. Adam. Rupertum. Ex eodem celeberrimo Museo Ciampinio fragmentum superius dedimus pag. 73. ad Titulum IV. in quo sex Liberti Domus Augustæ HONO*rati* inscri-

buntur. Honorari quoque dicuntur in vetustis inscriptionibus, qui sepulcro, ara, titulo, urnave ad cineres condendos testamento donantur. Vi- A deGruterum DCXLIX.7.DCCCXVII.12.DCCCCXXXV. 5. DCCCCLIV. 10. MCXV. 8.

LXXII.



Idest; HELIODORO. AVG*usti*. L*iberto* TABV- B LA*rio* PANEROTIANO. HON*orato*. ET IMMVNI. ANTONIAE. MYSTICHE. CONIV*gi*.


HELIODORO. ἡλιόδωρος, Heliodorus. (Solis dono datus.) *S.*

PANEROTIANO. Nomen a *Panerote* derivatum. *S.*

MYSTICHE. Leg. MYSTICAE. μυστικῇ. *Secretæ, arcanæ. S.*

Nuncad Liviæ Medicos magno in honore, ac familiaritate habitos apud Principes Domus Augustæ gradum facimus. Superius pag. 74. ex Grutero dedimus Ti. Julium Cutisonum Augusti, & Augustæ Libertum, Medicum Ocularium; a medendis oculis. Legendum puto in eo Titulo COTISONVS, desumto cognomine a COTISONO Getarum Rege; cui, ut scribit Suetonius in Oct. c. 63. allato M. Antonii testimonio, Augustus Juliam filiam suam despondit. Reinesius Cl. XI. n. II. idem nomen CVTISONVS ab Grutero ita editum, emendandum tradit LYSIPONVS; non parva sane literarum transformatione.

LXXIII.



Qui omnium morborum remedia cognoverant, C Medici absolute vocabantur, ut observat Fabrettus Inscr. Antiquar. Cap. IV. pag. 301. auctoritate Inscriptionis inter marmora Oxoniensia; non vero ceteri Artifices, qui aliquibus corporis partibus curationem adhibebant. Meminit Tacitus Eudemi Medici, & amici Liviæ.

MEDICVS. Communi dialecto ἰατρὸς. Jonice ἰητρὸς. Homerus;


Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
Par multis aliis vir præstans arte medendi.
Un Medico uomo val per altri molti. S.

ISOCHRYSVS. ἰσόχρυσος. idest; *pretiosus æque ac aurum: auro contra carus. Aurea Venus*, χρυσῆ Ἀφροδίτη, Homero, & Poetis dicitur. *S.*

Hujus pariter nominis fuit quidam Libertus Pompejæ Cn. Pompeii Magni filiæ, ut colligitur ex veteri Inscriptione apud Fabrettum pag. 271. num. 163. Ab eo fortassis denominationem accepit Onesimus Isochrysianus, cujus nomen cum aliis Libertis Domus Augustæ, qui Decurias emerunt, legitur in Romana Tabula v. 24. apud Reinesium Cl. X. pag. 597. num. III.

AD. VESTEM. De Officio Libertorum AD VESTEM, vel A VESTE, inferius.

LXXIIII.



M. LIVIVS BOETHVS MEDICVS. DAT M. LIVIO. SPERATO. ET IOLE. L. SVAE

BOETHVS. Βοηθὸς. *Adjutor*, *Auxilius*. apud Auſ. In ſacr. Lit. *Eſdra*. S.

Ejuſdem pariter nominis fuit Boethus celebris Medicus, qui de Medica arte ſcripſit, ejuſque meminit Cicero de Divin. II. 21. & Celſus de Medicina Lib. V. Cap. XXI. In ſequentis Tituli fragmento M. Livius Boethus *Decurio Medicorum* dicitur.


IOLE. L. Jole ab Hercule adamata. Hujus item nominis ancillæ meminit Propertius Lib. IV. El. 5. v. 35.

LXXV.


M. LI BOETH DEC MEDICO

Ex hac inſcriptione colligere poſſumus magnum fuiſſe numerum Medicorum Liviæ Auguſtæ; quamvis injuria temporum, e vetuſtatis oblivione pauci in lucem prodierint. Reineſius Cl. IX. n. LXXVI. dedit Hyginum Liviæ Medicum. Idem nomen habuit C. Julius Hyginus Auguſti Libertus, natione Hiſpanus, Præpoſitus Palatinæ Bibliothecæ, quem propter Antiquitatis notitiam *Polyhiſtorem* multi, quidam *Hiſtoriam* (forte *Hiſtora*) vocabant; ut narrat Suetonius de Illuſtr. Grammat. Cap. XX. Gruterus Titulum dedit Erotis Sponſiani Medici Auguſtæ, DLXXXI. 4. & Ti. Julii ejuſdem Medici Ocularii, ibidem n. 8. Ex ſequenti Titulo intelligimus M. Livium Oreſtem fuiſſe ſupra Medicos Liviæ.

LXXVI.


ELEVTHERIS LIVIAE. L. V A M. LIVIVS LIVIAE. L. ORESTES SVPRA. MED

ELEVTHERIS. Ἐλευθερίς. *Libera*. S.

Fuit hoc quoque cognomen Jovis, *Eleutherius* dictus, de quo Pauſanias in Bœot. c. 2. qui meminit ad Platean circa Cytheronem montem aræ Jovi Eleutherio dicatæ, ad quam certamina publica, quinto quoque anno, *Eleutheria* fiebant, maximis de curſu propoſitis præmiis.

ORESTES. *Montanus*. S.

Diana ὀρεσίφοιτος *Montana* cognominata, ſive *Montivaga*, apud Phurnutum de Nat. Deor. c. 34. & ab Horatio Lib. III. Carm. Od. 22. dicitur;

Montium cuſtos nemorumque Virgo.


SVPRA. MED. Ideſt; SVPRA MEDICOS. Qui ceteris Liviæ Medicis præſidebat, tum prin-

cipatu, tum dignitate, tum ſcientia; nos vulgo, *il Protomedico*. In Gruteriano lapide DLXXX. 7. T. Flavius Pæderos Alcimianus Auguſti Libertus SVPERPOSITVS. MEDICORVM dicitur. Negat Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. IV. pag. 101. Auguſtos Archiatris uſos fuiſſe, ſed Medicis ita pure dictis; qui hujus lapidis auctoritate emendandus eſt. Meminit Scholæ Medicorum in Exquiliis ædificatæ, multiſque imaginibus, & marmoribus ornatiſſimæ, ut ex ruinis illius partis a pluribus obſervatum eſt, vetuſta Tabula Romæ reperta ad D. Sebaſtiani, quæ fortaſſis ex aliquo Monumento, quod ad Liviæ Libertos ſpectabat, prodiit in lucem. Hanc edidit, & illuſtravit Hieronymus Mercurialis de Arte Gymnaſtica Lib. I. Cap. 7. & ex eo vulgavit Gruterus DCXXII. 4.

M. LIVIO. CELSO. TABVLARIO
SCHOLAE. MEDICORVM
M. LIVIVS. EVTYCHVS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED. IIII

De Medicis vide quæ adnotavimus in Prima Parte Inſcr. Antiqu. Urbium Etruriæ pag. 84. n. 4. Hilarum Auguſtæ, vel Auguſti Chirurgum in ſequenti Titulo producimus.

LXXVII.



Hic Titulus aliqua ex parte ita ſupplendus videtur..... PROCVLVS. L.... AVG L. HILARVS. C (forte) MEDIC. i. *Medicus* CHIRVRG*us*.

CHIRVRG. χειρȣ̃ργος. *Medicus vulnerum*, ut eum appellat Plinius Lib. XXIX c. 1. qui vulnera manu curat. Liquet ex vetuſtis Inſcriptionibus apud Fabrettum pag. 300 & 301. & apud Gruterum DLXXXI. 1. qui meminit Celadi Antinoi, Drusi Medici Chirurgi, plures olim, ut nunc, ſimul & Medicam, & Chirurgicam artem exercuiſſe. Eaſdem & Æſculapium ſalutarem Deum ſimul tractaſſe docent vetera Numiſmata in Medicorum honorem a Smyrnæis percuſſa, quæ nuper edidit, & illuſtravit V. Cl. Richardus Mead, in quibus Æſculapius conſpicitur ſiniſtra manu tenens enchiridium, ſeu ſmilam, gladium chirurgicum, de quo Ariſtides Orat. Sacr. 4. quo indicatur eum Anatomices inventorem fuiſſe, & infirmorum per ſectiones ſanatorem. Quare Deo AESCVLAPIO. ENCHIRIDIVM. ARGENTEVM dedicatum legitur in Gruteriano votivo lapide, LXX. 8.


Chirurgice tertia pars Medicinæ. Cornelius Celſus in Proœmio. *In tres partes Medicina diducta eſt, ut una victu, altera medicamentis, tertia manu mederetur. Primam* διαιτητικὴν Diæteticen; *ſecundam* φαρμακευτικὴν Pharmaceuticen; *tertiam* χειρȣργικὴν Chirurgicen *nominaverunt*. *S.*

Huic Auguſtæ, ſive Auguſti Chirurgo nomen HILARVS probe convenit; nam qui urere in tempore, & ſecare debeat, hilarem ſe ægroto exhibere debet; ne qui triſtia officia implere debeat, torvo etiam aſpectu, morbo laborantem terreat. *S.*

Convenientem pariter nomenclaturam habet Venuleja SOSIS MEDICA, Σωσὶς quaſi *ſervatura*, *ſervatrix* in Florentino marmore pag. 404. n. 209. & apud Reineſium Cl. XI. n. II. *Soſthenes* Medicus. Nam Medici ſalutem ægrotis, quoad poſſunt, curare, cauſiſque morborum ſtudere debent. Celeberrimus fuit Auguſti Medicus M. Antonius Muſa; quo valde opus habuit: nam graves & periculoſas valetudines per omnem vitam aliquot expertus eſt; præcipue Cantabria domita, ut narrat Tranquillus in ejus vita, c. 81. *Quaſdam &* ANNIVERSARIAS, *ac tempore certo recurrentes expertus eſt. Nam ſub natalem ſuum plerumque languebat; & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur; auſtrinis autem tempeſtatibus gravedine*.

Quum primum ſuperiore anno detectum eſt hoc Monumentum, ſive Columbarium in Via Appia, ea vox increbuit, repertam ibi Tabulam in qua Antonius Muſa DISCERPTVS A POPVLO dicebatur; quæ ad nos hactenus non pervenit; ſed fortaſſis aliquo in loco latitat, in poſterum proditura in lucem.

Neque vero, ut notat Pignorius, Medici tantum, ſed & MEDICAE fuerunt in uſu; quæ videntur gynæcia curaſſe, & curam adhibuiſſe mulierum morbis. Earundem fit mentio in pluribus inſcriptionibus penes Gruterum DCXXXVI. 1. 2. 3. 4. 6. Fabrettum pag. 497. n. 7. & inter Florentinas in Prima Par. Inſcr. Ant. Urb. Etr. pag. 404. n. 209. Medicæ a doctis viris pro *Obſtetricibus* accipiuntur. Antoniam Thalluſam Auguſtæ Libertam Obſtetricem fuiſſe ſcimus ex hac vetuſta Tabula Muſei Victorii, quam Gruterus edidit DCXXXVI. 5: ſed aliquantulum inemendatam.




B Neque etiam silentio prætereundæ duæ Florentinæ Inscriptiones, quarum prima exstat in Museo Andreinio, & ad Helpidem Liviæ Libertam pertinet, altera in Hortis D. Marchionis Corsinii: quorum officium fuit curam gerere *Valetudinarii*, ubi infirmi curabantur,& malam valetudinem cum bona permutabant; ἐπὶ τῷ νοσοκομείῳ.

HELPIS . LIVIAE
AD . VALETVDINAR

Phila R G V R V S
......AD VALETVD

LXXVIII.



CALENE. ἡ καλὴ. *pulchra;* eadem forma ut NICENE, pro NICE in Inscriptionibus. Sed mallem GALENE. Γαλήνη. *Serena, Tranquilla. S.*

VNCTRIX. ἀλειπτρία, ut Unctor Augusti ἀλειπτής. *S.*

Calene Liviæ Augustæ Unctrici, Athenais adjungenda comes est, cujus Titulum vulgavit Gruterus DLXXXI. II. Hæ ancillæ Augustam dominam suam vel in balneo se lavantem, vel extra balneum, valetudinis, aut deliciarum causa, oleo ungebant. Augusti Unctorum virorum opera uti consuevere. In antiquo Cippulo Musei Suburbani Caroli Thomæ Strozii in Prima Parte Inscr. Ant. Etr. Urb. p. 399. num. 189. memorantur Magistri a Balineis Augusti, & Decuriones Scribæ Unctores Augusti: quemadmodum & in eleganti marmorea Urnula p. 347. num. 30. Augustum sæpius ungi solitum narrat Suetonius cap. 82. Scribit vir longe doctissimus Petrus Victorius Var. Lect. Lib. XXXVII. cap. I. Romæ in antiquo lapide se spectasse Unctorem, dextra manu guttum tenentem; ita enim vocabant pusillum vas, olei plenum, quod guttatim fundebat servus ille in dorsum domini; ac non longe etiam ab eo formam strigilis incisam.


D Homericis temporibus famulæ viros lavare, & ungere in more habuere, ut in Odyss. Lib. IV. & XVII.

Τοὺς δ' ἐπεὶ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

E *Hos autem postquam famulæ laverunt, oleoque unxerunt.*

Veneris unctrices Gratias ex Homero superius observavimus pag. II. Aquarum calidarum in balneis curam habuisse videtur quidam Liviæ Augustæ Libertus, cujus nomen, fracto dextra marmore, desideratur in sequenti Titulo.

LXXIX.



THERMVTARIO. F. THERMARIO. θερμάειον, vel THERMVLARIO.


A balneis calidis, Thermæ calidæ (supple) aquæ. τὰ θερμὰ (ὕδατα) *S.*

B

THERMVLARIO. In Antiatina Tabula, quæ exstat in celeberrimo Museo Albano, officium Liberti legitur THER. fortassis THERMARIVS, vel THERMVLARIVS; qui Libertus sequitur post Medicum Divæ Augustæ. Balnearum Palatinarum, quæ erant in Palatino Monte, sua tempestate, meminit Cicero pro Roscio.

Mæcenatem, scribit Dio Lib. LV. fere initio, omnium primum calidarum aquarum natatoria in Urbe instituisse. Patavinum marmor legitur apud Gruter. CLXXXI. 5. positum FAMILIAE THERMENSI. THERMARVM VRBANARVM. Asiam ecce Liviæ CAPSARIAM, quæ Liviæ lavanti vestes servabat.

LXXX.




EVTACTVS. Εὔτακτος, Latine diceretur *Modestus, a modestia commendatus. S.*

D

ASIA. LIVIAE. CAPSAR. Idest CAPSARIA. *Capsarii*, Paulo l. 3. D. de off. Præf. Vig. *ii sunt, qui merced. servanda in balneis vestimenta suscipiunt*; ejusque ministerii meminit sub adpellatione ἱματοφυλακόντων Lucianus in Hippia, ut adnotavit Reinesius Cl. II. n. XXIV. pag. 266. qui Thermensi familiæ præter Unctores, Fornacatores, Fricatores, Suppilones, seu Picatores, Vestispicos, custodiæ vestium deputatos homines, CAPSARIOS, & AQVARIOS pariter adcenset.

Ex sequenti Titulo Secundio Liviæ Augustæ AQVARIVS prodit in lucem, & ex altero qui sequitur, Primus Maternus Tiberii Cæsaris item AQVARIVS.

LXXXI.



SECVNDIO. *Secundio, nis.* quasi Δευτερίας, quod de secundo vino dicitur. *S.*

AQVARIVS. ὑδροχόος. Ganymedes superis receptus, signum Zodiaci hoc nomine est appellatus; quasi aquam Jovi pincerna ingereret. *S.*

AQVARIVS. ὑδροφύλαξ *aquarum custos*, Castel-


larius. *Aquarius*, & *Aquariolus* dicitur etiam *Leno*; inde Gallicum, *maquereau*. Juvenalis: *veniet & conductus aquarius*. *S.*

AQVARIVS. Aquariorum officium erat in balneis, frigidam calidamque aquam, ut opus erat, moderari. Sed qui publicis aquis per plumbea castella, fistulasque derivandis, vel claudendis curam gerebant AQVARII, & CASTELLARII vocabantur, ut in antiquis saxis; de quibus fusius Pignorius de Servis, sæpius laudatus; pag. 241. 242. 243. AQVARII vero privatæ familiæ salientes aquas curabant distribuebantque pro familiarum qua usu, qua voluptate; nobis *il Fontaniere*. Suetonius hæc scribit de Augusto cap. 82. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat*. A Suessaniis Decurionibus C. Titio Chresimo Augustali decretus non solum honor Bisellii, verum etiam ut AQVAE DIGITVS IN EIVS DOMO EFFLVERET. Vide Gruterianum Thesaurum CCCCLXXV. 3. & Fabrettum Inscr. Ant. Cap. III. pag. 228. n. 606.

Apud Plinium Lib. X. in Epistola ad Trajanum in qua agit de aquæductu Nicomediensium, Aquarii, & Castellarii, qui scientiam ducendarum aquarum habent, *Aquileges* vocantur; & apud Gruterum XCIV. I.

Inter Florentinas antiquas Inscriptiones votivum marmor dedimus p. 47. n. LXXXVII. ex Museo Mediceo; Nymphis Sanctis, quæ sculptæ in eo visuntur, dicatum ab Epicteto Augusti Liberto Aquario. Syntrophum Attiani Servum Aquarium exhibuit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. IV. pag. 308. num. 315.

LXXXII.


PRIMVS
TI. CAESAR. MATERN
AQVAR

Idest; *Primus Tiberii Cæsaris Maternus Aquarius*.

Peculiarem ministrum habuit Livia AD VNCTVRAM, vel AD VNGVENTA, qui ea curaret, ac depromeret, cujus nomen exhibetur in hoc Titulo

LXXXIII.


HELICO
AD VNC
FRVCTVS

HELICO. ἑλικών. FRVCTVS Ἀπόλαυσος. *S.*

Fabrettus Inscr. Ant. Cap. III. pag. 219. nu. 576. protulit T. Flavium Augusti (scilicet Domitiani) Libertum AB VNGENTIS, idest, *Ab unguentis*. Nam veteres Latini *Ungenta*, & *Ungentarium* dixere, ut docent vetusti lapides a Fabretto ibidem relati. De hac scribendi ratione Servius, & Velius Longus Grammaticus. Idem officium Servus habebat apud Horatium Carm. Lib. III. Od. 14. quem ita alloquitur;

I, pete unguentum, puer, & coronas.

Frequenter deliciarum, valetudinisque tuendæ causa prisci inungebantur, & a balneis, & ante cenam. Martialis Lib. III. Epigr. 12.

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, here, sed nihil scidisti.

Hinc explicatur illud D. Marci Cap. XIV. v. 3. ϰ̀ *συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον*, *& fracto alabastro*, unguentario vase, ad unguenta servanda maxime idoneo; qua phrasi non vasculi fractio, sed maxima unguenti profusio indicatur.

Suetonius hæc scripsisse Augustum de se narrat c. 76. *Ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter* SABBATIS IEIVNIVM *servat, quam ego hodie servavi, qui in balneo demum post horam primam noctis, duas buccellas manducavi prius, quam ungi inciperem*.

Incognitum hactenus officii genus exprimitur in sequenti Tabula, læva parte non inscripta, sed ut alia superius edita n. XLV. antiquitus scalpro abrasa, in qua Anteros Liviæ Libertus COLORATOR nuncupatur.

LXXXIV.



COLORATOR. Forte, *fucator*. (*il Lisciante*) Hinc a *καλλωπίζειν*, *καλλώπισμα*, fuci genus ad ornandam faciem, nos *Belletto*. *S.*

Tibullus Lib. I. Eleg. 9. v. 9.

Quid tibi nunc molles prodest ornasse capillos,
Sæpeque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? Quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?

Feminas, quæ faciem suam, divinum opus, lenocinantibus fucis corrumpunt, & violant his verbis objurgat D. Cyprianus Tract. II. de Habitu Virginum: *Non virgines tantum, aut viduas, sed & nuptas, puto, & omnes omnino feminas admonendas, quod opus Dei, & factura ejus & plasma, adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo* COLORE, *vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine*. Plinius Libro XXXV. c. 6. & Seneca Epist. 6. *coloratum* ponit pro *fucato*.

COLORATORES ita quoque appellantur, ut observat Salmasius in Historiam Augustam pag. 451. parietes colorant, & illiniunt.

Verum COLORATORES apud veteres, Medicorum quoddam genus fuisse puto, qui Aliptarum, & Jatraliptarum nomine venerint; quorum ars in eo fuerit, ut in hominum, ac feminarum corpora COLOREM, vires, florem, venustatem, sanitatemque quibusdam unctionibus, aliisve medicamentis tempestive datis, ac sumtis inducerent, servarentque; de quibus Juvenalis Sat. XI. vers. 203. & Persius Sat. IV. vers. 18.

—— *& assiduo curata cuticula Sole.*

scilicet *curata*, ut vetus Scholiastes interpretatur *a Chromatiariis; nam Chromatiarii dicti sunt* COLORARII. Χρωματιστὴς, *Colorator*, *Chromatiarius*. Quare sicut Aliptæ *Unctores*, & Jatraliptæ *Medici Unctores*, de quibus Cornelius Celsus de Medicina Lib. I. c. I. & Plinius Secundus Lib. X. ep. 5. cuidam medicinæ parti serviebant, quæ appellatur *κομμωτική*, sive *ornatrix*, cujus multa Præscripta a Galeno traduntur; ita COLORATORES ad vires, bonumque colorem, sanitatis indicem, in corporibus curandum deputati erant. Firmatur Coloratorum officium disertissimo Ciceronis testimonio, qui Lib. I. Ep. 9. ad Familiares ita ait: *Sed vellem non solum salutis ut Medici, sed etiam ut Aliptæ* VIRIUM, ET COLORIS *rationem habere voluissent*. Seneca in epistola ad Lucilium inter luxus rationes COLORARI in sole numerat; nam præsertim solem valde conducere valetudini credebant, teste Plinio, Lib. III. Ep. I. & 6. & Lib. VI. Ep. 16. & Celsus Lib. II. c. 14. Ex his alii uncti utebantur sole, alii sine unctione; quare Cicero *solem assum*, Plato *ἥλιον καθαρὸν*, sicut alterum *solem unctum* dixit Lib. XII. ad Atticum epist. 6. & alio in loco, quem me legere memini; *uti qui ambulant in sole colorantur*. Sponsa in Divinis Canticis Cap. I. v. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol*; nos patrio sermone, *mi ha fatta di color bronzino*. Sed ex Martiale docemur secessisse veteres in villas, ut corpus insolarent, partim valetudinis causa, partim ut cutem nitidiorem coloratioremque redderent, ac pallorem e vultu depellerent; ita enim Domitium alloquitur Lib. X. Epigr. 12.

Sed desiderium tanti est, ut messe vel una
Urbano releves colla perusta jugo.
I precor, & totos avida cute combibe Soles:
Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis.
Sed via quem dederat, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Plura de hac veterum insolatione juxta mentem veterum Medicorum Andreas Baccius Lib. II. de Thermis cap. 17. & Georgius Grennius Hulsatus de Rusticatione Romanorum, deque Villarum antiquarum structura Comment. Cap. VI.

LXXXV.

LXXXV.



ORNATIX. κομμωτρία. comtrix. De Ornatricibus luculenter Pignorius pag. 191. qui etiam earumdem ornatoria instrumenta erudite describit; & Reinesius in Epistola XXXV. pag. 260. Feminarum se ornantium artes, & studia, quibus ulla satis ornandi satietas est, & ut ait Terentius Heautontimorumeno *dum comuntur annus est*; perbelle depingit Plautus in Pœnulo Act. 1. Sc. 2. apud quem Adelphasium meretrix ita loquitur:

Postquam illuxit aurora, numquam cessavimus ex industria
Ambæ lavari, atque fricari, aut tergeri, aut ornarier,
Poliri, expoliri, pingi, fingi, & binæ una singulis
Quæ datæ nobis ancillæ, eæ nos lavando, eluendo operam
Dederunt, ab gerundaque aqua sunt viri defessi duo.

In Anaglypho Musei Medicei Chalcedonio exciso, Femina Ornatrix Veneris, supercilia e pyxide profert, quibus eam ornet; qua Gemma egregie locus Petronii Arbitri in hanc rem illustratur. De Ornatricibus plura Reinesius in Epist. XXXV. pag. 260.


Quantopere corporis cultui studuerit Livia Augusta, argui potest ex Inscriptionibus non paucis, in quibus ORNATRICES ejusdem nominantur. In alio Titulo hujus Monumenti supra n. LXVII. pag. 115. dedimus Geminam ejusdem Ornatricem. Duas Ancillas auricularum Ornatrices produxit Gruterus DLXXIX. 2. 3. quæ scilicet inauribus Liviam Augustam ornabant, ut explicat Caspar Bartholinus Syntagm. de Inauribus. Reinesius Gemellam Torquatam Cl. IX. n. 61. Sponius in Miscell. pag. 226. Ircen, Fabrettus Dorcadem Ornatrices ejusdem Liviæ edidere, cujus Titulum supra dedimus p. 97. Viros quoque Livia habuit Ornatores, inter quos Eperastum ex Reinesio Cl. IX. nu. 62. Ita quoque Cæsares non solum viros Ornatores, Gruter. DLXXVIII. 8. verum etiam feminas Ornatrices habuisse observo in his duabus Inscriptionibus, quarum prima quæ hic exhibetur, legitur apud Reinesium Cl. IX. n. 63. altera apud Fabrettum p. 213. n. 450.

IVLIA. HILA*ra*
LIBERTA. CAES
ORNATRIX

DIONYSIAE
TI. CAESARIS. AVG
ORNATRICI. MATERN
POSVIT
TERTIVS. LIBRARIVS
f. ANTHA ET. ANTACONSERVI


Jocosum dictum Augusti ad Juliam, cum Ornatricem deprehendisset canos illi legentem, quos mature habere ceperat, legitur apud Macrobium Saturnal. Lib. II. c. V. Ornatricibus jungendæ Sarcinatrices in sequentibus Titulis.

LXXXVI.



DAMALIS. Δάμαλις. *Vitula domita*. *S.*
SARCINATRIX. ἀκεστρία. Nobis *la Rammendatora*. *S.*

LXXXVII.




AMPELIO. ἀμπελίων. diminutivum ab Ampelo, *Vitis*, *Viticula*. *S*. B

SAR^C. ideſt, SARCINATRIX. Sarcinatrix, mulier quæ veſtes conſuit, & reficit, a ſarciendis veſtibus dicta. Auguſtus, teſte Tranquillo c. 73. *Veſte non temere alia quam domeſtica uſus eſt, ab* UXORE, *& ſorore, & filia, nepotibuſque confecta; togis neque reſtrictis, neque fuſis; clavo nec lato, nec anguſto: calceamentis altiuſculis, ut procerior quam erat videretur*.

Lochiadem Liviæ Sarcinatricem in alio Titulo hujus Monumenti ſupra dedimus num. XXXVIII. pag 92. Gruterus DLXXX. I. Fauſtam ejuſdem Sarcinatricem, & 2. Juliam Jucundam Auguſtæ Libertam A MVNDO. MVLIEbri *ἐπὶ κόσμȣ γυναικείȣ*. Reineſius Cl. IX. num. 78. Veraniam Primam ejuſdem Sarcinatricem; & Callithychen num. 77. exhibuit; quæ Inſcriptio aliquantulum fracta, nunc exſtat in Muſeo Andreinio Florentiæ.

LXXXVIII.



MENOPHILVS. Μηνόφιλος. *Lunæ amicus*. Μενόφιλος, *conſtans amicus*. *S*. D

AVG. L. Ideſt; *Auguſtæ Libertus*.

CALCIATOR. Nos *il Calzatore*. Plinius Lib. III. Ep. 16. *Nempe daturi eſtis conſulari viro ſervulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus veſtiatur, a quibus* CALCIETVR; *omnia vel ſola præſtabo*. CALCIATOR. ideſt *Calceator*; non raro I pro E ponitur in monumentis. De Calceis Veterum conſulendus Balduinus. Reineſius Cl. IX. nu. 78. produxit Veraniam Liviæ Auguſtæ ſervam A SANDALIis. Sponius in Miſcell. pag. 206. Julium Cypſum Auguſtæ, vel Auguſti ſervum exhibuit A CAL; quod officium interpretatur *a Calida*, ideſt, ab aquæ calidæ potione; Martialis Lib. I. Epigramm. 12.


Jam defeciſſet portantes calda miniſtros.

Videtur quoque legi poſſe A CAL, ideſt, *a Calceis*.

Calceos, cum diſcerniculo, ſpeculo, pyxide unguentaria, variiſque mulierum ornatoriis inſtrumentis, ſculptos vide in eleganti Ara marmorea Regii Muſei Medicei inter Inſcript. Antiquas Urb. Etr. Par. Prima pag. 10. num. V.

LIVIAE. CHLOE. L. SVAE. Eadem Livia Chloe dicitur Liberta M. Livii Menophili, & M. Livii Sabini in hoc alio Titulo.

LXXXIX.


LIVIAE . LALAGE . L.
M. LIVIVS . SABINVS . F
VXSORI . SVAE . OLLAM
DEDIT . EIQVE . LIVIA
TERPNI.ET. SATVRNIN
LIB . SECVNDA . DEDIT

LIVIA . MENOPHILI . ET
SABINI . L . CHLOE
M. LIVIO. SABINO. FIL. SVO
OLLAM. DEDIT

LALAGE. Horatius Carm. Lib. I. Ode XXII.

Dulce ridentem Lalagen amabo
Dulce loquentem.

Sappho, ϗ γελώσας ἱμερόεν. *S.*

LALAGE, quasi *loquacula*. Lucretius Lib. IV. verſ. 1158.

At flagrans, odioſa, loquacula λαμπάδιον *fit*. *S.*

TERPNI. Hoc nomine fuit citharœdus, cujus cantilena Nero, antequam somnum caperet, delectabatur. Suetonius in ejus vita cap. 20. Τερπνὸς, *delectabilis, jucundus*. *S.*

B Conveniunt ſæpiſſime nomina Libertis, ac Servis impoſita cum officiis, quæ gerunt; ut animadvertentibus paſſim patebit; nil enim ſine cauſa, & ratione ab antiquis factum eſt.


SECVNDA. Proprium Græcum nomen hujus Libertæ Δευτέρα, *S.*

CHLOE. ideſt, *Herba viridis, recens*. Horatius Carm. Lib. I. Ode XXIII.

Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe. *S.*

Ex ſequenti Titulo liquet Sabinum Auguſtæ Libertum fuiſſe ARCARIVM; nondum vero manumiſſum, cum a Livia nomine donatus non fuerit.

XC.


SABINVS . AVG . L
ARCARIVS . OLLAM
DEDIT . LIVIAE . TERPNI
ET . SATVRNIN . L . SECVNDAE


De Officio ARCARIORVM Domus Auguſtæ pauca inferius dicemus.

Livia Secunda Liberta Terpni, & Saturnini, quæ ut legitur in ſuperiori Titulo n. LXXIX. Ollam dederat M. Livio Sabino, qui eam uxori ſuæ Liviæ Lalage donaverat, hic e contra ab eodem Sabino, accepti beneficii memore, alia Olla in alio Columbario redonatur. In ſequenti Titulo Saturninus Myrtilli, de quo ſupra n. XXIII. pag. 89. Libertus dicitur, in altero Urbani.

XCI.




XCII.



CLEO. Κλέων derivatum ἀπὸ τοῦ κλέος a gloria. Inde Nicocles Νικόκλης; *Gloria victrix*. Sophocles σοφόκλεης *Gloria ſapientiæ*, *inclytus ob ſapientiam*, & ſimilia.

XCIII.



Ideſt; *Mena Liviæ Libertus a Veſte*.

MENA. Μηνᾶς. i. *Menodorus*, *Lunæ munere natus*. Sic *Nymphas* apud S. Paulum Νυμφᾶς, *Nymphodorus*. Et apud Terentium *Chærea*, *Byrrhia*, Χαιρέας. Πυῤῥιας, *Rufulus*. Antiqui teſte Quinctiliano dicebant *Ænea* pro *Æneas*. Αἰνείας. Virgilius Græco more *Æneas*: Cavendum idcirco eſt ne hæc nomina in A, feminina cenſeantur. Niceta, νικήτας, Dorice. Glaucia ὁ γλαυκέας &c. *S.*

De alio cognomine Mena Libertino, Auguſto admodum caro, ſupra diximus pag. 81.

A VESTE. In alio Titulo ſuperius edito n. LXXIII. p. 120. AD VESTEM. Gr. barb. Βεςιάριος. *Veſtiarius S.*

Horum officium erat veſtes curare, ut explicat Pignorius pag. 105. Fabrettus Inſcript. Ant. Cap. V. pag. 371. Officium Liberti A VESTE vel AD VESTEM idem quod VESTIFICI, ac VESTIARII eſſe putat. Quod confirmari poteſt auctoritate Romani lapidis Gruteriani DLXXVIII. 7. in quo Tiberius Claudius Dipterus dicitur VESTIFICVS. CAESAR*is*. A.VESTE SCÆNICA. Variis ſiquidem veſtium generibus varii Liberti deſtinati erant, qui eas vel conficerent, tempuſque noſcerent quando mutari, ac variari deberent. Idem officium curandi veſtes Feminis quoque Servis Liviæ Auguſtæ datum oſtendunt veteres Tituli apud Gruterum DLXXVIII. 8. ut Vibiæ Succeſſæ Liviæ Auguſtæ Servæ AB ARGENTO POTORIO. Item. A. VESTE. & Byræ Canacianæ ejuſdem A VESTE MAGNA.

Præter hos erant VESTISPICI, & VESTISPICAE, quæ veſtes cuſtodiebant; VESTIPLICI, & VESTIPLICAE, quæ veſtes mire, & concinne plicabant, & aptabant. Vid. Cl.V. Philippum Senatorem Bonarrotium in Fragm. Vaſ. Vitr. Cœmeter. pag. 158.

Non ſolum Auguſtæ Feminæ Servos, ac Servas ad

vestium curam, & custodiam destinatas habuere, vel a quibus vestirentur, verum etiam Imperatores, ut in Gruterianis, in quibus plures Liberti *Vestitores*, *Vestiarii*, & *ad Vestem* nominantur DLXXVIII. 1. 4. & n. 7. ac dicuntur A VESTE SCAENICA. 8. 9. A VESTE PRIVATA. & DLXXXII. 9. A VESTE MATVTINA. & DLXXVII. 6. A VESTE REGIA.


In Prænestino lapide apud Fabrettum Cap. IV. pag. 317. n. 409. Alcimus Neronis Cæsaris Augusti Servus A VESTE CASTRENSI fuisse scribitur, & pag. 371. n. 150. Euphrosinus Trajani Libertus A veste VENATORIA. & n. 152. ibidem, Philetus Tiberii Claudii Cæsaris A COMMENT. RAT. VESTIVM. SCAENIC. ET. GLADIAT. ideſt; *A Commentariis Rationis*, vel *Rationum Vestium Scænicarum, & Gladiatoriarum*. His addendus Ambrosius Nervæ Imperatoris Augusti, optimi & humanissimi Principis Libertus, qui fuit PRAEPOSITVS. VESTIS. ALBAE. TRIVMPHALIS, ut legitur in elegantissima marmorea Tabula, hactenus inedita, cujus longitudo est palmorum trium Romanorum, & XI. circiter unciarum; altitudo vero I. palmi, & unciarum VII. quæ nuper inventa est Romæ in Cœmeterio S. Hermetis, post Villam, vulgo *Pinciana*, in Vinea hodie Presbyterorum Soc. Jesu, quæ la *Pariola* appellatur; & exinde translata in Porticum Basilicæ S. Mariæ Transtyberim; quam perhumaniter mihi communicavit Illustris. D. Franciscus Eques Victorius, qui hac eruditionis supellectile venerandæ Antiquitatis Cultores carere noluit.

De triumphantium veste nil non dictum post Bulengerum doctissimum virum, & Thomam Dempsterum in Paralip. Antiquitatum Roman. Joh. Rosini Lib. X. ad Cap. XXIX. Fuit enim propria Triumphantium vestis Toga picta, & palmata Vestis, purpureo colore insignes. Suetonius triumphasse Neronem scribit c. 25. in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde. Albis equis curru vectos triumphantes lego, non vero alba veste triumphasse. Quare veste alba triumphali usum fuisse Nervam Imperatorem reor, non in Triumpho, nam nullum habuit, sed aut in triumphalibus Sacrificiis, in quibus triumphantes candidas boves sacrificabant, candida induti veste, vel in triumphalibus Ludis, quos Romani amicti candida veste spectabant; ut ex Claudiano Carm. XXVIII. v. 506. & ex Martiali Lib. IV. Ep. 2. colligitur. Tribunis Plebis in Ludis Augustalibus decretum fuisse narrat Tacitus Annal. Lib. I. Editionis Frobenianæ Basil. pag. 7. ut in Circo veste triumphali uterentur; cujus insigne testimonium subjicimus: *Inter quæ Tribuni plebeii petiere, ut proprio sumtu ederent Ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex ærario, utque per Circum* TRIVMPHALI VESTE *uterentur, curru vehi haud permissum*. Verum alibi rarissimam hanc Inscriptionem accuratius expendemus. Minusculi characteres, qui in capite fracti marmoris, dextra parte, apparent, non pertinent ad integram epigraphen, sed extrema versuum alterius inscriptionis sunt: ea vero ita se habet.

D ——— M

M. COCCEIVS. AVG. LIB. AMBROSIVS. PRAEPO
IMAE SITVS. VESTIS. ALBAE. TRIVMPHALIS. FECIT
V A M COCCEIAE. NICE. CONIVGI. SVAE. CVM. QVA. VIXIT
ON
ARX ANNIS. XXXXV. DIEBVS. XI. SINE. VLLA. QVEREL
SVM
MVO ET. RVFINVS. CAES. N. VERN. ADIVTOR. TABVL
EM TI FILIVS. EORVM. SIBI. ET. SVIS. LIB. LIBERTABVSQ.
EEI POSTERISQ. EORVM. H. M. H. N. S.
NTRO
VO IN. FRONTE. P. XVI. IN. AGRO. P. XXII.
IERI HOC MEVIVO INSERRI IVSSI

LXXXXIIII.



YX. Fortaſſis ERYX: ita denominatus ab Eryce Rege Siciliæ, egregio cæſtuum decertatore; de quo Virgilius Æneid. Lib. V. verſ. 391.

—— *ubi nunc Deus ille, magiſter*


A

Necquicquam memoratus Eryx?


PHASIDIS. A *Phaſide* Colchorum fluvio, de quo Catullus Carm. LXIII. v. 3.

IMM. ideſt IMMVNIS.

LXXXXV.



LXXXXVI.



Ideſt; *Ciſſus Cæſaris Mæcenatianus. Parmeno Liviæ a Purpura Mæcenatianus.*

CISSVS. Κίσσος. *Hedera*. Veteres appellarunt *Ciſſibia* pocula ex hedera confecta, quorum meminit Macrobius Saturnal. Lib. V. c. 21. In Hymnis, qui Orpheo tribuuntur, Bacchus Κισσόβρυος, & Κισσοχάρης, dicitur; quod germinante hedera delectetur, & inſtar hederæ vigeat.

Huic Ciſſo alium cognominem jungimus Cæſaris Augusti Cubicularium, qui antea, ut videtur, L.

B

Syllæ ſervus fuerat; cujus ſepulcralis Titulus legitur apud Fabrettum Cap. v. Inſcr. Ant. pag. 343. n. 531. verum læva parte, altera epigraphe mancus; quem reſtituo ex membranaceo Codice F. Jo: Jucundi Veronenſis, qui Romæ apud Jo. Baptiſtam de Picardinis deſcripſit; quem mihi communicavit Illuſtriſs. D. Antonius Franciſcus Eques Marmius, bonarum literarum literatorumque amator eximius.

CISSVS

CAESARIS. AVG. CVB

SVLLEIAN. V. A. XXX

Q. CANINIVS

Q. L.


AMIANTVS

A PVRPVR. ideſt A PVRPVRA. Parmenonis Mæcenatiani officium fuit purpuram Liviæ curare. Tyria purpura, uti peregrina, pretioſior, ac nobilior, procul dubio valde in uſu Principibus Domus Auguſtæ. Macrobius Saturn. Lib. II. cap. 4. jucundum Auguſti jocum in hanc rem narrat. *Cum* (inquit) *de* TYRIAE PVRPVRAE, *quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur: dicente venditore, erige altius, & ſuſpice, his uſus eſt ſalibus: Quid ergo? ut me Populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* Purpuræ appellatione, omnis generis purpuram contineri auctor eſt Lazarus Bayſius de Re Veſtiaria pag. 10. qui de purpureis veſtibus, & de purpurarum varietate differit erudite, ac luculenter. Gruterus CCCCLXXIV. 4. exhibet Theopreponta Libertum Procuratorem Imperatoris M. Aurelii Severi Alexandri A RAT*ionibus* PVRPVRAE, & poſt alia officia item PRAEPOSITVM A FIBLIS, ideſt *a Fibulis*. Purpura Romæ quoque tingebatur, cum eſſent Officinæ Purpurariæ, ut Plinius teſtatur Lib. IX. c. 36. & Purpurarii infectores, qui in vetuſtis Lapidibus apud Gruterum DCXXI. 4. DCXLIX. 9. 10. memorantur. Apud Fabrettum Inſcr. Antiquar. Cap. IX. pag. 261. n. 175. ac pag. 701. n. 231. producitur L. Plautius Eros Libertus PVRPVRARIVS DE VICO TVSCO. Quare magno in uſu apud Romanos purpuram ſemper fuiſſe liquet. Veſtium oras purpureis item clavis ornare conſueverunt, qui honor vilibus capitibus, ac mancipiis negatus, teſte Artemidoro Lib. II. c. 3. Purpuræ uſum Romanis antiquiſſimum fuiſſe conſtat, quem ab Etruſcis, atque his ab Hebræis derivaſſe credere libet. Vide Plutarchum in Romulo, qui ait Romuli veſtem fuiſſe tunicam purpuream, & geſtaſſe tunicam prætextam. Certe tunicam prætextam ab Etruſcis Romanos ſumſiſſe teſtatur Livius Lib. I. Quantum vero in uſu, ac pretio fuerit purpura ſub Auguſto, clariſſimum eſt Nepotis Cornelii teſtimonium apud Plinium Lib. IX. c. 39. qui etiam meminit *Officinarum purpurariarum* Lib. XXXV. c. 6. In Actibus Apoſtolorum Cap. XVI. v. 14. memoratur *quædam mulier nomine Lydia* purpuraria *civitatis Thyatirenorum, colens Deum*. Quare apud Græcos feminas quoque purpuram tinxiſſe colligimus. Quomodo purpura conficeretur erudite exponit Fabius Columna Lynceus de Purpura. Purpurarii urinatores, purpuras piſcabantur, qui dicti *Murileguli* in Codice Theodoſiano. Diphaba purpura matronarum erat propria, ut obſervat Cl. V. Octavius Ferrarius de Re Veſtiaria Lib. III. Cap. XXII.

MAECENATIAN. Ideſt. *Mæcenatianus*. *Mæcenas*, Græcis ΜΑΙΚΗΝΑΣ. *S.*

Ita omnino ſcribendum per AE, non per OE, ut quidam perperam faciunt, antiquorum lapidum conſtantis Orthographiæ minime gnari. Liberti priorem dominum ut referrent, ad eorum memoriam denominationem ex nomine, aut cognomine retinebant, uti etiam faciebant lege adoptionis ingenui. Ciſſus, & Parmeno Mæcenatiani, a MAECENATE priore domino, viro potentiſſimo, & Auguſti amiciſſimo agnomen aſſumunt; quod hic ſemel indicaſſe ſufficiat; nam in Titulis jam editis, ac mox edendis, legitur a Diogene DIOGENIANVS, a Damocle DAMOCLIANVS, a Potito POTITIANVS, a Natali NATALIANVS, a Gugetio GVGETIANVS, ab Amynta AMYNTIANVS, ab Antonio ANTONIANVS, a Mæcilio MAECILIANVS; a Druſo DRVSIANVS; a Nerone NERONIANVS; a Licinio LICINIANVS; a Panerote PANEROTIANVS; a Commodo COMMODIANVS, ab Attalo ATTALIANVS; a Cornelio CORNELIANVS. Conſulendus Pignorius de Servis pag. 35. & Fabrettus Inſcr. Cap. IV. pag. 319. & 343. Feminas quoque Servas, ac Libertas a priore domino denominationem accepiſſe notare poſſumus; ut ab Caſcellio, fortaſſis Aulo Caſcellio Juriſconſulto, cujus meminit Horatius in Epiſtolis, in allato ſuperius Titulo num. LXXX. pag. 125. ASIA CASCELLIANA, & in ſequenti ab eodem Mæcenate ANNA MAECENATIANA Liviæ Liberta.

LXXXXVII.



XCVIII.



AVCTVS. LANIP. Forte LANIPENS, *a pendenda lana*; ut apud Romanos Jurisconsultos *Libripens, dis*; quasi libra pendens. *S.*

Irene mulier in Florentino marmore Musei D. Marchionis Riccardii, dicitur LANIPENDA. Par. I. Inscr. Ant. Etr. Urb. pag. 110. n. 87.

Lanipendæ inter Lanificas lanæ pensa partiebantur. Lanificæ lanas, & diurna pensa nebant, & tractabant; quare, & Parcæ sorores *lanificæ* dicuntur, quod stamina tractent. Martial. Lib. VI. Ep. 58.

Si mihi Lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos.

Pensum lanæ colo advolutum, cum prærupto filo, ad mortis celeritatem, & præceps fatum indicandum, sculptum spectatur in duobus sepulcralibus Titulis Florentini Musei Suburbani Strozii, pag. 355. n. 63. & pag. 404. n. 207.


Apud Sponium in Miscell. pag. 223. laudatur bona conjux, quod fuerit LANIFICA. PIA. PVDICA. FRVGI. CASTA. DOMISEDA. οἰκουρος, *domum custodiens*. Tanti fuit tractandarum lanarum opus apud veteres Romanos, ut non solum illud exercuerint Liberti, ac Servi, itemque Libertæ, ac Servæ, verum etiam matronæ nobilissimæ, ac matresfamilias, & virgines ingenuæ. Ipse Augustus ut scribit Suetonius in ejus vita c. 64. *Filiam, & neptes ita instituit, ut etiam ad* LANIFICIVM *assuefaceret*. Alia si cupis super hac re vide Cl. V. Thomam Dempsterum in Paralipomenis Lib. I. c. 13. ad Johannem Rosinum.

A SEDE AVGVSTAE. ἐπὶ τῷ βασιλείῳ θρόνῳ. Herodianus Lib. I. de Lucilla Commodi maxima natu sorore, quæ Augustalia habebat insignia: ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου καθῆστο ἐν τοῖς θεάτροις. Idest: *in regia sede, seu throno sedebat in theatris*. *S.*

Hujus lapidis auctoritate discimus plures cum viros, tum feminas, quæ Principibus Domus Augustæ diversis officiis serviebant, aliorum quoque Libertorum Libertos fuisse; qualis hic M. Livius Lydus Libertus Aucti Lanipendis Liberti Augustæ, qui eidem Augustæ βασίλικον θρόνον, ubicumque esset, sive in Palatio, sive in Templo, aut in Theatro, aliisve locis, tum publicis, tum privatis, parabat, admovebat, vel removebat. Honoris causa idem munus exequitur Venus φιλομμειδὴς *risus amica* apud Homerum Iliad. Lib. III. versus finem: quæ Helenæ Alexandri domum ingressæ statim sedem defert ac ponit ex adverso ejusdem Alexandri. Apud eumdem Homerum Iliad. Lib. XIV. v. 228. Juno auream, & immortalem sedem cum solio ad pedes spondet Somno, si Jovis oculos post mutuos amores sopire velit. Sed ad Augustam redeamus cui honoris, & cultus gratia decreta sedes legitur apud Tacitum Annal. Lib. IV. cap. 16. ut scilicet, quotiens Theatrum introiisset, sedes inter Vestales consideret. In Theatro Virgines Vestales locum separatum, & contra Tribunal Prætoris habebant, teste Suetonio in Aug. c. 44. Dio Lib. XLIV. Sedem auream, & coronam gemmis & auro insignem, Diis parem, narrat C. Julio Cæsari positam in Spectaculis. Consonat Suetonius in ejus vita cap. 76. *Sed & ampliora humano fastigio decerni sibi passus est* SEDEM AVREAM *in Curia, & pro Tribunali*. Hinc sedes Augustorum sacræ habebantur, & in Templis coli solebant. Adoratam Caligulæ Sellam scribit Dio Lib. LIX. In Numis, Dearum imaginibus, Augustæ expressæ, sedentes in pulcherrimis, & ornatissimis sedibus: quemadmodum observavit Cl. V. Valerius Chimentellius Florentinus de Honore Bisellii Cap. XIII. pag. 51.

XCIX.

LXXXXIX.



BLASTVS. βλαςὸς. *germen*. *flos*. Catullus Carm. XXIV. I.


O qui flosculus es Juventiorum. *S*.

Hujus pariter nominis in Florentino Cippulo Musei Suburbani Strozii pag. 371. n. 122. legitur Blastus Cæsaris Servus Neronianus, & in Actis Apo- A stolorum Cap. XII. v. 20. Blastus Præpositus Cubiculo Regis Herodis.

LANIPENS. *dis*, ut *Libripens*, *dis* in Institutionibus Caii Juriconsulti.

PRAENE. Restituendum PRAENESTINA. Ex Præneste Latii veteris oppido, in prospectu urbis. Libertorum propria nomina sæpissime desumta ex illustribus regnis, provinciis, civitatibus, atque oppidis; ut alibi observavimus.

C.



CORINNA. ἀπὸ τῆς κόρης. a puella derivatum. Ovidius.

Ecce Corinna venit tunica velata recincta. *S*.


Corinna quoque celebris Poetria, de qua Propertius Lib. II. Eleg. II. v. 31.

LIBR. Idest; LIBRARIA, ut in pluribus Inscriptionibus legitur apud Fabrettum Cap. III. pag. 214. qui eas dictas censet non a libris scribendis, vel B glutinandis, sed *a libra*, quod partiendis pensis essent præfectæ; ad quod illud Juvenalis adducitur Satyr. VI. n. 475.

— si nocte maritus
Adversus jacuit, periit LIBRARIA, *ponunt*
Cosmetæ tunicas. —

ita interpretante ibi vetere Scholiaste, LIBRARIA, *Lanipendia*.

CI.




LA. Alia Libertorum nomina monosyllaba leguntur in Florentinis Inscriptionibus, quemadmodum pag. 164. n. 114. PROCVLEIAE. C. L. MA'. pag. 368. n. 115. CLODIA. A. L. MA'. Et bisyllaba ibidem n. 113. A. MEMMIVS GAA. item apud Fabrettum Inscr. Ant. Cap. 1. pag. 2. n. XII. & 2. Quare monosyllaba nomina vel ex integris contracta, blanditiarum causa, ut nos solemus, cum a viris, tum a feminis usurpata fuisse, horum lapidum testimonio evincimus. A

LA. Integrum fortassis nomen LALVS; ut in Gruteriano marmore 2. DXCVII. in quo inter alios Juliæ Gentis Libertos LALVS nominatur.

B PAENVLARIVS. Ita quoque in duobus lapidibus apud Gruterum CXII. 12. & DCXLVI. 5. scriptum PAENVLARIVS cum diphthongo AE. Gr. φαι'όλη. *Pænula*. Hujus C. Julii La officium fortassis fuit vel Liviæ, vel alicui Domus Augustæ Principi pænulam conficere, vel curare. Primum pænula veteres usi sunt in itinere, pluviæ, & frigoris arcendi causa. Hinc Mercurius quia Deus Enodios, Vialis, viarumque præses, sæpe in antiquis signis, ut in æneo pulcherrimo Musei Medicei, & in Gemmis scalptus pænulatus, ut in eximia Gemma Dioscoridis opere apud Philippum Stoschium Tab. XXVIII. Pænula deinde pretiosior, & amplior facta, & in Urbem introducta, communior cum nobilium virorum, tum feminarum vestis fuit; non solum purpurarum laciniis, & clavis, verum etiam gemmis infertis, phrygisque operibus circumornata, & vario modo depicta. Inter mulierum vestes eam reponit Ulpianus L. 34. DD. tit. 2. l. 25. pænularumque acu pictarum meminit Trebellius in Quieto Tyranno; & Suetonius in Calig. c. 52. qui de ejusdem Caligulæ muliebri vanitate hæc scribit; *Vestitu calceatuque, & cetero habitu neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus* PAENVLAS, *manuleatus & armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, & cycladatus*. De Pænula fusius differit Antiquitatis consultissimus Philippus Senator Bonarrotius in Observationibus in Fragmenta Vas. Vitr. Cœmeteriorum pag. 31. 175. 176. 160.

XCVIII.



CELEVTHI. Κέλευθος. *Via*. Homerus ὑγρὰ κέλευθα. *humidas, liquidas vias. (Maris.) S.* C

MARG. Ideſt; MARGARITARIVS. μαργαριτέμπορος. *Negotiator margaritarum*, qui Liviæ ad ornatum corporis margaritas curabat. Magno in pretio usque apud Romanos margaritæ fuere, ut antiquæ Inscriptiones testantur apud Gruterum CCCXL. 2. & MCXVI. 9. C. Julius Cæsar Britanniam petiit spe margaritarum; Suetonius c. 47. Opportune hoc in loco silentio minime prætereunda est vetus Inscriptio votiva in prælongo marmore, quod hodie exstat in Museo Nobilium DD. e Victoriis. Gruterus edidit pag. LXIIII. 7. verum hic emendatior iterum prodit in lucem.

SILVANO DENDROPHORO SACRVM
M. POBLICIVS MARGAR QQ PP CVM LIBERIS
MAGNO ET HARMONIANO DENDROPHORIS M D M DE SVO FECIT

Fabrettus edidit L. Novium Sabinum Margaritarium Infcr. Ant. Cap. x. pag. 700. n. 220. & pag. 701. duos item Margaritarios DE SACRA VIA. num. 222. & n. 228. Spectacula magnifice edita a Nerone Claudio Cæfare defcribens Suetonius c. 11. inter alia miffilia fparfa populo per omnes dies, fingula quotidie millia, *margaritas* quoque, & gemmas, pictas item tabulas, veftes, aurum, argentum, & tefferas frumentarias enumerat. Vitellius ex aure matris detractum *unionem* pigneravit ad itineris expenfas, ut narrat idem Tranquillus c 7. In quadam Infcriptione apud Fabrettum Cap. I. pag. 44. n. 253. Sextus Brittidius infans a fuis A vocatur MARGARITION, blanda plane, καὶ ὑποκοριστικῇ appellatione, ut nos quoque caris, amicifque dicere folemus; *Siete una perla, perluccia cara*. Auguftus familiariter fcribens Mæcenati, plura in jocos effufa ita fubtexebat, ut narrat Macrobius Saturnal. Lib. II. cap. IV. *Vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, lafer Arretinum, adamas Supernas, Tyberinum* MARGARITVM, *Cilneorum fmaragde, jafpis Figulorum, berylle Porfenæ*.

DIONYSIO. *Dionyfius* nomen a *Dionyfo*, ideft *Baccho derivatum*. *S.*

MEGISTE. Μεγίστη. *Maxima*. *S.*

CIII.

IRENIO. AB. ORNA
INT. IN. VNA. GENESIM
VENER. ET. ALCISTVM. F

Ideft; *Irenio ab ornamentis intulit in una* (i. in unam Ollam, ut fupra in primo Titulo pag. 65. IS. INTVLIT) *Genefim, Venerem, & Alciftum Filios*, vel *Fratres*.

Irenionis officium fuit ornamenta, quæ ad muliebrem mundum fpectant, curare. De ornamentis muliebribus vide Ulpianum ff. de Aur. & Arg. leg. Pand. l. 34. ubi ex profeffo agit de veftimentis, & de ornatu muliebri. Vide etiam Lampridium in Alexandro Severo. Cæfares quoque fuos Libertos AB ORNAMENTIS habebant, ut paullo infra videbimus n. CIV.

B INT. IN VNA. Ideft, *intulit in unam Ollam*, omiffa M, ut fupra notavimus pag. 105. allato exemplo Infcriptionis Mufei Suburbani Strozii, OLLA EIVS SI QVI OVVIOLARIT. Et in alia ibidem quam vulgavimus inter Infcriptiones antiquas Urb. Etr. Par. 1. pag. 420. n. 274. HILARA. MINOR. VIVA. ROGAVIT. VT. OSSA. SVA. IN. OLLA. MIDAES. COICERENTVR. CVM. MORT. ESSET. ideft; *in Ollam Midaes cojicerentur cum mortua effet*. In Romana Tabula Mufei Carpenfis apud Gruterum DCV. II. legitur.

ALCYONE I DIVI. AVG. L. OSSA CALAIS. L. PATRONO	L. ACILI. EROTIS. ET CISVITIAE. MVSAE OSSA. IN. VNO

IN VNO. Forte IN VNOM. i. *in unum*; ut PERPETVOM, i. PERPETVVM.

Commixtos fimul in una Olla plurium Defunctorum cineres, & in hoc Columbario fuperius obfervabimus in Defcriptione §. XI. Nil enim amicis, & propinquis carius, & optatius effe poteft jucunda focietate etiam poft mortem.

Hunc morem in unam urnam commifcendi cineres plurium defunctorum a Græcis quoque ufita- C tum ex Homero oftendit Fabrettus ad Tab. Iliadis p. 336.

GENESIM. Hujus pariter nominis exftat inter Florentinas Infcriptiones Par. 1. pag. 441. n. 67. FVFIA GENESIS C. MAECENATIS CESTI.

VENER. Nomen hujus feminæ *Venus*, ab Amorum Dea. Feminæ, affectus & blanditiarum caufa, *Veneres* appellatæ fuere, ut in veteri Infcriptione a Fabretto edita Cap. IV. pag. 268. n. 115. de

Olia Attiana; SI PVDICA VENVS ATTIANA. COIV-GI. CASTA. SI. GENETRIX. NATORVM BONO DE GERMINE. DEDI. *Veneres* quoque dictæ amicæ ab amatoribus suis. Virgilius Ecl. III. v. 68.

Parta meæ Veneri sunt munera ——

Plauto nil eo familiarius. Bacch. 1. 2. 39.

Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.

In Gemma amatorii anuli in Museo D. Marchionis Riccardii scriptum, TV MEA VENVS.

CIV.



AB. ORNAM. Ideſt; *Ab ornamentis.*


Divæ Auguſtæ Libertum Cnidum AB ORNAMENTIS SACERDOTALIS, ideſt SACERDOTALI-*Bus*, (ob quamdam ſimilitudinem inter B & S) primus in lucem profero in hac ſingulari Inſcriptione, quam cum plurimis aliis ineditam notavi in vetuſto MS. Codice papyraceo olim Bibliothecæ Clariſs. V. Franciſci Redii Patricii Arretini, Magni Ducis Etruriæ Archiatri, quem mihi expilandum communicavit ſumma humanitate Illuſtriſs. D. Gregorius Bajulius Redius Patricius Arretinus, Franciſci Nepos, lauticiarum omnium eruditæ Antiquitatis ſtudioſiſſimus; in qua tamen Inſcriptione ante primum verſum, alium fuiſſe puto, qui diceret C. IVLIVS; vel TI IVLIVS, vel M. LIVIVS. nam nullum integrum Titulum ita incipere poſſe perſpicuum, ac manifeſtum eſt. Ita vero in eo Codice majuſculis literis exarato, in rubrica notatum eſt pag. 36. *Extra Urbem per duo millia paſſuum a latere S. Pauli in quadam Domo.*

DIVAE. AVG. L. CNIDVS
AB. ORNAMENTIS. SACERDO
TALIS. FRVCTILIVS. C. F

Sacerdotalia ornamenta ea fuiſſe compertum eſt ſacras infulas, vittas, & puras veſtes. Ea procuraſſe legitur hic Cnidus Divæ Auguſtæ, utpote Sacerdoti Divi Auguſti conjugis ſui; cui quoque permiſſum, teſte Dione Hiſt. Rom. ad finem Lib. LVI. ut lictore in Sacrificiis uteretur. Tacitus vero Annal. Lib. I. Editionis Frobenianæ Baſileæ pag. 6. narrat Tiberium Cæſarem paſſum non eſſe ut matri Liviæ Lictor decerneretur. *Multa* (inquit) *Patrum, & in Auguſtam adulatio: alii* PARENTEM, *alii* MATREM PATRIAE *appellandam: plerique ut nomini Cæſaris adſcriberetur* IVLIAE FILIVS, *cenſebant. Ille* (Tiberius) *moderandos feminarum honores dictitans, eademque ſe temperantia uſurum in his quæ ſibi tribuerentur; ceterum anxius invidia, & muliebre faſtigium in diminutionem ſui accipiens, ne* LICTOREM *quidem ei decerni paſſus eſt:* ARAMQVE ADOPTIONIS, *& alia hujuſmodi prohibuit.*

Plures item Sacerdotes feminas habuit LIVIA AVGVSTA, quæ in Gruterianis lapidibus memorantur; inter quas Curtilia Priſcilla CCCXX. 12. Cornelia Aſprillia CCCXXI. 1 & Domicia Græcinia ejuſdem pariter Flaminica ibidem n. 5. quæ omnes feminæ ingenuæ ſunt. Fabrettus Liviam Ammiam dedit Inſcr. Ant. Cap. X. pag. 681. n 58. Sacerdotem Magnæ Deum Matris Idææ, fortaſſis Liviæ Auguſtæ Libertam. Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. X. pag. 697. n. 192. dedit Claudiam Æſerninam Sacerdotem Divæ Auguſtæ. Neque vero ſolis ingenuis feminis Sacerdotium concedebatur, ſed etiam Libertis; non enim ii a ſacris miniſteriis arcentur, ut obſervat Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. VI. pag. 434. auctoritate Taciti Annal. Lib. XIII. c. 27. quod etiam firmari poteſt teſtimonio ſequentis Tituli, literis minio pictis, & ipſa raritate inſignis, in quo Philematio Auguſtæ Liberta Sacerdos a Bona Dea dicitur.

CV.



Ideſt; *Mænalus Pediſequorum*, vel *Pediſequus Decurio*. *Philematio Auguſtæ Liberta Sacerdos a Bona Dea Mater Mænali*.

PHILEMATIO. Non legendum eſt φιλημωτίων, νος, maſculi nomen; ſed φιλημάτιον, ου, femina Sacerdos, ἱέρεια. In recto Philematium, meretrix apud Plautum in Moſtellaria. Lucretius Lib. IV. v. 1162. *labioſa*, φίλημα, mulier, quæ pinguibus labris eſt, ab amatore gratiæ, & amoris cauſſa, ὑποκοριστικῶς appellatur *philema*, hoc eſt *oſculum*; quaſi ad oſculum homines alliciat. Torquatus Taſſus in Odario quodam:

Sporgeſi il labro tumidetto in fuore
Per fare a i baci inſidioſo invito.

PHILEMATIO igitur diminutivum eſt, & ut dicimus *vezzeggiativo*. Gr. φιλημάτιον; ideſt, *Suaviolum*. Catullus Carm. XCVI. v. I.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambroſia. S.

SACERD. A'. BONA. DEA. Præpoſitio A' ſignata eſt accentu acuto: nonnulli e recentioribus gravi ſignant. S.

Aliud exemplum profero in hac marmorea Romana Tabula, quam depromit Gruterus CCCVI. 6.

C. IVLI
PHILICAE

TI. CLAVDIVS
NATALIS
A' LIBRIS
PONTIFICAL


Ædes Bonæ Deæ fuit in Aventino monte, ut auctor eſt P. Victor in Regione XIII. quæ dedicata eſt Kalendis Maiis. Bonam Deam eamdem eſſe ac Terram, Majam, Cererem, Matrem Magnam Idæam, Opem, Faunam plures volunt. Vide Platonem in Cratylo; Varronem Lib. IV. de Ling. Lat. apud D. Auguſtinum de Civit. Dei Cap. XXIV. Plinium Lib. XVI. c. 2. Macrobium Saturn. Lib. I. c. 12. & præcipue Plutarchum in Cæſaris vita. Bona dicta eſt, quaſi bonorum omnium cauſa ſit, favens, ac propitia. Propertius Lib. IV. Eleg. 9. v. 27. Ædem ejuſdem deſcribit, aitque limina puniceis vittis velari ſolita. Sacra ejuſdem arcana cum peragerentur, viros accedere, aut in iiſdem ædibus eſſe nefas ducebatur. Tibullus Lib. I. Eleg. 6. v.

Sacra BONAE *maribus non adeunda* DEAE.

Clodius Bonæ Deæ ceremonias polluit, ingreſſus C. Cæſaris domum, pſaltriæ habitu, ut Pompejam ejus Uxorem violaret, quam ſtatim repudiavit, ut narrat Plutarchus in ejus vita. Sacrificari quoque Bonæ Deæ quotannis mos erat in Conſulis domo, ſive per ejus conjugem, ſive matremfamilias cum Virginibus Veſtæ; quo tempore ipſe Conſul, & mares omnes domo egrediebantur; quod a Cicerone, dum Conſul eſſet, factum memorat idem Plutarchus in ejus vita. Livia igitur cum Sacra Bonæ Deæ fierent vel in Auguſta Domo, vel in ejuſdem Templo, Philematium Libertam habuit Sacerdotem, quæ ſacris iiſdem operaretur. In Florent. Inſcrip. p. 316. n. 64. in Ædibus Nobilium DD. Redulphiorum, in qua Natalis Dies Auguſti, & Tiberii Cæſarum, & Liviæ Auguſtæ quotannis divinis honoribus, ludis, epulis ſtatuarum dedicationibus celebrandus decernitur, hoc quoque inter cetera notatur: NATALI AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTVLVM MVLIERIBVS VICANIS AD BONAM DEAM PECVNIA NOSTRA DEDIMVS. In editis vetuſtis lapidibus Æliæ Nices Sacerdotis Bonæ Deæ fit mentio apud Gruterum CCCXIII. 2. Apud eumdem CCXXVII. I. Sacerdotes Bonæ Deæ, & Collegium VII. Virum Epulonum communi populi Ravennatis voto aram dedicant Auguſto Divi Filio terra marique victori.

Præter Sacerdotes Bonæ Deæ fuere quoque Magiſtræ & Miniſtræ, quæ memorantur in antiquis ſaxis apud Fabrettum Cap. X. pag. 694. num. 157. & 158. pag. 696. nu. 173. Julia Athenais Magiſtra Bonæ Deæ SEVINAE, Kalendis Junii C. Calpurnio Piſone, & Bolano Conſulibus, anno Chriſti CXI. fecit pavimentum, tecta extendit, & tegulas, quæ minus erant de ſuo repoſuit, & aram æream, &c. Ex qua Inſcriptione intelligimus Bonam Deam vario item modo, vel a Familiis, vel a præcipuis locis in quibus colebatur cognominatam eſſe; nam in ea fit mentio BONAE DEAE SEVINAE; & in alia ſuperius indicata apud Fabrettum pag. 694. n. 157. BONAE. FAGANAI. & in alia pag. 637. n. 318. apud eumdem BONAE. DEAE. SANCTISSIMAE. CAELESTI, *Cæleſtis* ſcilicet cognomine, οὐρανίας Ἀφροδίτης, quæ peculiare fuit Africæ Numen. In his Inſcriptionibus, & in aliis quas affert Fabrettus Cap. IV. pag. 342. *Magiſterium* pro *Sacerdotio* accipi oſtendit. Ex ſequenti Titulo ſcimus Amianthum Liviæ Libertum, Miniſtrum vel Æditum fuiſſe Templi Veneris. De Sacerdotibus feminis Bonæ Deæ vide Panvinium in Civit. Romana.

CVI.




AMIANTHVS. In pluribus aliis Inſcriptionibus B ſcriptum AMANTHVS. Aſpirationis nota interdum ad libitum marmorariorum.

AD. VENEREM. Ita promiſcue legitur A VESTE, & AD VESTEM, A MANV. & AD MANVM. Ædis Veneris fit mentio in Hortis Salluſtianis apud Gruterum XXXIX. 4. & CII. 1. In alio apud Fabrettum Cap. I. pag. 41. n. 218. legitur CERDO. ANTONIAES DRVSI AEDITVMVS. VENERIS. & in Florentino pag. 413. num. 245. DORIDI. ASINII. GALLI. AEDITVAE. A DIANA. Apud Gruterum CCCXIX. 6. AMARANTHVS. CAESARIS AEDITVVS AB CONCORDIA. & in alio CCCXX. 8. legitur C. SERVILII DOMITI AD TEMPLVM ROMAE ET AVGVSTORVM. Fortaſſis hic Amianthus Liviæ curam habuit Ædis Capitolinæ Veneris, in qua eadem Livia, ut narrat Suetonius in vita Caligulæ c. 7. feſtiviſſimi pueri filii Agrippinæ, ejuſdem Caligulæ uxoris, effigiem habitu Cupidinis dedicavit. In Regione III. fuit Ædicula Veneris & Porticus Liviæ juxta Templum Concordiæ virilis.

LIR. Forte LYRIVS. quod nomen inter Libertos Tiberii occurrit apud Pignorium p. 34. noratum monoſyllabo, ut ſupra in alio obſervavimus p. 71.

DED. Ideſt; DEDIT.

CVII.



Ita fortaſſis ſupplendus hic Titulus: M. LIVIVS D AVGVSTAE. L. APHRODISIVS A. SACRARIO C. f. D. AVG. ideſt; DIVI AVGVSTI. ut in ſequenti lapide legitur, quem vulgavit Vir Cl. Johannes Vignolius inter Inſcriptiones Selectas pag. 278.


DIS MANIBVS
CLAVDIAE
ANTONIAE
LIB. LACHNE
PHILIPPVS RVSTIAN.
PVBLICVS AB
SACRARIO
DIVI AVGVSTI
CONIVGI CARISSIMAE
FECIT ET SIBI

Dio Hiſt. Rom. Lib. LVI. in fine narrat Romæ decretum fuiſſe Auguſto SACRARIVM a Senatu, a LIVIA & TIBERIO factum; cujus hæc ſunt verba: καὶ αὐτῷ ἔν τε τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον, ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δ' ὑπό τε τῆς Λιβίας, καὶ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου ἐποιήθη. *eique Romæ* HEROVM, *ſive* SACRARIVM *decretum quidem a Senatu, ædificatum vero a Livia, & Tiberio, factum eſt.* Tacitus Annal. Lib. I. *Cæterum ſepultura* (Auguſti) *perfecta*, TEMPLVM, *& cæleſtes religiones decernuntur.* Locum ubi Sacrarium Auguſto conſtitutum fuerit oſtendit Suetonius in ejus vita cap. 4. qui ita ſcribit. *Natus eſt Auguſtus M. Tullio Cicerone, & Antonio Coſſ. IX. Kal. Octbris, paullo ante ſolis* E *exortum, regione Palatii, ad capita bubula: ubi nunc* SACRARIVM *habetur, aliquanto poſtquam exceſſit, conſtitutum. Nam ut Senatus actis continetur, cum C. Lectorius adoleſcens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut* AEDITVVM *ſoli, quod primum Divus Auguſtus naſcens attigiſſet, peteretque donari, quaſi proprio ſuo, ac peculiari Deo; decretum eſt, ut ea pars Domus conſecraretur.*

Fuere quoque apud veteres non ſolum publica Sa-

craria, de quibus Cicero lib. IV. Oratione IX. in C. A Verrem, Deorum signis & aris ornata; & cum porticu, quemadmodum Sacrarium Veneris Cnidiæ a Phædimo conditum in veteri Inscriptione apud Fabrettum Cap. VII. pag. 497. num. 4. verum etiam privata, in quibus unaquæque Familia sua sacra, gentis suæ propria, habebat; quæ gentilitia vocabantur, & perpetua esse jubebantur lege XII. Tabularum. Nam Sacrarium proprie locus est in quo sacra reponuntur, ut docet Servius in Virgilium Lib. XII. Æneid. v. 199. In Sacrariis tensas Deorum repositas, & Augustorum codicillos servari solitos, narrat Suetonius in Vespas. cap. 5. & in Tiber. cap. 51. Hic igitur M. Livius Aphrodisius Augustæ Libertus Ædituus vel Custos fuit Sacrarii, a Senatu decreti, quod Livia in memoriam Divi Augusti dedicavit, suaque impensa una cum Tiberio fecit.

CVIII.



EVPHRO. Εὔφρων. *Prudens; homo bonæ mentis. S.* C

TERTI. Idest; TERTII.

AEDITVVS. Græcis Νεωκόρος. *Sacræ ædis tuitor, custos, curam agens.* In antiquo Titulo superius relato apud Fabrettum Cap. VII. pag. 498. n. 21. legitur CERDO ANTONIAES DRVSI AEDITVMVS. VENERIS. Gellius Lib. XII. cap. 10. auctoritate M. Varronis in Lib. II. ad Marcellum de Latino sermone, & fidelissimorum exemplarium Ciceronis AEDITIMVM dici oportere censet. Verum & in pluribus antiquis Tab lis inscriptis legitur AEDITVVS.


Hoc ipsum officium feminis quoque demandatum fuisse testantur lapides. Vide Par. I. Inscriptionum Ant. Etr. Urbium pag. 413. nu. 245. Cicero in Oratione IX. in Verrem memorat *Antistitas fanorum.*

ATIMETVS. Ἀτίμητος. *Homo quantivis pretii, incomparabilis.* Hac ratione faustum, & auspicatum nomen; ceterum valeret *hominem illaudabilem, inhonoratum, inglorium. S.*


COMOEDVS. Κωμῳδὸς. *Comœdiarum actor.* Comœdi, delectandi oblectandique causa, sæpissime in conviviis, & cenæ tempore inducebantur, teste Plinio Secundo Lib. I. Epist. 15. Solebant enim veteres acroamatis valde delectari.

Plures Liberti TERTII leguntur in sequentibus Titulis.

CIX.




CX.




. . . MPIAE. Suppletis literis legendum OLYMPIAE. In quarto versu . . . AM. lege OLLAM.

CXI.



CXII.




TERT. Ideſt TERTII. Promiſcuum uſum ſcribendi per unum I vel per duo II, vel per unicum I ceteris literis altius in vetuſtis lapidibus poſſumus animadvertere; quæ ſcribendi ratio, & in veteribus Numiſmatis ſervatur.

D

VILICVS. Ita ſcriptum legitur in quamplurimis vetuſtis lapidibus. Quare per unicum L ſcribendum vult Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. 1. pag. 2. De Vilicis nonnulla inferius adnotabimus. Alium ecce Philomuſum Tertii Libertum *Inauratorem*.

CXIII.



INAVR. Ideſt INAVRATOR. Vernacule (*il Doratore*) Catullus Carm. LXXX. v. 4.

— *inaurata pallidior ſtatua*.

Propertius Lib. 1. Eleg. XVI. v. 3.

Cujus inaurati celebrarunt limina currus S.

Adeundus Plinius Lib. XXXIII. cap. 3. qui laqueariorum inauratorum meminit. Horatius Lib. II. Carm. Od. 18.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Julius Firmicus Lib. IV. c. 15. & Lib. VIII. c. 26. Inauratores jungit cum Bracteariis, Aurificibus, & Argentariis. Uſum inaurandi, & inargentandi æreas

F laminas docet Plinius Lib. XXI. cap. 2. *Poſtquam a lamina ærea tenui inaurata, & inargentata dabantur*. Vide Salmaſium in Vopiſcum cap. 20. Officium AB AVRATVRIS legitur in Gruteriana Tabula DLXXXIII. 14. In alia votiva apud eumdem IV. n. 4. Avianus Auguſti Libertus dicitur SVBPROCVRATOR AVRARIORVM.

Ab oblivione vindicantur ſex Aurifices Liviæ Auguſtæ, & Cæſarum Domus, quorum nomina in ſequentibus Titulis leguntur; videlicet ZEVXIS. EPITYNCANVS. M. IVLIVS. AGATHOPVS. STEPHANVS. M. LIVIVS. MENANDER. HEDYS.


CXIV.

CXIV.




ZEVXIS. Ζεῦξις *ab jungendo* nomen accepit. *S.* B AVRIFEX. Auri elaborandi Artifex. Plures Aurifices memorantur in Gruterianis Inſcriptionibus. In Narbonenſi DCXXXVIII. 8. L. CORNELIVS. AMANDVS. In Romana in eadem pagina nu. 7. M. CAEDICIVS. IVCVNDVS AVRIFEX DE SACRA VIA. In Capuana ibidem n. 10. PHILODAMVS. BASSI. In Amerino MCXVII. I. TRAVIVS T. L. ARGENTILLVS. & T. TRAVIVS T. L. ACVTVS *Aurifices*. Item apud Sponium in Miſcell. pag. 219. in Romano lapide L. VECTIVS NVMPHIVS AVRIFEX.

CXV.



EPYTYCANVS. Libenter legerem EPITYNCHANVS. Ἐπιτύγχανος ab ἐπιτυχάνων, nomen in In- D ſcriptionibus notum. *Aſſequens*, *Fortunatus*. *S.*

CXVI.




AGATOPODI. Omiſſa aſpirationis nota, quæ F tamen in ſequentibus legitur. Vide quæ ſupra adnotavimus ad Titulum XI.

In alio quoque lapide apud Fabrettum Cap. IV. pag. 332. inter Magiſtros Fontanos recenſetur Q. IVLIVS. AGATOPVS.

Legendum AGATHOPODI. & AGATHOPODIS. Ἀγαθόπυς *Agathopus*, *homo bonis pedibus prædi*-*tus*; vel Ἀγαθώπος *bona*, *& liberali facie*. *S.*

CXVII.




Ideſt; *Curtia Myrine Claudii*. ſubintelligendum *Uxor*:& ex alia parte *Jucunda Agathopodis*(*Uxor*).

MYRINE. Myrina Urbs in Æolide. In Numis Sabinæ, & Antonini Pii, M. Aurelii, & Tranquillinæ legitur ΜΥΡΙΝΑΙΩΝ apud Cl.V. Joh. Foi-Vaillantium.


B

AGATHOPODIS. Hoc oſtendit nomen *Agathopus* non eſſe Αγαθώπος, *aſpectu bono*; Sed Αγκαθόπους, *pede bono*. In hoc alio Titulo M.Iulius Agathopus non DIVAE. AVG. Libertus, ſed AVGVSTAE dicitur.


CXVIII.



CVIII.



CXX.




Ideſt; *Philete* (Uxor) *Stephani Immunis*. Immunitas datas Stephano Aurifici Tiberii Cæſaris.

B


STEPNVS. Cum monogrammate in antepenultima litera N, quæ pro A, & N inſeruit legendum STEPHANVS. *S.*

CXXI.



MENANDER. Μενανδρος, quaſi *Fortis*. *S.*
ACIDI. LIV. Ideſt, LIVIAE. ACIDI, ἄκιδι, amaſio Galateæ. *S.*

CXII.



HEDYS AVR. Ideſt; *Aurifex*. Ἡδὺς, *ſuavis*. SECVNDA (uxor) HEDI, Ἡδέος, *ſuavis*. genit. *S.*

F

Cum in vetuſtis Inſcriptionibus numquam nominentur *Gemmarum Scalptores*, (qui a Græcis *δακτυλιολύφοι*, *anulorum Scalptores* appellantur, ut apud Diogenem Laertium, qui in vita Pythagoræ, Mneſarchum ejus patrem laudat anulorum Scalptorem,) licet memorentur apud Gruterum *Cælatores auri, & argenti* p. DLXXXII. & *Gemmarii* apud Fabrett. Inſcr. Ant. Cap. II. p. 89. n. 172. qui gemmas, vel negotiabantur, vel in veſtibus, vel in calceis, & ſcyphis inſerebant; videant docti Viri an fortaſſis AVRIFICVM nomine intelligi quoque poſſint Gemmarum Scalptores, vel AVRIFICVM Collegio comprehendantur, quod celebratur in Gruterianis p. CCLVIII. 7. & DCXXXVIIII. 9. Quemadmodum enim Collegium Fabrum plures Artifices complectebatur, Ferrarios, Materiarios, Tignuarios, Eborarios, pluresque alios; ita Aurificum Collegium, non eos tantum qui aurum arte elaborabant, ut in lege 34. D. de auro & arg. leg. verum etiam qui gemmas tractabant & ſculpebant, fortaſſis comprehendiſſe non abs re eſt. Id etiam inſinuare videtur Romanum vetus Epigramma a Sponio relatum in Miſcellaneis pag. 219. in quo Pagi pueri præſtantia, & ars his præſertim verſibus exprimitur.

NOVERAT HIC DOCTA FABRICARE MONILIA DEXTRA
ET MOLLE IN VARIAS AURUM DISPONERE GEMMAS.

Præterea eximii duo Gemmarum Scalptores EPITYNCHANVS, & AGATHOPVS, qui aureo Augusti ævo floruerunt, quorum insculptas Gemmas, & opera nuper edidit Cl. Vir Philippus Stoschius Tabula V. ex Dactyliotheca Andreinia, & Tabula XXXII. ex Dactyliotheca Strozia, in sepulcralibus hisce Titulis supra relatis n. CXV. & CXVIII. nominantur, & AVRIFICES dicuntur; qui fortassis ad ipsos pertinent. Eruditum hunc scrupulum mihi injecit Vir clarissimus, omnique laude dignissimus Petrus Andreas Andreinius Patricius Florentinus, qui primus omnium antiquas Gemmas præclaro Artificum nomine insignes summo studio, ac sumtu conquisivit, itemque primus Antiquariis amicis, scalptas in ipsis literas Artificis nomen præferre, quod antea eos latebat, ostendit. Nullus enim vel Regum, vel Principum, ne dicam privatorum, tot Gemmas Scalptorum celeberrimo nomine ornatas habuit, quot ipse, quas hic enumerare minime piget.

I. Caput ignotum, Beryllo insculptum; *Agathopodis opus*. ΑΓΑΘΟΠΟΥΙ ΕΠΟΙΕΙ. *Agathopus faciebat*. A Stoschio nuper editum Tab. V. & a me in Prima Par. Inscr. Ant. Urb. Etr. Tab. I. Gem. III.

II. Musa, sive Citharistria. *Onesæ opus*; in Pasta, ut ajunt, antiqua. ΟΝΗCΑC ΕΠΟΙΕΙ. Apud Stoschium Tab. XLV.

III. Hercules oleaginea corona redimitus, Sardæ incisum opus. ΟΝΗCΑC. *Onesas (faciebat.)* Apud eumdem Tab. XLVI.

IV. Hercules cum Jole, Amethysto incisum, ΤΕΥΚΡΟΥ, *Teucri opus*. Apud eumdem Tabul. LVIII. Hanc nobilissimam Gemmam furto ablatam, sibi conquisierat splendidissimus Andreas Fountaine Eques Auratus Anglus; qui statim re cognita, rogante Andreinio, summa humanitate liberam remisit; ea tamen conditione, ut se vivo apud se haberet; mortuo, Gazæ Magni Ducis Etruriæ cederet, ad quem miserat, cuique donabat; sed regia Principis clementia, ab eo onere liberatus Andreinius, ejusdem Gemmæ verus, & legitimus dominus omni tempore constitutus est.

Hæ igitur quatuor præstantium Artificum Gemmæ hoc tempore exstant in Andreinia Dactyliotheca. Quæ vero hic sequuntur, & recensentur, fatum usque ad supremum diem, ipsi Andreinio lacrymabile, subiere; quæ vi, & furto ex ejus Cimeliis, cum domo abesset, subdolis clavibus reclusis, ablatæ fuere, cum alia pretiosorum monumentorum supellectile, aliisque Gemmis, quæ modo alienas Cimeliothecas exornant.

V. Aliger Amor, lyram sonans, leone vectus; Sardonyche Anaglyph. exsculptum, *Plotarchi o-*

A *pus*. ΠΛΩΤΑΡΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Exstat, in Thesauro Magni Ducis Etruriæ; ad quem, meliori fato, cum a pluribus antea emta fuisset, pervenit; furto namque primum subrepta fuit, non vero dono oblata Magno Duci Etruriæ ab Andreinio, ut ait Stoschius, qui hanc quantivis pretii Gemmam exhibet Tab. LIII.

VI. Hercules Juvenis. *Cnæi opus*. ΓΝΑΙΟC. Sapphiro insculptum. Exstat in Dactyliotheca Stroziana Romæ. Hanc Gemmam, non pretium, sed vis amicitiæ, quæ summa erat inter Illustrissimum D. Leonem Strozam, & Andreinium, tempestive cum lethali pæne morbo vexaretur, ex ejus B invitis manibus, sæpius quæsitam, tandem extorsit; de qua adhuc dolet; nam rarissimi exempli, & virtutis Præsul Stroza, qui ea potitus fuerat, paullo post fato functus est. Edidit Stoschius Tab. XXIII. Prototypæ Gemmæ, quarum ectypa infra describimus, a numero VII. usque ad XI. latet ubi exstent hoc tempore, aliquando tamen in lucem prodituræ.

VII. Diomedes Palladio potitus, *Polycleti opus*. ΠΟΛΥΚΛΕΙΤΟΥ. Sardæ incisum. Deprompsit Stoschius Tab. LIV.

VIII. Caput incogniti Senis barbati. *Solonis o-* C *pus*. cujus Gemmæ ne ullum quidem ectypum nunc superest; quæque hactenus inedita est.


IX. Apollo Citharœdus. *Cleonis opus*. ΚΛΕΟΝΟC. Hanc antea ineditam protuli ex ectypis Dactyliothecæ Andreinii Tab. I. Gem. II. in Par. I. Inscr. Ant. Urb. Etr.

X. Minerva Bellipotens. *Antiochi opus*. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Primus vulgavi Tab. I. Gem. IV. ex ectypis ejusdem.

XI. Musa Lyristria. *Cronii opus*. ΚΡΟΝΙΟC. ΕΠ. Idest; Κρόνιος ἐποίει. Hanc primus exhibui Tab. I. Gem. I. Hujus vero Gemmæ singulare ectypum dumtaxat exstabat in Andreinia Dactyliotheca, D quod ipse reperit inter alia plura, quinquaginta ab hinc annis, apud quendam Florentinum artificem, eximium sigillorum scalptorem in Gemmis, in Officinis Medicei Musei, cognomento *il Borgognone*.

Auspice igitur Andreinio in tantum, ac tale pretium, & fastigium venere Gemmæ, insignium Artificum nomine insculptæ, eorundemque opera, quæ sincera, & legitima sunt; quæ quidem optimo judicio selegit, & edidit Stoschius. Nunc vero plures recentiores artifices, eo artis scientia venere, ut gemmas quas ipsi scalpunt, suppositis antiquorum Artificum nominibus, magno pretio vendant studiosis quidem, sed insciis veteris opificii, Antiquitatis cultoribus.

CVIII.



Protogenes Capsarius Aurificum pater infelicissimus, orbatus tribus filiis, immatura morte raptis, Lucifero, qui vixit annum unum, & dies quadragintaquinque, Hespero bimulo, & Callisto duodenni Ollas, hujus Columbarii iisdem assignat, quas donavit Tiberius Julius Irenio Decurio.

LVCIFER. φώσφορος. Plato in Epigrammate in Asterem, seu stellam, *Luciferum* eum viventem fuisse dicit, *Hesperum* inter mortuos.

Ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Aster prius fulsisti inter vivos Eous,
Nunc mortuus fulges Hesperus inter extinctos. S.

HESPER. Hesperus. ἕσπερος. *S.*


PROTOGENES. Πρωτογενής. *Natu maximus; Primigenius*, ut in pluribus Inscriptionibus. *S.*

CAPSAR. AVRIF. Putabam scriptum in marmore CAESAR. AVRIF. idest *Cæsaris Aurifex*; sed de hac lectione certior factus, novum officii genus considerandum propono, hactenus incognitum; quod scilicet Aurifices haberent Capsarios, qui in capsis eorum opera auro elaborata, vel fortassis in Gemmis custodirent, & servarent. Ita Balneatoribus leguntur dati Capsarii, qui vestimenta se lavantium in balneis custodienda accipiebant; item dati pueris discentibus, qui eos sequebantur ad scholam cum capsa, sive arcula, in qua codices repositi, teste Juvenale Sat. x. v. 116.

Quisquis adhuc uno puram colit asse Minervam
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

De Capsariorum officio plura Pignorius, qui eos auctoritate Ulpiani L. XIII. de manum. vind. Pædagogis adjungit.

CXXIV.




BITHVS. Βίθος. Bithus, & Bacchius nobile par gladiatorum Suetonio, ut neutrum alteri superiorem discerneres. De Bitho, & Cleobi Plutarch. *S.*

MATERNVS. Hoc cognomine fuit Julius Firmicus. MATERNVS, forte μητρῷος, *Matri Deum devotus, sacer. S.*

FABER. Ex numero Opificum Domus Augustæ. In Romano lapide penes Fabrettum Cap. IV. pag. 297 n. 260. memoratur P. Ælius Orestes Augusti Libertus PRAEPOSITVS OPIFICIBVS DOMVS AVGVSTANAE. De Fabris plura Pignorius in Opere de Servis pag. 272.

C. IVLIVS. RVFVS. Πύῤῥος. *Pyrrus. Burrus* apud Tacitum. Πυῤῥιάς. *Byrrhia* Terentio. *S.*

CXXV.



Idest; *Agrypnus Cæsaris Augusti Mæcenatianus a Statuis.*

AGRYPNVS. Ἄγρυπνος. *Insomnis, Vigil.* Lucanus Lib. IV.

Extrahit insomnes bellorum fabula noctes.

Plutarchus in Themist. νύκτας ἀγρυπνεῖν. *S.*

A. STATVIS. Fuit hic Agrypnus, antea Mæcenatis Libertus, postea Cæsaris, vel Statuarius, vel curator custosve Statuarum. Gruterus pag. CCCXXIII. 5. meminit Eutychetis Liberti Augusti *Officinatoris a Statuis*, idest *Fabri Statuarii*, ut explicat Pignorius pag. 225. Valde hujus Agrypni opera uti potuit Augustus, qui statuis tum Deorum, tum virorum illustrium mirifice delectatus est; nam teste Suetonio in ejus vita c. 57. *pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicavit; ut Apollinem Sandaliarium, & Jovem Tragœdum, aliaque.* Et c. 31. hæc narrat idem Suetonius, *Proximum Diis immortalibus honorem memoriæ Ducum præstitit, qui imperium Populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cujusque, manentibus titulis, restituit; &* STATVAS OMNIVM *triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit.* Idem quoque Augustus Statuas virorum illustrium ex arce Capitolina, propter angustias, in Campum Martium contulit; quas postea Caligula subvertit atque disjecit, ut idem Tranquillus narrat in Cal. c. 34. Prætorium suum statuis, & pictis tabulis ornavit. Suetonius c. 72. Alii quoque fuere Statuarii, qui oculos sta-

tuis reponebant, ut Marcus Rapilius Serapio in A Florentina Tabula Musei Suburbani Strozii p. 406. n. 215. & alii qui statuis capita reponebant, e quorum numero Plinius Hist. Lib. XXXVI. c. 5. laudat Aulianum Evandrum, qui caput reposuit signo Dianæ, Timothei operi, quod erat Romæ in Palatio, Apollinis Delubro. Quod præter historiæ veritatem superius p. 62. mihi excidit, hic emendandum moneo.

CXXVI.




HERACLA. Ἡρακλᾶς. Dorice. *Hercules*, vel B Ἡρακλεόδορος. eadem forma ac Ἑρμᾶς, *Herma*, *Hermodorus*. Μηνᾶς *Mena*, *Menodorus*, ut superius adnotatum. *S.*

PICTOR. Juvenalis Sat. IX. v. 145. cum Cælatore domestico PICTOREM conjungit, ut observat Pignorius de Servis pag. 175. qui Plinii auctoritate Lib. XXXV. c. 10. ait Picturam servitiis interdictam apud Græcos; Romanos vero servis suis, ut sibi haberent, permisisse.

Pictas item Tabulas videntur curasse Pictores, ut idem Pignorius notat pag. 225. Ex quibus deducimus non Agalmatothecas tantum, (ita liceat appellare), sed & Pinacothecas apud Cæsares in deliciis fuisse. In insigni marmore apud Fabrettum Cap. X. pag. 724. n. 443. Flavius Apollonius Procurator Augusti A PINACOTHECIS dicitur; & in Florentino pag. 390. n. 154. P. Cornelius P. L. Philomusus PICTOR SCAENARIVS. IDEM REDEMPTOR. Vide Plinium Histor. Lib. XXXV. c. 10. qui de Pictoribus antiquisque picturis erudite, & luculenter. Cæsares præterea picturæ studuisse, ac pinxisse, Historiæ docent. An vero & Augustæ feminæ pinxerint, exempla non suppetunt.

CXXVII.



SYNEROS. Συνέρως, quasi *Amor socius*, *Amor* C *mutuus*. *S.*

AD IMAGINES. In nobilibus Familiis fuere majorum imagines, summæ nobilitatis cum insignia, & ornamenta, tum certissima testimonia; nam eo quæque nobilior censebatur, quo multis imaginibus locupletior. De his fusius Polybius Lib. VI. & Plinius Lib. XXXV. c. 2. qui eas e cera fuisse diserte docet. Juvenalis *veteres ceras* pro imaginibus dixit, & in atrio collocari solitas, Sat. VIII. v. 19.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria. ——


In tabulis quoque fortassis pictas fuisse majorum imagines, ex eodem Satyrico intelligimus ibidem; v. 1.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?

Hæ imagines cum titulis, & ornamentis in ligneis ædiculis, & armariis custodiebantur, festisque diebus exornabantur, teste Tullio pro Sulla c. 88. & in domesticorum funere ante lectum defuncti magna pompa efferebantur. Tacitus de Drusi funere hæc narrat Annal. lib. IV. c. 9. Edit. Frob. pag. 80. *Funus* IMAGINVM *pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum Reges, & conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Appius Claudius, ceteræque Claudiorum* D *effigies, longo ordine spectarentur.* In Bibliothecis quoque & in Larariis virorum doctorum, & illustrium Heroum imagines poni consuevere, quemadmodum Plinius Lib. XXXV. cap. 2. & Lampridius in Alex. Sev. testantur. Hujus igitur Synerotis Tiberii Cæsaris servi officium fuit imagines majorum, vel simulacra, & effigies Heroum,

quibus Augusta Domus affluebat, tueri diligenter, depromere, & ornare cum opus esset; cujus muneris nulla apud celeberrimos Antiquarios in editis hactenus Inscriptionibus exstat mentio. Præterea Imagines Cæsarum Augustorum non solum in magno honore erant, verum etiam colebantur, adorabanturque. Tacitus Annal. Lib. I. exordium imperii Tiberii Cæsaris, qui suspensis, & obscuris verbis utebatur, describens, hæc narrat: *At patres quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi: ad Deos,* AD EFFIGIEM AVGVSTI, *ad genua ipsius manus* A *tendere, cum proferri libellum recitarique jussit.* Hinc dedicatæ IMAGINES AVGVSTORVM, summaque lætitia positæ cum ara, & ædicula leguntur apud Fabrettum pag. 130. n. XIV. & pag. 265. n.97. Præcipuos Cultores habuisse docet basis marmorea in Gruteriano Thesauro CCXXXVIII. 12. & apud Fabrettum Cap. VI. pag. 447. n. 57. Tabula reperta in Aventino CVLTORES LARVM ET IMAGINVM DOMVS AVGVSTAE memorat. Cultores vero Augusti, θεράποντες, teste Tacito, Annal. Lib. I. versus finem, per omnes domos in modum Collegiorum habebantur.

CXXVIII.




Proximum officio Synerotis AD IMAGINES, fuit hoc Antiochi ATRIENSIS Liviæ; cui credita non solum atrii cura, verum etiam cerearum imaginum, & codicum, & monumentorum rerum in Magistratibus gestarum, quæ ibi asservari solebant, ut tradit Plinius Lib. XXXV. c. 2.

Atrienses tum Augustorum ædibus, & Villis, tum privatorum domibus dati. In Florentino marmore Musei Andreinii legitur EROS ASINI (*Asinii*) ATRIENSIS. in Par. I. Inscr. Ant. Etr. pag. 266. n. 53. & in alio Musei Fabretti pag. 8. XLVII. ZE- B THVS T. VINI) *Vinii*) ATRIENS*is*. Item Basilicis, datos ex quodam marmore ostendit Reinesius Cl. XI. n. 39. RHOE. ATRIENSIS DE BASILICA ASINIA. Verum ibi locum indicari puto, uti in aliis saxis, ubi ipse habitaret; non vero quod Basilicæ Asiniæ esset Atriensis.

Atrium quale esse debeat docet Vitruvius Lib. VI. Cap. IV. qui & Cap. X. notat Græcos atrio minime usos. Atrienses melioris conditionis fuisse, præ cæteris Servis, observat Fabrettus Inscr. Ant. Cap. I. pag. 9.

CXXIX.



Idest; *M. Livius Augustæ Libertus Anteros Amyntianus ab Supellectile.*

Officium M. Livii Anterotis Amyntiani fuit custodire pretiosam Liviæ supellectilem: nobis *il Guardaroba*. De Augusto hæc Tranquillus narrat c. 70. *Notatus est ut pretiosæ supellectilis, Corinthiorumque percupidus.* Vasa aurea, & argentea, ænea quoque, qualia erant Corinthia, & Deliaca, supellectili adnumerabantur, & ad eorum custodiam Servi præficiebantur. Vide Pignorium pag. 103. & 104. & Ciceronem in Verrem Act. IV. Orat. IX. in qua fusius de magnifica C. Verris supellectile.

AMYNTIAN. Idest: *Amyntianus*, ab Amynta Rege, a quo ad ministeria Domus Augustæ tran- C sfit M. Livius Anteros, retento prioris domini cognomine. Amyntas Deiotaro in Regno Galatiæ, & Lycaoniæ, beneficio Romanorum, successerat; Strabo Lib. XII. quo mortuo A. U. 729. Augustus id in provinciam redegit, imposito Præside, ut notavit Reinesius Cl. IX. n. X. qui in Romano lapide eruto inter Viam Latinam, & Appiam, edidit Celadum Amyntiani Antoniæ Dispensatoris Vicarium. Apud eumdem Reinesium Cl. X. in laudato Romano marmore, in quo plures Liberti Domus Augustæ recensentur, qui Decurias emerunt Cosso Cornelio, & Lucio Pisone Coss. A. U. 753. item C. Cæsare, & L. Paulo Coss. A. U. 754. ab D Amynta denominantur GAA AMYNT*ianus*. APOLLONIVS AMYNT*ianus*. DAMACRATES (leg. DA-

MOCRATES) AMYNT*ianus*. Gruterus p. DLXXVII. 5. dedit Epinicum Cæsaris Servum Amyntianum MEDIASTINVM. A

AB. SVPELECTILE. Sequente consonante, AB pro A ἀρχαϊκῶς. SVPELECTILE ideft; SVPELLECTILE: *curta fupellex*. Horatius Sat. VI.


Vilis cum patera guttus Campana fupellex. *S*.

Ita quoque fcriptum unico L in hoc veteri Titulo Florentino in Ædibus D. Comitis Francifci Guicciardinii Patricii Florentini,

TITVLEIA NOBILIS · CLEMENS AVG AD SVPELECT.

& in Romano Gruteriano DLXXXIII. 9. Verum in pluribus aliis dupliçi LL fcriptum eft. A SVPELLECTILE: ut in Ara marmorea fæpius laudati Mufei Suburbani Strozii, raritate fua valde infigni, in qua Eumolpus Cæfaris memoratur A SVPELLECTILE DOMVS AVRIAE; ideft, AVREAE Neronis; non vero DOMVS AVRIF. quemadmodum edidit Gruterus p. XXXII. 11. & in Scaligeriano Indice Cap. VIII. perperam exponitur *Domus Aurificum*. B

CXXX.




Ideft; *Venuftus Tiberii Cæfaris Maternus a Supellectile*. C

VENVSTVS. *Venuftus* refpondet proprio Græco nomini Ἐπαφροδίτῳ *Epaphrodito*. Libertorum nomina fæpiffime Greca leguntur in vetuftis faxis, fæpiffime etiam e Græco Latine redduntur, & explicantur.

MATER. Ideft; MATERNVS. Ejufdem cognominis fupra n. LXXXII. pag. 127. PRIMVS TI. CAESAR. MATERN*us* AQVAR*ius*. Ita in alio penes Fabrettum Cap. III. pag. 213. n. 540. Marmorarii nulla fervata lege pro fuo lubito, vel in medio, vel in fine verfuum verba dimidiare folent; quod etiam obfervari poteft præfertim quum nomina Tribuum fcribunt.

CXXXI.



Ideft; *Bromius Cuftos Rationum Patrimonii*. D

BROMIVS. Βρόμιος *fremens*. Bacchi cognomen. Ovid. Metam. IV. verf. 11.

Thuraque dant, Bacchumque vocant, Bromiumque Lyæumque S.

CVSTOS. RATION. PATRIMONII. Ideft; RATIONVM. Gr. λογιστής; vulgo, *Computifta*. Lat. *Calculator*, qui rationes Patrimonii Cæfaris cuftodiebat. Anacreon in Odario de fuis fexcentis amoribus Σὲ τῶν ἐμῶν ἐρώτων Μόνον ποιῶ λογιστήν. *S.*

Cognitum in Gruterianis officium PROCVRATORVM A PATRIMONIO. p. LXI. 4. PROCVRATORVM PATRIMONII ET HERED*itatium* DLXXXIX. 12. ET TABVLARIORVM RATIONIS. PATRIMONII. ibidem


dem n. 9. item TABVLARII. A PATRIMONIO. n. II. & TVTORIS PATRIMONII. n. I. Nulla vero in editis mentio CVSTODIS RATIONVM PATRIMONII, ut in hoc Titulo.

Patrimonium, ut notat doctiſſimus Jacobus Gutherius de Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. Cap. XXVII. generaliter pro quibuſcumque bonis accipitur, & pro partis, & quæſitis. Proprie tamen patrimonium eſt quod a patre, & majoribus relictum eſt. Principis patrimonium duplex erat, privatum, & ſacrum. Ad privatum pertinebat propria ſubſtantia, ad ſacrum bona damnatorum, & prædia fiſco quæſita, quæ in formam patrimonii

A

rediguntur, ideſt quæ ex privatis publica fiunt. Suetonius Auguſti legata ex teſtamento recitans hæc ſcribit in ejus vita c. 101. *Reliqua legata varie dedit, produxitque quædam ad vicena ſeſtertia, quibus ſolvendi annuum diem finiit, excuſata rei familiaris mediocritate; nec plus perventurum ad heredes ſuos, quam millies & quingenties, profeſſus; quamvis viginti proximis annis quater decies millies ex teſtamentis amicorum percepiſſet; quod pæne omne cum* DVOBVS PATERNIS PATRIMONIIS *ceteriſque hereditatibus in Rempublicam abſumſiſſet*.

CXXXII.



Ideſt; *Felicis Tiberii Cæſaris ad poſſeſſiones*; ſubintelligendum, ut in aliis ubi non exprimitur, *Olla*.


AD POSSESS. Scilicet; AD POSSESSIONES. *ἐπὶ τοῖς κτήμασι. ἐπὶ συγκτήσεως. S.*

Poſſeſſiones bona ſunt, præſertim immobilia,

B

quæ poſſidentur. Cicero pro Sulla. c. 20. *Venire omnes poſſeſſiones ſuas, & patrimonio ſe ornatiſſimo ſpoliari maluit, quam ullam moram cuiquam fieri creditorum ſuorum*. Incognitum, atque hactenus ineditum officium Felicis Tiberii Cæſaris AD POSSESSIONES, ſingularitatem addit huic Titulo.

CXXXIII.



AMIANTVS. *Αμίαντος. Incontaminatus*. Amiantum, lini genus, incombuſtum. *S.*

AVGVSTAE. L. ARC. Ideſt, ARCARIVS. Amianto credita arca Liviæ Auguſtæ, ut pecuniam exigeret, tractaret, erogaret, accepta, & expenſa rationibus inferret. Nobis, *il Caſſiere*. De Arcariorum officio erudite ſatis Reineſius Cl. VI. ad LXX. & Pignorius p. 158. & 159. In marmore apud Fabrettum Cap. I. pag. 37. n. 181. lego Andragathum Cæſaris ſervum ARCAR. XX. HER. ideſt; *Arcarium Viceſimæ Hereditatium*; & ibidem n. 183. *Secundum Creſcentianum Cæſaris Servum Diſpenſatorem Viceſimæ Hereditatium*. Collegia Curatores Arcæ habuere, ut in alia Inſcriptione apud eumdem in qua legitur, ex Centuria IV. Collegii Fabrum, & Centonariorum CVRATOR ARK. TITIANAE. COLL. SS. Ideſt. *Curator Arcæ Titianæ Collegii ſupraſcripti*. Collegia, Societates, & Corpora arcam quamdam communem habebant ad ſtipem, quam ſinguli ex Collegio die menſtrua infe-

C

rebant, recipiendam, quia res etiam inter ſe habebant communes l. I. D. *Quod cujuſcumque*. Eruditiſſimus Sertorius Eques Urſatus Patavinus de Notis Veterum Romanorum inter Arcarium, & Arkarium illud eſſe diſcrimen vult quod *Arcarius*, abſque K ſed cum C, arcæ curam gereret, & præpoſitus eſſet iis quæ in arcam inferebantur; at vero *Arckarius* cum k præfectus, & moderator urbis diceretur; *ἀκρὶ* namque participium, a quo *ἄρχω* hoc eſt *impero*. Quod abſurdum, & contra veterem lapidum ſcripturam eſt; nam frequenter K pro C uſurpatur; ut KARISSIMA, & KARISSIMVS paſſim in Gruterianis CCCCLXXIII. & KANDIDATVS.

D

CCCLXXXI. 3. ARKA PONTIFICVM. DCLXXII. paſſim. Ofellius Servus ARK*arius* inſcribitur in Romano lapide apud Gruterum CCCCLXIII. & in hoc perinſigni qui repertus eſt ab Cl. Viro Marco Antonio Boldetthio Canonico, & Cuſtode Sacrorum Cœmeteriorum ſacræ Vetuſtatis optime merito, in Cœmeterio Saturnini Via Sa-

laria anno MDCCXXII. ſub vinea olim Raſponi, Miliario ab Urbe I. & dimidio circiter: altitudine palmorum circiter V. longitudine vero circiter VII. qui exſtabat inverſus ſuper monumentum arcuatum effractus in plures partes, literis minio illitis, A nunc vero exſtat in Baſilica S. Mariæ Tranſtiberim; quem ex dono prælaudati D. Franciſci Equitis Victorii, qui a Boldetthio accepit, primus in lucem profero.

ΓIB. CLAVDIAE CLAVDIAE L. INSΓEIOI. L. EHOR
FLACCIANO. PR. K
CAMILIAE. ALF DIAE PAPIAE NETONIAE
TRIB. PI. K. QVAEST. VRB
CELONIDE INSTEIAE SEVIRO. TVRMARVM
C. F. PRAENESTINAE X. VIR. STLITIB. IVDICAND
C. q SODALI. DADRIANA LIB
DOMINIS BENIGNISSIMIS.
FAVSTINVS SER. ACT. ARK. EX AFRICA

In hoc igitur lapide FAVSTINVS SER. ACT. ARK. *Servus Actor Arkarius, vel Arkariorum* dicitur. Ita in Gruteri Theſauro SERVVS ACTOR p. VIII. 2. XX. 9. XLIV. 5. EX AFRICA patriæ nomen, ex qua idem Fauſtinus fortaſſis oriundus, ut in alio Gruteriano DC. 10. De Servis Actoribus Reineſ. Epiſt. XXXV. B

L. INSTEIOI. L. HEOR. FLACCIANO. Legendum puto L. INSTEIO. L. F. HOR. ideſt, *Horatia* Tribu FLACCIANO.

PR. K. TRIB. PI. K. QVAEST. VRB. PI. F. PL. ideſt; *Procuratori Kalendarii Tribuni Plebis* & *Procurator Kalendarii Quæſtoris Urbis vel Urbani*. In his explicandis non immoror, ne extra choream ludere videar. De Curatoribus Kalendarii erudite differit Vir Cl. Henricus Noris in Cenotaphia Piſana Differt. I. Cap. III. pag. 37. ubi de Quinto Obſequentio Severino Aug. Piis Curatore Kalendarii Florentinorum.

CXXXIV.


T I. I V L I V S I V L I A
I V C V N D V S Z M Y R N A
N V M V L A R I V S I V C V N D I

NVMVLARIVS. *Numularius*, & *Nummularius*, C promiſcue legitur in vetuſtis lapidibus Gruterianis pag. DCXXXVII. 6. 7. Numularii, ut docet Gutherius De Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. Cap. XIX. ſunt numorum permutatores, qui majoris pretii numis acceptis, minuſculam monetam reddunt; vel cum aliis mutant, κολλυβισαὶ. At monetæ Numularii, ut idem Gutherius credit, pecuniam ſolum probabant, & ſpectabant, periti numorum æſtimatores, an probi illi eſſent, cujus auri, an ſubærati, an æqui ponderis, an bonæ fuſionis, qui a nobis dicuntur *i Saggiatori delle Monete*.

Tale fortaſſis fuit officium Tiberii Julii Jucundi, qui etiam numorum curam habere potuit, ut conjicio ex verbis Suetonii, qui hæc de Auguſto narrat, c. 75. *Saturnalibus: & ſi quando alias libuiſſet, modo munera dividebat, veſtem, & aurum, & argentum; modo* NVMOS *omnis notæ etiam veteres, regios, ac peregrinos*. Exſtat apud Gruterum XLV. 3. votivum marmor, quod Herculi Auguſto ſacrarunt OFFICINATORES ET NVMMVLARI OFFICINARVM AGENTARIARVM FAMILIAE MONETARI*orum*: & in alio DLXXIII. 7. M. Ulpius Secundus *Nummularius Officinæ Monetæ* ſcribitur.

ZMYRNA. Ideſt; SMYRNA. De hac ſcribendi ratione, ſcilicet adhibita Z pro S conſtanter in pluribus Inſcriptionibus, ſupra diximus pag. 97.

CXXXV.



SPONSA. Νύμφη. Veneris cognomento *Sponsæ* meminit Pauſanias in Corinth. Lib. II. c. 32. Supra n. XXI. pag. 88. dedimus *Nicodemum Sponſianum Decurionem Cubiculariorum*; & in Gruteriano

A

DLXXXI. 4. legitur, *Eros Auguſtæ Medicus Sponſianus*.

DAT. ſubintellige OLLAM.

CXXXVI.




LI.... Supple LIVIAE. L. i. *Liberta*.
PANNYCHIDI. Παννυχίδι, *tota nocte pervigili*.

B

Pervigilium Veneris. *S.*

CXXXVII.



Ideſt; *Lethe Liviæ Liberta Gamo Cæſaris Damocliano* (*ideſt Democleiano*) *Ollam dedit*.

LETHE. λήθη. *Oblivio*. GAMO Γαμῷ, nomine deducto a *Nuptiis*. *S.*

C

DAMOCLIAN. ΔΑΜΟΚΛΕΙΑΝῷ nomen derivatum a *Damocle*, quod eſt *Populi Gloria*. *Gloria publica*. *S.*

CXXXVIII.



CXXXIX.



LEZBIVS. Lesbius Suavii. *S.*


EVSCHEMONIS. ἐυσχήμονος, *Decori*, *Decentis*. Horatius Lib. I. Carm. Od. 4. & 30.

Junctæque Nymphis Gratiæ decentes, *S.*

A ALEXAE. Ideſt; *Alexandro*. ἀλεξᾶ, Ἀλέξις quoque Virg. Ecl. II. v. 73.

Invenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexim. *S.*

CXL.



CXLI.



HERMO. Suppletis literis, fortaſſis HERMODORVS.

LIVIAE. L. LY... Fractum cum ſit marmor minime audeam aſſerere an legendum ſit LIVIAE. L. LYRISTES. Lyriſtas ad cenam a veteribus adhibitos ſupra monuimus p. 92. Plinii Secundi junioris allato teſtimonio. Nam inter cenandum aut ſymphonia perſonabat triclinium, aut muſica varia inſtrumenta, & harmonica concinebant. Adi Ciacconium de Triclinio p. 74. & Appendicem F. Urſini pag. 373. In Didonis magnifico convivio


B Jopam Vatem cithara canentem inducit Virgilius Æneid. Lib. I. v. 740.

—— cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

YCHE. Supple TYCHE τύχη. *Fortunæ*. ANICET. ἀνικήτου *invicti*, cognomen Solis Mithræ *invicti* in Inſcriptionibus. ELCVRIONI. f. DECVRIONI.


Liviæ Libertum a Mercurio denominatum in ſequenti Titulo exhibemus.

CXLII.



HERMAISCVS. *Mercuriolus*. ἑρμαίσκος, ut Ἡρακλίσκος Theocriti. *S.*

CXLIII.



Ideſt; *Chryſarium Liviæ Liberta Hermæ filio ſuo dat Ollam*.

CHRYSARIVM. Χρυσάρειον. Chryſis ideſt *Aurea* primitivum. πρωτότυπον χρυσάρειον, *Aureola*, diminutivum. ut *Glycerium*, *Melanion*, *Euſtochium*. *S.*

In Romano lapide apud Vignol.Inſ.Sel.pag.276.


P H I L A R G V R V S
C H R I S A R I O N I
O S S V A R I V M D E S V O
D A T

B Chryſarioni. Χρυσαρίων, ut Καισαρίων. Cæſario, diminutivum, filius e Cleopatra a Cæſare ſuſceptus. *S.*

DAT OLLAM. In aliis ſupra DAT. OLLA. ut in alio quoque apud Gruterum MCXI. 9. OLLA DEDIT. P.Cæſennium Heraclidam ab Hercule, cognomento deſumto, in ſequenti proferimus.


HERACLIDAE, Ideſt; Herculei. Heraclidæ Reges Spartæ, genus ſuum referebant ad Herculem, ut patet ex Herodoto Lib. IV. qui eorum genealogias refert.

CXLIV.



CVR. Forte *Curatoris*; vel *Curſoris*. Curſores D huc atque illuc curſu publico mittebantur, quod curſitantibus equis aut veredis, ſeu rhedis uterentur; vel navigiis, & dromonibus per flumina, lacus, ſinus, ut res ferebat, ut Sirmondus, ſeculi ſui decus, adnotavit ad Sidonium Lib. I. epiſt. 5. Hi habuerunt Præpoſitum de quo Inſcriptio Romæ DC.15.Vide Gutherium de Officiis Domus Aug. Lib.II. Cap. XIV. Publici curſus authorem facit Auguſtum Suetonius in ejus vita cap.49.qui ut celerius ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet, quid in Provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. In veteri lapide apud Fabrettum Cap. 113. pag. 125. n. 30. Ti. Claudius Creſcens dicitur CVRSOR Actes Libertæ, ideſt Claudiæ Actes Neronis Libertæ, & pellicis. Curſoris qui pedibus celeriter literas deferebat (nobis *il Lacchè*) meminit Plinius Lib. VII. Epiſt. 12. & Lampridius in Alexandro. Paulus ff. XLII. *Curſores* in familia recenſet. Ælius Verus ſuos Curſores nominibus ventorum appellabat, & exemplo Cupidinum, alas apponebat.

CXLV.




DAMA. Δαμᾶς mutatum nomen a Dorico Δαμάτειος. *S.*

LIVIAE. L. CAS. Fortassis *Cascellianus*, ut supra n. LXXX. pag. 125. *Asia Cascelliana*; vel si hac nota indicetur hujus Liberti officium, fortassis CASTELLARIVS. CASTVLARIVS. vel CASEARIVS. De his adeundus Pitischius in Lexico. De Augusto hæc Suetonius cap. 76. *Secundarium panem, & pisciculos minutos, & caseum bubulum mane pressum (alii manu pressum) & ficos virides biferas maxime appetebat.*

PHOEBVS. φοῖβος. Nomine desumto a Phœbo, qui idem ac Apollo.

CXLVI.



APOLLODOTI. Ἀπολλωδότυ, *ab Apolline dati. S.*

CXLVII.




ZELI. Zelus. Ζῆλος. *Amor furens. S.*

CXLVIII.




:CRIL. L. Forte ACRISII. L. hoc eſt *Acriſii Libertus*. *S.*

CXLIX.



HILARIO. Ἱλαρίων. diminutivum ab *Hilaro*. *S.*
ISIDORI. Iſidorus. Ἰσίδωρος *Iſidis munere natus*. *S.*

CL.



ATHYS. Accepto nomine ab Athy, puero Cybelis Delicio.


Ovidius x. Metamorph. *Cybelejus Athys*, qui & *Attis*. Catull. in Galliambo.

E

Super alta vectus Attis celeritate maria;

& *Attin*, nos. Perſius: *Berecynthius Attin.* ἄττιν, νος. *S.*

CLI.



CLII.




Fortaſſis ita ſuppleri poteſt. M. LIVIVS. PHILEROS, vel PHILETVS; vel aliquod aliud ſimile nomen. ATHYI. L. SIBI. ET. LIVIAE. CHLOE. ET. M. LIVIO. PRIMIGENIO, vel PRIMITIVO. vel PRIMO.

IVLIA. PIOCIVM, Lego PLOCIVM. Πλόκιον, diminutivum a Πλοκὴ, *plexio capillorum*. nobis *la Trecciuola*, ut *Glycerium* a *Glycera*. DAT. ſupple OLLAM. *S.*

: VARISTO. Supple EVARISTO, *longe optimo*. *S.*


CLIII.



M. IVNIVS. DEXTER. Δεξιός, tertium nomen Græcum. *S.*


POMPEIA. DORIS. A Doride denominata, Nerei Uxore, Nympharum matre, a qua Dorides Nymphæ marinæ.

CLIV.



TYCHE. Τύχη. *Fortuna*; a Dea Fortuna nomen accepit. Syracuſarum tertia pars, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum eſſet, Tycha nominata eſt. Cicero in Verrem Lib. IV. Orat. IX. cap. 53.


CLV.



DIONYSIAE. A Dionyſio Libero Patre Baccho nuncupata. In ſequenti Titulo Liciniæ Dionyſiæ Olla ab aliis data legitur, cujuſque patroni Apol- B lonii nomen innoteſcit.


NICENI. Ideſt, NICE. *Victoriæ*; *Victoriolæ*. S.

CLVI.




Plures Libertas a Muſis nomen ſortitas in ſequentibus notare poſſumus.

CLVII.



PLOCAMI. A P. Æmilio Plocamo denominatum M. Æmilium PLOCAMIANVM filium noto in veteri Cippulo, quem affert Gruterus p. DCXVI. 4. F qui hodie exſtat in Muſeo Nobilium DD. e Victoriis.

CLVIII.



PLOCAMI, πλοκαμȣ. *Del Treccia*. *S.*


CLIX.




CLX.



CLXI.



CLXII.



AGATHANGE... Ideſt AGATHANGELVS. Αγαθάγγελο. *Bonus nuntius*. *S.*


GLYC. Ideſt GLYCERAE. τῇ γλυκερᾷ. *Dulci, Jucundæ*. Horatius Carm. Lib. I. Od. 19.

E

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius. *S.*


HEDISTAE. ἡδίστῃ. *Suaviſſimæ*. *S.*

CLXIII.




AMOEBES. Ἀμοιβῆς, *Reciprocæ*. Verſus *amoebei* mutui, reciproci in Idylliis. Epiſtolæ *amoebææ*. S
ANTONIAE DRVSI. L. Ideſt; *Antoniæ Druſi* (Uxoris) *Libertæ*. Antonia Auguſta M. Antonii Triumviri, & Octaviæ majoris ſororis Auguſti, fi- B lia, Claudii mater, & Druſi uxor; femina multis virtutibus ornatiſſima. Mortuo marito nulli amplius nubere voluit, ſed cum ſocru Livia dormire conſuevit. Vide Adolphi Occonis Imperatorum Rom. Numiſmata. In ſequenti Titulo exhibeo Elaten Libertam Juliæ Druſi Cæſaris.

CLXIV.




ELATE. ἐλάτῃ. *abieti*. ELATE. dativus, declinatione Gr. ſine diphthongo. *S*.
In alio Titulo ſuperius dedimus num. XL. pag. 102. D Juliam Elaten pediſequam. SER. FEC. Ideſt. SERVVS FECIT.

CLXV.



Ideſt; *Mima Liberta Maronia dat* (Ollam) *Meropiti, & Auguſtæ*, vel *Auguſti Liberto Demoſt-* F *heni Viro filiæ ſuæ*. (& dat Ollam) *Timotheo Auguſtæ* vel *Auguſti Liberto Maronio Filio ſuo*.

CLXVI.




Deleta fcalpro priori epigraphe, hæc alia in ejus locum fucceffit.

B

ALCAEO. Hujus nominis Poeta Lyricus Mitylenæus.

CLXVII.



CLYMENE. abfque diphthongo in fine, refpondet enim Græcæ litteræ finali κλυμενή, τῇ λιτῇ, *Præci, Supplicationi. S.*

D


SORORES. Legendum *fororibus*. Similia foloeca non raro in ipfis quoque aurei Auguftei ævi lapidibus occurrunt. In Miffione Honefta Imperatoris Galbæ Mufei Andreinii, quam produximus in Par. I. Infcr. Ant. Etr. Urb. legitur IN ARA GENTIS. IVLIA. i. IVLIAE. Aliud comperimus in fequenti marmorea Tabula, quæ exftat in prælaudato Mufeo Nobilium DD. e Victoriis, quam libenter profero, quia etiam inedita eft.


DIS . MANIBVS. M. AVRELIVS . FELIX
ET. AELIA . VITALIS . EX. CONSENSV
EORVM . HOC . MONIMENTVM
A . TEMPESTATEM . VEXATVM
REFICIENDVM. CVRAVERVNT
SIBI . ET. SVIS . LIBERTIS . LIBERTABVS
QVAE . POSTERISQVE . EORVM

A. TEMPESTATEM. Ideft, A. TEMPESTATE. VEXATVM. In votivo lapide Gruterianæ Gazæ pag. MLXX. 8. pariter legitur: SIGNVM SILVANI. MARMOREVM. HIGINVS. SER. VILLICVS POSVIT. DEDICAVITQVE. ITEM SILVANVM ANTICVM. (i. ANTIQVVM) VEXATVM. DE SVO. REFECIT. In poftremis verfibus LIBERTATVSQVE. POSTERISQVE. Hæc Tabula fex in locis in ora marmoris excavata, ut facile parieti affigi poffet, æreifque laminis complecti; & circumquaq; eleganti coronide plaftico opere exornata excavaturas illas abfconderet, & cooperiret; ut fupra obfervavimus p. 56. & 57. in Titulis hujus Monumenti.

F


five Columbarii, qui aereis clavis per parietes fixi A erant. Frequentius vero, ac communius veteres Tituli utrimque perforari solebant; nam ei foramina in sexcentis visuntur, sæpe etiam cum æreorum, vel ferreorum clavorum fragminibus; cujus generis plures distinximus in Florentinis antiquis Inscriptionibus. Tituli vero qui in dextra, & sinistra ora marmoris perforati non sunt, calce in parietum loculis dispositi fuisse videntur. Utrorumque exempla proferimus in his elegantibus Titulis sæpius laudati Musei Victorii, qui inediti sunt.





Plures item Augusti, & Augustæ Libertos ob- B servare possumus in superioribus Titulis, & in his sequentibus, nulla officii nota insignitos. Eos vero alicui officio, ac ministerio postea præpositos credere fas est, exemplo superioris Tituli n. LXXXIX. p. 132. in quo M. Livius Sabinus legitur, & in altero Sabinus Arcarius n. LXXXX. p. 132.


CLXVIII.



DAPHNO Δαφνῷ. *Augusti*, vel *Augustæ Liber-* C *ta*. *S*.
PALMI παλμός. ἀπὸ τοῦ πάλλειν. *vibrare*, *palpitare*. Quidam antiquus scripsit, περὶ παλμῶν, *De palpitationibus*, a quibus auguria sumebant Plautus in Pseudolo.


Nisi quod futurum est; ita supercilium salit. *S*.

CLXIX.



CHRESIMI. χρησίμου. *Utilis*. *S*.
V. F. Fortean *Vivus*, vel *Vivens fecit*. In alio D Titulo superius edito n. LXXXXVIII. p. 138. V. M. LIVIVS. AVGTI L. LYDVS, &c. Quæ nota V in lapidibus denotat vivere illum virum, vel feminam cui apponitur, mortuum vero, vel mortuam cum nigrum Θ *Theta*, mortis index adscribitur; nam inde initium sumit vox Θάνατος, ideft, *Mors*. Vide Fabrettum Inscr. Ant. Cap. 1. pag. 32. & Sponium in Miscell. pag. 206.

CLXX.



DIVAE. AVG. L. Ideſt. *Divæ Auguſtæ Libertus*. De Liviæ conſecratione, & *Divæ* appellatione, pauca inferius ſubtexam.

ASTIO. *ἀςίων*. diminutivum ab *ἀςός*. *Civis*, *Urbanus*; quaſi dixeris *Urbanulus*. *S.*


Urbanitas, cui profecto contraria eſt *ruſticitas*, ſignificat ſermonem proferentem in verbis, & arte, & uſu, proprium quemdam guſtum urbis, ut notat Beroaldus in Cæſaris vita. Quinctilianus

A Inſt. Orat. Lib. VI. c. 4. *Demoſthenem urbanum fuiſſe dicunt, dicacem negant*. Ciceronis tempore novum erat hoc vocabulum, qui ita ſcribit ad Appium Pulchrum Lib. III. Fam. Epiſt. 8. *Hic ego multa ſimul cogitavi, te hominem, non ſolum ſapientem, verum etiam, ut nunc loquimur, urbanum*. (*ἀςεῖον*. *σοφόν*. Plures Servi, ac Servæ in inſcriptis lapidibus VRBANI, & VRBANAE appellantur.

CLXXI.



CLXXII.




SYLLA. *Σύλλας*. *Liviæ Libertus*. A Sylla accepto nomine. *S.*

CELADO. *κελάδῳ*, *Strepero*. F. *Filio*, vel *Fratri*. *S.*


Hilarus Cornelianus Liviæ Libertus Decurio, in ſequenti Titulo ex iis fortaſſis eſt, ut Lipſio E-

B lect. Lib. I. c. 22. & Fabretto Inſcr. Ant. pag. 337. aſſentiar, quos Cornelius Sylla Dictator e Servis Proſcriptorum publicos effecit, qui & ab ejus nomine *Corneliani* dicti ſunt, ut ait Appianus Lib. I. Civil.

CLXXIII.



CLXXIV.



LVLLV. Sphalma fabrile. Forte IVLIVS; omisso s in fine, quod non raro in vetustis monumentis occurrit. Ita VIXIT ANNO. IIII. idest ANNOS. IIII. In Ennii Epitaphio semivocalis S in fine eliditur.


A

——*volito vivu' per ora virum.*

Lucretius.

Lumina quin etiam solis bonus Ancu' reliquit.

CLXXV.




XVTHE. Liviæ Liberta. ξοῦθαι dicuntur a Græcis *apes; flavæ* a Latinis. ξὅθη *flava*, quasi ξανθὴ, *mollis*, *delicata*. ἁβρὰ in Libro Judith, *Abra. S.*

B

FAVSTO. Respondet EVTYCHIO, vel EVTYCHETI. Gr. ἐυτυχῶ. Hujus nominis M. Livius Faustus Liviæ PISTOR in Florentino Titulo in Urbanis Hortis D. March. Corsinii pag. 137. n. 25.

CLXXVI.



Ideſt; *Natalis Auguſtæ, vel Auguſti Diſpenſator Licinianus*.


DISPENSATOR. Gr. Οἰκόνομος. Nobis *il Maeſtro di Caſa*. Supra n. IV. p. 73. *Ceryllum* Diſpenſatorem dedimus; & n. XXIX. pag. 65. *Calamum* Liviæ Diſpenſatorem. Suetonius meminit Diomedis Diſpenſatoris Auguſti in ejus vita cap. 67. Diſpenſator breviaria quoque rationum (nos *i Conti*) apud ſe habebat; ita enim dicuntur a Suetonio in Galba c. 12. quæ domino volenti offerebat. In plures claſſes ordinatos fuiſſe docent lapides, in quibus plures Diſpenſatores Domus Auguſtæ recenſentur; & apud Fabrettum, ut hunc ſolum auctorem brevitatis gratia proferam, legitur Diſpenſator XX. i. viceſimæ Hereditatium pag. 37. n. 183. Diſpenſator Caſtrorum pag. 293. n. 239. Diſpenſator ad cenſus Provinciæ Lugdunenſis, ibidem n. 240. Diſpenſator Annonæ pag. 295. n. 249. Diſpenſator Capitolij pag. 41. n. 224. Diſpenſator Ludi Magni pag. 293. n. XXI. Diſpenſator Summi Choragi p. 41. n. 223. & in Florentino marmore pag. 296. n. 25. Creſcens Alypianus Imperatoris

A Cæſaris Nervæ Trajani Auguſti Germanici Dacici Diſpenſator Fiſci Frumentarii. In Romana baſi apud laudatum Fabrettum plures Diſpenſatores nominantur, inter quos ter PHILETVS LIVIAE AMARYLLID*is* DISP*enſator*, Liviæ ſcilicet Libertæ. Natalis Auguſti Diſpenſator memoratur in alio lapide apud eumdem Fabrettum pag. 295. num. 297. qui memoriam ſive ſepulcralem Titulum facit Gænæo Auguſti Vernæ Adjutori Tabularii.

LICINANVS. Secundum N monogrammate ſcriptum, ut pro N & I inſerviat; quæ ſcribendi ratio ſæpiſſime in priſcis literatis monumentis occurrit. Fortaſſis hic Natalis denominationem ſumit a

B Licinio Auguſti Liberto, qui, Macrobio teſte, Saturnal. Lib. II. c. 4. inchoanti opera patrono magnas pecunias conferebat; vel a M. Licinio Craſſo, qui in exercitu Cæſaris militavit in Gallia, & ad bellum Parthicum cum equitibus mille a Cæſare miſſus, in prœlio occiſus eſt, ut Appianus, Plutarchus, aliique tradunt. Piſtorem Auguſti, vel Auguſtæ, ab Licinio nuncupatum, proferimus in ſequentis Tituli fragmento.

CLXXVII.



CLXXVIII.



PISTO. f. PISTOR. De Piſtoribus paucula notavimus in Florentinis Inſcriptionibus pag. 370. & 371. Piſtores alios *Dulciarios*, alios *Lactarios*, *Placentarios* alios, & qui *bellaria* conficiebant, præter Piſtorem, qui panem conficiebat recenſet Pignorius de Servis pag. 45. & 46. *Secundarium panem*, vulgarem cibum, maxime appetiviſſe Auguſtum narrat Tranquillus in ejus vita c. 76.

...HRO. Ideſt EVPHRO, ut ſupra in alio Titulo n. CVIII. pag. 148.

ATTALI. Plures Liberti ab Attalo denominantur *Attali*, & *Attaliani* in antiquis Inſcriptionibus. Attalus Rex Pergami ditiſſimus, Populique Romani amiciſſimus, quem teſtamento ſuo here-

C dem inſtituit, de quo Plinius Lib. VII. c. 53. & Horatius Carm. Lib. II. Od. 18.

—— neque Attali
Ignotus heres regiam occupavi.

..LICIVM. Lege DELICIVM. Pueri, ac puellæ feſtiviſſimæ valde in deliciis fuere, non privatis tantum, ipſisve Libertis, verum etiam Principibus Domus Auguſtæ. Habuit Livia, una cum Livia Druſi Cæſaris delicium ſuum C. Julium Propoſam puerum, cujus Genio dicatus eſt Titulus ſepulcralis elegantiſſimus, quem edidit ex ſuo Mu-

ſeo

seo Fabrettus pag. 72. n. V. & hic rursus ob oculos pono.

GENIO
C. IVLI
AVGVSTAE
L. PROPOSAE
DELICII. IPSIVS
ET. LIVIAE. DRVSI
CAESARIS
VIX. ANN. IX.

A Quantum quoque pueri essent Augusto in deliciis, narrat Suetonius his verbis in ejus vita c. 83. *Animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo: modo talis, aut ocellatis nucibus ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros, & Syros.*

ANN. IIII. Supple v. *vixit*, quod non raro omittitur. Mentio mortis infausta est, & inauspicata; ideo veteres dicebant *Vixi*. Virgilius Æneid. Lib. IV. v. 653.

B *Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.*

Antiqui potius quatuor unitatibus, IIII. in hoc numero usi sunt, quam IV. Sic VIII. pro IX. *S.*

CLXXIX.



EPAPHRA. L.
ATTALI. DAT
P. L. C. AEMILIO. PAMPHILO

EPAPHRA. ἐπαφρᾶς diminutivum ab ἐπαφροδίτῳ, *Venusto*. *S.*

DAT. P. L. Forte, *Partem Legitimam*, vel *Partem Loci*; quæ phrasis cum aliis in vetustis Inscriptionibus consonat.

C AEMILIO. In pluribus inscriptis Saxis, & in Numis, prisco more, scriptum AIMILIO. & AIMILIVS. Gr. AIMYΛIOΣ. Diphthongus AI pro AE legitur in sequentibus Titulis.

CLXXXX.


ZEVXIS
DEDIT. ZETHO
TIMAII. OLLAM

DAMARIO
ZEVXIDIS. L

ZEVXIS. Fortassis Zeuxis Liviæ Aurifex, de quo supra n. CXIV. pag. 150.


ZETHO. Idem quoque nomen supra legimus n. LXXXXV. pag. 136. Fabrettus pag. 317. n. 413. elegantem Tabulam profert ex Museo Ciampinio, in qua Julia Elate Titulum facit Zetho Servo Cæsaris,

D Semniano Contubernali suo, eidemque Cassia Blanda nutricio benemerenti.

TIMAII. Idest TIMAEI. τιμαίου. Timæus summus Philosophus Pythagoricus, cujus nomine Plato Dialogum inscripsit.

DAMARIO. Δαμαρίων. *S.*

CLXXXI.



ECTETI. DEC. i. *Decurionis*.
ECTETI. ἐκτήτου. *Acquisiti*. *S*.

Solum nomen defuncti quandoque scriptum in sepulcralibus Titulis, ut in sequenti observo; ut uno oculi ictu legi posset; quod clare indicat Propertius Lib. II. Eleg. 1. v. 81.

Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
A *Et breve in exiguo marmore nomen ero.*


Idem Propertius in sepulcrali quoque elogio carminibus expresso, brevitatem commendat Lib. IV. Eleg. 7. v. 83.

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat.

CLXXXII.




CLXXXIII.



AMARYLIDIS L. i. *Libertus*. Amaryllidis ἀμαρυλλίδις. Αμάρα *canalis per quem aqua fluit*. Inde diminutivum Αμαρύς, ut superius in Inscriptione, & Αμαρύλλις AMARYLIDIS. Interdum lite- B ras non geminabant, ut supra VILICVS in CXII. pag. 149. pro *Villicus*, quod antiqui Latini, Quinctiliano teste, faciebant. *S*.

CLXXXIV.




APHRODISI. Ideſt; *Aphrodiſii filia*, vel *uxor*; vel *Liberta*.

CLXXXV.



CLXXXVI.



STACTE. ϛακτὴ. *diſtillatio e myrrha*. Lucretius Lib. II. v. 846.

Sicut amaracini blandum, ſtactæque liquorem.

In Pſalmo XLIIII. Epithalamico. ϗ ϛακτὴ, ϗ κασία: vertitur *& gutta*, *& caſia*. *Stacte* blandum nomen mulieris. In Eidylio XXIII. Adonidis, A- B donis *unguentum* blanditiæ cauſa vocatur:

Ολλύσθω μύρα πάντα, τὸ σὸν μύρον ὤλετ' Αδωνις.
Ab pereant unguenta: tuum perit unguen' Adonis. S.

THY .... Forte ut ſupra, THYMELE.

CLXXXVII.



EVCHE. εὐχὴ. *precatio*, *votum*.

MAT. Fortaſſis, ni male auguror, MATERIARII. ut in Gruteriano lapide CCCCLX. 7. & in Flo-
A rentino in Ædibus D. March. Nicolinii pag. 277. n. 1. in quo ſculpta *Materiariorum* inſtrumenta.

MYRO. μύρῳ. *Unguento*.

CLXXXVIII.



AMATI. Vocativus a recto *Amatius*. *S.*

Idem nomen fauſta acclamatione inſcalptum in æneo ſigillo Muſei Andreinii.

AMATI. VIVAS

HABE. Ideſt, *Have*. *Ave*. χαῖρε. Vide Cujacium in Obſervationibus Juris, & Par. 1. Inſcr. Etr. Urb. pag. 147. n. 58. τὸ χαῖρε ſalutatio mortuis facta. Catullus Carm. XCVII.

Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater HAVE, *atque* VALE.

HABE. Item non raro ſcriptum AVE, abſque nota adſpirationis. In lapide penes Fabrett. Cap. V. p. 392. n. 265.


D . M
AVE ♂ SALVINIA
OMNIVM. AMAN
TISSIMA. ET
VALE

B Auguſtus in oſculis Liviæ, & in hac voce Nolæ defecit, teſte Suet. c. 99. *Livia noſtri conjugii memor* VIVE, *ac* VALE. quæ erant ſuprema morientium, & morienti adſtantium verba.

Hæ fauſtæ adprecationes ſæpe addi ſolent in fine ſepulcralium Titulorum, ut apud Fabrettum pag. 73. n. 72. BENE VIVAS. & pag. 165. n. 301. PETREI. BIBAS. i. *vivas*. quæ vel a mortuis ipſis viventibus fiunt; vel a viventibus ipſis mortuis; quam tamen poſtremam acclamationis clauſulam in ea inſcriptione, quam primus edidit, ſed mendoſam Gruterus, MCX. 1. impertinens, & ἀσυγκριτον quiddam eſſe dicit Reineſius in Epiſt. XXXV. pag 270.
C Ed. Lipſ. & nil niſi marmorarii, vel ei aſſiſtentis curatoris luſus, meraſque nugas. Sed in hac obſervatione Reineſius veterum Inſcriptionum ſummus interpres nugari videtur. Ceterum peractis ſacris diſceſſuri ter dicebant SALVE & VALE, vel VALE AETERNOM. quæ cum notantur in tumulis, nullis amplius ſacris annuis heredes teneri deſignant, ſed juſta omnia mortuis perſoluta, & ſi quid ab aliis ex teſtamento præſtari deberet, heredes non obligare, ut afferit Gutherius de Jure Manium Lib. II. Cap. XI. quem vide.

Differebat ab aliis hic Titulus formam habens pæne quadratam.

CLXXXIX.




CALAMVS. κάλαμος. *S.*
De hoc Calamo Tiberii Claudii Cæsaris Vilico ex Horreis Lollianis inferius aliquid dicemus, ejus Aram illustrantes, quam vide Tab. XV. Lit. D.

B

IANV..... Forte IANVARIO. AVG. L. IMM*uni*. Supple *dat Ollam*. Paucularum illarum literarum capax hiatus ille videtur.

CXC.




PHILADELPVS. Pro PHILADELPHVS. φιλάδελφος. *amicus fratri*, vel *sorori*; ut Ptolemæus Philadelphus. PHILADELPVS, ut *triumpus*, *tropæum*, pro *triumphus*, *trophæum* antiquitus. *S.*
Ejusdem nominis supra n. XLIV. pag. 104. Philadelphus Potitianus Pistor; eodemque modo scriptum, cujus lectionis certior sæpius factus sum; quare emendandum PHILADELPO, & in secundo versu ibidem, VERN. DEC. III. TRIB. AVG. quæ tres unitates supra literas in spatio ruditer sculptæ sunt, easque interpretati fumus, *Decuriæ* III. i. *tertiæ* aliorum lapidum exemplo.

D

CXCI.



CXCII.



.ERDO. Ideft; CERDO. Proprium nomen hominis, non artificis.
INSVLAR. Videlicet INSVLARIVS. Insularii insulas custodiebant, scilicet Palatia Romæ undequaque ab aliis ædibus sejuncta communique pariete non copulata, suoque circuitu finita atque conclusa l. 2. §. D. *Ne quid in loco publ.* Fortassis hic Cerdo custos fuit Insulæ Augustorum Principum. Adeundus Pignorius de Servis pag. 244. & Reinesius qui in lapide eruto in Via Appia dedit Cl. IX. n. C. pag. 586. Faustum Liviæ Augustæ Libertum Philacem, cum Fausto Augusti, vel Augustæ Liberto, & Januario Insulario. In Romano lapide apud eumdem Cl. I. n. CXXXVIII. regia vel Tullii Hostilii, vel Servii Tullii, quæ quondam fuit in Reg. V. dicitur *Insula*, eique Genius, & Fortuna propitia numina assignantur.

F

..ORIMVS. Fortassis GNORIMVS, quod nomen haud incognitum in Libertis. Duos Tiberii Claudii Cæsaris Libertos A REGIONIBVS VRBIS profero in sequentibus fragmentis.

CXCIII.



CXCIV.




In primo, ideſt. *Tiberio Claudio Auguſti Liberto Blaſto a Regionibus Urbis*. B

In altero; *Tiberio Claudio Auguſti Liberto Caſtori a Regionibus Urbis*.

CASTORI. Servis data hæc & alia Heroum nomina, ut notat Fabrettus Inſcr. Ant. Cap. I. pag. 9. apud quem plures Caſtoris, & Pollucis *ſervatoribus Diis*, ut a Theocrito dicuntur, inſigniti ſunt nomine,

CXCV.




HYPERBOLVS. Nomen ſingulare in Inſcriptionibus, & hactenus incognitum. Hyperbole oratorius tropus. D

AD. POSSES. Ideſt; AD POSSESIONES. Supra n. CXXXII. pag. 262. AD POSSES. i. *poſſeſſiones ἐπὶ κτήμασιν*. *S.*

OLL. DAT. NAPE. *Ollam dat* τῇ Νάπῃ. idem ac Napeæ. *S.*

ERA. N. PE PRO. Forte *Procurator*. Interjectis punctis inter literas, vel ſyllabas, ut ſupra p. 65. In veteri Inſcriptione apud Fabrettum pag. 146. n. 176. P. Ælius Auguſti Libertus PROC*urator* IN.RATIONE HERED*itatium* AD. LEGES PRAEDIORVM legitur.

CXCVI.




DECIMIAE. *Decimus* derivatur a *Decimo* prænomine: nomen familiæ. F

CINNAMVS. Ab aromate cinnamo nominatus. In Romano lapide Gruteriano Gazæ pag. DCIX. 9. RELIQVIAE CINNAMI. TI. CAESARIS. AVG. FAVSTIANI Petronius Arbiter in Satyr. ſcriptum refert in poſtibus triclinii G. POMPEIO. TRIMALCHIONI. VI. VIRO AVGVSTALI. CINNAMVS. DISPENSATOR.

MATRI. CONIVGES. SVES. Ideſt, *Conjugis*. Sculptum E pro I. & SVAES. Lapidarii erratum, qui neſcivit utramque terminationem Genitivi caſus Latine, & Græce exprimere, & in eadem fortaſſis opinione fuiſſe videtur cum Auguſto, qui Orthographiam, ideſt formulam rationemque ſcribendi a Grammaticis inſtitutam, non adeo cuſtodivit, ac perinde, ut loquimur ſcribendum exiſtimavit; ut

narrat Suetonius in ejus vita c. 88. *Nam quod sæpe non literas modo, sed syllabas aut permutat aut præterit, communis hominum error est. Nec ego id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum (Augustum) consulari successorem dedisse, ut rudi, & indocto, cujus manu* ixi, A *pro ipsi scriptum animadverterit*. Plura sphalmata in sequenti Titulo rudiusculi characteris notare possumus, quem Clodiæ Donatæ, immatura morte raptæ, *pater filiæ merenti posuit*, & in ea doloris acerbitate, sui quoque oblitus videtur, non expresso suo nomine.


CXCVII.



Ideſt; *Clodia Donata quæ vixit annis quatuor, mensibus undecim Pater filiæ merenti posuit.*

QVE BIXET. i. QVAE VIXIT. Adeundus Pierius C Valerianus in Antiquitates Bellunenses Ser. 2. qui fusius de B & V commutatione. MES. i. MENS. ut *Cos* pro *Consulibus*.


CXC.



Ideſt; *M. Julius Augusti, vel Augustæ Libertus Ismarus a manu*. Supra nu. LX. pag. 112. ejusdem nominis dedimus M. Antonium Ismarum Decurionem.

A. MANV. Cujus opera, & manu in scribendo, & exscribendo utebatur. Libet adscribere rem notatu dignam quam de Augusto narrat Suetonius in ejus vita c. 84. *Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum* LIVIA *sua graviores, nonnisi in scriptis, & e libello habebat; ne plus minusve loquere-* D *tur ex tempore*. De Augustis Feminis pauca Historici memoriæ prodiderunt; quare sæpius Augustorum facta dictaq; in medium afferre cogimur. Liviam Theona Augustæ Servum AD MAN*um* supra dedimus pag. ex lapide eruto inter Viam Appiam, & Latinam apud Reinesium Cl. IX. n. 89. Idem, ut videtur, Livius Theona in alio marmore Gruteriano DLXXVIII. officium habet AB EPISTVLIS GRAE*cis*. ac dicitur SCRIBA A. LIB*ris* PONTIFICALIBVS.

CXCIX.



HILARVS. Ἱλαρος, unde *Hilarus*, proprium nomen. Terentius Andria. F *Hilarum ac lubentem fac te in nati nuptiis. S.*


AD. ARGEN. Ideſt, *Ad Argentum*. Hilarus Liviæ Libertus argenteæ ejuſdem ſupellectilis curam habuit. Argenti ſimpliciter nomine omnia vaſa ad regium ſplendorem pertinentia, & ad uſum parata comprehenduntur. Vide Gutherium de Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. Cap. XVI. Ceterum in antiquis Inſcriptionibus fit mentio ARGENTI SCAENICI: Grut. DLXXXIII. 3. *quo*, ut Alphenus interpretatur, L. 30. de auro, & arg leg. *Dominus non temere utebatur, ſed commodare ad ludos, & ad ceteras apparationes ſolebat*. & apud JC. L. 42. de auro & arg. leg. VIATORII, & BALNEARIS. In Gruteriano item lapide DLXXXII. 6. memoratur Anthus AD. ARGENTVM. POTorium. L. CAESARIS. Ibidem n. 7. Gemellus Auguſti, vel Auguſtæ Libertus Præpoſitus ARGENTI POTORII. Idem officium AB ARGENTO POTORIO habet Vibia Succeſſa Liviæ Auguſtæ Serva DLXXIII. 5. & DLXXXII. 2. Titulus exhibetur Liviæ Auguſtæ Servæ A POTIONE. Neque vero potoria vaſa argentea tantum fuere, verum etiam aurea, ut colligitur ex alio lapide apud Gruterum MCXI. 13. plerumque etiam gemmis diſtincta, & ornata; hinc præpoſitus AB. AVRO GEMMATO Grut. DCXXXII. 5. de quo Juvenalis Sat. V. ut obſervat Pignorius pag. 60. & 61. qui de his fuſius. Vaſa item eſcaria aurea, & argentea fuere, quorum cura Libertis data, ut miniſtrarent. Menſarum ſui temporis magnificentiam, ac ſplendorem fortaſſis indigitavit Virgilius, Didonis interiorem domum deſcribens Æneid. Lib. I. v. 640.

Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta Patrum. ——

CC.



CCI.



STRVCT. Ideſt; STRVCTOR. *Structor* Servus peritus artis optime incidendorum obſoniorum; vulgo, *Trinciante*. Martialis Lib. X. Epigr. 48.

Et quæ non egeant ferro ſtructoris ofellæ.


quem Juvenalis Sat. V. verſ. 120. Chironomonta volanti cultello appellat. (*Trinciante per aria.*) S.

Chium Jubatianum Auguſti Structorem exhibet Gruterus DLXXXIII. 2 C. Memmium Theorum Severi Auguſti Structorem Reineſius Cl. I. n. 259. qui ibi plura, notatque Structorem quoque illum fuiſſe, qui fercula menſæ illata componebat, & ordinabat, ſciſſori præminiſtrans. Alium Claudii Cæſaris Auguſti Structorem depromit in ſepulcrali Titulo eruto in Via Appia Cl. IX. n. 94. Aphareum Juliæ Auguſtæ Libertum Opſonatorem dedimus in Florentino lapide pag. 233. n. 25. quem modo intercidiſſe cum paucis valde doleo. STRVCTOR dicitur etiam Faber cæmentarius; *il Muratore*. In Florentino lapide p. 154. n. 80. STRVCTOR PARIETARIVS. Ne ab Auguſtorum menſa diſcedam, INVITATOREM exhibeo in ſequenti.

CCII.



CCIII.



Ita ſupplendus hic Titulus; *Philippus Cæſaris Auguſti Invitator dat Hilaræ ſuæ Ollam.*


INVITATOR. κλήτωρ. *vocator ad cenam*. Auguſtus namque amicos invitabat, Suet. c. 74. 71. & pæne nulli invitanti negabat, ut apud Macrob. Saturn. Lib. I. c. 4. quare exceptus a quodam cena ſatis parca, & quaſi quotidiana; poſt epulum inops, & ſine ullo apparatu diſcedens, valedicenti hoc tantum inſuſurravit: *Non putabam me tibi tam familiarem.*

In celeberrimo Gruteri Theſauro unus tantum Agathop. Invitator Auguſti memoratur p. DXCVIII. 6. & in Florentino Muſei Gaddii pag. 195. num. 8. Tertius hic Philippus Cæſaris Auguſti Invitator prodit in lucem. Invitatorum officium expreſſit CHRISTVS Dominus apud Matthæum Cap. XXII. & Lucam Cap. XIV. A Plin. Lib. XXXV. Cap. 10. *Vocatores*, ab Ammiano Lib. XIV. *Nomenclatores* dicuntur, quod nomina eorum, qui ad cenam fuerant vocati,


cati, recitarent. Vide Pignorium pag. 53. & 54. de Servis. In conviviis invitari quoque solebant convivæ ad bibendum ab arbitris, & Magistris conviviorum, ut ex Macrobio colligitur Saturnal. Lib. II. c. 8. In eximio Florentino marmore pag. 316. nu. 64. quod exstat in ædibus Nobilium Rodulphiorum, decernitur, ut Natalibus Augusti, & Tiberii Cæ-

A sarum, priusquam ad vescendum eant, a Decurionibus thure, & vino, Genii eorum ad epulandum ara numinis Augusti invitentur. Consonant hæc cum Augusti decreto, qui sanxit, ut priusquam Senatorum aliquis consideret, thure, & mero supplicaret ad aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. Vide Suet. in Augusto c. 35.

CCIV.



CCV.



Forte; *M. Livius Augustæ Libertus Antiochus Aurifex*.

ANTIOCVS. Legendum ANTIOCHVS, omissa adspirationis nota, ut in sequenti.

A MAN Fortassis, A MANV. quam scripturam modo per compendiariam notam supra expressam legimus.

TVRARIVS. Auctoritas hujus lapidis illorum opinionem, ac rationem firmat, qui sola antiquorum codicum auctoritate, acriter contendunt scribendum esse TVS. quasi a *tundendo*, ut ait Flavius Sosipater, sine adspiratione; quamvis Julius Modestus ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est *rem sacram facere*, nomen deduci velit, ideoque THVS, adspiratione admissa, scribendum. Pro prima lectione stant Servius in Virgilium Georg. Lib. I. n. 57. Pierius in Æneid. Lib. I. v. 437. Achilles Statius ad Tibullum pag. 413. aliique; pro altera alii. Consule Dausquium in Orthogr. & Vossium in Etymolog. Verum, ut supra aliorum marmorum testimonio observavimus pag. 80. adspirationis nota sæpe a quadratariis omittitur; eodemque modo frequenter a librariis prætermissam in manuscriptis Codicibus plures notarunt. In marmorea ara elegantissima, & operosissima Musei Suburbani Strozii legitur cum adspira-

C tione. L. FAENIO. L. D. L FAVORI THVRARIO. cujus vel ars, vel officium, quemadmodum hujusce Liviæ, ac Cæsarum Domus Liberti, fuerit thura vel curare, & negotiari, vel ministrare in privatis, aut publicis sacris. Thuris siquidem usum in sacris nemo ignorat, quod tribus digitis sumtum ex acerra, conjiciebatur in ignem super aras, quas Virgilius, & Lucretius *thuricremas* dixere. Thus quoque in rogum defunctorum injectum, ostendit Kirchmannus de Funeribus Romanorum Lib. III. cap. 5. quare Virgilius in exequiis Miseni cremata *thurea dona* scribit Æneid. Lib. VI. 225. In quodam lapide Gruterianæ Gazæ DCCCLV. 3. legitur;

D

AELIAE. TRYPHOSAE. IVS. SEPVLCHRI.
POSTERISQ. EIVS. OLLAM. MAGNAM.
ITEM. THVS. VINVM. FAR. ET OLEVM
AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT. P. FELICIANVS.

Tuscis, & Tusciæ non *a thure* nomen deductum contendit Thomas Dempsterus de Etruria Regali Lib. I. Cap. 2. Cangius in Glossario, ut ad Inscriptionem Musei Strozii notavimus in Prima Parte Inscr. Antiquar. Etrur. Urb. pag. 337. Thurarium *Pigmentarium* interpretatur.


CCVI.




In hoc quoque Titulo marmorarii incuria prætermissa adspirationis nota. Legendum THVRINO; quod cognomen Augusto infanti inditum est, ut narrat Tranquillus in ejus vita cap. 7. in memoriam majorum originis; vel quod in regione Thurina, recens eo nato, pater Octavius adversus fugitivos

F rem prospere gesserat. Idem nomen inscriptum memorat laudatus Tranquillus in puerili imaguncula ejus ærea vetere, ferreis ac pæne jam exolescentibus literis, quæ Principi ab eo dono data, inter cubiculi Lares colebatur.

CCVII.




CCVIII.



Forte; *Scaptio Cæsaris Servo Aucta Uxor ollam dedit*. Huic Cæsaris Augusti Servo, nomen Tribus Scaptiæ inditum, cui Augustus, & Coloni militares Florentini in Civitate Romana ad suffragia ferenda accensebantur. Vide Suetonium in Augusto cap. 40. B

In altero Titulo n.CCVIII. . . . HYLLVS legendum, ut auguror, BATHYLLVS. Hujus pariter nominis C. Julius Bathyllus ÆditTuus Templi Palatini Divi Augusti, & Divæ Augustæ, cujus Sepulcrum exhibemus, & inferius illustramus. Alium cognominem ecce in sequenti Titulo.

CCIX.




MARI. L. Idest; *Marii Libertus*. DEC. *Decurio*. Alios Decuriones subjicio.

CCX.




ALEXANDRIA. *ἀλεξανδρεία Alexandrina*; nam *Alexandra* esset nomen proprium; illud ἐθνικὸν gentile. *Phileros*, nomen viri. Epigramma antiquum apud Gellium; *Quid faculam præfers, Phileros, qua nil opu' nobis? S.* F

CCXI.




METRODORVS. Μητρόδωρος. *Matris Deum munere datus.* ℈S.
Hujus quoque Tituli literæ minio pictæ.

CCXII.



IANVAR. DEC. Ideſt; *Januarii Decurionis.*

CCXIII.




TERTI DEC. Ideſt, *Tertii Decurionis.* Eamdem ſcribendi rationem ſupra obſervavimus, & |F| in hiſce aliis,

CCXIV.



CCXV.



Ideſt; M. LIVI. NICEPHORI. *Decurionis*. *νικηφόρος*. *Victor*, *Victorius*. *S.*

CCXVI.



CCXVII.




. . . . BES. Fortaſſis ut ſupra, AMOEBES. . . . E ONIANVS. *Antonianus*. ab Antonia Druſi uxore; ut in ſequenti Titulo ab Julia Auguſta, Auguſti uxore. *Julianus* DEC. Ideſt *Decurio*; quod officium unica quoque, ac prima litera D ſupra n.CCXV. indicatum conſpicimus.

CCXVIII.




M. LIVIVS. ER... Hoc eſt, EROS. nomen commune ſervi *a dilectione* profectum. In verſu Horatii in Arte; *Intererit multum, Davuſne loquatur, an heros*. alii legunt: *Eros ne*. *S*.

CCXIX.




ANTONIVS. HETAERVS. ἑταῖρος. ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει. *Amice ad quid veniſti?* in Evang. De Hetaeriis, hoc eſt Sodalitatibus, Sodalitiis meminit Plinius Junior in Epiſtolis. D. *Dedit*, vel *Decurio*. Supra n. LXVIII. pag. 116. Antoniam Albanam Decurionem produximus. *S*.

CCXX.



CCXXI.



CCXXII.



CCXXIII.



Ita forte supplendus ; PONTIA DAT OLLAM EV- A
TYCHIAE LIVIAE SARCINATRICI.

In altero ... NNAE ; ut auguror CORINNAE ; vel ANNAE ; quarum Libertarum nomina superius offendimus.


CCXXIV.



CCXXV.



CCXXVI.



AVG. SARC. Hoc eſt, *Auguſtæ Sarcinatrix*. a B
ſarciendis reſuendiſque veſtibus. Viri *Sarcinatores* dicti. Lucilii trochaicus octonarius Satyr. L. XXVIII.

Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optime.

Plautus in Aulul. Act. 3. Sc. 3.

Petunt Fullones, Sarcinatores petunt.

Iidem quoque *Sarcitores* dicti, ut colligimus ex ſequenti lapide Brixienſi in Ædibus Nobb. de A- D
veroldis penes Fabrettum Cap. x. pag. 753. n. 601.

M. PVPPIVS. M. L
VRBANVS
SARCITOR. SIBI. ET
CLARAE. CONLIBER
ET. LAVRENTINAE. F
T. F. I

Hoc eſt, *Titulum fieri juſſit*. Ejuſdem nominis Laurentinam, fortaſſis a Laurento, Latii urbe, ejus patria nuncupatam, ſupra dedimus n. CLIV. pag. 171.

In altero n. CCXXV. LANI ... f. LANIPENDA ſi femina, vel LANIPENS ſi vir.

In altero n. CCXXVI. LIV ... Hoc eſt M. LIVIVS AVG. LIB. DISPENSATOR. Licet parum literata ſint hæc fragmenta, non tamen flocciſacienda.

CCXXVII.



NINNA. Νεᾶνις, *juvencula*; unde *nina* Hispanicum. *S.*

LAMACHI. λα ἐπιτατικόν, LA, particula intensiva; unde LAMACHVS, *valde pugnax*, λάμαχος. *S.*

CCXXVIII. CCXXIX. CCXXX.







Num. CCXXVIII. Legendum TYRANNO VESTITORI, vel VESTIARIO, vel VESTIPLICO. Tranquillus, ad quem scribit Plinius Junior in Epistola XI. Lib. V. Suida teste, scripsit de nominibus propriis, & speciebus vestimentorum, & aliorum quibus induimur, multaque alia scripsit quæ Suidas recenset.


Num. CCXXIX. DISP. TTAL. Ut conjicio DISPENSATOR. ATTALIANVS. Vernis quoque servis datum officium DISPENSATORIS in Domo Augusta legimus in vetustis Inscriptionibus. Vide Cl. Vignolium Inscr. Sel. pag. 303.


Num. CCXXX. OL... AGO. Forte PAEDAGOGO. Pædagogos tanto honore, & benevolentia prosecutus est Augustus, ut ad spectandos ludos proprium cuneum, ipsisque prætextatis proximum adsignarit, teste Suetonio in ejus vita c. 44.

Ceterum idem Augustus filiam, neptes, ac nepotes per se ipsum instituit, & literas docuit, vetuitque quicquam agere, & loqui, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur, eodem Suetonio auctore c. 64. in ejus vita. Beroaldus in Vitam Julii Cæsaris in verbo *comites* notat; *Inter comites* (Cæsaris) *utique & Pædagogi erant*.

.... VG. SVAE. Idest CONIVGI. SVAE.

CCXXXI. CCXXXII.





PIS. Idest, PISTOR. De Jove cognomento *Pistore*, cui aram Populus Romanus in Capitolio dedicavit, vide Lactantium de Falsa Religione Lib. I. c. 20. & Ovidium in Fastis.

CCXXXIII.



NIPHAS. *νιφὰς. δος. nix.*

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν. Verba nivibus hibernis crebriora.

Ex Homero Plinius in Epiſtolis. *S.*

NIPHAS. Feminæ nomen. In marmorea Olla apud D. Franciſcum Comitem Guicciardinum Patricium Florentinum; A


SILIAE. NIPHADIS

VIXIT. ANNIS. VII

PHILADESPOTI. Forte Philodeſpoti. *φιλοδεσπότου*. Philodeſpotus; *hero amicus*. *S.*

CONTVBER. EIVS. Hoc eſt, CONTVBERNALIS EIVS.

CCXXXIV.



FAVSTA. EPICADI. An Dorice *Epicadi* pro B *Epicedi? ἐπικηδεύοντος*; ut *Epitynchanus* in Inſcriptionibus pro *ἐπιτυγχάνοντος*. *Epicadus*, id-eſt, *diligens*, *ſolers*, *accuratus*. *S.*

LIVIAE. M. M. L. Hoc eſt, *Liviæ Marciorum Libertæ*.

CCXXXV.



AVGE. *Lux*, vox amatoria; *mea lux*, Plauto frequens. *S.*

CCXXXVI. CCXXXVII. CCXXXVIII.









IMM. Ideſt; IMMVNIS.
L. II. DEDIT. Hoc eſt *Ollas duas dedit*.

CCXXXIX.



LYDI. Apud Plautum in Bacch. Act. I. Sc. 3. Piſtoclerus Lydo Pædagogo;
Non omnis ætas Lyde convenit ludo.
A Lydis *ludus*.
CHLOE. Ejuſdem nominis plures Libertæ, ac Servæ occurrunt in his Titulis.

CCXL.




CORVMBVS. Ideſt CORYMBVS: κόρυμβος. Corymbi hederæ racemuli, molles teneri, ac delicati. *S.*
CORVMBVS. ſic ſupra TVRANNVS pro TYRANNVS. Bacchus corymbifer apud Ovidium I. Faſt. v. 593. Propertius Lib. II. Eleg. 21. v. 33. corymborum uſum, & pompam deſcribit in ſacris Bacchi:

Hic ubi me prima ſtatuent in parte choreæ,
Et medius tecta cuſpide Bacchus erit;
Tum capiti ſacros patiar pendere corymbos;
Nam ſine te noſtrum non valet ingenium.

Famulorum Bacchi capita corymbifera, ut in Sarcophago quem ſupra obſervavimus Tab. VII. pag. 15. Corymbium eſt mulicbrium comarum in tutuli formam concinnatio, ſeu faſtigatio apud Petronium. Claudianus de Rapt. Proſerp. Lib. III.

Illi multiplices crinis ſinuatur in orbes,
Idalia diviſus acu. ——

CCXLI.



CALLITYCHE. καλλιτύχη, *Bona Fortuna*; *Fausta*, *Fortunata*. Sic Καλλιτέχνας, Anacreonti, pictor in arte sua eximius. *S.*

STORGE. Supple (Uxor.) ϛοργὴ, *nativa benevolentia*, *S.*

A


CLAVDI. EROTIS. i. *Claudii Erotis*. ἔρωτος. *Amoris*. *S.*

CCXLII.



AGATHONIS. L. FELICIS. Αγαθῶνος Εὐδαίμονος. *S.*

CCXLIII.




DIOCHARES. Διοχαρής; *Jovis gaudium*, vel *Jove gaudens*. *S.*

B

PANACEAES. *Panaceæ*. τῆς πανακείας. *Medelæ universæ*. *S.*

CCXLIV. CCXLV.






SASA. Nomen viri. In Gruteriana marmorea Tabula p. MCXI. 9. SASA. LVCIAN*us*. PEDAGO-G*us*, & in alia penes Fabrettum Cap. I. p. 29. n. 135. A CN. CANNIVS. SASA. SIBI. ET. IVCVDO. i. *Jucundo*.

In altero Titulo n. CCXLV. f. CORNELIA QVARTA L. ATIMETI.

CCXLVI.



EVNI. εὔνου. *Benevolentis*, *Benevoli*. *S*
OLYMPVS. *Olympus*. Eo nomine fuit tibicen insignis. *S.*

CCXLVII. CCXLVIII.





PAMPHILIS. παμφιλὶς. *omnium amica* In Thaide fabula in fragmentis Menandri, & Philemonis a doctissimo viro Johanne Clerico editis;

Οὐδενὸς ὁρῶσα. προσποιουμένη δ' ἀεί,

B ego minimo negotio emendavi; Οὐδενὸς ἐρῶσα; *neminem amans*; *amare vero simulans semper*; quæ est vera meretricis nota. *S.*

T... RIDI. L. idest DAT ELEVTHERIDI. vel APELEVTHERIDI L. *Libertæ*.


CCLXIX.



Raro in Titulis Columbariorum dedicatio *Diis Manibus* legitur, ut supra notavimus pag. 60.

T. AELIVS EVPHRATA. ideſt, *Euphrates*. Euphrata Æolice, & Latine; forte *Euphrada* ab ornato eloquio; quo cognomento fuit Philoſophus Peripateticus, ac Orator Themiſtius, εὐφράδας dictus, qui Latinis eſſet *Euphrada*: niſi ſit EPAPHRA ἐπαφρᾶς; *Epaphroditus*, *Venuſtus*, uſitatius nomen; & quadratarii non ita ſemper exacte ſcalpebant, quemadmodum humana natura fert. *S.*

CCL. CCLI.






Ideſt. M. LIVIVS. EROS. IVLIA. AVG. L. i. *Auguſtæ Liberta*.

MAECIL. Ut auguror, MAECILIANI. a M. Mæcilio Tullo, Auguſti III. Viro Monetali.

..PSANIO. f. VIPSANIO; a M. Vipſanio Agrippa, Auguſti genero.

CCLII.



PAEDEROS. Παιδέρος. FELIX εὐδαίμως. *S.*

CCLIII.



CCLIV.




EPAPHRA AMAR. Supple AMARANTI. vel AMARANTHI. L. *Libertus*. *S*.

B


Num. CCLIV. E. L & c. Forte IVLIAE. L. LIVIO SER (i. *servo*) OLYMPI.

CCLV.




DIOCLES PELOPIS L. Διοκλῆς, ὁ Πέλοπος. *S*.

CCVI.



CCVII.



CCVIII.




Num. CCLVI. Ita fortassis restitui potest, M. LIVIVS..... DAT OLYMPIAE, vel OLYMPIADI CONIVGI. SVAE BENEMERENTI. OLLAM.


F

Num. CCLVII. DAT AGATHO ..... idest AGATHOPODI, vel AGATHONI.

CCLIX.



CCLX.



CCLXI.



CCLXII.



Num. CCLXI. IVLIA . HE . . . . f. HEDISTE (*dulcissima*) DAT *Ollam* VRSIONI .

C

Num. CCLXII. STE. DRACONI. Forte MEGISTE, vel HEDISTE. DRACONI.

CCLXIII.



CCLXIV.



ACANTHVS. ἄκανθος. Virgil. Ecl. IV. v. 20. *Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.* Bene *ridenti*, nam herbæ, & flores adblandientes dicuntur ridere. Idem Poeta Ecl. III. v. 45. *mollem* dixit acanthum; hoc est lentum, & in opere topiario flecti facilem. De acantho Plinius Lib. XXII. cap. 22. Folia habet multo quam lactuca latiora, longioraque, erucæ modo incisuris divisa, & laciniosa. Architecti, & reliqui artifices in Corinthiis capitulis sunt naturam imitati. Vide Vitruvium Lib. IV. c. I. & Philandri adnotationes. Liberti ab herbis, plantis, fruticibus, ac floribus propria nomina mutuati sunt. Hoc in loco silentio præterire minime possum ab Hyacintho flore, vel ab Hyacintho puero, qui nomen flori fecit, vel ab Hyacintho gemma, de qua Plin. Lib. XXXVII. c. 9. nomen assumsisse Hyacinthum Juliæ Augustæ Servum, cui positus elegans Titulus marmoreus, qui exstat in


E

Museo Andreinio:

Y A C I N T H I
I V L I A E
A V G V S T A E

Legendum HYACINTHI; nam nullam Latinam vocem ab Y incipere posse nemo ignorat. Ab Asia, antiquis una ex tribus orbis terræ partibus, denominatam Asiam Cascellianam supra dedimus num. LXXX. pag. 125. vel ab Asia Nympha Oceani, & Thetyos filia. Aliam ecce ab Italia, Europæ regione, nuncupatam.

CCLXV.



CCLXVI.



CCLXVII.



CCLXVIII.



APOLLONIVS. AGRIP. Ni fallor AGRIPPINAE, M. Agrippæ, & Juliæ Augusti ex Scribonia filiæ, Augusti neptis, Tiberii nurus, Germanici uxoris, matris Caii. Hujus urnam cinerariam marmoream quadratam superne excavatam descripsit Gruterus CCXXXVII. 4. & delineatam dedit Petrus Sanctes Bartoli Tab. LXXII. in Libro qui inscribitur; *Gli antichi Sepolcri, ovvero Mausolei Romani*.

Asiniam Nutricem Agrippinæ dedimus in parva Tabula Musei Andreinii in Par. I. Inscr. Ant. Etr. Urb. pag. 266. n. 54.

In altero sepulcralis Tituli fragmento, licet Liberti sive Servi Cæsaris nomen desit, officium tamen ejusdem procul dubio clare evincitur A. CYATHO fuisse, quum duæ tantum literæ A. C suppleri possint. Hac potissimum de causa hæc Titulorum minuta frusta non omnino contemnenda, & rejicienda esse duximus. Utinam accuratiores fuissent fossores in eruendis e parietibus elegantissimis hisce Tabulis, quas vi, & oscitantia eduxerunt, fregeruntque immaniter malleo, quum tenacius suis loculis per parietes adhærerent; non enim majori eruditionis supellectile, & incognitorum officiorum Libertorum Liviæ Augustæ & Cæsarum Domus segete nos privassent.

In Tabula Romana a Grutero edita p. DLXXXII. 4. legitur D. M. DORYPHORO CAESARIS A CYATHO. In Hortana a Fabretto Cap. X. pag. 715. n. 370. ASMENVS NERONIS. CAESARIS A CYATHO. In Florentina Musei Suburbani Carolis Thomæ Strozii p. 406. num. 216. LIARVS ANTONIAE. DRVSI GLABER AB. CYATO, hoc est AB CYATHO. CYATVS ita


D quoque scriptum in vetusto Codice Festi Rufi in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana Plut. LXVII. in quo signa variorum Ponderum notantur. Horatius Carm. Lib. I. Od. 29. Puerum *ad cyathum* dixit Juvenalis Sat. XIII. *ad cyathos*, eademque phrasi Suetuon. in Cæs. c. 49. qui vinum domino ministrabat; nobis in Regum, ac Principum aula, *il Coppiere*. Alibi notavimus Liviam Augustæ Servam A POTIONE, Grut. p. DLXXXII. 2. A LAGVNA, seu *lagena*, vinario vase, apud eumdem p. DLXXVIII. I. 4.

Cæterum, ut summus Vir Budæus in Libris de Asse, & ex eo Bayfius de Re Vascularia notant, servos A CYATHO, Græci οἰνοχόυς dicunt: unde E CYATHVS a quibusdam vocatur οἰνοθόν; quod vocabulum ab hauriendo, & fundendo vinum deductum est. Hoc autem munere qui fungebantur, dicebantur, κυαθίζειν, hoc est *cyathissare*; quo verbo utitur Plautus in Menæchmis:


> *Non scis quis ego sim, qui tibi sæpissime cyathysso?*

hoc est, cyatho vinum bibendum admetior; quod Athenæus dicit κυάθῳ οἰνοχοῶ. Crystalina pocula, præsertim peregrina, antiquis laudatissima fuere. F His Servi, ac Liberti præpositi, qui ea curarent ac custodirent. In Gruteriano PRAEPOSITVM A CRYSTALLINIS lego p. CCCCLXXIV. 4. In ansa fragmenti crystallini poculi Phœnicii, cœrulei maculosi coloris, ex Museo Victorio, artificis nomen Græce, & Latine expressum est, ΑΡΤΑС СЄΙΔ(ω). & ARTAS SIDON.

CCLXIX.



CCLXX.



IVLIA. ACVME. Forte ἀκύμη, *Tranquilla*. LIVIAE THAIDI DEDIT. *S.*

ANTHV-LIV. Scilicet AMARANTVS. LIVIAE. vel ANTHVSA LIVIAE. five ut in alio Titulo fuperius n. v. p. 75. ANTHVS LIVIAE. PVER A PEDIBVS.

A

Ανθος. Flos. Catullus Carm. XXIV. 1. *O qui flofculus es Juventiorum*. *S.*

Florum appellatione pueri veniunt, ut Hyacinthus, Narciffus, ratione ætatis. Catullus Carm. LXVIII. 16. *Jucundum quum ætas florida ver ageret.* *S.*

CCLXXI.



CCLXXII.



CISSO. Supple NARCISSO. ναρκισσῷ. vel CISSO, ut fupra p. 136. n. XCVI. *S.*

C

Num. CCLXXII. MI. CAESAR. AVGVSTI. . . . MIANI. Forte. *Primi Cæfaris Augufti Cofmiani*.

CCLXXIII.



CCLXXIV.



CCLXXV.



Num. CCLXXIII. SPER. Forte; SPERATVS. AVG. CEBETI. Cebes celebris, ac fatis notus Thebanus Philofophus, cujus nomine nuncupatus hic Servus.

B


Num. CCLXXIV. R. SPONS F. CAESAR vel MINISTRATOR. SPONSIANVS.

Num. CCLXXV. LIVIA. . HELPI. . . Forte LIVIA HELPIS. vel LIVIAE. HELPIDI.

CCLXXVI.

CCLXXVI. CCLXXVII. CCLXXVIII.









Num. CCLXXVI. TRIPH, Supple TRYPHON. PRIN. PRINCEPS. B Num. CCLXXVIII. ZEV... Ideſt ZEVXIS, ut in ſuperioribus Titulis.

CCLXXIX. CCLXXX. CCLXXXI.







Num. CCLXXX. ... OPHVS..... ADI. L. Forte, SYNTROPHVS CELADI. L. *Liberti*.

CCLXXXII. CCLXXXIII. CCLXXXIV.







Num. CCLXXII. LIDI. L. SVAE. Fortaſſis AMARILLIDI. L. SVAE. vel PARDALIDI. L. SVAE. In Roman. Titulo apud Grut. p. DCXCIX. 14. D. M. PARDALIDI. FILIAE. DVLCISSIMAE VIRGINI. SANCTISSIMAE &c. Adſimile viri nomen legitur in Florentino lapide Muſei Medicei, ex Africa advecto SATVRI. PARDALI. p. 58. n. CXXXIX. & inſcalptum in antiquo Achate, qui in ſcriptus eſt, & exſtat in Muſeo celebris Antiquarii Marci Ant. Sabbatinii; in quo Femina, & Vir ſimul in tricliniari lecto accumbentes, antiquo more repreſentantur; oſtenduntque impiorum malitiam, & mentem expreſſam in divinis Libris, Sap. c. II. v. 1. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*; & poſtea v. 6. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt*. &c. Græca inſcriptio elegantiſſima eſt, quam ſequentibus notis illuſtravit Vir Cl. Antonius Maria Salvinius.

F

ΠΑΡΔΑΛΑ ΕϹΘΙΕ ΠΕΙ

ΝΕ ΤΡΥΦΑ ΠΕΡΙΛΑ

ΜΒΑΝΕ ΘΑΝΕΙΝ ϹΕ ΔΕΙ ΟΓΑΡ

ΧΡΟΝΟϹ ΩΛΙΓΟϹ

* * * * * * * *

ΑΧΑΙΙ

ΖΗϹΑΙϹ

Hoc eſt: *Pardala. ede bibe. deliciare. amplectere. mori te neceſſe eſt. tempus enim breve* ******* *Achiva Vivas*.

ΕϹΘΙΕ ΠΕΙΝΕ. *Ede bibe*. Vide Epitaphium A
Sardanapali Regis apud Strabonem, quod Cicero in Latinum ſermonem convertit;

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit. at illa jacent pulchra, & præclara relicta.

ΠΕΙΝΕ. ΕΙ pro Ι longo; ut ΝΕΙΚΗ pro *νίκη* in Inſcriptionibus.

Ο ΓΑΡ ΧΡΟΝΟϹ ΟΛΙΓΟϹ. *Tempus enim breve*. Anacreon in Odario IV.

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς,
Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα
Κόνις ὀστέων λυθέντων. B

Rota nam velut recurrens
Properat volucris ætas;
Tenuis jacebimuſque
Cinis, oſſibus ſolutis.

In Analectis Virgilii;

Mors aurem vellens, VIVITE *ait*, *venio*.

ideſt, *genio indulgete*. Lucianus in Epigramm.

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται. αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.
Sufficiunt tantum ſex horæ rebus agendis;
At quæ poſt ipſas, VIVE *elementa docent*.

ΖΗϹΑΙϹ. Formula propinandi apud veteres. Dio, ζήσειας. *S.*

CCLXXXV.



CCLXXXVI.




CCLXXXVII.




CCLXXXVIII.



CCLXXXIX.




CCXC.



CCXCI.



CCXCII.




CCXCIII.



In oculata Titulorum colatione cum autographis, fragmentum ad manus venit, quod alteri ſu- F perius edito num. XI. pag. 80. jungendum eſt, atque ita ſe habet.

CCXCIV.



PANNYCVS. Legendum, ut diximus, PANNYCHVS. παννυχος. *Vigil tota nocte*. Veneris pervigilium cecinit vetus Poeta. Plautinus Palinurus in Curc. Act. I. Sc. 3.

Quid tu Venerin' pervigilare te novisti Phædrome?

Falsa Deorum numina non tantum menstruis supplicationibus, sed anniversario pervigilio coli solebant. V. Suet. in Galba c. 4. & Eidyll. Adonidis.

. . OSTERISQVE. Idest: POSTERISQVE, vel ut marmoris spatium, quod deest, impleatur ET. POSTERISQVE. Sæpe geminatæ conjunctiones in vetustis lapidibus occurrunt. In ara marmorea Regii Musei Medicei inter Florentinas pag. 10. n. V. legitur; ET. P. FERRARIO PROCVLO FILIO ET POSTERISQVE SVIS. Item in marmorea Tabula Musei D. Marchionis Riccardii pag. 87. n. 12. quam vide inter Florentinas in Par. I. Inscr. Ant. Urbium Etruriæ. Exempla pariter habentur in editis Libris. Sallustius, *Tyrannumque, & Cinnam* dixit. Virgilius Æneid. Lib. I. v. 5.

B *Multa quoque & bello passus dum conderet urbem.*

Sed hoc plerumque a Poetis metri caussa fit, ut notat Servius in eumdem locum.

Hactenus Sepulcrales omnes TITVLOS hujus ornatissimi Monumenti, sive Columbarii Libertorum, ac Servorum LIVIAE AVGVSTE, quotquot ad nos pervenere, accurate ex autographis dedimus, & illustravimus; superest, ut INSCRIPTIONES elegantissimas quibus, Aræ, Urnæ, ac Cippi, in honorem defunctorum positi super pavimento C exornabantur expendamus. Principem locum sibi vindicat ea Inscriptio, quæ legitur Tabula XIV. in perrara, ac pene singularis structuræ Urna cineraria, dicata Diis Manibus C. Julii Bathylli Augusti, & Divæ Augustæ, itemque Immunis, & Honoratus, ἀτελὴς καὶ ἔντιμος. Lectoris commodo, & institutæ lapidum enumerationi inservientes, eam hic rursum ob oculos ponimus; cujus longitudo est pedum Romanorum II. & tunc. VIII. altitudo vero unius pedis supra dimid.

CCXCV.

DIS MANIBVS

. . . . . AVG. LIB. BATHYLLVS. AEDITV'S. TEMPLI. DIVI. AVG

. T. DIVAE. AVGVSTAE. QVOD. EST. IN. PALATIVM

IMMVNIS ET HONORATVS

Singula verba, quæ notatu digna sunt, nec parum lucis afferunt Historiæ monumentis, ex more illustremus.

. . . . . AVG. LIB. Prænomen, & nomen, & nomen Bathylli, quod ab Augusto, sive Augusta, Patronis accepit, restituitur ex alia Inscriptione, quæ legitur in Ara, quæ huic erat proxima super pavimento Columbarii, dicata Diis Manibus Juliæ Sedatæ Decurionis Tab. XV. lit. C. quæ contubernalis dicitur C. Julii Bathylli Immunis. Quare suppletis literis, legendum C. IVLIVS.

BATHYLLVS. Βαθυκλῆς. Βάθυλλος diminutivum. *S.*

In alio Titulo hujus Columbarii superius edito n. CCIX. p. 195. habemus Julium Bathyllum Decurionem Marii Libertum; an idem sit, adfirmare minime audeam. Plures Libertos aliorum Libertorum Domus Augustæ ministeriis deputatos, supra observavimus p. 138. Hujus vero C. Julii Bathylli clare meminit vetusta Tabula Musei Ciampinii, quam superius exhibuimus p. 73. in qua cum aliis Libertis Juliæ Gentis, & Domus Augustæ HONO-

E RATVS appellatur, quam quæso vide. Nobile par Histrionum Bathyllum, & Pyladem memorat Dio Lib. LIV. ac Bathyllum, quem Mæcenas summopere diligebat.

Perhonorificum officium C. Julii Bathylli postea declaratur, qui fuit Æditimus Templi Divi Augusti, & Divæ Augustæ in Palatio. AEDITVS. idest, AEDITVVS. Gr. Νεώκορος, qui templum servabat tuebaturque, nobis *il Sagrestano*. Vide superius adnotata n. CVIII. p. 148. Scriptum vero AEDITV'S cum accento acuto, non geminato V, ut non raro in aliis lapidibus Gruterianis, in quibus legitur INGENVS, pro INGENVVS. p. CIV. 8. CCCVI. 7. PERPE-F TVS, pro PERPETVVS p. CXXVI. PRIMITIVS, pro PRIMITIVVS p. CCCCXXIV. 5.

Templum Divi Augusti, & Divæ Augustæ fuisse dicitur IN PALATIVM, videlicet IN PALATIO, quæ dicendi formula in Florentinis quoque Pandectis non infrequens est; vel IN PALATINVM; idest IN PALATINO monte. Ita quoque scriptum a Varrone; *Nonne Arcades exules confugerunt* IN PALATIVM *duce Evandro?* i. IN PALATINVM. Varronis testi-

monium affert Servius in Æneid.Lib.VIII.v.50.qui Palatini montis originem, & denominationem exponit. Augusti ædes ab eo monte in quo quondam & ipse Romulus habitarat splendorem nomenque accepisse, ut PALATIVM dicerentur, tradit Dio Hist. Rom. Lib. LIII. narratque decretos eidem Augusto honores, *ut ante ipsius domum* IN PALATIO *lauri ponerentur, ac super eas coronæ quernæ suspenderentur; nimirum quod perpetuus esset hostium victor, & civium servator.*

Laurum ante fores ejusdem Palatii collocatam, quæ visitur in Augusti numo apud Sebastianum Erizum, testatur Ovidius I. Metamorph. illustratque Cl. V. Cuperus in Augustorum Gemmam.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis; mediamque tuebere quercum.

Primum vero, ut narrat Suet. c.72. Augustus habitavit juxta Forum super scalas anularias, in domo quæ Calvi Oratoris fuerat, postea IN PALATIO.

Fuit quoque in eodem Palatio Templum Apollinis; quod, eodem Suetonio teste c.29. Augustus in ea parte Palatinæ Domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices pronuntiarunt; addita porticu cum Bibliotheca Latina Græcaque; quo in loco jam senior sæpe etiam Senatum habuit, decuriasque judicum recognovit. Sub basi ejusdem Apollinis Palatini duobus forulis auratis condidit Sybillinos libros, quos solos retinuit, delectu habito, crematis supra duo millia fatidicis Libris Græci Latinique generis. Fertur quoque, conflatis omnibus argenteis statuis sibi positis, cortinas aureas eidem Apollini Palatino dedicasse, multisque pulcherrimis signis ædem ejusdem cumulasse, quorum non pauca recenset Plinius Lib. XXXVI. c. 5. Vide Suetonium in Augusto c 52. Bibliothecæ cum Græcæ, tum Latinæ Apollinis tradita cura, & custodia Servis, ac Libertis legitur in pluribus Gruterianis Inscriptionibus, data quoque præfectura C. Julio Hygino Augusti Liberto, Antiquitatis, & Historiæ peritissimo, quem laudat Suetonius de illustribus Grammaticis Cap. XX.

Verum quod memoratur in nostra Inscriptione non est Templum Apollinis Palatini, sed Templum primum Divo Augusto, deinde Divæ Augustæ, postquam excessissent, dicatum. Ad hoc Templum, & ad divinos honores Augusto decretos ab Senatu, & ad Liviam Augusti Sacerdotem constitutam, fortassis respexit Virgilius, Templum Achæi conjugis Didonis describens, Æneid. Lib. IV. v. 457.

Præterea fuit in tectis de marmore TEMPLVM
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.

In hoc Templo Divi Augusti, & Divæ Augustæ divinos honores quotannis factos, postridie natalis Augusti, VIII. Kalendas Octobres, a Collegio Fratrum Arualium, testatur sequens pereximium marmor, quod primus ab oblivione, ac tenebris vindicatum in lucem profero. Paucis ab hinc annis probe descriptum reperi in Codice celeberrimæ Bibliothecæ Strozianæ, in quam aditum perhumaniter mihi præbet virtute, ac bonarum literarum amore conspicuus D. Carolus Thomas Strozius, Patricius Florentinus, qui eam a majoribus suis sibi traditam in dies auget, & ornat. In rubrica ejusdem Codicis num. 356. in 4. notatur, hanc marmoream Tabulam extare Romæ in Ædibus Coritianis; effractam tamen, & in summo, & in imo mutilam.

A . . . .

PERSICVS . IOVI . BOVEM
MAREM . ADFVIT . M . S........
IX . K . OCT
NATALE . DIVI . AVG . IN . CAPITO
LIO . IMMOLAVIT . L. VITELLIVS
B MAGISTER . PRO . COLLEGIO
FRATRVM . ARVALIVM . IOVI
BOVEM . MAREM . AD . ARAM
GENTIS . IVLIAE . VACCAM
ADFVERVNT . C . CAECINA . LARGVS
SILANVS . STATILIVS
VIII . K . OCT
C IN.PALATIO.L.VITELLIVS.MAGISTER
PRO.COLLEGIO.FRATRVM.ARVA
LIVM . IMMOLAVIT . DIVO . AVG
BOVEM . MAREM . ET . DIVAE . AVG.
VACCAM . . . .
. . . .

D Paulli Fabii PERSICI. L. VITELLII. C. CAECINAE LARGI. M Junii SILANI, & Tauri, STATILII Corvini nomina, quæ in hac perinsigni Tabula recensentur, ab Henrico Noris, magni nominis viro, erudite illustrantur in Epistola Consulari.

Hujus igitur tam celebris Inscriptionis nostri Columbarii perspicuo testimonio constat Templum Divo Augusto post mortem in Palatio fuisse constitutum; licet Dio in fine Libri LVI. non in Palatio, sed in Urbe ædificatum fuisse a Tiberio, & a Livia, a Senatu decretum afferat, quem sequitur Epitomator ejusdem Xiphilinus; quod Templum E dum Romæ ædificaretur, narrat Dio auream ipsius imaginem in æde Martis lecto impositam collocavisse, omnique eam cultu, qua in posterum essent usuri, veneratos fuisse. Plinius vero in Libro XII. Historiæ Naturalis Cap. XIX. diserte ejusdem meminit, aitque in Palatio conditum in honorem Divi Augusti ab ejusdem conjuge Augusta, nulla Tiberii facta mentione; cujus verba libet exscribere; *Radicem ejus* (cinnami) *magni ponderis vidimus in* PALATII TEMPLO, *quod fecerat* DIVO AVGVSTO *conjux* AVGVSTA, *aureæ pateræ impositam; ex qua guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumptum est.* Hic F obiter observo idem TEMPLVM a Plinio pariter DELVBRVM nuncupatum, ΗΡΩΟΝ, HEROVM a Dione, cujus verba superius retulimus ad Titulum num. CVII. FANVM a Xiphilino in fine vitæ Augusti, TEMPLVM a Tacito, qui etiam cœlestes religiones Augusto post mortem decretas a Senatu memorat Annal. Lib. I. SACRARIVM a Suet. in vita Augusti cap.5. cujus testimonium supra relatum a me est; & in superiori Titulo hujus Columbarii SACRARIVM appellatur, quemadmodum

& in alio, quem exhibuimus ex Selectis Inscriptionibus Cl. V. Johannis Vignolii. Ex quibus inscriptis Tabulis colligimus eidem Templo Palatino Divi Augusti plures ministros præpositos fuisse, qui non solum Templi curam agerent, verum etiam qui sacris in eo faciundis præsto essent; nam in eo eximio marmore a Vignolio allato Philippus Rustianius PVBLICVS AB SACRARIO DIVI AVGVSTI dicitur. *Publici* Servi, auctore Fabretto, Inscr. Ant. Cap. IV. pag. 336. variorum officiorum erant ministri, ad distinctionem *Peculiarium* Servorum. Hinc apud eumdem Fabrettum ibidem legitur n. 503. PVBLICVS AVGVRVM. n. 504. PVBLICVS. XV. VIR. S. F. *xv. virum sacris faciendis*. n.505. PVBLIC*us* PONTIFIC*um*. nu.506. PVBLIC*us* DE. PORTICV OCTAVIAE. A BIBLIOTHECA GRAECA. n. 508. PVBLICVS. CVRIONALIS.

Hoc Templum auguror multis donis ab Augusta cumulatum, quamvis de his sileant Historici. Certavit enim in hac femina, genere, probitate, forma, Romanarum eminentissima, ut scribit Vellejus Paterculus Lib. II. c. 75. cum religione, ac pietate in Deos, singularis magnificentia. Crystallum dedicavit in Capitolio librarum circiter L. cujus amplissimam magnitudnem, a Romanis nondum visam, memorat Plinius Lib. XXXVII. cap. 2. Templum quoque Hierosolymitanum summi, ac veri nostri DEI, aureis phialis, & calicibus, ornavit, aliisque donariis plurimis, & pretiosissimis, ut narrat Agrippa Rex Judææ in literis ad Caligulam Imperatorem apud Philonem, in Libro de Legatione ad Cajum. Id enim postulabat summus Liviæ amor erga conjugem suum Augustum, qui eam dum viveret, ut prodit Suetonius, unice semper dilexit.

Eadem, auctore Dione Lib. LVI. in fine, Numerio Attico Senatori, ac Prætori decies sestertium dono dedit, quod juraverat vidisse Augustum in cœlum ascendentem, quemadmodum antiquitus Romulum Proculus vidisse perhibebatur. Præter hæc in Palatio peculiares Ludos in honorem Augusti conjugis fecit, qui secundo quoque loco ab Imperatoribus ipsis exhiberentur. Incenso rogo a Centurionibus, supremisque Augusti peractis officiis, cum reliqui discessissent, cum Equitum primis in Campo Martio dies quinque morata, ossa ejus legit, & in monumento condidit; itemque haud procul theatro Marcelli, effigiem Divo Augusto dicavit, scripto prius suo nomine, postea Tiberii, ut narrat Tacitus Annal. Lib. III. pag 73. Ed. Basil. Statuam quoque eidem dedicavit, ut docet Dio. Lib. LVII. in cujus statuæ dedicatione Patricios, & Equites cum uxoribus eorumdem accipere statuerat; verum Tiberius matri infensus, neque ei dedicationem, nisi Senatus consulto concessam, permisit, & viris ipse epulum, illa tantum mulieribus, eo jubente, præbuit.

Hoc idem Palatinum Templum non solum AVGVSTAE, post ejus obitum dedicatum fuisse, ac utrique factum testari mihi videtur hæc celebris Inscriptio; legitur enim AEDITV'S. TEMPLI. DIVI. AVG. ET. DIVAE. AVGVSTAE. QVOD EST. IN. PALATIVM. Memoriæ prodit Suetonius in Vita Augusti c. 5. ædificatum fuisse aliquanto postquam Augustus excessit, absolutum vero constat imperante C. Caligula, qui teste Dione Lib. LIX. habitu triumphali in ejus honorem illud dedicavit, nobilissimis pueris ætate florentibus, cum virginibus ejusdem ordinis, hymnum canentibus; epulumque Senatoribus, & eorum uxoribus, ac populo datum, variaque spectacula edita. In numismate Regii Musei Medicei, optimæ notæ, majorisque moduli, cernitur Templum Divi Augusti sex columnis, statuis, festa lauro, & encarpis ornatum, in quo C. Cæsar sacrificat in ejusdem Templi dedicatione; & utrimque scriptum DIVO AVG. S. C. Ex altera parte Pietas velato capite cum patera, qua vel ipsa IVLIA AVGVSTA indicatur; cum epigraphe C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. III. P. P. Idem numisma edidit, & illustravit Cl. Nicolaus Eques Rovoxius Tab. XVIII. n. 10. & 11. in eximio Fragmento Inscriptionum Fratrum Arualium in Gruteriano Thesauro CXVII. 4. idem Templum Augusti, ut arbitror, dicitur NOVVM; & votivæ victimæ enumerantur; DIVO. AVG. B. MARES. II. DIVAE. AVG. VACCAS. II. DIVO CLAVDIO. B. MAR. II. Ceterum Tiberius Cæsar nec mortuam Liviam Augustam matrem tali ullo honore dignatus est; imo eam ægro semper, & infenso animo tulit viventem; propterea quod se ei imperium dedisse diceret, & non æquata modo potestate cum eo imperare, verum etiam prior ipso regere vellet. Hinc Libellis Tiberio inscriptis, Liviæ nomen additum, quod ipsa etiam quasi Imperatrix, rebus se se ingereret. Quare Tiberius peregrinationes instituit, omnique modo se illi subtraxit; neque minima Capreas secedendi causa ipsi fuit; ut Dio testatur in Libro LVII. & in fine Lib. LVI. Quare nil mirum si Tiberius, ut narrat Tacitus Annal. Lib. V. *Honores memoriæ ejus ab Senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, ne cœlestis religio decerneretur, sic ipsam maluisse*. Addit Dio Lib. LVIII. Tiberium neque decumbentem morbo invisisse, neque exequias defunctæ celebrasse, neque præter funus publicum imaginesque & alia levia, ullum ei honorem tribuisse; item arcum, nulli unquam mulieri decretum a Senatu, extrui minime passum fuisse, pollicitumque se eum suis sumtibus ædificaturum, eo modo rescidisse.

A Claudio igitur Cæsare hoc Templum Divæ quoque AVGVSTAE dedicatum, & commune factum arbitror, gravissimorum scriptorum fretus auctoritate, quo etiam regnante, solenni Apotheosi in Dearum numerum relata est. Suetonius hæc de Claudio scribit c. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum Elephantorum Augustino similem* (legerem *Augusteo*, vel *Augustano*, ut in antiquis lapidibus DOMVS AVGVSTANAE) *decernendum curavit*. Idem Claudius Liviæ Augustæ effigiem in TEMPLO AVGVSTI consecravit, sacraque instituit, quæ Vestales facerent. Libet Dionis ipsissima verba afferre Lib. LX. *τήν τε τήθην τὴν* ΛΙΟΥΙΑΝ *ὐ μόνον ἵππων ἀγῶσιν ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπηθανάτισεν, ἄγαλμά τέ τι ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας, καὶ τὰς θυσίας ταῖς ἀειπαρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας, ταῖς τε γυναιξὶν ὅρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς ποιεῖσθαι κελεύσας*. scilicet: *Aviam Liviam, præter hunc honorem immortalitati adseruit, dedicavitque ejus effigiem in* TEMPLO AVGVSTI, *ac rem sacram ei fieri a Vestalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare jussit*. Hinc in numis ejusdem (si genuini sint) apud Gutherium de Jure Manium Lib II. Cap. V. cernitur Templum octastylum, cum epigraphe AETERNITATIS AVGVSTAE; & in alio quem affert in sequenti Capite VI. pag. 196. Templum pulcherrimum expressum est statuis, & imaginibus ornatum, cum eadem epigraphe; nam consecrationem æternitas denotat. Consecrationis Juliæ Augustæ fit mentio in eximio Neapolitanæ Inscriptionis fragmento in Gruteri Thesauro p. CXVI. 5. quod pertinet ad Collegium Fratrum Arualium, suppletumque legitur a Reinesio in Epistola XLIV. pag. 431. cujus ea tantum verba, quæ ad rem nostram faciunt, exscribam:

XVI. K. FEBR.
OB CONSECRATIONEM. DIVAE. AVG. ITEM
DIVO. AVGVSTO. BOVEM MAREM. DIVAE AV
GVSTAE. VACCAM

Obiit Livia anno xv. post Augusti decessum, *C. Fufio*, *L. Rubellio* Consulibus; quorum utrique *Geminus* cognomentum erat, teste Tacito initio Libri v. Annalium. His Consulibus anno Urbis Varroniano 782. vulgaris vero Christianæ epochæ 29. Jesus Christus Dominus noster passus, ac mortuus est, ut ex Tertulliano, & aliis antiquis Patribus probat Cardinalis Baronius ad An. Chr. XXXIV. n. CXXXVIII. Eorumdem Consulum meminit vetustum fragmentum apud præstantissimum Virum Henricum Noris in Epistola Consulari pag. 9. & in magno Thesauro veterum Inscriptionum p. DXXXV. 2. itemque penes Fabrettum de Columna Trajani Cap. VII. pag. 196. & 197. Vixit Augusta annis LXXXVI. ex qua Augustus nullos Liberos suscepit; verum vivens, solatii caussa, statuis donata, & in matrum quæ ter peperissent numerum relata, ut memoriæ proditum a Dione initio Libri LV. Laudata est in funere a Cajo Cæsare pronepote, anno Tiberii XVI. Feminarum omnium prima post mortem DEA dicta est; ut supra in Præfatione ostendimus. Neque enim & ipse Augustus vivens, nisi a Poetis DEVS dictus, atque habitus est; post mortem vero Templis, divinis honoribus, eoque cognomine honoratus, ut fusius ostendit Vir Cl. Johannes Vignolius de Columna Antonini Pii Cap. v. Quare hanc memoriam C. Julio Bathyllo, aliamque C. Julio Astio Divæ Augustæ Liberto, ut supra vidimus n. CLXX. pag. 178. non nisi post mortem eorumdem Augustorum, & hanc quam modo explicavimus post Palatini Templi dedicationem positam fuisse perspicuum, ac certum est.

Defuncto Augusto quemadmodum Templa Romæ, Nolæ, & per alias Urbes, ac Colonias condita, ac dedicata sunt, ita etiam Liviæ Augustæ post mortem idem honos habitus, ut inter alia testatur marmoreum prægrande epistylium, quod olim exstabat in Urbe Veteri, inde Florentiam translatum, sex ingentibus, ac pretiosis columnis fulfultum, ex cujus inscriptione, quæ in eo legitur, constat præclarum ædificium labefactatum, postea refectum fuisse; quam vide inter Florentinas in Par. I. pag. 306. n. 47.

Sequitur Inscriptio marmoreæ perelegantis Aræ, in inferiori parte perfractæ, quæ cum sequentibus delineata exhibetur Tab. XV. lit. A, & ut indicat Tab. II. & pag. 6. posita erat in hoc Monumento lit. E.

CCXCVI.

DIS. MANIBVS
ANTONIAE
PANEROTIS. L.
HELENES

Idest, *Diis Manibus Antoniæ Panerotis Libertæ Helenes*.

Omissum τὸ MANIBVS quandoque, & contra consuetam dedicationis formulam, absolute DIIS dedicatum sepulcralem antiquum Titulum observandum propono in sequenti inedito, quo nuper Museum suum Romæ locupletavit Nob. Franciscus Eq. Victorius. Inter nomina primi versus visitur parvum foramen, sive cyathus ad lacrymas in defunctorum cineres per tubum plumbeum effundendas, cujus characteres, præsertim F. & A. eodem modo scripta sunt, ut in Urnulis Sepulcralibus Familiæ Furiæ, quas delineavit, & edidit Tab. 26. Petrus Sanctes Bartoli in Libro, qui inscribitur: *Gli Antichi Sepolcri, ovvero Mausolei Romani, ed Etruschi*; qui Titulus cum antiquitatis, tum raritatis prærogativam sibi vindicat.

I' Λ B I V S ◎ CERESIMO
DIIS
I' Λ B I Λ · PH V M E N ·
CONGI · BENE · MERE'TI ·

HELENES. Græca tantum expressa inflexione genitivi casus. In pluribus Tabulis quandoque simul Græca, & Latina; ut AVCTAES APVSTIAES in Florentina Musei Suburbani Strozii, superius pag. 40. Gruterianus Titulus pag. DCVI. 7. dicatus est; *Diis Manibus M. Antonii Alexandri Panerotis Augusti Liberti*.

CCXCVII.

D . M
M. VLPIO. AVG. LIB
MENOPHILO. ADIVTORI
PROC. AB. ORNAMENTIS
VIXIT. ANN. XXXV. MENS. V
POSVERVNT

P. AELIVS. AVG. L. MENOPHILVS
PATER. ET. CAMINIA. FORTVNATA
MATER. INFELICISSIMA. ET IVLIA
PASSERILLA. CONIVX. PIENTISSIMA. EX. DECRETV
SOCIORVM. ANNIO. VERO. III. ET. EGGIO. AMBIBVLO. COS

Marmorea hæc Ara, ſive Urna literis omnium elegantiſſimis, & optimæ formæ, ita a quadratario peritiſſimo inſcalptis, alta pedes IV. Romanos, lata pedes II. perſpicue oſtendit hoc Monumentum, ſive Columbarium ex ære collato Libertorum, ac Servorum Liviæ Auguſtæ, & Cæſarum conſtructum, vel emtum fuiſſe, ut ſupra diximus pag. 62. §. XIV. namque ex decreto Sociorum, Annio Vero III. & Eggio Ambibulo Conſulibus, de quibus paullo infra, locus ſepulturæ conceditur M. Ulpio Menophilo Trajani Auguſti Imperatoris Liberto, Adjutori Procurationis, vel Procuratorum ab Ornamentis, qui vixit annos trigintaquinque, & menſes quinque. Huic memoriam Aramque poſuerunt, atque in ea cineres condiderunt primum pater P. Ælius Menophilus, Hadriani Imperatoris Auguſti Libertus, deinde Caminia Fortunata, filii morte mater infeliciſſima, & Paſſerilla ejuſdem conjux pientiſſima.

ADIVTORI PROC AB. ORNAMENTIS. ἐπὶ τῶν κόσμων. S.

In quodam lapide Gruterianæ Gazæ legitur; OPTATVS AVG. L. ADIVTOR. PROCVRATIONIS ORNAMENTORVM. qui cum aliis Conlibertis memoriam ponit Servato Cæſaris Servo Contraſcriptori rationis ſummi Choragii. Varia erant Cæſarum ornamenta, quæ Servi, ac Liberti procurabant; quæ vel ad cultum ornatumque corporis in Ludis, in Triumphis, in Venationibus, quibus deditiſſimus fuit Trajanus, ſpectabant; de quibus fuſius præſtantiſſimus vir Julius Cæſar Bulengerus de Imperatore. Supra dedimus pag. 142. n. CIII. Irenionem AB. ORNA*mentis*, & Felicem C. Cæſaris AB. ORNAM*entis*.

Quantum ornamentis ſtuduerit Caligula luculenter narrat Suetonius in ejus vita c. 52. Plinius eumdem calceis gemmas inſeruiſſe tradit Lib. XXXIII. c. 3. quod etiam Helagabalus factitavit, & Diocletianus id eſſe inſtituit inter cetera inſignia principatus. Vide Lampridium in Vita Helagabali, & Alexandri Severi, & Eutropium Lib. IX.

EX. DECRETV. Ideſt, *ex Decreto*. Frequenter V & O alternant. Ita in Gruterianis legitur IN AGRV. P. XV. pro IN. AGRO. pag. DCCLV. 3. DOMV pro DOMO. p. DLXVI. 9. VNV LOCV pro VNO LOCO. p. DCCCXL. 1. neque tantum in fine vocis; verum & in prima, vel media ſyllaba; ut NVMENCLATOR pro NOMENCLATOR. p. DCXXX. 5. NATIONE PANNVNIVS, pro PANNONIVS. p. DXLVIII. 3. & in ſequenti, quæ nunc primum in lucem prodit ex Muſeo Victorio Romæ, MVNIMENTV pro MONIMENTVM legitur.


D. M. S.
CANINIA. ANTIOCHIS. HOC. MV
NIMENTV. SE. VIVA. FECIT. SIBI. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTE
RISQVE. EORVM. HOC. MVNIMENTV. VE
TO. VENIRI. NEQVE. DONARI. QVOT. SI


Præterea inſignis, ac ſingularis eſt hæc Ara perſpicua Conſulum nomenclatura, quorum nomina Caſſiodorus, Capitolinus, Panvinius, Leunclavius, Petavius, Ricciolius, quot quantique viri, depravarunt; nullo eo tempore edito antiquo lapide, in quo hoc Conſulum par propriis veriſque ſuis nominibus ſcriberetur. Nam alter Conſul Ambibulus depravate a Caſſiodoro vocatus *Ambiguus*, & corrupte apud Capitolinum *Bibulus*, geminatoque errore Panvinio dictus *Ambiguus Bibulus*, & ex uno, duo Conſules facti, aliiſque obtruſis in eorum collegio. Vera nomina primus aperuit, auſpice vetuſtæ Inſcriptionis fragmento, numquam ſatis laudatus Henricus Noris in Epiſtola Conſulari; veramque Conſulum *Veri*, & *Ambibuli* lectionem confirmavit pluribus aliis monumentis Fabrettus Inſcr. Antiq. Cap. VI. pag. 446. & 447. In allatis monumentis ab Noriſio, & a Fabretto ſemper legitur VERO III. ET. AMBIBVLO COS; in hoc vero, cui raritatis prærogativa accedit, additur etiam nomen Gentis *Anniæ*, & *Eggiæ* utriuſque Conſulis, quod hactenus latuit. Eadem gentilitia nomina leguntur in ſequenti lateris fragmento, magnitudinis unius Romani pedis ultra dimidium, quod exſtat in Muſeo D. Equitis Franciſci Victorii Romæ, repertumque eſt

anno MDCCXXVI. quod scitu curiosum est, pæne in primordiis detectionis hujus Columbarii, casu quodam, prope Ostia, in Vinea D. Marchionis Sacchetti, non longe a Tiberis ripa.



In interiori orbe legitur; .... VOF ...... VERO III. E EGGIO, omisso AMBIBVLO cognomine, in medio COS. In extimo orbe TITVTI N SENT SATRINA BEVRI Figlinæ antiquæ notæ. In his præsertim lateribus, ut in allato, sæpissime literarum monogrammata occurrunt, & verba non integra, sed trunca, ut in sequentibus, quæ in parergon afferimus, exstantque in prælaudato Museo Victorio, ac nuper reperta sunt inter rudera Neronianæ Domus.





In rotundo orbe L. VALERI SEVERI I V. Q. F

CN. DOMITI. APRILIS ICRE. IANVARI EXECDE

Sequitur Inscriptio Aræ marmoreæ dicatæ *Diis Manibus Juliæ Sedatæ Decurionis Contubernalis C. Julii Bathylli Immunis*, quæ prope Sepulcrum ejusdem C. Julii Bathylli conjugis posita erat, ut in Tab. II. Ichnographica lit. AA; sed humi jacens inventa; alt. p. II. supra dimidium, lat. p. I. s. d.

CCXCVIII.

D I S. MANIB
IVLIAE. SEDATAE
DEC
CONTVBERN
C. IVLI. BATHYLLI
IMMVNIS

CONTVBERN. Contubernales proprie sunt Servi, ut ostendit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. IV. pag. 317. Verum non solum Liberti, sed etiam ingenui, & conjuges invicem *contubernales* se appellant; ut in sexcentis antiquis inscriptionibus. Dubitare non sinit quadratus inscriptus lapis apud Gruterum DLXXXIX. 7. in quo legitur, FELIX. AVG. ADIVT. TABVL. A. RAT. QVI. SORTITVS. IN CONTVBERN SVO. ARRIAM. RVFINAM QVAE FVIT VXOR EIVS*Dem*, &c. C. Cæsar Caligula reversus ex Syriaca expeditione, *primum in matris, denique ea relegata, in Liviæ Augustæ proaviæ suæ* CONTVBERNIO *mansit, quam defunctam prætextatus etiam pro rostris laudavit*, ut Tranquillus narrat in ejusdem vita c. 9. Idem de Vespasiano hæc scribit c. 3. *Post uxoris excessum, Cænidem Antoniæ Libertam adamavit, dilectam quondam sibi revocavit in* CONTVBERNIVM; *habuitque etiam Imperator pæne justæ uxoris loco*.

CCXCIX.

DIS. MANIBVS. SAC
CALAMVS
TI. CLAVDII. CAESARIS
AVGVSTI. GERMANICI
PAMPHILI'ANVS
VILICVS. EX. HORREIS
LOLLI'ANIS
EX. D. D. D. S.D D

Locus hujus Aræ, altæ Romanos pedes III. latæ II. in honorem Calami Pamphiliani, Tiberii Claudii Cæsaris Augusti Germanici Vilici ex Horreis Lollianis, cernitur in Tab. II. lit. Y in qua hujus Monumenti sive Columbarii Ichnographia accurate describitur; eoque modo, ut Sarcophagi, Aræ, atque Urnæ circumquaque dispositæ, in prima Monumenti detectione observatæ sunt.

DIS. MANIBVS. SAC. Idest; SACRVM. Virgilius in annuo Anchisæ funere Æneid. Lib. V. v. 47.

Ex quo relliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mæstasque SACRAVIMVS ARAS.

TI. CLAVDII. CAESARIS. AVGVSTI. GERMANICI. Tiberius Claudius Nero Germanicus, Drusi Germanici, & Antoniæ filius, Liviæ nepos; quam immortalitati, ut diximus, asseruit.

VILICVS. EX. HORREIS LOLLIANIS. Vilicis tota rei rusticæ cura a Domino committebatur. Vilicus qualis sit eligendus, peritus rerum rusticarum, docet Columella Lib. I. In vetustis monumentis *Subvilici* quoque recensentur. Vilici officium non semper rusticum fuisse, sed aliquando urbana quoque munera comprehendisse vult Salmasius in Lampridium; cui adstipulatur Fabrettus, qui Cap. I. Inscr. Ant. p. 3. n. 13. Cæsarianum exhibet Hyacinthum *Vilicum* Amphitheatri. In Evangelio *Vilicus* dicitur ὁ οἰκονόμος.

Horrea tum urbana cum suburbana fuere, eaque pensilia in editiore parte constituta, & subterranea, de quibus Thomas Dempsterus in Paral. ad Rosini Antiquitat. Rom. XXXVIII. Horreum quale esse debeat, & quo in loco constitui, vel in Urbe, vel in Villis, liquet ex Palladio, Columella, & ex Pliniana descript. Villæ Laurentinæ Lib. II. Epist. XVII. & ex Vitruvio Lib. VI. c. 9. In qualibet regione Urbis plura Horrea condita erant, eorumque numerum colligit Panvinius, aitque fuisse CCCXXVII. In his annonam, & frumentum asservatum docet vetusta tabula in Horreis Palatinis inventa, quam prælaudatus Panvinius affert in Descriptione Regionis X. In Horreis quoque & Insulis pretiosissimam plerumque partem fortunarum suarum homines opulenti reposuere, ut observat Pignorius de Servis pag. 244. & ad eorum custodiam Servos posuere; quæ Horrea a dominis suo nomine nuncupabantur, ut supra observavimus, a Petronio Horrea Petroniana num. CXC. pag. 187 & in hac Ara ab Lollio Horrea Lolliana, quorum fit mentio, in eo Libro qui inscriptus est *Fragmenta Vestigii veteris Romæ*, Tab. I. pag. 6. quæ Joh. Petrus Bellorius illustravit.

Sæpe etiam Numinum tutelæ Horrea commendata, & dicata, ut *Genio Conservatori*, & *Fortunæ Conservatrici Horreorum Galbianorum*, ut docet Tabula Gruteriana p. LXXV. I. 2. CIX. 7. & Ara ornata urceolo, ac patera, reperta anno MDCC. in Vinea Palatiesca Romæ, prope Viam Portuensem, & Tiberis ripam, quam edidit Cl. V. Vignolius in Inscr. Sel. pag. 314. in qua Magistri Primi Horreum dedicant Fortunæ.

Supplem. Tom. III.

Fuit quoque Romæ in Regione XII. Fons Lollianus a Lollio denominatus, de quo mentio exstat in veteri hac Inscriptione, quam ibidem protulit Panvinius, & integram Gruterus CLXXX. I.

APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO. COS
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS &c.

Qui curam habebant sive Suburbanorum, sive Urbanorum, sive Militarium Horreorum, sive in his operam suam locabant, HORREARII vocabantur; ut in Digestis, & in vetustis lapidibus apud Reinesium Cl. XI. n. 87. apud Fabrettum pag. 643. n. 371. & pag. 692. n. 133. ubi in ara quadam legitur;

SILVANO
SACR
ANTEROS. CAES
HORREARIVS
CHORTIS. III
D. D. A. L. *dono dedit animo libens*

Singularia quæ in fine Inscriptionis leguntur EX D. D. D. S. D. D. forte interpretanda; *Ex Decreto Decurionum Sepulcrum Dono Datum*, vel *ex Decreto Decurionum Sociorum Dono Datum*. &c.

In Tab. XVI. lit. B cernitur marmorea Ara, sive Cippus altitudine colligens pedes Romanos III. latitudine vero pedes item Romanos circiter II. positus *C. Cosconio Commodiano*, cujus locus videndus est in Tab. II. lit. V; nam ut supra diximus pag. 7. constitutus erat ante Sarcophagum delineatum Tab. XVI. lit. B. atque ita inscriptus.

CCC.

C. COSCONIO
COMMODIANO
C ♂ P

C. COSCONIVS. Cosconia Familia jamdudum nota ex Gruterianis Inscriptionibus. Prænomen C. idest *Cajus* quandoque scriptum non consueta sigla C, sed integra voce CAIVS, vel GAIVS, ut in Florentina Tabula Musei Suburbani Strozii pag. 395. n. 167. in qua scriptum D. M. GLYCERO. V. A. IIII. GAIVS. IVLIVS. EVTIGHVS. Interdum etiam alia prænomina integra scriptura expressa, ut in hac eleganti Urna marmorea, operculo clausa, & belle striata Florentiæ in Hortis Mediceis, vulgo *Boboli*; cujus Inscriptio inedita est; neque inter Florentinas descripta; paucis enim ab hinc diebus e latebris emersit, curavique ut conspicuo in loco poneretur. In hac igitur TITVS pro T. ut in sexcentis aliis, sculptum conspicitur.

D . M

TITO AELIO MONTANO AVG
LIB OPTIONI TABELLARI
ORVM OFFICI RATIO AAIVI
QVI VIXIT ANNIS. LV. MEN
SIBVS. III. DIEBVS III

AVG. LIB. OPTIONI. Ideſt; *Auguſti Liberto Optioni*; optato ſcilicet adjutori, & adminiſtro Tabellariorum Officii Rationalium; ita enim exprimi in marmore mihi videtur; non vero RATIONVM. nam marmorarius ſpatiis excluſus iniquis perſpicue in fine id exprimere non potuit. In Gruteriano lapide pag. XI. 5. legitur SEMNVS AVGG. N N I. *Auguſtorum Noſtrorum*. LIB. OPTIO TABELLARIORVM STATIONIS MARMORVM. Videndus de his Gutherius De Officiis Domus Auguſtæ Lib. III. Cap. XIX. pag. 586.

C Ɔ P. Ideſt, *Cippus poſitus*; vel *Conliberto*, vel *Collegæ poſuerunt*. Conſtat enim vetuſtorum lapidum auctoritate utroque modo Libertos appellari. Apud Fabrettum pag. 210. n. 528. legitur ET FAVSTVS COLLEGA EIVS FECERVNT. Diſerte hanc meam interpretationem confirmare videtur perelegans Tabula, quam ſubjicio, quæ nondum literatorum oculis patuit, & exſtat in Muſeo Cl. Viri Johannis Baptiſtæ Comitis Caſotti, Eccleſiæ Imprunetanæ Præpoſiti, de Republica Literaria, præclaris ingenii laboribus, optime meriti.

D . M
FELICISSIMVS.
AVG. LIB. MYRONI
COLLIBERTO. ET
COLLEGE. BENE
MERENTI. FECIT

CCCI.

TI. CLAVDI FIRMI

Tiberii Claudii Firmi nomen ſcriptum fuit in marmorea baſi, ſupra quam virilis pedis fragmentum; ut cernitur in Tab. XII. lit. E, arguitque ſtatuam in ejus honorem, & ob egregia in ceteros Libertos merita poſitam fuiſſe. Inter quamplures Libertos Domus Auguſtæ diſerte meminit ejuſdem Tiberii Claudi Firmi marmorea baſis fracta, penes Gruterum CI. 5. *Effigies hominum*, ut ait Plinius Lib. XXXIV. C. 4. *non ſolebant exprimi niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium*; & paullo poſt: *Excepta deinde res eſt a toto orbe terrarum humaniſſima ambitione. Et jam omnium municipiorum, & fori ſtatuæ ornamentum eſſe cœpere: prorogarique memoria hominum, & honores legendi ævo*, ET BASIBVS INSCRIBI, *ne in ſepulcris tantum legerentur. Mox in foro, & in domibus privatis factum, atque in atriis. Honos clientum inſtituit ſic colere patronos*. Igitur Statuæ honoris, & cultus cauſa, primum Diis poſitæ, omnique cultu dicatæ; deinde a Diis ad homines virtute præſtantes tranſductæ, poſtea vero tali honore affecti & ipſi Liberti. Dum hæc ſcribimus erutum Romæ eſt in Suburbano Nobilium DD. e Caſalibus marmoreum pulcherrimum Simulacrum Liberi Patris, hedera coronati, dextra cantharum tenentis; altum Romanos palmos circiter quatuor, cui pone dextrum pedem adſtat tigris, ſive panthera Baccho amica, & ad lævum latus Satyrus ſupra ſaxum ſedens, elata dextra excepturus pendentes uvas e ſiniſtra Bacchi manu. Baſis itidem hujus ſimulacri inſcripta hac eleganti, atque inedita epigraphe;

M. AVRELIVS. SVCCESSVS. AVG
LIB. A. CVRA. AMICOR. QQ. ET
POMPONIA. VICTORINA. MAT
COLL. LIBERI. PATRIS. D. D

Ideſt; *M. Aurelius Succeſſus Auguſti Libertus a Cura Amicorum, Quinquennalis, & Pomponia Victorina Mater Collegio Liberi Patris dono dedere*, vel *dederunt dicarunt*. Duo notatu digna occurrunt in hoc lapide, officium M. Aurelii Succeſſi, M. Aurelii Antonini Imperatoris Auguſti Liberti, A CVRA AMICORVM; & mentio Collegii Liberi Patris, cui etiam Statua donata, ac dedicata eſt. Primum explicat Pignorius de Servis pag. 211. 213. atque in aula Palatina fuiſſe Libertos, qui curam gererent amicorum Principis; vel novos amicos conquirerent. Auguſtus, ut ex Suetonio colligitur in ejus vita c. 66. rarus quidem ad ſuſcipiendas amicitias, ad retinendas conſtantiſſimus fuit. Agrippam & Mæcenatem ſibi familiariſſimos maxime coluit, & valde dilexit. Virtutis moderationiſque fama, Indos etiam, ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani ultro per legatos petendam; quemadmodum memoriæ proditum ab eodem Suetonio c. 21. qui etiam c. 101. ait viginti annorum ſpatio quatuor decies millies H-S ex teſtamentis amicorum percepiſſe; & amicos admiſſos, quum jam animam ageret, blande percunctatum fuiſſe, c. 99.

Collegii vero Liberi Patris nulla fit mentio in Gruterianis, & Reineſianis Inſcriptionibus. In eximio lapide, qui Romæ erutus eſt ex ruinis Velabri, die XI. Decembris MDCLIX. altitudine palmorum duorum & 3. v. latitudine item duorum & dim. Liber Pater dicitur ADSTATOR ET CONSERVATOR COLLEGII VELABRENSIVM; quem oculatiſſimus, & eruditiſſimus Vir Leonardus Auguſtinius Senenſis, qui ſummi Pontificis juſſu ibidem præfuit, accurate deſcriptum dedit Carolo Strozio Senatori Florentino, venerandæ Antiquitatis indagatori, & inſtauratori præſtantiſſimo; quem lapidem quia in nonnullis locis diverſa lectione ediderunt Sponius in Miſcellaneis pag. 27. & Fabrettus Inſcr. Ant. p. 164. n. 297. alibi vulgabimus.

Addita ſunt in Tabulis XVIII. & XIX. tria Signa Figlinarum, quorum primum Tab. XVIII. lit. D inſigne eſt conſulatu *Serviani III. & Vari*: obſignatumque eſt his literis.

CCCII.

In interiori orbe SERVIANO III ET VARO

In medio Catuli caput, collo torque ornato, Figlinæ nota. COS

In extimo orbe EX FIG Q AMOD CNIN FORTVNÆ

A Tullius Servilius Servianus tertium, & C. Vibius Juventius Varus Consules fuere Imperatore Hadriano Augusto, Anno U. 887. Christi Domini 134. Plures laterculos his Consulibus notatos protulit Fabrettus Inscr. Ant. Cap. VII. pag. 509. n. 144. 145. 146. & De Columna Trajani Cap. VII. pag. 197.

Ex quibus, & ex nostro, qui e diversa ab aliis Figlina prodiit, certum est cum Serviano III. Consulem fuisse VARVM, non VERVM juxta Panvinium in Commentariis ad Fastos Lib. II. ad A. U. 886. In Florentino latere solum Serviani nomen tertium Consulis notatum est pag. 313. n. 56.

B Hic laterculus cum altero sequenti in eadem Tabula lit. E mensuræ duorum antiquorum Romanorum pedum adamussim respondet. Inventi sunt in hoc monumento Libertorum, ac Servorum LIVIAE AVGVSTAE, qui planitiem efformabant sub pavimento musivo opere exornato, exstantque Romæ in Museo Nobilium DD. e Victoriis.

CCCIII.

OPVS DOLIARE EX PREDIS D N

Legendum EX PRAEDIIS D.N. i. *Domini Nostri*, scilicet Augusti. Nota Figlinæ *Leo currens*; ut in alio, qui conspicitur in Tab. XIX. lit. C. qui ab eadem Figlina obsignatus videtur, sed diversa epigraphe, nec additis Consulum paribus.

CCCIV.

OP. DOLIARE. EX. PRAED. AVG. N

Idest; *Opus Doliare ex Prædiis Augusti nostri*. In intimo orbiculo *Leo currens*. Hic quoque laterculus in hoc Monumento repertus.

APPENDIX.

C Hisce diebus, auspice Clariss. V. Petro Andrea Andreinio, semper summa cum laude a me commemorando, quum evolverem Collectanea Antiquarum Inscriptionum, quæ fere ad sex millia, ut ipse ait, collegit celeberrimus, & eruditissimus Johannes Baptista Donius, Patricius Florentinus; itemque singillatim præclara quamplura ejus Opera hactenus inedita animadverterem, quæ quantum in nobis erit, conabimur ut in lucem prodeant, opportune ad manus venit sequens antiqua Tabula Antiquariis incognita, quam Donius sub Classe Collegiorum, & Sodalitatum posuit, descripsitque ex Schedis Manutianis Bibliothecæ Vaticanæ, quæ exstare notabatur in Bibliotheca Cardinalis Carpensis. Hic igitur pro hujus Opusculi coronide subjicimus, quod plures referat Libertos Juliæ Gentis, ac Domus Augustæ DECVRIONES, inter quos Actium HONORATVM, item alios plures IMMVNES, cujus Immunitatis Libertis datæ exempla sæpius anquisivimus.

ALEXANDER VRBANVS. IONICVS. ZOSIMVS. CAESAR
C. OCTAVIVS AVG. L. HELEN. C. IVLIVS ZOSIMVS
IMMVN. MVLIER.
METROBI. IVLIA.
ANTONIA. ARESCVSA. IVLIA. PROTI. CAESAR. LARGIAN. MIN.
EVCHE LACAENA. ARATHI IVLIA CALE CLAVDIA. MYSTA.
ANTONIA CHARIESSA. PRIMILLA SPIRONTIS L. AVG. L. CREVSA
SECVNDA. PANEROTIS. FORTVNATA PASICRATIS. SOPHE
LIVIA. GENICE. TYCHE IVCVNDI. HELLAS. DEXTRI
CLAVDIA. TERTVI MIN. ACTI. HON. IVLIA. HILARA. IVLIA. VENVSTA
DECVRIONES.
APRILIS. DAPHNI. TRA.... RIMVS. HILARI. F. HERACLA.
TI. CLAVDIVS. AVG. L. APOLLONIVS. TI. CLAVDIVS. AVG.... AGATHANGELVS
ALBANVS. PAEDEROT. S. FR. M. ANTONIVS. ALEXANDER. ATIMETVS. CAESARIS.
ANIA CAESARIS OP C CLAVDIVS M. LIVIVS. AMARANTHVS A M LIVIVS.
C IVLIVS ANICETVS IVLIANVS ACTIVS. TI. CLAVDIVS. ABASCANTVS. CAES
ATIMETVS. CAESA. IVLIVS. ALEXANDER

OCTAVII FERRARII

IN PATAVINA ACCADEMIA

Latinarum & Græcarum Litterarum olim Professoris

DISSERTATIO


DE BALNEIS.

JOANNI FABRICIO

IN ACCADEMIA JULIA DOCTORI, ET PROFESSORI EMERITO

JACOBUS FACCIOLATUS

S. D.



CUm tuæ Bibliothecæ volumen tertium, magna quadam eruditione doctrinaque redundans, superioribus diebus accepissem, statim cogitare cœpi, numquid ego tibi Libellorum, aut quid potissimum dare possem, unde animum beneficii memorem recognosceres. Nihil scilicet meum: quid enim a nobis esse potest tuo judicio dignum? Fortuna juvit hominem, suomet consilio, suisque viribus diffidentem. Fecit enim ut inciderem in duas Octavii Ferrarii Dissertationes ἀνεκδότους, alteram de Balneis, de Gladiatoribus alteram: quas ut vidi, & comparari posse cognovi, Belle habet, exclamavi, Fabricii nostri erunt. Omnia Ferrarius scripsit egregie: veruntamen quæ nunc mitto, sunt ejusmodi, ut, si non mole, sed pretio æstimentur, multis voluminibus paria sint. Quibusdam fortasse non probabitur, quod ponit de voce Phæninda, lusoriæ pilæ genere, quam ἀπὸ τῆς ἀφέσεως, id est, a jactu dictam putat. Quid enim simile, inquient, inter ἄφεσιν, & φαινίνδα? Atqui hoc ille ab Athenæo mutuatus est, qui ita prorsus habet in lib. 1. δειπν. c. 12. ἐκαλεῖτο δὲ φαινίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων. Notationem hanc falsam, putidam, & absurdam appellat Isaacus Casaubonus in suis Animadversionibus, nec sibi persuadere potest, ita fatuum fuisse Athenæum, ut hoc probabile crederet, aut ita inconsultum, ut in litteras referret. Itaque primum pro φαινίνδα reponit ἐφετίνδα, mutatque ἀφέσεως in φενακίσεως, non quod ita demum salva res sit, sed quia in tanta loci hujus depravatione multifariam divinandum putat, nihilque, inquit, tam alienum a ratione fingi potest, quod auctorem non invenerit. Ego vero, ut Ferrarium defendam, ne ipsi quidem Casaubono, tanto viro, parcendum existimo: præsertim vero cum una eademque opera Athenæi locus a mendi suspicione liberari possit, & adversus criticam variandi libidinem muniri. Igitur Athenæus cum dicit, φαινίνδα vocari ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων, id est a jactu eorum, qui pila ludunt, non etymon, literasque hujus vocis notat, sed tantummodo significationem & causam, unde ortum est nomen; quatenus is, qui ludit, jaciendo pilam, alii ostendit, alii mittit, ἑτέρῳ προδείξαντες, ἑτέρῳ ῥίπτουσιν, ut ait Pollux. Quia porro hic jactus continet exhibitionem, & deceptionem, hinc est ipsa litterarum ratio, ex quibus φαινίνδα, seu φενίνδα componitur, παρὰ τὸ φαίνειν, ostendere, vel φενακίζειν, decipere. Ita nihil alienum a vero proferret, si quis diceret, pugnam hoc modo appellari a manu, non quod ulla sit inter utriusque vocis literas similitudo, sed quia scilicet initio homines manu in pugnum contracta pugnare consueverunt, unde ipsum pugnæ nomen inventum est. Simile aliquid invenies apud Plinium hist. nat. lib. 19. cap. 4. Horti, inquit, maxime placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res & parata semper: unde & ACETARIA appellantur. Quem loquendi modum cum satis non percepisset Dalechampius, legere maluit ACEDARIA, quod, inquit, exiguam, vel nullam curam po-

scerent, *ex α, & χήδομαι. At vox ACETARIA omnium sæculorum, & codicum fide nititur, totaque illa Plinii sententia nihil nisi occasio significatur, unde oleribus novum hoc nomen quæsitum est: cujus quidem etymon profluit ab* aceto; *quo uno vetustissimi homines olera condiebant, & ex eo cruda sumebant, oleo, ignique parcentes. Vide, utrum nos homunciones Euripum hunc superaverimus, in quo non modo* Casaubonus, *sed præterea multi Casaubono pares (quis enim illo major?) naufragium fecerunt. Si plura de hac voce, ejusque varia scriptione quæres, habebis in* Hesychii, *&* Suidæ *lexicis, in Magno etymologico, apud* Eustachium *Odyss. fol.* 271. 315. apud Pollucem *lib. 9. c. 7. n.* 103. *ejusque interpretes tredecim ante annos Amstelædami editos. Verum cui hæc? Scilicet, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Neque tamen id otii abundantia facio, sed ut ipse quoque pro virili parte ejus viri memoriæ serviam, qui tantam sibi gratiam apud exteras quoque nationes suis litteris conciliavit. Vale. Patavio Non. Jan. MDCCXX.*

JOANNI FABRICIO
V. C.
JACOBUS FACCIOLATUS
S. P. D.



Unc demum incidi in singularem Meursii *libellum de Græcorum ludis, meæque ignaviæ valde succensui, quod, cum de* Phænninda *quatuor abhinc mensibus ad te scriberem, de hoc tam eleganti opere ne cogitarim quidem. Nimirum opinionem illam nostram Meursius prævertit: in quo partim lætor, quod testata, partim doleo, quod minime nova attulerim. Nosti me paucorum librorum hominem: ipsum autem tibi quam celerrime gratificandi desiderium fecit, ne bibliothecas excuterem. Neque tamen prorsus lusisse operam videor; siquidem, quod* Meursius *attigit, ego plenius explicavi. Non est id quidem in magna laude ponendum: at nobis, qui longo intervallo ab illo eruditionis fastigio distamus, ne minima quidem gloriolæ pars contemnenda est. Interim volui te de re tota, uti est, certiorem facere, ne mihi plagii dicam scriberes. Vale. Idib. Maii. MDCCXX.*

OCTAVII

OCTAVII FERRARII

DISSERTATIO

DE BALNEIS.



SI qua res alia Romanas opes, ac magnificentiam testari potest, Balneorum usus fuit, primo ob sanitatem, mox ad delicias & voluptatem institutus. Nam præterquam quod, ut *Galenus* sua tempora deplorat, omnes fere homines, omnisque ætas, & sexus quotidie lavabantur, quod tempore Hippocratis & antiquorum fere omnium, usque ad Pompeii, & Asclepiadis ætatem raro admodum usurpabatur, cum Publ. *Victor* ultra octingenta balnea Romæ fuisse scribat publica, & privata balnea ingenti sumptu, ac magnificentia, & pretiosis marmoribus, statuis, & peristyliis extruebantur. Sane *Seneca* ep. 86. scribit, pauperes, & sordidos ætate sua visos, nisi balneorum parietes magnis, & pretiosis orbibus refulsissent: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta fuissent: nisi vitro camera absconditа: nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo templo spectaculum, piscinas circumdaret: nisi aquam argentea epistomia effunderent. Et se loqui subjicit se plebeiis fistulis. *Quid*, inquit, *cum ad balnea libertinorum pervenero? Quantum statuarum, quantum columnarum nihil sustinentium! Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus*. Hæc Seneca. Etrusci balneum a *Martiale*, & *Statio* descriptum qui legerit, majorem magnificentiam & luxum concipere non poterit.

De balneis igitur pauca quædam allaturi ex multis, quæ *Baccius*, & *Mercurialis* scripserunt, primo, quare lavarentur homines, quæremus, quinam, & quomodo, tum loca ipsa, quæ res apud scriptores implicita est, expediemus. Primus, idemque simplicissimus finis, cujus gratia lavabantur (de sanis loquimur: ægrotantium enim, & valetudinariorum lavacra ad medicos pertinent) primus, inquam, balneorum usus fuit, ut quotidianas sordes eluerent, possentque mundi discumbere. Nam, ut recte monet *Mercurialis*, cum antiquitus linea vestimenta in usu non essent, aut saltem raro usurparentur, sed tantum lanea: necesse erat, ut multum pulveris, ac sudoris colligerent, sordesque contraherent, quæ balneis depellendæ fuerunt. Adjicite, quod cum neque tibialibus, neque braccis uterentur, brachia usque ad cubitum nuda essent, capite præterea intecto ambularent: quantum pulveris, & sordium contractum putatis? Huc accedit, quod totos ferme dies in gymnasiis, & palæstra versabantur: ubi sive exercerentur, saltu, lucta, cursu, pugillatu, pancratio, sudore, oleo, ac pulvere cooperiebantur, sive spectarent solum, ex eo loco mundi exire non poterant, & ideo lavacro opus erat. Præcipuus tamen finis fuit, quod cum in lectis ad cœnam discumberent, & quidem depositis calceis, nudisque pedibus, ne lectos fœdarent, & convivii munditiem, stragulam vestem, ipsosque convivas offenderent, quotidie sordes eluebant. *Artemidorus* l. 1. cap. 66. *Nunc vero alii non prius edunt, quam laverint; alii vero etiam accepto cibo lavantur*. i. e. jentaculo, inde videlicet sumpturi cœnam, *& est nunc balneum nihil aliud, quam via ad cibum*.

Paulatim deinde res in delicias versa est, & alii balneo quotidiano utebantur, ut exsiccatas ab exercitatione, vel solo, vel frigore corporis partes attemperarent: alii, quod non possent cibos capere, nisi loti, traditque *Plutarchus*, TITUM Imperat. hac de causa interiisse, ex relationibus eorum, qui ægrotanti ministrarunt. Sed magna pars hominum, qui invalidum ventriculum ad concoquendos cibos haberent, ejus corroborandi, & cibos conficiendi causa lavabantur. *Juvenalis*: *Crudum pavonem in balnea portas*. Ut non temere *Plinius* in medicos invectus sit, quod persuasissent balneis ardentibus cibos in corporibus coqui, a quibus nemo non minus validus exiret, obedientissimi vero efferrentur. *Seneca* epist. cit. tradit nobilissimos Ædiles hoc officio functos, intrandi loca, quæ populum receptabant, exigendique munditias, & utilem, ac salubrem temperaturam, non eam, quæ sua ætate inventa erat, similis incendio: adeo quidem, ut convictum in aliquo scelere servum, vivum lavare oporteret. Et paulo post: *Quod non in multa luce decoquebatur, & expectabat, ut in balneo concoqueret*. Has lavandi causas perstrinxit *Clemens* Alexandr. ut corpora mundarentur, ut tepefierent, ob sanitatem, ob voluptatem. Sane *Homerus* tradit, balnea, & lavacra non nisi ab otiosis & mollibus usurpata. Nam *Ulysses* in Odissea manus lavat ante pastum; at in Iliade nullus fecisse id dicitur. Quoniam in Odyssea otiosorum vita designatur. Quare, inquit ibi *Athenæus*, *balneis, & lotionibus indulgent, saltant, talisque & pila ludunt*. Omnes autem, ut diximus a *Galeno* deplorari, quotidie, & quidem toto corpore lavabantur, viri, mulieres, pueri, tanta quidem voluptate, ut quidam septies, & octies æstivo die lavarentur, quod de COMMODO, GORDIANO, & GALLIENO produnt scriptores Historiæ Augustæ, ut etiam aliqui ibidem cœnarent. Sed præcipue phonasci, præcones, citharœdi, tragœdi, cantores, quod vocem læsam, & exasperatam, aquarum dulcium humectatione curarent. Neque Ethnici modo, sed & Christiani quotidie lavabantur de more. *Tertullianus* Apol. cum prius dixisset, Christianos communis vitæ participes, nec sine macello, foro, ac balneis esse, subjicit, *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam: attamen lavor honesta hora, & salubri, quæ mihi & calorem, & sanguinem servet: rigere, & pallere post lavacrum mortuus possum*. Quæritur primo, an mulieres promiscue cum viris lavarentur. Apud Lacedæmonios hoc in usu fuisse comperimus. Neque hoc mirum apud eam gentem, in qua puellæ, & quidem intactæ, non modo in gymnasio cum viris exercebantur, sed nudæ cum nudis juvenibus palam sub dio luctabantur. De quo a-

lias dictum ex sententia *Platonis* in 1. de rep. qui gravissimis argumentis probare contendit, *ad felicem rerum pub. statum conducere, si mulieres, tam juvenes, quam seniores, una cum viris nudæ in palæstris, atque gymnasiis exercerentur*.

Imo apud *Homerum* fœminæ, etiam virgines, hospites suos lavant. Sic Ulyssem Nausicaa: eumque morem priscum tradit *Athenæus* l. 1. pag. 10. *Cocali gnatæ, ut erat consuetum, Minoem, qui in Siciliam trajecerat, lavant*. Cujus rei causam idem *Athenæus* ad rectam vitæ institutionem refert: quod boni illi mortales temperantes, ac frugi, minime cupiditati, & carnis titillationibus essent obnoxii, atque ita a puellis tenera manu contrectati, tantum commoverentur, quantum, si mater, aut anus ancilla, calentes aquas per eorum corpora deduceret.

Extra Spartam separatas mulierum balneas fuisse, credi par est. Nam *Hesiodus* in fine 2. operum, & balnei muliebris mentionem facit: ubi etiam apud Græcos fœminarum lavationes distinctas fuisse apparet, non modo propter honestatem, sed etiam propter alia, quæ non attinet recensere: ne, si viri omnia in fœminis perlustrarent, minus fœminas amarent. Sed successu temporis hunc fœdissimum morem promiscue lavandi Græcos a Romanis accepisse, conqueritur *Plutarchus* in Catone. Quod, licet vix credibile videatur, non pauca sunt, quæ convincant. Quamvis enim *Varro* l. 2. de analogia tradat, in balneo conjuncta fuisse ædificia bina, unum, ubi viri, alterum, ubi mulieres lavarentur, verbaque Gracchi apud Gellium legantur: *Cum Theanum Cosvenisset, uxorem dixit in balneis virilibus velle lavari, quæstori datum est negotium, ut a balneis exigerentur, qui lavabantur*: subjicit: Pudor non patiebatur utrumque sexum simul lavari sed commoditas conjungi desiderabat. Et *Cicero* de offic. dicat, olim puberes cum parentibus, generos cum soceris lavari solitos non esse, multo minus mulieres cum viris: hæc nihil aliud indicant, quam quod ætate Gracchi, Varronis, & Ciceronis tam pravus mos nondum incesserat; nihilominus inferiori, quo fœminas promiscuis balneis usas, sacri, & profani scriptores testantur, & detestantur.

Ovidius, nequitiæ doctor, in 3. de Arte loca, & occasiones, quibus puellæ custodes falli possent, demonstrans, inter cætera ait: *Cum custode foris tunicam servante puellæ, celent furtivos balnea multa jocos*. *Juvenalis* in illa divina satyr. 6. contra nequiorem sexum describit Matronas, quæ magno tumultu balneas nocte petebant, & in iis exercebantur, ut viri, & a viris ungebantur, ut cristæ digitos imprimeret aliptes, & summum dominæ femur plausu manus resonare cogeret. *Plinius* l. 29. cap. 1. ubi in balnea, & palæstram declamitat: *Illa perdidere Imperii mores. Jam pilorum eviratio instituta resinis eorum; Itemque pectines in fœminis publicati. Ita est profecto lues morum*. *Martialis* etiam non semel hujus licentiæ meminit. Lib. 11. epist 48. quærit, cur quidam Blattera balnea dilecta fœminis vitaret? Causam afferre pudor vetat. Et epist. 76. narrat quandam Cæliam, quæ, cum promiscue lavaretur, nihilominus adducebat servum, qui ahenea theca virorum partes tectas gestabat. Ridet hoc salse vates Hispanus. Et quare inquit hoc? cum non sit citharœdus, aut choraules; quia nempe id genus hominum, ut voci parcerent, fibulati eas partes incederent. Poterat respondere Cælia, se pudoris caussa id facere, & ne oculos turpi spectaculo violaret. Sed acute excipit poeta. Quare cum popu- A llo lavaris ergo? Omnes an tibi nos sumus spadones? Latebat igitur alia causa, in quam lusit lib. VII. epist. 34. Ait enim, quoties calidis aquis tota foveretur hæc matrona, stetisse servum succinctum nigra aluta; & nihilominus, inquit, meus servus *judæum nulla sub cute pondus habet*, id est, meus servus non gestat fibulam, quam appellat *judæum pondus*: quia Judæi circumcisi, ne pro Judæis deprehenderentur, qui tunc erant infames, partem corporis, quam circumcidebant, fibula tectam gestabant. Quo spectat alter jocus ejusdem libr. 7. in quendam Menophilum, qui cum grandi fibula in balneis id, quo homines sunt, ve- B stiret, credidit poeta, hoc illum facere, quod esset cantor, & ideo voci parceret. Verum accidit, ut dum exerceretur in palæstra, delaberetur ipsi fibula, & judæus appareret. *Delapsa est misero fibula; verpus erat*. Utebatur enim fibula ad velandam περιτομήν: unde & Judæi Verpi. *Juven. Monstratum ad fontem solos deducere verpos*.

Usus igitur fibulæ apud veteres erat, (ut vestiariam omittam) ut cantores, & quicumque voce placebant, a Venere arcerentur, quæ asperare, & infuscare vocem creditur, eaque fibula nihil a- C liud fuit, ut *Britannicus* ad Juvenalem, quam anulus æreus, aut argenteus, quo cuticula trajiciebatur, partem eam operiens, quam exerceri nolebant: quales etiam hodie apud Turcarum sacerdotes in usu sunt: non quidem, ut falso creditum quibusdam, totum veretrum trajicientes, sed tantum cutem superiorem. Hoc modo etiam pueri custodiebantur, ne flos ætatis in virilitatem præceps exolesceret. Quod tradit *Plinius*, pædagogia in transitu pueritiæ argento custodita, id est fibula argentea. Hinc Matronæ Romanæ summopere concubitum tragœdorum, & comœdorum appetebant, ac magno pretio redimebant. *Solvitur his* D *magno comœdi fibula, Sunt, quæ Chrysogonum cantare vetent*. Nam cum isti majori mercede gratificarentur matronis, quam canerent, patiebantur se refibulari, etsi vox deterior fieret.

Martialis tamen videtur fibulam non anulum, sed thecam, & vaginam intellexisse, locis jam allatis, ubi thecam & alutam appellat. Id tamen improprie. Nam illa theca, & aluta, sive vagina ex corio, potius subligaculum fuit, quam fibula. Quod subligaculum erat in usu, non ad custodiendam vocem: qui enim fieri poterat, si facile removebatur, & cadebat? contra fibula a fabro igne conglutinabatur, & cum opus erat ab eodem sol- E vebatur, sive refibulabatur. Erat igitur illa theca non fibula, sed fibulæ integumentum, ne fibulati apparerent, itemque adhibebatur aut honestatis causa, aut a Judæis ad velandam circumcisionem. Nam in Judæis nullus fibulæ locus, qui cutem, quæ fibula in aliis trajiciebatur, circumcidebant, & ideo illa theca, sive vagina facile Menophilo delapsa est.

Præter profanos scriptores, ut ad balnea redeamus, etiam *Clemens* Alexandr 3. Pæd. non modo fœminas in usu habuisse communes viris balneas testatur, sed omni pudore deposito, externis quibusque libidinis gratia sese nudas in ipsis spectan- F das præbuisse conqueritur. *Cyprianus* in lib. de hab. Virginum. *Quid vero quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis pudori, ac pudicitiæ dicata corpora prostituunt: quæ viros, & a viris nudæ vident turpiter, ac videntur*? Nisi cum viris doctis credere malimus, quod pudori Romano consentaneum est, non omnes, sed procaciores tantum, & decocti pudoris balneas promiscuas frequentasse. Sed cum hunc fœdissimum morem promi-

scuarum balnearum sustulisse Trajanus dicatur a *Xiphilino* in Adriano, hancque impudicitiam castigasse ADRIANUS, quem scribit idem viros discretos a fœminis lavari voluisse: sicut & M. AURELIUM balnea promiscua sustulisse, eademque ab HELIOGABALO revocata, iterum ab ALEXANDRO SEVERO vetita tradant *Capitol.* & *Lampridius*, lege etiam lata, ut mulieres a promiscuis balneis abstinerent, nec commune lavacrum cum viris libidinis causa intrarent, sub repudii, & dotis amissionis pœna, satis excusare non possumus, aut negare, Romanas mulieres communiter cum viris balneis usas esse.

A

Spreta enim lex ALEXANDRI, aut certe parum observata: adeo quidem, ut & Christiani veteres eumdem morem usurparent, licet in Clementis Constitutionibus caveatur diserte, ut viri balneis virilibus, mulieres fœmineis utantur, l. 1. cap. 6. & 9. Sed, ut notat *Casaub.* ad Spartianum, vicit morbus publicus medicinam. Sero tamen synodalibus decretis mos tam obscœnus de vita est sublatus. Decretis, inquam, non decreto. Nam sanctissimorum Patrum auctoritas diu est neglecta. *Concilii Laodic.* Can. 30. vetantur viri una cum mulieribus lavari. Quid profuit? Adeo enim mos ille per hunc canonem extinctus non est, ut etiam e Clero, & Monachorum ordine multi post Concilium illud promiscue cum fœminis lavarentur. Synodi in Trullo Can. 77. Ubi *Balsamo*, ut videtur, inquit, ante hanc Synodum Sacerdotes, & Monachi quidam & laici cum mulieribus lavabantur. JUSTINIANUS Novel. 117. inter legitimas divortii causas & istam recenset: si mulier, non impetrata a marito venia, cum viris lavisset.

B

C

Quod ad hanc rem pertinet, *Theodoricus* Gothorum Rex in epistola apud Cassiodorum, qua architecto mandat, ut balneum Aponense instauret, de eodem balneo duo miracula plane stupenda affert. Sed ut ipsum quoque lavacrum, inquit, mundius redderetur, stupenda quadam continentiæ disciplina, in undam, qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur, propterea, quod ipsis altera exhibitio decora collata est. De quo aliqui interpretantur illud *Martialis*: *Non fontes Aponi rudes puellis*. Quod scilicet puellæ metu incendii non descenderent. Sed non loquitur de omnibus mulieribus. Rectius ergo est intelligere de Patavinarum puellarum decantata scriptoribus admirabili pudicitia. *Martialis*: *Uda puella leges, sis Patavina licet*. Quod scil. non lavarentur ibi puellæ.

D

E

Alterum non minus miraculum est. Quod si quis, inquit, pecus furatum pilis nativis spoliare solito more præsumpserit, undis ardentibus frequenter immersum, ut antea decoquat, quam emundare prævaleat. Quasi fons ille furis negantis perfidiam redarguat.

Pueri etiam publice lavabantur, in quo non minor inverecundia fuit, ingenua epheborum corpora omnium oculis prostituendi. Hi tamen usque ad 15. annum nihil pro balneo solvebant. *Juvenalis*: *Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur*. Ubi æs sumitur pro quadrante, quem pro mercede viri balneatori solvebant: & ob id balneum rem quadrantariam vocat *Seneca*. *Horatius*: *Dum tu quadrante lavatum Rex ibis*. *Mercurialis* in Gymnast. tradit, Martialem conqueri, quod pluris sibi balnea constarent, l. 10. *Balnea post decimam lasso, centumque petuntur Quadrantes*, vultque C. illos quadrantes impensos balneo, vel ob diuturniorem moram, vel ob aliam causam. Sed fallitur. Quis enim nescit, C. ibi quadrantes sportulam fuisse, quam loco cœnæ a potentioribus præbitam clientibus, notum est. Quia igitur post balneas cœnabant, ait *Martialis*, lasso sibi, postquam decima, vel serius hora in balneis fuisset, petitos a patrono C. quadrantes, unde cœnaret.

F

Sed utrum mulieres, ut viri, quadrantem pro balneo solverent, non ita certum est. *Juvenalis* negat Sat. 6. ubi invehitur in Matronas, quæ plus doctæ videri volebant, quam deceret probas. *Relinquant hæc viris, liceatque marito fecisse solœcismum*. Nam, si cupit videri docta nimis, & nimis facunda, reliqua etiam munia virorum exerceat. *Crure tenus medio tunicas succingere debet: Cædere Silvano porcum, quadrante lavari*. Viri siquidem tunicas ad medium crus pertinentes gestabant, fœminæ talares. Viri Silvano sacrificabant, cui sacro mulierem interesse nefas. Tandem viri quadrante lavabantur, non ergo mulieres. Et tamen easdem mercedem balneatori solvisse, indicare videtur *Cicero* pro Cælio. *Nisi forte mulier potens, quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori*. Scio, quemadmodum hunc locum Tullii explicaverint viri docti, præcipue *Manutius*, quod nempe Clodia pro quadrante corporis sui copiam balneatori faceret. Sed ut lascivia perdita fuerit, omnique probro respersa, & in mediastini, ac balneatoris amplexus ruerit; id tamen fecisse ad redimendum quadrantem, potentem alioqui & auri largam in amatores, nemo sanus crediderit. Quid ergo? Quadrantariam Clodiam ex *Plutarcho* novimus, quod ex ejus amatoribus quidam perfacetus quadrantes pro argenteis in loculos miserat. Hæc igitur quadrantis mercede quadrantaria facta, & sic balneatori familiaris, quæstus, & mercimonii similitudine. Ille quadrantem a viris pro balneo exigebat; hæc quadrante merces suas permutabat: ille quadrantarius; hæc quadrantaria; & ex quæstus communione, mercedisque similitudine familiaritas. Altera interpretatio vix quadrante digna est, & ipsas balneas refrigerare potest.

Hora balneorum usque a temporibus Homeri observata est, antequam cibus sumeretur: ut plurimum tamen major pars liberorum hominum prius exercebatur, deinde balnea ingrediebantur, ut proxime discumberent, & cœnarent. Adnotavit *Galenus*, antiquos ferme post pilæ lusum lavari consuevisse. Quod innuit *Martialis* lib. 14. epist. 163. *Redde pilam, sonat æs thermarum; ludere pergis? Virgine vis sola solus abire domum*. ADRIANUS, ut narrat *Spartianus* cap. 22. *ante octavam horam neminem in publico, nisi ægrum, lavari passus est*. Ad nonam enim ut plurimum patebant, & aliquando in vesperam producebantur: unde ALEXANDER SEVERUS oleum in usum thermarum largitus est. Quamquam hoc de oleo, quo ungebantur, accipi possit.

Eadem autem hora nona & balneæ, & tabernæ vinariæ, & lupanaria aperiebantur: unde Nonariæ meretrices dictæ, quod ad nonam prostarent. V. *Interpr.* Persii ad Sat. 1. *Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres a nona hora prostabant*, ne mane, omissa exercitatione, illuc irent adolescentes. *Martialis* indicat octavam: ut ab octava ad nonam balnea patuerint, sicut a nona ad decimam hora cœnandi: licet alii serius, scilicet negotiosi. Qui maturius, aut lavarent, aut cœnarent, nisi diebus festis, & lætis conviviis, intemperantes habiti. Balnea ergo proxime cœnam præcedebant.

Dictum est, quinam, & quam ob causam, quaque hora lavarent: major difficultas est de lo-

cis balneorum, ut intelligamus, quomodo lavarentur. Ut *Salmasius* ad Hist. Aug. notat, tres apud veteres balneorum cellæ fuerunt: frigidaria, tepidaria, & caldaria. Ex piscina enim, quam κολυμβήθραν vocabant, aqua per omnes cellas defluebat: a frigidaria primum in tepidariam, deinde ex tepidaria in caldariam. Ideo autem, ut observat *Mercurialis*, inter frigidariam, & caldariam tepidaria erat, ne, qui frigida, aut calida lavari quærebant, a frigore ad calorem, vel a calore ad frigus, tamquam ab extremo ad extremum, procederent, & offenderentur. Frigidaria, & piscina eadem res erat: nam veteres piscinam caldariæ opponunt. *Lampridius* in ALEX. *Atque ita unctus lavabatur, ut caldaria vel numquam, vel raro, piscina semper uteretur*. In cella ergo caldaria, & tepidaria, erant alvei sive solia balnearia, in quæ loturi descendebant, & in quibus sedebant, & ibidem aqua perfundebantur a balneatore, vel mediastinis. At in frigidaria sive piscina natantes mergebantur, & emergebant. Œcorum, sive cellarum descriptionem, & quomodo calefieret aqua, habemus apud *Vitruvium* lib. 5. cap. 10.

Præter has tres balnearum cellas & Assa cella fuit, quam & sudatorium dicebant. *Seneca* epist. 15. *Quid mihi cum istis calentibus stagnis, quid cum sudatoriis, in quæ siccus vapor corpora exhausturus includitur?* Quæ Seneca sudatoria, *Cicero* assa simpliciter vocat in epist. ad Quint. fratrem. Assum, sive sudatorium, etiam laconicum dicebatur. *Vitruvius* loc. cit. laconicum, sudationesque tepidario conjungendas esse docet. Male igitur quidam laconicum sive assam cellam cum caldaria confundunt, quæ assa cella dicebantur, quod in ea per assum, id est, siccum vaporem sudor eliceretur: ad distinctionem humidi vaporis, qui e calida aqua balneorum. Nam, ut docet *Celsus* l. 2. 17. *Sudor duobus modis elicitur, aut sicco, calore, aut balneo*. Siccus calor est & arenæ calidæ, & laconici, & clibani. Nam quia Lacones, gens dura, & severa, rem nimis delicatam calidas, aut tepidas aquas existimabant, solum sudatorium, & aquam frigidam in usu habuerunt: atque inde ipsum sudatorium laconicum dictum est. *Martialis* lib. 6. epist. 42. *Ritus si placeant tibi Laconum, contentus potes arido vapore, cruda virgine, martiaque mergi*.

Calefiebat autem sudatorium sive laconicum partim subjecto igne ipsi pavimento, & per injectos parietibus tubos, atque alveolos æqualiter sparsos; partim per clypeum candentem, qui ex summi tholi, sive hemisphærii fenestra dimittebatur, & attollebatur, ut caloris temperatura fieret. *Vitruvius*: Mediumque lumen in hemisphærio relinquatur, atque ex eo clypeum æneum catenis pendeat, per cujus reductiones, & remissiones perficietur sudationis temperatura. Laconici pisani reliquias edidit Cl. *Rhodius* ad Scribonium: tuborum parieti inclusorum meminerunt *Seneca* & *Jurisconsulti*.

Licet autem juxta naturam aquæ decurrentis, quæ de frigidaria cella in tepidariam, & hinc in caldariam defluebat, hoc ordine & cellæ constitutæ fuissent; nihilominus, secundum lavandi usum, & consuetudinem, post balnea calentia, & sudationes, in frigidam descendebant. *Petronius*: *Itaque intravimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus*, & *Seneca*, epist. 86. *Piscinas nostras circumdederit, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus*. Scilicet ut corpus solidarent, sive, ut *Plinius* in epist. adstringerent, & laxatam cutem frigore constiparent. *Celsus* l. 1. cap. 4. *Tum tepida uti, dein frigida, diutiusque ea caput, quam ceteras partes perfundere. Capiti nihil æque prodest, atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est, per ætatem id bene largo canali quotidie debet aliquando subjicere, &, si totum corpus refrigerare non sustinet, caput tamen aqua frigida perfundat.* Non pauci autem olim fuerunt, qui frigidæ aquæ lavacro etiam per hyemem impense gauderent. *Tertullianus*: *Rigere, & pallescere post lavacrum mortuus possum*. *Plinius* l. 29. 1. *Charmis, damnatis medicis, verum & balneis, frigida etiam hibernis algoribus lavari persuasit: mersit ægros in lacus, videbamus, senes consulares, usque in ostentationem, rigentes*. Inter eos *Horat.* l. 1. epist. 15. *Et tamen illis Me facit invisum, gelida cum perluor unda Per medium frigus*. *Seneca* epist. 53. *Sed memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo Psychrolutem decet, gausapatus*: quæ vox frigidæ lavacro utentem denotat, & epist. 83. *Ab hac fatigatione in frigidam descendi. Ille tantus psychrolutes, qui Cal. Ian. in Euripum saltabam: qui anno novo, quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in virginem desilire*. Euripi erant rivi, sive fossæ cum aquis. Quemadmodum rerum omnium auspicia Cal. Ian. ponebantur: ita Seneca, boni ominis causa, desiliebat in virginem, quæ aqua frigidissima.

Postremo in balneis erat cella unctuaria, in qua ungebantur, & quidem quotidie, toto corpore. Nam cum loturi, vel sese in Gymnasiis exercitaturi, postquam se in apodyterio expoliassent, alypterion ingredientes, ungebantur, mox pulvere conspergebantur, & sic in diversas exercitationes prodibant. Postquam vero se exercuissent, iterum ad unctuarium revertentes, a mediastinis, & reunctoribus, strigilibus tergebantur, sive, ut tunc dicebant, destringebantur. *Celsus* lib. 1. 2. *Exercitationem recte sequitur modo unctio, modo balneum*. In ea detersione oleum, pulvis, & sudor, quæ strigilibus deradebantur, & strigmenta vocabantur, simul mixta in usum medicum asservare mos erat. *Martialis* in hoc inventas strigiles ait, ut curvo ferro destringerent, ne nimis lintea attererentur. Formam strigilis describit *Apulejus* l. 2. Florid. fuisse enim in ea, ait, rectam fastigationem clausulæ, & flexam tabulationem ligulæ, ut manu prehendi posset, & sudor ex rivulo labi. Fuerunt autem ferreæ, argenteæ, aureæ: at Galeni ætate ex spongia fiebant.

Unusquisque ergo secum domo strigiles ad balneum ferebat, quemadmodum & guttum, sive lecythum, & ampullam olei ad ungendum. *Juvenalis* locus perobscurus est Sat. 7. v. 130. *Exitus hic est Tongilli magno cum rhinocerote Lavari qui solet*. Quo loco inepti sunt, & ridiculi, qui ex rhinocerotis cornu labrum, sive alveum fieri posse crediderunt. Nec audiendus *Mercurialis*, qui rhinocerotis nomine *nasutum* designari putat. Quid ergo? oleum quisque, ut diximus, secum domo ferebat ad balneum: id pauperiores gutto ex cornu tauri, vel viliori materia, divites aliquando ex cornu rhinocerotis. Poterant id ex *Martiale* discere l. 14. epist. 52. *Gestavit modo fronte me juvencus. Verum rhinocerota me putabis*. Ait enim, guttum corneum vel tam pulchrum, vel tam magnum fuisse, ut videri posset ex rhinocerote.

Uncti igitur destringebantur, id est strigilibus tergebantur, a balneatoribus, vel a servis. Narrat *Spartianus*, cap. 17. ADRIANUM *publice frequenter & cum omnibus lavisse: ex quo locum illum balnearem innotuisse. Nam cum quodam tempore veteranum quendam, notum sibi in militia,*

A *dorsum, & cæteram partem corporis vidisset atterere, percontatus, cur se marmoribus destringendum daret; ubi audivit hoc idcirco fieri, quod servum non haberet, & servis eum donavit, & sumptibus. Verum alia die, cum plures senes, ad provocandam liberalitatem Principis, pariter se attererent, evocari eos jussit, & alium ab alio invicem defricari.*

Potentiores loco olei pretiosissima unguenta adhibebant. *Petronius* c. 28. p. 98. *Itaque intravimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus. Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur. Tres interim Jatraliptæ, in conspectu ejus falernum potabant.*
B Nec aliud erant Jatraplitæ, quam ut ait *Plinius*, unctores medicorum, sive unctores medici. Nam Trimalcio homo lautissimus, loco fervorum, aut unctorum, medicos ad ungendum adhibebat; quos ideo Jatraliptas appellat: nam cæteri unctores Aliptæ solum vocabantur. Hi autem ideo, in conspectu Trimalcionis, falernum bibebant, ut domino sitis & bibendi cupiditas excitaretur.

Verum totam balneorum rationem, & quidquid a nobis hactenus dictum est, præclare *Seneca* complexus est ep. 56. In qua scribit ad Lucilium, *non esse tam necessarium, quam videatur, silentium*
C *in studia sepofito.* Id nos quoque experimur, qui quinque templis obsessi immani æris campani strepitu, ac reboatu dies, noctesque obtundimur, atque exsurdamur, præter proximum orphanotrophium, ubi puerorum & puellarum dissonus, ac lugubris cantus a prima luce ad mediam noctem somnum adimeret urso, vitulisque marinis. *Ecce*, inquit, *varius clamor undique me circumsonat: supra ipsum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocum, quæ in odium possunt aures adducere. Cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant: cum aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio: quoties re-*
D *tentum spiritum remiserunt, sibilos, & acutissimas respirationes. Cum in alypten inertem, & hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris: quæ, prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat. Si vero pilicrepus supervenerit, & numerare cœperit pilas, actum est. Adjice nunc scordalum, & furem deprehensum, & illum, cui vox sua in balneo placet. Adjice nunc eos, qui in piscinam, cum ingenti impulsæ aquæ sono saliunt. Præter istos, quorum, si nihil aliud, rectæ voces sunt, alipilum cogita, tenuem, & stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit. Jam libarii varias exclamationes, & botularium, & crustularium, & omnes popinarum institores, mercem suam quadam, & insignita modulatione vendentes.* Elegans sane hypotyposis, quæ totam rationem balneorum oculis subjicit. Nam in thermas, & balneas, quæ erant thermarum pars, omnes fere mortales quotidie confluebant, & quidem ad lavandum corpus: sed & ad alias exercitationes.

Primum igitur exercitationis genus, quod ponit Seneca, est: *Cum fortiores exercentur, & ma-*
F *nus plumbo graves jactant.* Nam cum inter exercitationes saltus præcipua res esset, alii vacuis manibus in sublime corpus agebant, alii pondera manibus capiebant ut illis firmati majore labore saltarent, & vehementius exercerentur; quæ pondera ab *Aristotele* & *Theophrasto* Alteres vocantur. Nec aliud, ut notat *Budæus* in Pand. erant Alteres, quam pilæ sive massæ plumbeæ, quibus utraque manu se librabant, qui certabant halmate, i. e. saltu. Sed reprehendit Budæum *Cornarius* Comment. in Gal. secundum locos, immerito: nam, ut illi donemus, quæ de Halterum & Halcterum differentia disputat, qua ratione castigare Budæum potest, quod dixerit, certantes saltu halteribus usos, si *Aristoteles* in Problem. 8. & *Theophrastus* tradunt, quinquertiones, & alios melius saltare, si lapidem, vel Alteres manu gestent, quam si brachio inani jactentur. Neque manibus solum pondera saltantes ferebant, ut melius exercerentur, & sudarent, sed, ut notat *Mercurialis*, graviora pondera interdum supra caput, nonnunquam supra humeros, aliquando pedibus gestabant. Et hoc est, quod ait *Juvenalis*: *Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa.* Et *Seneca*: *Cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant.*

Secundum erat. *Quoties retentum spiritum remiserunt, sibilos audio, & acerbissimas respirationes.* De hoc disputat *Mercurialis* l. 3. c. 6. aitque, spiritus cohibitionem inter exercitationes, præsertim therapeuticas, ab optimis gymnasticis repositam fuisse, ex *Galeno* l. 3. de tuenda valetudine, & Cælio *Aureliano*. Propositum autem habebant, hujusmodi exercitatione, qua spiritum cohibebant, modo, calorem in exercitationibus acquisitum, sive ipsum nativum auctum confirmare, modo spiritualia membra juvare, modo expurgare excrementa pectoris. Cui rei etiam fascias adhibebant, quibus thoracem, atque costas, nec non ventrem cingebant. Hinc *Pausanias* tradit, Milonem illum Crotoniatem capite, & præsertim fronte costisque & pectore robustis vittis ligato, tandiu spiritum retinuisse, quousque præ impetu intumescentes venæ ligamina illa discinderent.

Tertium apud Senecam est. *Cum in alyptem inertem, & hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris, quæ, prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat.* De unctione satis dictum est, & unctores Alyptas dictos esse. Describit autem Alyptarum morem, qui in ungendo strepitum quendam, & plausum manu edebant, modo concava, modo plana.

Quartum. *Si vero pilicrepus supervenerit, & cœperit numerare pilas, actum est.* In balneo loco designato, quod a sphæra, sive pila sphæristerium dictum est, inter præcipuas exercitationes pilæ ludus erat. Ad quod intelligendum, & quia frequens apud scriptores pilæ mentio occurrit, non abs re fuerit, pauca quædam in medium afferre. Pilæ ludum antiquissimum fuisse, *Homerus* vates ostendit, cum Nausicaam ALCINOI regis filiam, ad oceani fluenta cum æqualibus pila ludentem inducit. Quam ludi hujus inventricem quidam tradunt apud *Athenæum* l. 1. p. 14. Sed quinam ludendi modus, cum apud Græcos, tum apud Romanos fuerit, quod subit indignari, hodie penitus ignoratur. Nam, licet *Mercurialis* in Arte gymnast. plurima attulerit de ejus exercitationis antiquitate & utilitate, nemo tamen ex iis, qualis esset illa exercitatio, deprehendet. Sed quid *Mercurialis*, cum *Galenus* ipse librum peculiarem de ludo parvæ pilæ conscripserit? Quem cum attente legerimus, nondum satis capere potuimus ejus ludi rationem. Satis igitur fuerit, omissis Græcis auctoribus, quot pilæ genera apud Romanos fuerint, indicare, & inde aliqua veluti per caliginem explorare. Quatuor ergo pilæ species apud Latinos invenio: Follem, Trigonalem, Paganicam & Harpastum: quæ omnia communi nomine *Italicæ sphæræ* Cælius *Aurelianus* Morb. chron. lib. 3. c. 6. exprimit. *Martialis* 4. ep. 19. *Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona, Sive harpasta manu pulverulenta rapis Plumea, seu laxi partiris pondera follis.* Follis ergo erat pila magna ex aluta confecta, qualis nunc vento, & spiritu inflata: quæ, si major erat, brachiis impellebatur:

Propertius lib. 3. el. 12. v. 5. *Cum pila veloces fallit per brachia jactus*. Minor follis pugnis jactabatur, qui follis pugillaris inde dictus: quales nunc a pueris vesicæ jactantur. *Plautus* Rud. a. 3. sc. 4. *Exemplo ego te follem pugillatorium faciam*. Ideo autem *Martialis* lib. 4. ep. 19. vocat *plumea pondera follis*, non quod pluma impleretur, ut quidam crediderunt, sed propter levitatem. Cumque hodie follis sit pilæ genus laboriorum, & fortiori ætati aptum; apud veteres admodum leve fuit, & ideo pueris, & senibus accommodatum. *Martialis* lib. 4. ep. 17. *Este procul juvenes, mitis mihi convenit ætas, Folle decet pueros ludere, folle senes.*

Secundum genus erat *pila trigonalis*, sic dicta, non quod esset triquetra figura, sed a loco trigono, sive a numero, & situ ludentium. Stabant enim tres eo ordine, ut trigonum, sive triangulum redderent: ita ut in tribus illis angulis, utramque manum extenderent, & tam dextra, quam sinistra pilam exciperent, & redderent. Quam dum jactant, pelluntque, cavebant, ne in terram decideret: in quo tota ratio ludi. Hoc enim solum ex multis intelligimus. *Martialis* 12. 84. *Captabit tepidum dextra, levaque trigonem*, & clare 14. 46. *Si me nobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam*. Clare *Macrobius* l. 2. Sat. 6. c. 6. *L. Cæcilius, cum C. Cæsar aliis qui secum pila lusitabant, C. sestertia, illi uni L. dari jussisset, quid ego*, inquit, *una manu ludo, & non duabus, ut plus habere possim?* & *Martialis* l. 7. 71. *Sic palmam tibi de trigone nudo Unctæ det favor arbiter coronæ, Nec laudet Polybi magis sinistras*. Quia nudi ludebant, & ipsi spectatores, in gymnasio uncti. *Idem* l. 12. 89. *Captabit tepidum dextra, lævaque trigonem, imputet exceptas ut tibi sæpe pilas*; & *Seneca* de Benef. lib. 7. 19. *Quid si me remittere manco pilam jubeas?* i. e. ei, qui dextera caret. *Petronius* c. 27. p. 95. *Qui soleatus pila sparsina exercebatur, sufficiebatque ludentibus*. Ubi *prasinæ* legendum est ex studio factionis prasinæ, ut infra. In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo. Ad luxum autem pertinebat, quod, quæ pila in terram ceciderat, non amplius repetebatur. Sequitur: *Alter numerabat pilas, non quidem eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabantur*, i. e. dextra, & sinistra, *sed eas, quæ in terram decidebant*: quia, qui permittebat pilam e manu cadere, erroris notabatur: ut nunc, qui extra spatium, aut per fenestellas elabi patitur. *Seneca* de Benef. l. 2. 17 utitur Chrysippi similitudine de lusu pilæ. *Quam cadere non est dubium, aut mittentis vitio, aut excipientis. Tunc cursum suum servat, ubi inter manus utriusque apte ab utroque & jactata, & excepta versatur. Necesse est autem lusor bonus aliter illam collusori longo, aliter brevi mittat*. Subdit: *Si cum exercitato, & docto negotium sit, audacius pilam mittemus; utcumque enim venerit, manus illam expedita & agilis repercutiet: si cum tirone, & indocto, non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius, & in ipsam ejus dirigentes manum, remisse occurremus.*

III. Pilæ genus, quam *paganicam* vocabant, quod usus ejus in pagis, sive villis frequentior. Nec aliud de hac scimus, nisi quod pluma farciebatur, eratque, ut ait *Martialis* 14. 45. major trigonali, minor folle.

IV. Harpastum, græca voce, parva pila, ut credit *Mercurialis*. Ita autem ludebant, ut pilam alter alteri eriperet, ac furaretur, unde nomen ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν. Eam autem *pulverulentam* appellat *Martialis* 7. 31. quia, cum in solum pulvere consitum caderet, ibi etiam se impellentes, ac volutantes eam rapiebant: & ideo valentiorum virorum tantum hic ludus erat. Unde *Martialis* 7. 66. de muliere miratur, quod harpasto subligata ludat. Harpastum etiam Græci *Phœninda* appellabant, ut *Athenæus* * lib. 1. ἀπὸ τῆς ἀφέσεως, a jactu, sibique gratum ait hunc ludum, ob laborem, & contentionem certaminis circa pilam: & quia cervicem maxime is ludus roboret. Quem sic describit Antiphanes: *Sumptam pilam huic lætus dat, aliumque simul fugit, alium rursus lapsum erigit. Clangore magno vocum res agitur*. Unum autem ex *Galeni* libro de parva pila, ubi ejus exercitationem omnium saluberrimam, ac præstantissimam esse docet, veluti per caliginem eruimus: in medio ludentium, scilicet pila trigonali, stetisse lusorem unum, quem reliqui vetabant contingere pilam. Ait enim c. 2. *Cum invicem congredientes, seque, ne constitutus in medio pilam excipiat, mutuo vetantes laboraverint, maximum id vehementissimumque est*. Et c. 3. *In hoc autem & consilium æquale sollicitudini patet: quis enim est, tum illam ne humi incassum dejiciat, tum ut versantem in medio eandem assequi prohibeat, vel ille transmissam rursus excipiat*. Ceterum manus in jactanda pila elevabantur. *Celsus* l. 3. c. ult. de Paralysi curat. *Pila similibusque superiores partes dimovendæ*. Et l. 1. c. 6. *Quem vero frequenter cita alvus exercet, huic opus est pila, similibusque superiores partes exercere.*

Sed ut ad *Senecam* redeamus: *Si pilicrepus* &c. In mittenda & remittenda pila cum pilicrepus plures, quam essent, manus, & vices numeraret, maximus excitabatur clamor ab adversariis. *Erasmus* intelligit, qui pilas, hoc est, sphæras, aut glomos pice illitos in ignem balneorum sive vaporarii conjiceret, sicubi forte restingueretur: de qua re *Statius* & *Vitruvius* l. 5. Non placet lectio *Mercurialis*, qui *pedicrepos*, & *alipedes* legit: quasi in gymnasiis essent, qui a pediculis homines purgarent, & inter occidendum ipsos magna voce singulos enumerarent. Alii demum *pilicerpos*, qui nempe pilos decerperent, quos evellerent; & cœperint numerare pilos.

Quintum erat apud *Senecam*: *Adjice nunc scordalum, & furem deprehensum*. Scordalum & hic & apud *Petronium* interpretatur *Turnebus* hominem illuvie, & squalore fœdum. Antiquæ editiones modo sordalum habent, modo scordalum. *Erasmus* interpretatur sordalum, qui sordes efferret e balneo, aut qui sordidaret balneum. *Gruterus* sequitur *Turnebum*: ut scordalus sit, qui oleret allium, quasi scordalum. Ut ille apud *Plautum* Mostel. a. sc. 1. Oboluisti allium germana illuvies. Talis enim cum balneas intrabat, & in lautos, & elegantes inciderat, magno clamore, & vociferatione excipiebatur.

Idem clamor, & exsibilatio in furem deprehensum. Frequentes enim fures in balneis, qui vestimenta surripiebant, quæ loturi in apodyterio exuebant. *Plautus* Rud. a. 2 sc. 3. *Qui it lavatum in balneas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat, tamen surripiuntur*. Hi fures balnearii. Ideo secum ducebant servos, qui vestimenta servarent. *Martialis* 12. 71. *Et supra togulam lusca sederet*

* Vide Annot. *Casauboni* p. 39. *Alphenus* Ictus ad L. Aquiliam: cum pila complures luderent, quidam ex his servum cum pilam recipere conaretur, impulit, servus cecidit, & crus fregit: quærebatur, an dominus servi L. Aquilia cum eo, cujus impulsu ceciderat, agere posset. Respondi, non posse, cum magis casu, quam culpa videretur factum. Fuisse autem hanc exercitationem laborosissimam, ostendit *Seneca* ep 80. ubi loquitur de sphæromachia: *Illud maxime revolvo mecum, si corpus perduci ad hanc patientiam potest, qua & pugnos pariter & calces non unius hominis ferat qua solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis, & sanguine suo madens, diem ducat*, &c.

anus. Cum integro tractatu JCti de furtis disseruissent, addidere rubricam de furibus balneariis: quibus & graviorem pœnam constituerunt, nempe ut ad opus publicum certo tempore damnentur. Cur autem cæteris furibus acerbius punirentur, exponit *Aristot.* in Problem. Primo quia *in domibus rem melius custodire possumus parietum firmitate, clavibus, sigillis, domesticorum cura, item nullo extraneo admisso: at in balneis hujusmodi locisque publicis nulla est alia, quam quæ non conniventibus oculis fit cura, & merito acriore pœna coercendi hoc casu fures fuerint, quos nulla diligentia custodire poterat*. Item: *Qui in publicis locis furantur, impudentiores sunt, & deplorata, citra correctionis spem ullam, vita; privati vero fures, cum occulte id agunt, spem aliquam emendationis habent, ut quos magis pudeat talia facere. Adde, quod hujusce quoque est atrocior contumelia, qui hominem cogit nudum domum reverti, & omnibus interim ridiculo esse. Qui ergo e privata domo aliquid tolleret, dupli condemnabatur, qui e publico, morte plectebatur*. Hæc *Aristoteles*. *Demosthenes* etiam contra Timocratem idem significavit, morte scil. puniri solitos Athenis, qui e locis publicis res etiam vilissimas furarentur.

Ultimum in Seneca est: *Alipilum cogita, tenuem, & stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit*. Alipili erant, qui alas vellebant, ut loquitur *Seneca*. *Alas* appellant pilos, qui sub alis, sive axillis nascuntur. Tetrum autem, & virulentum odorem, qui ex alis afflatur, græci scriptores τράγον, latini caprum, & hircum, ab ejus videlicet animalis graveolentia, dixere. Inde apud *Horatium: Cubet hircus in alis*. Et *Catullus* jocandi occasionem sumpsit in Rufum, quem hac odoris fœditate insignem exagitat, aitque, mirum non esse, si eum puellæ omnes aspernentur, ac refugiant, neque ullis muneribus perduci queant ad faciendam ei copiam sui: quippe sub alarum valle gestari ab eo trucem quamdam bestiam, quam illæ horreant, ita ut cubare cum ea omnino non possint. Ea autem bestia erat tragus, sive hircus, odor ille pessimus, qui ab alis exhalat.

Ob hoc in balneis certi homines erant, qui crescentes alas vellebant, unde *alipili* dicti. Nec alas tantum, sed etiam reliquas corporis partes depilandas præbebant: præcipue brachia, & crura fruticante pilo silvescentia: quod cum sine manicis, & tibialibus incederent, nuda crura, & brachia in oculos incurrebant. Id autem fiebat vel per volsellas ferreas, quibus pili exstirpabantur, vel per medicamenta, quæ corpus deglabrarent, eaque *Psilothra*, & *Dropaces* dicebantur. *Martialis*: *Psilothro faciemque levas, & dropace calvam*. *Galenus* de compositione pharmac. l. 1. c. 4. *Et quæ quidem pilorum denudatoria sunt, & proprie Psilothra vocantur, tantum non quotidie in omnium mulierculaum, ferme etiam virorum, usu habentur*. Ex quibus autem rebus conficerentur, tradit ibi *Galenus*: Dropaces autem fiebant ex auripigmento, & viva calce ad exurendos, & depascendos pilos. Proprie tamen dropax erat, cum pix arida oleo liquebatur, cutique calens allinebatur, ut docent medici. Hicque usus picis valde familiaris erat catamitis eorum temporum, qui visco cum resina, & cera depilabantur, quo nitidiores, & molliores redderentur. *Plinium* l. 14. c. 20. *pudet confiteri, maximum sua ætate picis, & resinæ honorem fuisse in evellendis virorum corpori pilis*. *Quintilianus* vulsa corpora, fœdissima appellat. Et *Seneca*: *Quid cum vulsis istis & delicatis?* Quare apud Lacedæmonios gentem gravissimam lege Ephororum vetitum est, *ne quis in balnea picem inferret*: omnesque depilatores urbe pulsi sunt.

F I N I S.

OCTAVII FERRARII

IN PATAVINA ACCADEMIA

Latinarum & Græcarum Litterarum olim Professoris

DISSERTATIO

DE

GLADIATORIBUS.

OCTAVII FERRARII

DISSERTATIO

DE

GLADIATORIBUS.



E Gladiatoribus, totaque saevi, atque immanis spectaculi ratione hodie disputaturi, rem paulo altius repetemus. Vetustissimum morem fuisse ad sepulchra virorum fortium necare captivos hostes, pervulgatum est. Quod eorum sanguine manes placari crederent, hacque ultione conquiescere. Ita in Patrocli funere Achilles duodecim Trojanos fortes viros immolavit. Quin ipsius Achillis tumulum virginali cruore imbutum, *Seneca* in Troade a. 2. expressit, ut inhumanum facinus ipsi Atridi displiceret, meritoque Pyrrhum increparet: *Quis iste mos est? quando in inferias homo est impensus homini? Detrahe invidiam tuo odiumque patri, quem coli, poena jubes*. Neque id, pius licet, Aeneas in funere amici omisit: *Sulmone creatos Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens, Viventes rapit inferias, quos immolet umbris, Captivoque rogi perfundat sanguine flammas*.

Ergo captivi ad sepulchra virorum fortium, velut victimae, mactabantur. Postea turpe visum est hanc carnificinam exercere. Quare ad evitandam spectaculi invidiam ipsi captivi inter se commissi sunt, & depugnare jussi, ut penes eosdem & facinoris invidia esset, & supplicium. Et alii quidem morte sua manes non tam placabant, quam irritabant; alii, quibus sors, aut virtus victoriam dedisset, supplicium evitabant.

Neque tamen hanc humani sanguinis rabiem bellorum furor, ferrique licentia excusaverit. Nam ipsius pacis civilisque clementiae bona, concesso hoc scelere, ac barbara immanitate, violata sunt, resque tam dira inter spectaculorum voluptates, & civium oblectamenta adscita est. *Tertullianus* de Spect. *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio servos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant, armis, quibus tunc, & qualiter poterant, eruditos, edicto die inferiarum apud tumulum erogabant*, id est ad rogum committebant, ut pugnarent. Et quia non semper captivi ad manum erant, qui ferro certarent, morteque sua spectatores oblectarent, primo sontes, ac rerum capitalium damnatos pugnare inter se cogebant; deinde servos, qui nempe exiguis nummis spiritum, ac vitam venalem addicebant: donec etiam homines ingenui, & sub malis Principibus, equites, senatores, mulieres quoque, in arenam descenderent, & cruenta voluptate spectaculis animam prodigerent.

In quo magnum fuit Reip. Rom. arcanum. Ut scilicet populus ad rem militarem, augendumque bello imperium institutus, a teneris sanguinem, vulnera, ac caedes inter ludicra spectare assuesce-

A ret, atque ita minus praeliorum incerta, martisque discrimina, ac tristem mortis aspectum reformidaret. Immo *Cicero* 2. Tusc. exemplum philosophicae constantiae, & tolerantiae a spectaculo gladiatorum arcessit. *Crudele*, inquit, *gladiatorum spectaculum, & inhumanum nonnullis videri solet: & haud scio, an ita sit, ut nunc fit, cum nempe ingenui etiam & innoxii certarent*. Cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem, & mortem disciplina.

Haec est origo eorum hominum, qui, quod in arena gladiis ad necem decertarent, gladiatores B dicti sunt. Quo spectaculo (quis credat?) nullum jucundius, aut exoptabilius Romae fuisse, scriptores tradunt. *Cic.* pro Sextio: *Equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi, quam illud gladiatorium: neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum*. Et alibi: *Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur*.

Sed ut rem ordine exequamur, primus Brutus dicitur Romae in defuncti patris honorem gladiatores dedisse: iique *bustuarii*, quod ad busta pugnarent, appellati. Ita Scipionem Carthaginen- C sem ad munus gladiatorium edendum, quod patris, patruique mortis causa paraverat, profectum tradit *Livius* libro 28. Paulatim deinde a mortuorum honore ad vivos oblectandos spectaculum traductum; & quia pro munere dabatur, *populi munus* appellatum est. *Unde*, inquit *Florus* lib. 3. c. 12. n. 10. *gladiatorii adversus dominos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quandam hostium artem facit?* Ita passim a magistratibus, a privatis hominibus, sed praecipue a ducibus ad bellum proficiscentibus id spectaculi D genus exhibitum, ut quemadmodum dicebamus, debellaturus orbem populus spectare vulnera, ac mortem assuesceret, minusque in praelio sanguine, ac caedibus terreretur. Hoc consilio, atque exemplo ad Ticinum pugnaturus Annibal militem accendit. Nam, ut ait *Livius*, *rebus prius adhortandos milites ratus, circumdato ad spectaculum exercitu captivos montanos inter se commisit: isque habitus animorum inter spectantes fuit, ut non vincentium modo, quam bene morientium fortuna laudaretur*. *Appianus* tradit, ab Annibale ex captivis Romanis nobilib. parentes cum liberis, fratres cum fratribus commissos esse, ferroque inter E se decernere spectantibus Afris coactos. Quod Annibale dignum est.

Res igitur tempore, atque usu spectare artem coepit: ut, quod ante furor, ac rabies, ultimumque discrimen docebat ad saeva praecepta, & cruentum magisterium traduceretur. Quare praefecti doctores, qui artem jugulandorum hominum traderent non sine mercede; iique a laniandis homi-

nibus *laniſtæ* ſunt appellati. Hi gladiatores comparabant, inſtituebant, eruditos, & inſtructos vendebant. Sed Gladiatorum alii ingenui, & voluntarii fuerunt, alii ſervi. Ingenui, qui ad oſtentandas vires, ſolaque pugnandi libidine deſcendebant in arenam, atque hi ſui juris erant, non laniſtis addicti. Servi duplicis conditionis: alii enim Judicis ſententia ad ludum, ſive pugnare ad beſtias, ut JCti loquuntur, damnati, & damnati ad ferrum: qui libertatem perdebant, ut ait *Cajus*, & ideo jure teſtamentum facere non poterant. *Accurſius*, ad ferrum, ait, ut capite plecterentur: alii ad vincula, ad bojas, ſive compedes. Recte *Alciatus* l. 1. 27. Parerg. ad ferrum damnatos intelligit, quos alibi lex ad gladium. *Paulus* Sent. l. 6. Summa ſupplicia ſunt, Crux, Crematio, Decollatio: mediocrium delictorum pœnæ Metallum, Ludus, Deportatio; minimæ, Relegatio, Exilium, Opus publicum, Vincula. Sane qui ad gladium dantur, intra annum conſumendi ſunt. CONSTANTINUS in Cod. Theodoſ. liber ſub hac forma in ludum detur gladiatorium, ut, antequam aliquid faciat, quo ſe defendere poſſit, gladio conſumatur. Tamdiu autem pugnabant, donec interficerentur. Alii, cum liberi eſſent, ſe laniſtis vendebant, & in eorum verba jurabant, ſeque ſacramento obſtringebant ad facienda, perpetiendaque omnia, i. e. ſanguinem, & libertatem venalem habebant. Cujus rei formula apud *Petronium* c. 117. p. 540. *In verba Eumolpi ſacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari, & quidquid aliud Eumolpus juſſiſſet, tamquam legitimi gladiatores, domino corpora, animaſque religioſiſſime addicimus.*

Hoc erat ſacramentum, quo ſe laniſtæ gladiatores voluntarii obſtringebant: hæcque venditio *auctoratio* dicebatur, gladiatores *auctorati*. *Horatius*: *Quid refert uri virgis, ferroque necari, auctoratus eas?* Jurabant autem, quia cum liberi eſſent, corpora, animaſque, cum libertate vendebant. Qui ergo edituri erant munus gladiatorum, ſive editores, a laniſta gladiatores emebant. *Suetonius* CALIG. cap. 38. *Nota res eſt, Aponio Saturnino inter ſubſellia dormitante, monitum a* CAJo *præconem, ne prætorium virum, crebro capitis motu nutantem, ſibi præteriret; nec licendi finem feciſſe, quod XIII. gladiatores HS. nonagies ignoranti addicerentur.* i. e 125. millibus coronatorum.

Laniſtæ igitur præcepta dabant, & imperata de ictibus inferendis, vitandis, & declinandis. De tractandorum armorum ratione, quæ dictata gladiatores meditarentur, & in his ſe exercerent, D. *Cyprianus* ad Atonian. *Homo occiditur in hominis voluptatem, & ut quis poſſit occidere, peritia eſt, uſus eſt, ars eſt; ſcelus non tantum geritur, ſed docetur*. Loca, in quibus gladiatores erudiebantur, *ludi* ſunt appellati, quod ibi per ludum vanis ictibus aſſueſcerent, donec in arena rem ſtrenue, nudoque ferro agerent. Unde nos ſcholas ludos appellamus, & forum arenam, deſcendere in arenam, conferre pedem, & cetera inde tranſlata. Inde etiam *Scherma*, *ſcrimia*, quæ vox etiamſi a σκιαμαχία deducatur, eſt germanica, unde & *Scherani* milites, & *Schiera* acies, & *Schermire*, *Giocar d'arme* a ludo: & in hoc quidem ludo concorditer iidem vivebant, & in mutuam cædem alebantur, ſæpeque eadem menſa, idem cubile eos conjunxit, qui paulo poſt diſceſſuri in partes, mutuumque cruorem hauſturi erant. Sic parati, ſic inſtituti in ludo, nullis odiis, aut inimicitiis, in amphitheatro, ſive arena in mutuam cædem ruebant, ſpectante avidiſſime, & plaudente populo. Certamen præcedebat prælusio, ſive prolusio. Ea autem ruditer plerum-

A que fiebat. *Rudis* erat baculus gladiatorius, ſive gladius ligneus, aut ferreus retruſa acie, *ſpada di ſcherma*, quo ſcilicet in ludo exercebantur, & prima pugnæ rudimenta meditabantur, unde & nomen, quibus etiam ante pugnam proludebant: quod proprie dicebatur *batuere*. Unde noſtrum *battere*, & battualia, ſive *battaglia*, & *batterſi in duello*. Luſoria arma *Seneca* vocat: *Remove iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt*. Luſoriis decretoria arma opponit, non quod, ut ait *Lipſius*, decreto Prætoris darentur; ſed quia iis decernerent, i. e. vere pugnarent, quum aliis proluderent. *Sueton.* in CAJO: *Batuebat pugnatoriis armis*. Ubi eum ſignificat pro rudi, & gladio ligneo, ferro uſum eſſe: ſicut COMMODUS, *qui*, ut narrat *Victor*, *gladiatores ſpecie depugnandi crebro trucidavit, cum ipſo ferro, obtecto verronibus plumbeis, uteretur*. Dolo malo gladiatorius Imperator pugnabat, cum veris armis pro luſoriis uteretur: enſem enim laminis plumbeis obducebat, iſque gladius plumbeus videbatur: atque ita incautos gladiatores interficiebat.

B

Dum rudibus ante pugnam proluderent, ut *Lipſius* docuit, parmas etiam, clypeos, haſtaſque in altum jaciebant, recipiebantque cum venuſtate, idque proprie vocabant *ventilare*. *Seneca* lib. 3. Contr. *Deinde res ipſa diverſa tota eſt: aliud eſt ventilare, aliud pugnare*. Sed jam ad pugnam veniamus, & cum *Ovidio*: *Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis*. *Gladiatori*, ait *Gellius*, *compoſito ad pugnandum hæc propoſita ſors eſt, aut occidere, ſi occupaverit, aut occumbere, ſi ceſſaverit*. Itaque magna erat cura ſui defendendi, alterius petendi, magna in ipſo corporis ſtatu, graduque. Tota ars in petendo adverſario, & vitando, unde ictus *petitiones* dicebantur. In primis latus petebatur, præcipuaque cura in eo tegendo. Qui adverſarium vulneraverat, clamabat. *Hoc babet*. Læſus ac vulneratus ſubmittebat arma: id ſignum victi, fractique. Neque tamen liber erat, aut ſalvus, qui arma ſubmiſerat: nam vel a populi, aut editoris nutu mors ejus pendebat, vel ſalus. *Horatius*: *Ne populum extrema toties exoret arena*. Quia nempe rogantes vitam, admovebant ſe ſpectaculis, unde audiri poſſent, Seneca: *Gladiatoribus licet arma ſubmittere, miſericordiam populi tentare: tu neque ſubmittes arma, nec vitam rogabis, recto tibi, invictoque moriendum eſt*.

C

D

Cum Imperator, vel populus ſervari gladiatorem juſſiſſet, hæc liberatio *miſſio* dicta eſt, ut recte *Lipſius*, arguens eos, qui cum rude confundunt. Nam miſſio ad victos pertinebat, rudis ad victores. Miſſio dabatur, ut ab imminenti periculo liberarentur: rudis, ut in poſterum ſolverentur ſacramento & neceſſitate pugnandi. Ita *dare gladiatores ſine miſſione* non aliud erat, quam ad certam mortem dare, niſi vincerent: non enim ſupplices, & victos liberare jus erat. *Liv.* l. 41. De PERSEO Rege Macedoniæ: *Gladiatorium munus romanæ conſuetudinis* (nam in Græcia inuſitatum erat) *primo majore cum terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quam voluptate dedit: deinde ſæpius dando, & modo vulneribus tenus, modo ſine miſſione etiam, & familiare oculis, gratumque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium pleriſque juvenum accendit*. Ita AUGUSTUS, clementiſſimus Imp. gladiatores ſine miſſione edi prohibuit. Quia immanes munerarii, atque editores dabant gladiatores in certam mortem. *Suetonius* NERONE c. 4. *Domitius munus gladiatorium dedit tanta ſævitia, ut neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtra monitum edicto coercere*. Idem de CLAUDIO c. 34. *Quocumque gladiato-*

E

F

rio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos, jugulari jubebat, maxime retiarios.

Gladiatoriæ pugnæ sine missione exemplum extat apud *Tertullianum* de Spect. c. 23. *Taceo de illo, qui hominem leoni præ se opponit, ne parum sit homicida, qui eumdem postmodum jugulat.* Nam, ut *Rigaltius* observat, *gladiatoribus pugnantibus, populus nonnumquam deposcebat leonem. Emisso leone gladiator periculo proximus, quacumque arte poterat, subtili recessu, aut declinatione adversarium suum leoni opponebat. Plerumque autem accidebat, ut secundus iste gladiator, postquam leonem interfecerat, iterum pugnans cum gladiatore, quem interfecto leone servaverat, ab eo jugularetur; atque ita ille primus non simpliciter homicida erat, sed iterum: primo, cum hominem leoni opposuit, secundo, cum eumdem ipsum, cujus se corpore texerat, interfecit.*

Præcipuum igitur in arena populi jus erat; illi enim munerarius, sive editor jus suum donabat, & ad ejus voluntatem se plerumque conformabat; populus pro vulneratis, victisve intercedebat: idem cum libuisset, jubebat interfici. Signum mortis conversus pollex erat. *Juvenalis* Sat. 3. v. 36. *Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi. Quem libet occidunt populariter.* *Prudentius* de virginum vestalium sævitia: *Consurgit ad ictus, Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa Delicias ait esse suas, pectusque jacentis Virgo modesta jubet, converso pollice frangi. Cæsar*, ut ait *Suetonius* c. 26. *Gladiatores notos* (notæ fortitudinis) *sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reservandosque mandabat.* Contra, cum favebant, & gladiatorem morti eripere volebant, pollicem intra digitos premebant. *Plin.* l. 28. c. 2. p. 168. *Pollices*, cum faveamus, *premere* etiam proverbio jubemur. *Horat.* Epp. lib. 1. ep. 18. v. 66. *Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.*

Sed unde favor, aut odium plerumque in ignotos, usque ad mortem durabat ludicri specie? *Cicero* pro Milone: *Etenim in gladiatoriis pugnis, timidos, & supplices, & ut vivere liceat obsecrantes etiam odisse solemus, fortes & animosos, & se acriter ipsos morti offerentes servari cupimus. Seneca* de ira lib. 1. c. 2. p. 4. *Quid? gladiatoribus quare populus irascitur, & tam inique, ut injuriam putet, quod non libenter pereunt?* Jubebantur igitur ut plurimum mori gladiatores, & fortiter ferrum recipere. Imperabatur, ut jugulum præberent, ferrum admitterent, non membra contraherent, non manum opponerent, ingenti firmitate, si in re bona utilique. Sed ut hoc pacto spectatores ad contemnendam mortem incitarentur. *Cic.* Tusc. 2. *Gladiatores autem perditi homines, aut barbari, quas plagas perferunt! Quomodo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare! Quam sæpe apparet, nihil eos malle, quam domino* (i. e. editori, aut lanistæ) *satisfacere, vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant, quid velint? si satisfactum non sit, se velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam? Quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum jussus recipere, collum contraxit?* Tantum meditatio, exercitatio, consuetudo valet: unde exemplum ad prælia. At illud quam immane, quod *Lactantii* verbis ponam. *Prostratos*, inquit, *jacentesque percuti jubent, & cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat.* Immanius, quod manum mittebant in vulnus, & se extincti sanguine proluebant. Immanissimum, quod non deerant, qui gladiatorum sanguinem ex ipso vulneris hiatu biberent, cali-

A dum adhuc, spirantemque, scilicet ad comitialem morbum. *Plinius* l. 28. c. 1. *Sanguinem quoque gladiatorum bibunt; quod spectare facientes in eadem arena feras horror est.* Sed supra omnem feritatem hæc spectacula conviviis admota, ut inter epulas, & sacra mensarum humanus cruor, & imperatæ cædes a plaudentibus spectarentur. Quem morem a Campanis ortum *Silius* testatur l. 11. v. 337. cum ait, illis mortem fuisse exhilarare convivia cæde, & miscere epulis dira spectacula certantium ferro, sæpe etiam *tabo repleta cruento Pocula, & eversas pugnæ certamine mensas.*

Ceterum, ut dicebamus, veterani gladiatores
B rude donabantur, cum exauctorarentur, aliquando etiam novi in aliquo strenuo facto, idque populo impetrante. Et quoniam, ut dixi, gladiatores alii liberi, & arenæ vel cupidine gloriæ, vel mortis contemptu, vel pretio auctorati: alii conditione servi; Liberi rude donati, sui juris erant: servi non libertatem rude accipiebant, sed vacationem a pugna, & fermæ lanistæ fiebant, i. e. magistri, & institutores gladiatorum. *Horatius: Spectatum satis, & donatum jam rude quæris, Mæcenas, iterum, antiquo me includere ludo, Non eadem est ætas.* Ita *Lipsius*. Existimo tamen,
C solos servos rude donatos, & liberos factos: nam cum se ad pugnandum vendidissent, exauctorati sui juris erant. Hi *Rudiarii* dicti. *Suetonius: Revocatis rudiariis centenum millium auctoramento*, i. e. bis mille, & quingentis coronatis in singulos.

Quid autem fiebat, cum neuter vinceret, aut vinceretur? Tunc aliud par i. e. *alia manus* substituebatur. Hinc secundæ, tertiæ, & quartæ manus apud *Quintilianum*, & apud *Martialem*. *Hermes suppositus sibi.* Qui cum indefessus esset, & invictus, sibi ipse succedebat. Idem in Spect. *Lex erat ad digitum posita concurrere palma.* Nam
D cum DOMITIANUS Priscum, & Verum, famosum gladiatorum par, dedisset, cumque esset æqualis virtus ac mars utriusque, populus, favore, vel moræ tædio, missionem utrique a Cæsare petiit. Cæsar arenæ lege jubet agi, nec dirimi certamen patitur, nisi altero victo: spectantem interea populum donis, & missilibus detinet. Utrique tandem simul pari ictu læso palmas misit, & rudes. *Contigit hoc nullo nisi te sub Principe, Cæsar, Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.* Difficultas in illis verbis: *Lex erat ad digitum posita concurrere palma.* *Scriverius* interpretatur, micando digitis palmam inter se sortiri jussos. Sed *Ramirezius*, ad digitum i. e donec alter tollendo digitum
E se victum fateretur. Id enim erat victi indicium, & confessio. In quam sententiam discedit & *Mussambertus*, licet Ramirezium exagitet. *Vetus interpres Persii: Digito sublato.* Tractum a gladiatoribus; qui victi, ostensione digiti, veniam a populo postulabant.

An vero putatis unum, aut alterum gladiatorum par datum fuisse? Eo res deducta est, ut Cæsar ædilis 320. paria ediderit, teste *Plutarcho*, ADRIANUS per sex dies gladiatorum munus exhibuerit, GORDIANUS per singulos menses singula munera, ita ut quingena paria nonnumquam dederit, TRAJANUS denique spectacula hujusmodi per
F dies 123. continuavit, & gladiatorum 10000. produxit, teste *Dione*. Non est ergo mirum, gladiatorios exercitus conflatos, & ab iis Remp. in extremum discrimen non semel adductam. Nam, ut narrat *Appianus* l. 1. Civil. Spartacus, genere Thrax, Capuæ, ex captivo gladiator, effracta custodia brevi magnas copias contraxit, ita ut initio habuerit 70000. militum ac pulsis Coss. 120000. peditum urbem peteret, iterumque Coss. in Piceno vinceret, nec nisi bello triennali a Licinio Crasso.

debellari potuerit ingenti populi Romani clade.

Nec plebeja tantum aut damnata capita, sed Equites, sed Senatores, sed ipsæ fœminæ in arena decertarunt. *Suetonius* ait, Neronem exhibuisse ad ferrum M. Senatores, Equites DC. *Lipsius* corrigit: 60. Equites, & Senatores 40. Magna tamen summa, & populo Romano indecora. *Tacitus* conqueritur, Senatores, ac fœminas illustres per arenam fœdatas esse. *Juvenalis* Sat. 1. v. 22. *Cum tener uxorem ducat spado, Mævia tuscum Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma. Statius*: *Stat sexus rudis, insciusque ferri, & pugnas tractat impubis viriles.*

Non modo autem inter se gladiatores pugnabant, sed cum bestiis: de quo alias dictum. Mane bestiarii producebantur; meridie gladiatores pugnabant. *Martialis* 10. 25. *In matutina nuper spectatus arena*. Et 13. 95. *Matutinarii non ultima præda ferarum Sævus oryx*. Mentio ludi matutini in Vet. interpr. i.e. bestiariorum. Medicus ludi matutini. Meridie gladiatores inducebantur. *Sen.* ep. 1. pag. 17. *Mane leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur*. Ideo autem crudele illud spectaculum meridianum, quia & sine missione pugnabant, & sine armis præter gladium: & ideo pugnam cum bestiis, in ejus comparatione, Seneca appellat *misericordiam*: nudi enim, & inermes. *Nihil habent*, inquit, *quo tegantur: ad ictum totis corporibus expositi, numquam frustra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus & postulatitiis præferunt* (i. e. legitimis, qui armati, & qui a Principe postulabantur) *præferunt*. Præferunt, inquam, ob crudelitatem. *Non galea, non scuto refellitur ferrum. Quo munimenta? quo gladii artes?* La Scherma. *Omnia ista mortis moræ sunt. Mane leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores interfectoribus jubebantur objici, & victorem in aliam detinent cædem*. Victorem scilicet ferarum in cædem hominum, ut & ipse occidatur. *Exitus pugnantium mors est*, i. e. sine missione. Quare crediderim, id genus hominum fuisse, qui Judicis sententia damnati ad bestias, & ferrum: eos enim servare non licebat, & ideo, si vicissent bestias, inter se committebantur, donec mutuis ictibus conciderent, & pœnæ satisfacerent: & ideo inermes, ac nudi. Subjicit enim: *Sed latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? ut suspendatur. Occidit hominem, qui occidit, ille meruit, ut pateretur. Tu quid meruisti, ut hoc spectes? Occide, ure, verbera*. Qui nempe timide pugnabant. *Quare tam timide incurrit in ferrum? Quare parum audacter occidit? Quare parum l venter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obviis pectoribus excipiunt. Intermissum est spectaculum? scilicet* ferarum. *Interim jugulantur homines, ne nihil agatur.*

Ergo Judicis sententia ad ferrum damnati sine missione pugnabant, aut feris objecti conficiebantur. *Paulus* ICtus L. ad bestias, de pœnis, *Ad bestias*, inquit, *damnatos favore populi Præses dimittere non debet. Sed si ejus roboris, vel artificii sint, ut dignius populo Romano exhiberi possint, Principem consulere debet. Oldradus* & cæteri Interpretes *exhiberi* explicant, per gratiam relaxari. Atque hinc notandum existimaverunt, ob excellentem alicujus virtutem, favore populi id petentis, Principi pro criminis, pœnæque abolitione esse supplicandum, & interim executionem a Præside esse suspendendam. Alii distinguunt inter eos, qui ad bestias damnati, & eos, qui bestiis objecti. Optime *Alciatus* Parerg. l. 2. cap. 28. apertiora esse ICti verba statuit, quam ut possit de eis diutius controverti. Nam, qui a Præsidibus provinciarum ad A bestias ex delicto damnabantur, solitos in ipsis provinciis bestiis objici, & consumi: neque ex populi favore debuisse Præsides quemquam dimittere. Si tamen ejus roboris, atque artificii essent, ut in spectaculis, quæ Romæ fiebant, oculos spectatorum morari possent, tum demum Principem consulendum, an Romam velit eos damnatos mitti, ut bestiis subjicerentur in pop. Romani conspectu. Hoc est *dignius exhiberi*. Nihil de pœnæ allevatione. Sed tantum traductione Romam. Porro sicut in Circo studia, & factiones in aurigas; ita in Amphitheatro divisus populi favor in vilissimas animas. Alius enim thraci, alius mirmilloni favebant: alius B retiario, alius secutori: de quibus infra dicemus. Sed insignis fœminarum insania, quæ gladiatores deperibant. *Juvenalis* Satyr. 6. v. 82. indignatur, Hippiam, uxorem Vejentonis senatoris, gladiatoris amore in furorem actam, ut relicto marito, & liberis, eum in Ægyptum usque secuta sit: quem ludium appellat a ludo. Atque illam immemorem domus, & conjugis, & sororis, nil patriæ indulsisse, plorantesque gnatos, &, quod majus, ludos scenicos, & Paridem reliquisse. Licet ergo in magnis opibus educata, *plumaque paterna, Et segmentatis dormisset parvula cunis, Contempsit pelagus; famam contempserat olim*. Igitur tyrrhenos C fluctus, ac late sonantem jonium constanti pectore pertulit, licet toties mare mutandum esset. Si conjux jubeat, durum est navim conscendere. Tunc timent, & pavido pectore gelantur. *Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer. Quæ mœchum sequitur, stomacho valet, illa maritum Convomit, hæc inter nautas & prandet, & errat Per puppem, & duros gaudet tractare rudenteis*. Subjicit, qua forma exarserit, & qua capta juventa sit. *Nam Sergiolus jam radere guttur Cœperat, & secto requiem sperare lacerto. Præterea multa in facie deformia, sicut Attritus galea, mediisque in naribus ingens Gibbus, & acre malum semper stillantis* D *ocelli. Sed gladiator erat, facit hoc illos hyacynthos: Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori, Atque viro, ferrum est, quod amant, hic Sergius idem Accepta rude cœpisset Veiento videri.*

Capitolinus in M. ANTONINO cap. 19. tradit, dubitatum esse, num Commodus optimi patris filius esset: hocque vulgo jactatum esse *Faustinam* cum gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam cumque longa ægritudine tabesceret, viro amorem confessam esse. Id cum ad Chaldæos maritus retulisset, illorum fuisse consilium, ut occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina E sublavaret, atque ita cum viro concumberet. Quod cum esset factum, natum Commodum gladiatorem, non principem, qui mille prope pugnas gladiatorias populo inespectante exhibuit. *Sanguine* autem *se sublavasse Faustinam*, ita explicant, ut locos muliebres sublavarit. *Salmasius* legit, *sublevaret*, hoc est, pro remedio sanguinem illius ebibisse Faustinam, & sic se sublevasse, i.e. remedium petiisse.

De gladiatoribus eorumque origine, atque instituto dictum est. Restant duo exhaurienda de eorundem generibus ac discrimine, tum de loco, in quo certabant. *Lipsius*, in Saturnal lib. 2. gladiatores, qui armis, & ratione pugnæ diversi essent, F enumerat, Secutorem, Retiarium, Thracem, Mirmillonem, Hoplomachum, Samnitem, Essedarium, Andabatam, Dimachærum, Laquearium. Non enim omnes eodem armorum genere instructi in arenam descendebant, nec eodem modo, ac ratione certamen inibant.

Primus ergo *Secutor* ab insequendo Retiarium dictus est. *Cic.* ad Atticum l. 7. Gladiatores Cæsaris Pompejus distribuit binos singulis patribus familiarum: Secutorum duo millia in ludo fuerunt.

Dio ait, COMMODUM usum esse armatura eorum, qui Secutores dicuntur. Secutor, inquit *Isidorus*, ab insequendo Retiarium dictus est. Gestabat enim cuspidem, & massam plumbeam, quæ adversarii jaculum impediret, ut antequam ille feriret rete, iste superaret. Retiarius ergo cum secutore committebatur, qui, ut ait idem, contra alium pugnantem ferebat rete, quod *jaculum* appellatur, ut adversarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret. Originem, & exemplum ejus armaturæ a *Pittaco* trahunt, uno ex septem sapientibus. Ita tamen eum, ex provocatione, cum Phrynone pugnasse, *Strabo* auctor est l. 13 p. 600. *Postea vero*, inquit, *ad singularem pugnam a Phrynone provocatus, piscatorio usus apparatu, eum excepit, & anceps in eum conjecit, atque ita comprehensum tridente & pugione confodit*. *Juvenalis* Sat. 8. v. 200. Patricios carpit, qui gladiatoriis spectaculis adeo dediti erant, ut non solum ipsi in arenam descenderent, sed habitu retiariorum pugnarent. Neque enim mirmillonis armis certasse, nec clypeo, aut falce supina pugnasse.

Nec galea faciem abscondit; movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.

Ait ergo, nec *clypeo pugnasse*, quod secutoris gestamen erat: nec *falce supina*, quæ thracum: nec *galea frontem abscondisse*, quia retiarii nuda facie. Quo spectat CLAUDII Imp. sævitia, qui, ut diximus, gladiatores & forte prolapsos jugulari jubebat; maxime retiarios, ut exspirantium faciem videret: quia nuda facie, & sine galea, aut alio tegmine. Subjicit: *Postquam librata pendentia retia dextra Nequidquam effudit*. Ubi solemne genus ejus pugnæ repræsentatur. Ita enim docti retiarii factive, ut arte quadam collectum, suspensumve dextra manu rete in adversarii caput jacerent, &, si errarent, effuse fugerent, donec iterum rete colligerent: & ideo ait, *tota fugit agnoscendus arena Artemidorus*: Si cum retiario componi videbitur, capiet uxorem pauperem & lasciviusculam, & fugacem, & facilem volenti cuique jungi. Præter rete, tridentem sive fuscinam gestabat, qua impeteret adversarium. Postremo ait: *Credamus tunicæ*, quia retiarii inermes, & in sola tunica. *Suetonius* in CALIG. cap. 30. *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: cum occidi juberentur, unus, resumpta fuscina, omnes victores interemit*. Hæc de retiario, & secutore.

Sequitur *Thrax*, vel, ut *Lipsius* Saturnal. lib. 2. cap. 9. Threx. *Festus*: *Thraces gladiatores a similitudine parmularum thraciarum, sive a gente ipsa*. Nam Thraces breve scutum gestabant, quod parma dicebatur, a qua gladiatores Thraces dicti. *Martial*. 14. 213. *Hæc, quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro, Parma tibi scutum pumilionis erit*. Ideo ait sæpe parmam vinci solere, raro vincere: quia DOMITIANUS infestus erat factioni Thracum gladiatorum. *Clemens* Alex. Strom. 1. *Thraces*, inquit, *primo eam, quæ parma nominatur, invenerunt. Est autem gladius incurvus: & primo peltis in equis sunt usi*. Quid parma gladius fuit? Recte *Lipsius* corrigit τὴν καλουμένην ἅρπην. Harpa enim Thracum, quæ Latinis sica. Hæc autem incurva simul cum parma, Thracum propria erat: & est, quod ait *Juvenalis*, pugnantem falce supina. Quæ falx non alia, quam harpe, sive sica, & gladius incurvus. *Artemidorus*: *Si quis cum Thrace certare sibi videtur, uxorem ducet divitem, astutam, ambitiosam. Divitem*, quia protectus armis: *astutam*, quia gladius illi non rectus: *ambitiosam*, quia attollit se, & insurgit. *Suetonius* DOMITIANO cap. 10. *Patrem familias, quod thracem mirmiloni parem, munerario imparem, dixerat, detractum spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius*. In spectaculis, & alibi, semper periculum fuit, favere alicui contra studium Principis: verbum enim de his nugis emisisse, pro impietate acceptum. Ita cum DOMITIANUS gladiatorio muneri præesset, & paterfamilias quidam non infacetus, thracem mirmilloni, cum quo committebatur, parem quidem esse diceret, sed munerario imparem i.e. Domitiano, qui ob adversæ factionis favorem Thracem premeret, id sævus Imperator, ut in se dictum, morte puniit.

Tertio loco est *Mirmillo*. Eorum originem e Gallia deducit *Lipsius* auctore *Festo*. *Retiario*, inquit, *adversus mirmillonem pugnanti cantatur: Non te peto, piscem peto, quid me fugis, Galle?* Quin Mirmillonium, genus est armaturæ gallicæ; & ipsi Mirmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Ergo Retiarius ajebat, se recte captare piscem, qui in galea Mirmillonis. Videntur autem inter pugnam soliti subsidere ad excipiendum adversarium. *Cic.* 5. in Ant. *Marmillo pugnavit in Asia, cum ornasset threcidicis comitem, & familiarem suum illum miserum fugientem trucidavit*.

Sequitur *Hoplomachus*, & licet hoc nomen sonet quemlibet armis pugnantem, fuisse tamen gladiatoris speciem, ex *Seneca* patre lib. 3. Controvers. dicimus: *Quidam cum hoplomachis, quidam cum thracibus optime pugnant*. *Sueton.* CALIG. cap. 35. *Hunc e spectaculis detractum repente thraci, & mox hoplomacho comparavit*. *Martialis* 12. 74. *Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus ante: Fecisti medicus, quod facis hoplomachus*. Dubitat *Lipsius*, utrum cum Mirmillonibus, an cum Samnitibus confundat: & credit, Samnites fuisse, quorum nomen ante Ciceronem celebre; desiisse autem sub Imperatoribus, & abiisse in hoplomachum. Originem Samnitium tradit *Livius* l. 9. cap. 40. pag. 176. *Campani ab superbia & odio Samnitium, gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellat*. Quænam autem Samnitibus arma fuere? Idem *Livius* l. c. pag. 174. *Samnitibus duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. Spongia pectori tegumentum: & sinistrum crus ocrea tectum: galeæ cristatæ*. Talem ornatum fœminis, quæ Samnitium armatura pugnabant, assignat *Juvenalis* Sat. 6. v. 255. *Quale decus rerum si conjugis auctio fiat, Balteus, & manicæ, & cristæ, crurisque sinistri Dimidium tegmen*. Et quia pinnas in galea habere solebant, propterea eos, qui cum Samnite pugnarent, pinnirapos idem vocat Sat. 3. v. 158. *Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ*.

Ultimo loco fuere *Essedarii*, qui e curru, sive essedo pugnabant: *Andabatæ*, qui ex equis galea frontem, oculosque tecti, & quia clausis oculis pugnabant, ortum proverbium: *Andabatarum more pugnare*, hoc est, casso ictu, & in irritum. De quibus *Lipsius* Saturn. l. 2. cap. 12. Neque a Principibus modo, & Magistratibus, sed etiam a privatis, & vilissimis hominibus gladiatores datos, indicat *Martialis* l. 3. epist. 16. in cerdonem, quem sutorum regulum vocat, aitque, quod subula illi tribuerat, sicam rapuisse, & ideo

ebrium fuisse: non enim sobrium facturum, ut vellet corio suo ludere. Satis ergo lusisse. Tandem hortatur, meminerit nunc (se) in pellicula tenere sua, i. e. intra terminos artificii, & conditionis suæ. Alibi autem, videlicet lib.3. epist. 59. ait cerdonem hunc dedisse Bononiæ munus, at Mutinæ fullonem: nil ergo superesse, nisi ut etiam caupo gladiatores præbeat.

Venio nunc ad locum, in quo gladiatores certabant. Ut idem *Lipsius* libro peculiari notat: Quod nunc Romæ Coliseum, sive Colosseum, a proximo solis colosso appellant, veteres Amphitheatrum, sæpe Caveam sæpe Arenam dixerunt. Amphitheatrum græca vox, quia gradus undique, & sedilia continenter disposita ambibant in orbem. *Dio* l. 43. Theatrum venatorium, quod & Amphitheatrum dictum est, ex eo, quod sedes undique in orbem habeat, sine ulla scena. Ut hoc melius intelligatur, facit, quod narrat *Plinius* l. 36. cap.15. fidemque superat. Nam Curio munere patris funebri theatra duo juxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento. In quibus utrisque, ludorum spectaculo edito, cornibus inter se coeuntibus faciebat Amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis Populum Rom. auctoratum circumferens. Ecce Pop. Romanus universus, veluti duobus navigiis impositus binis cardinibus sustinetur, & se ipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis. Hoc ergo fuit Amphitheatrum. Latini ab interiori parte, quæ concava, *caveam* dixerunt. Sed etiam *Arenam* vulgo appellarunt, quod is locus in usum pugnæ sterni arena solebat, ne in tam crebra effusione sanguinis lubrico solo pugnaturi laberentur, sed injecto sabulo firmius pedes figerent. Hinc passim arena pro certamine gladiatorum accepta. *Tacitus*: *Sed fœminarum, Senatorumque illustrium plures per arenam fœdati sunt*. Sic damnari in arenam, & arena mitti apud ICtos de Gladiator. & Venatione. Præcipuum Romæ amphitheatrum fuit, quod VESPASIANUS media urbe inchoavit. TITUS absolvit, & dedicavit, quod nunc Coliseum dicitur: opus maximum tantæ altitudinis, ut ad ejus summitatem, inquit *Ammianus*, ægre visio humana conscendat; tantæque capacitatis, ut cepisse 88. hominum millia P. *Victor* tradat, qui de gradib. tamen intelligitur, in quorum pulvillis tot millia hominum sederent: at in ambitu superiore, & circumjectis porticuum aulis, non minus item spectasse credit *Lipsius*, quam dena aut 15. hominum millia, sive stantes, sive in allatis cathedris sedentes.

Sed ut ad ejus partes accedamus: Cavea ferme, non rotunda, sed ovali forma fuit. Sub arena cameras fuisse quasdam, & specus subterraneas, Amphitheatrum Veronense demonstrat, ad custodiam scilicet, & receptum ferarum, quæ sub ipsam pugnam adservatæ: & in iis portulæ, ex quibus eædem feræ emittebantur. Quare aliquando arena arboribus conserebatur, & vertebatur in silvam, ut videretur vera venatio: de qua alias dictum. Hinc ex antris subito dehiscentibus feræ emittebantur. Imo & navis aliquando in arenam inducta, quæ solutilis esset, & subito laxata emitteret omne genus ferarum. *Dio* narrat, ab hac navi sumptum exemplum a NERONE illius, qua matrem necaturus erat, eamque describit in SEVERO. Receptaculum omnium ferarum in Amphitheatro extructum erat instar navis, quæ capere simul & emittere posset ad feras CD. Ea autem subito occulte soluta, exsiliebant ursi, leænæ, pantheræ, leones, struthiones, onagri, bisontes, ita ut DCC. feras, aut pecudes simul currere liceret cernere, & occidi.

Aliquando per occultos ductus, & meatus aqua in caveam immittebatur, & pro feris monstra maris apparebant, & classes, & navalis pugna. *Idem* de NERONE: *Aliquando belluis interfectis, & venatione exhibita subito aquam in Amphitheatrum induxit, & navale certamen ostendit, rursumque, ea educta, gladiatores in sicco præbuit*.

Arenam claudebat murus, & ambiebat, qui *podium* sustinebat. *Podium* cum *Lipsio* appellamus projecturam in summo muro, quæ paulum provehitur, & propendet instar pedis; unde & nomen. Podio autem columnæ cum epistyliis impositæ ad ornatum, sive, cum liberet, ad innixum. Ad podium primi e senatu spectabant. Nam cum in primis gradibus soli Senatores spectare possent, qui locus Orchestra dictus, dignissimus habitus est imus gradus, qui podio proximus, & arenæ. *Suetonius* AUG. cap. 44. *Factum decretum Patrum ut, quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus*. Atque ita Coss. Prætores, & reliquos Magistratus ibi sedisse *Lipsius* existimat. Nec Magistratus tantum ad podium, sed & Principes, quibus eminentior suggestus extructus, & veluti sua domus. Origo a CÆSARE, quem inter alios honores hunc admisisse, ait *Suetonius* cap. 39. Statuam inter Reges, suggestum in orchestra, & licet murus podii olim satis altus, ut qui duodenos, quindenosve pedes emineret, contra inopinatos tamen casus, & incursus belluarum satis provisum erat. Nam primo retia valida & nodosa in orbem undique podium cingebant, quorum tamen raritas non impediebat aspectum. *Plinius* l. 37. cap. 3. *Tanta*, inquit, *copia succini invecta, ut retia, arcendis feris, podium protegentia succinis notarentur*. At contra elephantos clathris ferreis arenam totam circumdabant, aut certe euripis: valde enim id genus metuens aquæ. *Idem* de Elephantis: *Universi eruptionem tentavere non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis*.

Ad gradus modo, & subselliorum ordinem veniamus. *Gradus* appellamus ea loca, in quibus spectatores sedebant, sic dictos, quia ad formam scalarium graduum, alii alios consequerentur. Hi e lapide fuerunt. Unde illud *Aristippi*: Cui bono eruditio? *Huic saltem*, inquit, *ne in theatro lapis sedeat supra lapidem*. Initio tamen lignea fuerunt. Tradit *Tacitus* l. 4. cap. 63. sub TIBERIO, cum cœptum Fidenis ampitheatrum esset parum firma compage, ipso spectaculi tempore corruisse, & ferme L. hominum millia debilitata, vel obtrita fuisse. Sero postea repertum, ut primum Senatoribus, mox & Equitibus pulvilli substernerentur.

In ipsis autem gradibus certis locis portæ quædam sive ostia fuere, per quæ ab exterioribus partibus veniebat populus, & descendebat in arenam, easque plures fieri oportere, tradit *Vitruvius*, ne cum populus discederet, comprimeretur.

Viæ duplices a *Lipsio* statuuntur: aliæ per ambitum præcinctionum, aliæ in proclive. *Præcinctiones* appellant graduum intervalla, & divisiones quasdam in orbem: gradus nempe altiores latioresque, qui reliquos minores veluti præcingerent, & complecterentur. Aliæ viæ *scalariæ* dicebantur, quæ nempe inter cuneos ad ascensum, & descensum: quæ tamen scalæ humiliores erant aliis gradibus sedentariis parte dimidia. Inter has vias scalares, sedes interceptæ *cunei* dicebantur, sic appellati, quod ab angusto in latum extenderentur, & cunei formam exprimerent. Viæ enim in amphitheatro, veluti lineæ ad centrum tendentes, ab lato in angustum desinebant. Cuneorum mentio frequens. *Juvenalis* Sat. 6. v. 61. *Cuneis an habent spectacula totis, Quod securus ames?*

Ulti-

Ultimo est *locus in sedendo*. Populus Rom. divisus in Senatum, Equitem & Plebem. His discreta sua loca, & gradus in spectaculis. In theatro quidem jam olim lege Roscia: in circo, & in amphitheatro promiscue spectarunt, quamdiu Romæ libertas. Id mutatum sub Principibus, & Senatui in amphitheatro sua sedes, sua Equiti, sua Plebi. Prima Orchestra dicebatur: secunda Equestria: tertia Popularia. *Orchestræ* vox, nata in scena & pulpito, transiit abusu quodam & ad alios ludos. Ea sedes, ut ait *Vitruvius*, inter gradus imos fuit. Is enim locus, quia scenæ, & arenæ proximus, ideoque oculis, & auribus expositus, optimus habitus, & aptissimus. Equestria locus Equitum. Illa apud *Petronium* cap. 126. pag. 601. *Ego*, ait, *etiamsi ancilla sum, numquam tamen* A *nisi in equestribus sedeo*. Hæcque 14. gradus tenuere lege veteri. Itaque *sedere in* 14. pro ipsa dignitate equestri sumebatur. *Seneca* lib. 2. de Benefic. cap. 9. *At hercule multis* 14. *gradus sunt clausi*: *non omnes Curia admittit*. Tribuni autem militares inter Equites spectabant. *Martialis* lib. 3. epigr. 95. *Vidit me Roma tribunum, Et sedeo, qua te suscitat Oceanus*. Reliqui gradus *Popularia* dicebantur, & *Cavea*. *Suetonius* in CLAUDIO cap. 25. *Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate & fiducia eorum motus, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos, & Armenios sedentes in Senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem ac conditionem suam prædicantes*.

FINIS.



NICOLAI CALLIACHII

IN GYMNASIO PATAVINO

Græcæ Latinæque Humanitatis olim Professoris

DISSERTATIO

DE

GLADIATORIBUS.

NICOLAI CALLIACHII

DISSERTATIO

DE

GLADIATORIBUS.

Ad illud Juvenalis Sat. 8. v. 200.

Dedecus Urbis habes: nec Myrmillonis in armis

Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina,

Nec galea faciem abscondit.



Nsignem Nobilitatis Romanæ dedecus, atque palmarem infamiam sugillat hoc loco Juvenalis, quod non in scenis tantum & theatris histriones & mimos agerent, verum etiam in arena Gladiatoriam exercerent; atque ex infami illa exercitatione gloriam aucuparentur: nec Myrmillones, Secutores, aut Thraces, quorum habitu tecti, vultus spectatorum oculis subducere poterant; sed Retiarios potius agere gauderent, scilicet ut nudo vultu ab omnibus dignoscerentur.

Hæc autem ut penitius intelligamus, atque hujus dedecoris fæditatem animo concipere possimus, operæ pretium est primo breviter inquirere, cujusnam conditionis homines essent, qui muneribus atque Gladiatoriis spectaculis adhibebantur; mox etiam, quid Myrmillones, quid Secutores, Thraces, ac Retiarii.

Igitur munera atque gladiatoria certamina occasione publicorum funerum incepisse constat: in quibus tamen, nonnisi servi, aut captivi adhibebantur. Auctorem habemus hujusce rei luculentissimum Tertullianum, qui libro singulari de Spectaculis cap. 12. hæc habet: *Olim, quoniam animas Defunctorum humano sanguine propitiari creditum est, captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare, itaque quos paraverant, armis quidem tunc, & qualiter poterant, eruditos, tantum ut occidi discerent; mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant; ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneris origo.* Hinc apparet, huic ludo, sed nimis hercle serio, truculento & inhumano non fuisse adhibitos, nisi servos, & captivos: neque quoscumque, sed malo ingenio tantum, hoc est contumaces, & feroces, atque a judicibus damnatos, quos instituere, & mox paratos vendere munerariis solebant; namque ut Lenonibus ancillas, ita Lanistæ vendi, vetuit Adrianus Imperator apud Spartianum cap. 18. *nisi causa præstita*. Igitur si qui servi, aut contumaces, aut fugitivi essent, hi quidem a Judicibus aut Lanistis vendi, aut ad gladii ludum damnari solebant. Atque hinc Capitolinus in Macrino cap. 12. *Servos qui a Dominis fugissent, repertos ad gladii ludum deputabat*. Captivi quoque aut in hanc rem vendebantur Lanistis, aut ab Imperatoribus post triumphum ad hæc munera dabantur. Erant autem Lanistæ gladiatorum institutores & magistri, Græcis *δουλοτρόφοι*, & *μονομαχοτρόφοι*. Familias enim habebant domini ad gladiaturam exercendam. Sed paulatim, non servi modo, & captivi, verum etiam homines liberi hisce spectaculis operam dare cæperunt. Atque ex his liberis hominibus, alii quidem gratuita opera, ex sola nempe pugnandi libidine: de quibus loquitur Tertullianus ad Martyres cap. 5. *Quot otiosos adfectatio armorum, ad gladium locat. Certe ad feras ipsas adfectatione descendunt, & de morsibus & cicatricibus formosiores sibi videntur.*

Alii vero venalem Lanistis sanguinem offerebant, atque horum merces, supra cæteras alias, Ciceronianis verbis, vere appellari debuit, *authoramentum sanguinis*. Auctorati enim, non ad mortem damnati, hoc faciebant. De his Manilius lib. 4.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ
Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.

Et Firmicus: *Hi ob alienæ gratiæ voluntatem nundinati sanguinis jacturam ad mortis spectacula vendunt.* Sed parum tamen est, quod homines liberi, parvo pretio se ipsos Lanistis venderent, atque muneribus gladiatoriis inservirent. Labes ista subsecutis temporibus Equites etiam & Senatores infecit: quorum alii Principibus rem gratam facturi; alii bonorum omnium naufragio tandem ad gladiatoriam, velut ad portum, desperatione rerum appellebant. De quibus loquens Seneca, *aspice*, inquit, *illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus, in arenam luxuria conjecit.* Alii vero graviores ætate, atque non jam amplius vulsi & glabri, eaque propter minus mulieribus amabiles, quorum voluptatibus serviendo victitabant, in familia gladiatoria merere cogebantur. De quibus Propertius lib. 4. Eleg. 8. v. 25.

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

Prima autem tantæ fæditatis exempla sub Divo Julio conspecta sunt Romæ. Namque ipse Roma-

nis Equitibus uti pugnarent permisit, auctore Dione lib. 43. *Cum vero munus ederet in Foro, depugnavit*, testatur Tranquillus cap. 39. *Furius Leptinus stirpe Senatoria, & Q. Calpenus Senator quondam actorque causarum*. Quorum exemplum atque temeritas adeo multos ad imitationem excitavit, ut cavere debuerit Augustus, *μήτε βουλευτὴν μονομαχεῖν, μήτε δῦλον ῥαβδυχεῖν*. *Neque Senatorem gladiatorem fieri, neque servum Lictorem*. Sed ab Equitibus tamen hanc notam non arcuit, quibus etiam ipse, eodem teste Dione lib. 56. *μονομαχεῖν ἐπέτρεπεν*. Quamquam hoc deinde, Senatus consulto vetitum etiam Equitibus fuisse deducitur ex Suetonio cap. 44. *Equitibus*, inquit, *Romanis ad scenicas & gladiatorias operas aliquando est usus, verum priusquam S. C. interdiceretur*. Sed huic sane S. C non paruerunt, neque Cæsar, qui una comissione XXVI. equites edidit; & *equestrem ordinem utpote scenæ, Arenæque devotum assidue proscidit*; apud Suetonium cap. 30. Neque Nero, qui eodem Tranquillo teste cap. 12. *Exhibuit ad ferrum quadringentos Senatores, sexcentos Equites Romanos*. Quem tamen numerum, ut incredibilem minuunt Critici. Quænam enim, malum, tanta amentia ordinem Senatorium invaserat, ut e sexcentis, tot enim non plures Augusti lex Senatores admittebat, quadringenti infamem illam pugnam pugnarent. Igitur Senatores quidem ad quadragenos, Equites autem ad Sexagenos minuunt. Sed quidquid sit de numero, ex præclarissimis familiis illos suisse testatur Dio, referente Xiphilino. *Visæ sunt eo tempore*, inquit, *veteres & illustres Familiæ, Furii, Fabii, Porcii, Valerii, cæterique omnes, quorum trophæa & templa conspiciebantur, ea de inferiori loco facere, quæ ne ab aliis quidem hominibus fieri unquam visa fuerunt. Jamque vicissim digito monstrabantur. Dicebant enim Macedones, hic est Nepos Paulli; Græci autem, ille Mummii; Tum Siculi ajebant, videte Claudium; mox Epirotæ, vos vero Appium videte; Asiatici Lucium ostendebant, Hispani Publium, Carthaginienses Africanum, Romani vero omnes*. Tantam vero hanc indignitatem fuisse, censet Juvenalis Sat. 8. v. 189. ut ne Populum quidem absolvat, quod tantæ nobilitatis dedecus spectare potuerit.

.... Nec tamen ipsi
Ignoscas Populo: Populi frons durior hujus,
Qui sedet, & spectat triscurria Patriciorum.

Sed nempe temporum illorum ea fuit immanitas, ut jubentibus sævissimis illis Cæsaribus, atque cogentibus, homines nobilissimi, Senatorum & Dictatorum filii, infamibus illis operis se se polluere deberent, vel ut coronatis illis monstris gratificarentur, vel ut crudelitatem effugerent. Sed illa tamen summa fuit infamiæ, quod hæc plerique facerent *nullo cogente Nerone*, hoc est sponte sua, nulloque jubente. Tacitus ann. 14. de Nerone loquens, *donis ingentibus, operas arenæ promittere nobilissimos Equites Romanos adactos*, scribit; quorum majoribus, quemadmodum illud tribuere se ait, quod non nominatim tradit, ita excusationem etiam aliquam prætendens, dicta concludit: *Nisi quod munus ab eo qui jubere potest, vim necessitatis affert*. His consimilia refert etiam Macrobius lib. 2. c. 7. *Laberium asperæ libertatis Equitem Romanum Cæsar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in scenam, & ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Sed potestas non solum si invitat, sed & si supplicet, cogit. Unde se Laberius a Cæsare coactum in prologo testatur*. Sed quæ tamen, Laberi, potuit esse ista tanta necessitas? Nonne Statius multo fuisset, gladio jugulum offerre, quam infamibus hisce artibus se se polluere? inquit Juv. v. 195.

Finge, gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid Statius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corithi?

Sed mores tamen adeo corruerant, atque decus & majestas adeo fuerat prolapsa, ut Commodus, non Eques, non Senator, non Consul, sed Cæsar Augustus, in arenam ipse descendere; atque rudibus cum gladiatoribus pugnare non dubitaverit: interque cætera triumphalia nomina appellari ambiverit, sexcenties vicies *πρωτόπαλος τῶν Σεκουτόρων*, secutorum scilicet primum. Testis est Lampridius in Commodo. His similia refert & Capitolinus in Vita Marci Antonini Philos. c. 19. ubi Gladiatorem Commodum fuisse ait, *non Principem, qui mille prope pugnas, publice populo inspectante, gladiatorias Imperator exhibuit*.

Quis vero crederet infamiam hanc, jam ordini Senatorum atque Equitum admodum familiarem, infamem alias Vitellium abstergere conatum? Id tamen testatur Tacitus histor. lib. 2. cap. 62. *Cautum*, inquit, *severe, ne Equites Romani ludo & arena polluerentur. Priores id Principes pecunia, & sæpius vi perpulerunt: ac pleraque municipia & Coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentium pretio allicere. Tandem præsente Honorio*, inquit Sigonius de Occid. Imper. lib. x. p. 230. *res accidit memorabilis, quæ finem muneri gladiatorio attulit. Cum gladiatores adhuc prisco more in Foro darentur, Telemachus quidam ex Oriente Monachus spectaculi fœditatem aversatus dirimendi certaminis gratia provolavit in medium. Quare Populus indignatus, Monachum lapidibus est aggressus. Quem extinctum ubi sensit Honorius, in numerum Martyrum ascribi curavit, & nova lege, ne imposterum gladiatorium munus ederetur, edixit*.

Atque ex his habemus originem, progressum ac tandem gladiatoriorum munerum finem. Nunc de generibus gladiatorum, non quidem omnibus, sed de iis tantum, quorum Juvenalis meminit, eorumque discrimine agamus. Igitur primo Myrmillonis meminit Satyricus.

Nec Myrmillonis in armis &c.

Myrmillones genere quodam armaturæ gallicæ in amphitheatralibus spectaculis usos constat: atque exinde Myrmillones appellabantur etiam Galli. *Myrmillonium, genus armaturæ gallicum est*, inquit Festus, *ipsi Myrmilliones antea Galli appellabantur*. Arma Myrmillonis erat galea, non illa quidem cum cæteris gladiatoribus communis, utpote quæ in sui summitate piscem haberet, eodem auhore Festo: addebatur & Scutum, seu clypeus, ut gladius. Myrmillonis vocem e græco defluxam hariolatur Turnebus adversf. lib. 5. cap. 4. Nam, quod ea armatura fortissimorum erat hominum, quales opinione omnium fuerunt antiqui Myrmidones Achillis Milites, & habebantur sententia Romanorum Galli, Myrmillonesque de Græca illa fortissima natione appellabantur; idcirco gladiatoribus hoc nomen hæserat. Nam D in L mutari, *Ulysses* perspicue ostendit, qui est Græce *Ὀδυσσεύς*. Ridet, & vehementer ridet ad hujusmodi originationem Lipsius. Sed cum non meliorem tamen derivationem afferat ipse, poterat risum cohibere, eidemque temperare. Sed amabo te tamen, Lipsi: Nonne ex Tacito lib. Annal. 3. Myrmillones istos Crupellarios vocatos tradis? nonne addis, ita dictos Gallis, quasi qui ob gravitatem

armorum reperent, non irent? Nonne subdis, Myrmillones inter pugnandum solitos subsidere, atque adversarium expectare? Vide modo, quam hæc Turnebi derivationi faveant. Myrmidones ἀπὸ τῶν μυρμήκων, a formicis dictos, norunt omnes: sive quia, ut est in fabulis, populo peste absumpto, ex voto Æaci, Jupiter formicas in homines commutarit, ut refert Ovidius Metamorph. lib. 7. fab. 25. sive quia formicarum instar terram foderent, atque agriculturæ operam darent, ut mavult Strabo Geog. lib. 8. sive quia primis temporibus ὀλιγανθρωπούσης τῆς νήσου, (Æginæ scilicet) in subterraneis cavernis formicarum more habitarent. Eccur igitur a μύρμος, quod est formica, aut Myrmidones, aut Myrmillones appellari nequiverunt gladiatores illi, cum propter gravem armaturam, non incedere, sed formicarum more repere potius viderentur? Verum hæc ex parergo.

Revertamur ad Gladiatores, quorum alii appellabantur Myrmillones, alii Secutores. Sed hos eosdem cum Myrmillonibus fuisse, viri docti tradunt: adeoque ad Thraces, seu Threces transeo. Hos igitur dictos, inquit Festus, a similitudine parmularum Thracicarum. Sed fortassis etiam ita dictos putat Lipsius, quod eorum origo ex illa gente fuerit, quam ingenio ad pugnas, & sanguinem pronam tradunt historici. *E Thracibus*, inquit Ammianus lib. 27. cap. 4. *præter alios, ut immaniter efferati, timebantur Odrysæ, ita humanum fundere sanguinem assueti, ut cum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas post cibi satietatem & potus, suis, velut alienis corporibus, imprimerent ferrum.* Arma autem propria Thracum, Parma, quod erat breve scutum, ita dictum, auctore Varrone, quod e medio in omnes partes esset par, adeoque rotundum. Erat autem parma Thracum populo familiaris, ideoque parma dicitur θρακικὸν ὅπλον, quod Græci peltam vocant. Vide Manutium de Quæsitis per Epistolam epist. 6. Cum parma autem utebantur harpe, hoc est sica, gladio nempe incurvo: *falcem supinam vocat Satyricus*. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum ex emendatione Lipsii: *Thraces primi eam, quæ Harpe nominatur, invenerunt: est autem gladius incurvus* &c. *& primi Peltis in equis usi sunt.*

Retiarium optime nobis describit Juvenalis. Ait enim non clypeo, ut Secutores & Myrmillones, usum, non falce supina, ut Thraces, non galea, ut reliqui gladiatores, sed solo galero contentum & recte, & fuscina, sive tridente. Igitur Retiarius dextera, arte quadam, suspensum tenebat rete, quod in adversarii caput jaceret, quo si illum implicasset, jam tridente, quod sinistra tenebat, conficiebat: pugnabat autem cum Secutore, seu Myrmillone, in cujus galea piscis eminebat; ideoque cum rete effunderet dicebat, *non te peto, piscem peto, cur me fugis, Galle?* hoc est Myrmillo. Gallos enim appellatos fuisse Myrmillones diximus.

Quod si nequicquam rete effudisset, neque caput Myrmillonis irretisset, spes tunc erat in fuga, qua se effuse subripiebat Myrmilloni, qui ex eo quod tunc Retiarium insequeretur, secutor appellari potuit: donec forte iterum rete colligeret, atque ad pugnam se se reciperet. In hac autem fuga, cum Retiarius solo galericulo caput tectus esset, se cognoscendum omnibus spectatoribus exhibebat. Atque hinc indignitatem istius Gracchi sugillat Juvenalis Sat. 2. v. 144. Qui cum esset *Et Capitolinis generosior, & Marcellis, & Catuli, Paulique minoribus, & Fabiis, & omnibus ad podium spectantibus*, Retiarium tamen agens, & cum secutore pugnans, Sat. 8. v. 203.

Postquam librata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.

Lætabatur autem, & mirum in modum tali spectaculo gaudebat ignobilis populus, qui hac ratione fastum nobilitatis se conculcare putabat, cum suæ voluptati vel nobilissimos Cives servire infami illa exercitatione ac dimicatione conspiceret. Atque idcirco, teste in Nerone Dione, cum turpissimus ille Cæsar ad hujusmodi spectacula aut præmiis, aut minis nobilissimos quosque alliceret, atque eorum plerique minus perfrictæ frontis ore personato accederent; *Nero* (verba Dionis sunt) *petente populo, ab iis personas auferebat, eosque patefaciebat omnibus, apud quos paulo ante Magistratus gesserant.* Sed hoc tamen opus non erat in Graccho, aliisque hujusmodi, qui habitu Retiariorum pugnabant, quippe nulla galea obtecti nudam faciem exhibebant; præcipue dum fuga mediam lustrarent arenam.

F I N I S.

NICOLAI CALLIACHII
IN GYMNASIO PATAVINO
Olim Græcæ Latinæque Humanitatis Professoris

DISSERTATIO

DE

SUPPLICIIS SERVORUM.

NICOLAI CALLIACHII
DISSERTATIO
DE
SUPPLICIIS SERVORUM.

Ad Livii lib. XXIX. c. 8. & 9. & præsertim 18.



Scipio, receptis Locris, Q. Pleminium legatum, atque militum quantum satis erat ad præsidium & Arcis & Urbis, sub Tribunis suis reliquit. Pleminius singulare, atque apud Romanos raro alias visum crudelitatis, atque avaritiæ exemplum erat: quippe cui, ut Locrensium Legati ad Senatum retulerunt, nihil hominis erat, præter figuram & speciem; neque Romani Civis, præter habitum vestitumque, & sonum latinæ linguæ. Igitur cum veluti quotidie caperentur Locri, quotidie eosdem diriperet; neque solus avaritiam, & crudelitatem exerceret, sed omnes Centuriones, & Milites Pleminios fecisset, omnesque raperent, verberarent, vulnerarent, constuprarent, occiderent, ex jurgio inter milites Pleminii, atque Tribunorum orto; cum ipse reos Tribunos fecisset, Virgasque in eosdem expediisset, ita Tribunitiorum militum animos exasperavit, ut sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in Legatum impetu facto, lictoribus primo male mulctatis, illum ipsum hostiliter laceratum, naso, auribusque mutilatis, reliquerint. Adfuit ad causam cognoscendam ex Messana Scipio, sed cum nimis leniter latam injuriam suam Pleminius existimaret, post Scipionis discessum, Tribunos ad se attrahi jussit, ac verberatos, servilibus omnibus suppliciis cruciatos, inquit Livius, trucidando occidit, mortuosque deinde prohibuit sepeliri. Hæc res nos monet, ut quæramus, quænam fuerint servilia isthæc supplicia, quibus Tribunos a Pleminio cruciatos, atque trucidatos Livius refert.

Igitur Dominium in servos, non apud barbaras tantum regiones; sed apud Græcos etiam, & Romanos cum summi juris, tum summæ etiam injuriæ fuisse constat. Equidem sancte exclamat Seneca, servi nomen ex injuria natum. Quippe si Joanni Saresberiensi credimus lib. I. Policrat. cap. 4. Primus omnium Nemrod, Idololatriæ scilicet repertor, & Politicorum parens, *in tantam elationis vecordiam erupit, ut non veritus sit, jura temerare naturæ, cum consortes conditionis, & generis, quos ingenuos illa creaverat, addixit servituti*. Atque idcirco citatus Seneca Epist. 47. *Servi*, inquit, *sunt? imo homines. Servi sunt? imo contubernales. Servi sunt? imo humiles amici. Servi sunt? imo conservi; atque id non solum quia tantundem in utrosque licet fortunæ; verum etiam quia vix unus ostendi potest, qui servus non sit, cum alius libidini serviat, alius avaritiæ, alius ambitioni, alius timori*. Nihilo tamen minus adeo conditio servorum semper contempta est, ut non solum nullum jus haberent, carerent nomine, censu, tribu, sed pecudum numero haberentur, atque quadrupedibus, cæterisque animantibus brutis exæquarentur. Quod ipsum fatetur cum sto-

A macho citatus Seneca: *dum alia*, inquit, *interim crudelia & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus, sed tanquam jumentis abutimur*. Atque hinc uxor illa apud Juvenalem crudelissima, quæ crucem servo poni jusserat, præmonente opportune Marito, non tam subito & inconsiderate de morte alicujus hominis statuendum, cum nulla cunctatio, nulla mora, nulla deliberatio de morte hominis possit esse nimis longa: non minus crudeliter, quam stulte respondet v. 221.

O demens, ita servus homo est?

Cum hac vero stultissima fœmina, & si nemo dubitaverit unquam an servi sint homines, L. Florus B lib. 3. c. 20. de bello Spartaco, non ejusdem generis cum liberis & ingenuis esse affirmat servos, sed aliud veluti secundum hominum genus constituere. *Enimvero*, verba ipsius sunt, *servilium armorum dedecus feras, nam & ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt*. Igitur cum Servi, aut homines non esse existimarentur, aut quod maximum, minorum veluti gentium homines putarentur, mirum quantum in eosdem & contumeliosi, & superbi, & crudeles exstiterint Domini.

Non referam quæ in fugitivos, aut in furto[illegible]isque C maleficiis deprehensos exercebantur supplicia. Quippe tunc & verbera, & stigmata, & laquei, & cruces, justa maleficiorum præmia videri poterant: licet tanta vel in his haud raro adhiberetur crudelitas, ut vel Deorum nemesim excitaret. Qualis illa fuit illius Romani Civis, cujus meminit Dionysius lib. 7. p. m. 473. qui servum damnatum conservis tradiderat ducendum ad supplicium; & non contentus pœna, ut magis esset conspicua, per Forum cæteraque insignia Urbis loca trahi, flagrisque cædi jusserat, ante ludorum pompam, quam Civitas tunc Jovi traducebat. Quæ inhumanitas adeo vel Jovi ipsi displicuit, ut questus sit, D haud bellum sibi datum in ludorum pompa ὀρχηστὴν, *Præsultatorem*, sibique satis fieri postulaverit. Sed hæc tamen, ut dicebam, missa faciam; illa namque referre animus est, quibus Domini, aut etiam Dominæ in Servos aut insontes, aut ob levissimas tantum culpas exercebant. Igitur servi cœnantibus Dominis adstare debebant, atque ita iisdem ministrare, ut virgis luerent, si vel hiscere tantum ausi fuissent. Testatur id de Persis Ammianus lib. 23. prope finem, ubi legimus: *Nec ministranti apud eos famulo, mensæque adstanti hiscere, vel loqui licet, vel spuere; ita prostratis pellibus, labra omnium vinciuntur*. De Romanis autem Seneca E loco supracitato: *Infelicibus servis*, inquit, *movere labra ne in hoc quidem ut loquantur, licet. Virga murmur omne compescitur: & vel fortuita verberibus excepta sunt. Tussis, sternutamenta, singultus, magno malo ulla voce interpolatum silentium luitur*. Atque lib. 3. de ira c. 35. *Quid flagella*, inquit, *media cœna petis? Quod servi loquuntur? Quod non eodem loco & turba concionis est, & silentium solitudinis?* Videturque genus

quoddam fuiſſe Officii, quo qui fungerentur, loquentes, atque ſilentium non ſervantes præſenti pœna coercerent. Quorum exemplo, ubi rerum ſumma ad Principes delata eſt, inter alios Palatii atque domus Auguſtæ miniſtros, etiam ſilentiarii, atque decuriones ſilentiariorum inſtituti ſunt, quorum munus non humile, ut ſomniat Zonaras, ſed perhonorificum, multiſque fultum privilegiis erat; quippe ad ſilentiarium, qui locus erat prope Triclinium, excubabant, dabantque operam ne ſilentium Principis interpellaretur; adeoque ſi qui hac in re deliquiſſent, virgis aut alia mulcta coercebant. Quid autem facilius, aut etiam levius, quam chriſtallinum aliquod frangere? Et tamen Vedius Pollio, auctore Seneca lib 3. de ira cap. 4. unum ex ſervis quod calicem chriſtallinum fregiſſet, rapi juſſit; atque, ne Cæſaris quidem præſentia iram atque inſaniam temperare ſatis admonitus, Murenis objecit, quas ingens piſcina continebat. Et novitate quidem crudelitatis motus Cæſar, ſervum mitti, chriſtallina vero omnia coram ſe frangi juſſit, complerique piſcinam. Sed ad hanc immanitatem plus Cæſare commotus Seneca lib. 1. de Clem. cap. 18. *O hominem*, exclamat, *mille mortibus dignum! ſive devorandos ſervos objiciebat murenis, quas eſurus erat: ſive in hoc illas tantum alebat, ut ſic aleret.*

Neque vero minus furioſæ in ancillas erant Dominæ, quam eſſent Domini crudeles in ſervos. Deteſtatur id Satyricus Sat. 6. v. 489.

Diſponit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humero Pſecas infelix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.

Nimirum quaſi crimen illud maximum eſſet, & facinus, quod cincinnus inæqualis eſſet, & non ſatis compoſitus, flagro ex taurino pene confecto, nudi miſeræ a vertice humeri cædebantur. Alias etiam ob ſimilia delicta ingenua dominarum cruentas ancillas deſcribit Galeaus de dignoſcendis morbis cap. 8. Illud vero inſigne crudelitatis argumentum præſertim in feminis, quod annua pleræque ſalaria carnificibus ſolverent, ut cum eſſent iratæ, ſervorum familiam cæderent: & quando, quoſque, & quantum vellent, flagellarent. Graphice hanc nobis crudelitatem ob oculos ponit Satyricus Sat. 6. v. 478.

Sunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat, atque obiter faciem linit, audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum.
Et cædens longi relegit tranſverſa diurni,
Et cædit: donec laſſis cædentibus, exi,
Intonat horrendum, jam cognitione peracta
Præfectura domus, Sicula non mitior aula.

Atque ex his apparet, quam immoderate ſervis imperarent Domini, & quam levibus aut etiam nullis de cauſis in eoſdem deſævirent, cogitantes nempe, quantum illi impune pati poſſent, non quantum ſibi permitteret æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis jubet, & aliquid vel in pretio paratis non licere, eo quod ejuſdem ſint cum Dominis naturæ. Nimirum illa in Dominorum omnium ſuperbia obtinuerat opinio, ut docet S. Chryſologus Sermone 141. *Quidquid Dominus indebite, iracunde, libens, volens, oblitus, cogitans, ſciens, neſciens circa ſervum faceret, judicium, juſtitiam, legem eſſe: Imperantis iram ſubdito jus eſſe, & libitam Domini vocem non habere conditionem ſervitutis.* Atque hinc ſtultiſſima illa Fæmina ſupra citata apud Satyr. v. 221.

Nil fecerit, eſto.
Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Sed videamus, quænam ſervilia proprie eſſent iſta ſupplicia, quibus honeſti atque liberi homines non niſi per ſummam injuriam affici poterant. Ariſtophanes in Ranis act. 2. ſcen. 6. hæc nobis ſervilia ſupplicia recenſet. *Torque*, inquit, *quovis modo; Ad ſcalam ligans, ſuſpendens, flagello ex ſetis ſuillis confecto cædens, excorians, diſtorquens, inque nares acetum infundens, lateres imponens, omniaque alia tormentorum genera adhibe; ſed tantum porro ne verbera iſtum, neque allio recenti.* Ubi Scholiaſtes Græcus, *liberos homines*, inquit, *porro atque allio recenti verberari conſueviſſe, atque idcirco hoc veluti liberorum ſupplicio abſtinendum eſſe monet Xanthias; aliis vero utpote ſervilibus omnibus in ſervum illum utendum.* Et alia quidem iſthæc ſupplicia ſuſpenſionem, excoriationem, flagellationem, diſtorſionem, atque aceti in nares infuſionem fuiſſe facile eſt intelligere. Sed quærere fortaſſis quiſpiam poſſet, quod ſupplicii genus eſſet Scala, atque laterum impoſitio. Et ſcalam quidem ὄργανον βασανιστικὸν, inſtrumentum ſcilicet tortorium fuiſſe teſtatur Suidas, quod diſtorqueret illorum membra, & corpora, qui eidem illigarentur. Equidem voluiſſem, Suidas, aut aliquis alius ſcalam iſtam, ſeu inſtrumentum torquendis hominibus accommodatum clarius deſcripſiſſet. Verum in tanta obſcuritate, ſi licet ariolari, dicerem, cum Scalæ iſti illigarentur ſervi, ut eorumdem membra & corpora diſtorquerentur, quemadmodum aſſerit Suidas, Tormentum iſtud illi ſimile fuiſſe Rotæ, qua reos, atque nonnullos etiam Religionis noſtræ Martyres cruciatos in Gallia fuiſſe legimus. Rotæ illud tormentum erat hujuſmodi. In ſingulis radiorum interſtitiis membra cruciandorum, vectibus primum ferreis confracta immittere, atque inſerere curabant, ut quaſi intexti radiis viderentur: deinde rotas in erectorum ſtipitum terræ infixorum eminentiori parte collocantes, diu hoc prorſus modo eos vivere ſinebant. Simili igitur fortaſſis ratione, reorum atque ſervorum præſertim membra infracta primum, gradibus ſcalarum interſeri, atque immitti poterant, itaque diſtorqueri. Ad laterum autem impoſitionem quod attinet, tale quoddam ſupplicium fuiſſe non ambigo. Manibus poſt tergum ligatis, ſuſpendebatur ab ipſis manibus ſervus; tum vero humeri ejus aut lapidibus, aut glebis toſtis ſalis, atque etiam non raro coctis lateribus onerabantur.

Sed hæc tamen ſæviora erant Servorum ſupplicia: inter mitiora nullum frequentius flagellatione. Erant vero plura inſtrumenta, quibus flagellari conſueverant Servi. Utebantur enim loris, nervis, fuſtibus, flagris, virgis, ſcorpionibus, vitibus, aliiſque hujuſmodi, in quibus apparandis non parum ingenioſa tortorum crudelitas erat. Lora corrigiæ erant ex corio factæ; Nervi a bobus præſertim petebantur; Virgæ multiplicis erant generis: quædam ex ulmo, de quibus ſæpius Plautus: aliæ ex bætula, cujus meminit Plinius; aliæ tandem ex quercu, fraxino, ſalice. Flagra Virgis erant craſſiora, ſed ſubtiliora fuſtibus; adeoque fuſtes flagellorum omnium teretiores, atque craſſiores erant. Scorpiones vero ſpinoſæ erant, atque aculeatæ virgæ, adeoque Iſidorus lib. 6. cap. ultimo, *Virga ſi nodoſa vel aculeata, Scorpio rectiſſime nominatur.* Vites autem erant Virgæ ex Vitibus confectæ.

His autem milites præsertim consueverant cædi: adeoque teste Sigonio de antiquo jure Rom. lib. 2. c. 2. Centurionum insigne, vitis erat, qua minus promptos ad parendum milites castigabant. Hincque Plinius lib. 14. cap. 1. *Centurionum*, inquit, *in manu vitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit Aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Et Juvenal. Sat. 8.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

His autem instrumentis omnibus Servi promiscue cædebantur. Sed liberi nonnisi fustibus: ideoque Marcellus lib. 10. D. pœnis, *ex quibus causis*, inquit, *liber fustibus verberatur, ex iis servus flagellis cæditur.* Erat autem latissimum discrimen fustigationis a flagellatione; adeoque nil mirum si illa liberi, hac vero servi plecterentur. Quippe flagella nudatis corporibus cuti admovebantur, atque in flagellatione sanguis eliciebatur. In Fustigatione vero fustes vestitis inferebantur, atque citra sanguinem. Erat proinde fustigatio ista valde diversa a militum fustigatione, quam ut gravissimum supplicium nobis describit Polybius lib. 6. his verbis: *Fustem capiens Tribunus, condemnatum leviter tangit, & delibat, quo facto, omnes qui in castris sunt, ferientes, alius fustibus, alius lapidibus, plerosque in ipsis castris occidunt. Quod si quis evaserit, nec sic salvus erit. Quomodo enim? cui nec in patriam reditus, nec quisquam ex necessariis tecto eum receperit: itaque planissime pereunt, quos ea calamitas attigit.* Apulejus quoque lib. 8. Metamor. Servilis cujusdam supplicii meminit, cum scilicet melle perfusi, formicis cruciandi objiciebantur. Sane Cyphon, cujus meminit Aristophanes in Pluto, ligneum erat, sive ferreum vinculum, vulgus Berlinam vocant, quo quis ad ignominiam ligatus, atque nudus, lacte melleque perunctus, apibus atque muscis pabulum exponebatur. Atque his aliisque similibus servilibus suppliciis excruciatos a Pleminio fuisse miseros illos Tribunos intelligere est, atque ita crudeliter necatos, ut etiam post mortem in eosdem sævierit, ne sepulturæ quidem illorum cadavera tradi permittens.

FINIS.



WILHELMI A LOON

ELEUTHERIA

SIVE

DE

MANUMISSIONE SERVORUM APUD ROMANOS.

LIB. IV.

Quintilianus Inſtit. Orat. lib. XII. cap. VI.

NOn differendum eſt tyrocinium in ſenectutem, nam quotidie metus creſcit, majuſque fit ſemper quod auſuri ſumus: & dum deliberamus quando incipiendum ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum venia & ſpes eſt, & paratus favor, & audere non dedecet: & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas: & ſi qua dicta ſunt juveniliter, pro indole accipiuntur.

Amplissimo, Spectatissimo Gravissimoque VIRO,

DN. FRANCISCO VERBOLT, J. C.

Inclytæ Neomagensium Reipublicæ Consuli, ad Collegium Celsissimorum & Præpotentium D. D. fœderati Belgii Ordinum Generalium Deputato, &c.

I T E M

Plurimum Reverendo, Doctissimo, Celeberrimoque VIRO

DN. JOHANNI BRAUNIO,

S. S. Theologiæ D. ejusdemque ut & Hebr. Linguæ in Illustri Illustrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academia Professori Ordinario, & in templo Academico verbi divini Præconi facundissimo, p. t. Academiæ Rectori Magnifico.

Avunculis omni amore, honore, & obsequio in æternum colendis ac venerandis.

S. D. P.

WILHELMUS A LOON



Um ante biennium & quod excurrit, *Amplissimi & plurimum Reverendi*, intentus Ciceronianæ lectioni forte incidissem in illa verba: *Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber, neque est ulla earum rerum: non est igitur liber*. Quæ eleganter mihi species manumissionis libera Republica receptas exprimere videbantur, constitui totam materiam, quam de servorum manumissione inter legendum inveneram, & in adversaria mea conjeceram, colligere & proprium in usum pro virili exornare, ut eo mihi clariores fierent quidam Juris tituli, cui me eo tempore accingebam, quod cum communicassem cum nonnullis ex amicis meis, quibus propter necessitudinem familiariter uti solebam, illi continuo mihi auctores fuere, ut lucubrationes hasce licet privatum in usum comparatas, publico studiosorum usui haud denegarem, quorum petitioni cum aliquamdiu restitissem, ac vinci tamen me tandem passus essem, secutus morem ab omni memoria usitatum, quo auctores libros suos Insignibus virtute & eruditione viris dedicant, hasce meas studiorum primitias Vobis, *Viri Amplissimi & plurimum Reverendi*, inscribere ac consecrare volui, utpote quos spero hunc primum ingenii mei (quod sentio quam sit exiguum) fætum sub vestra tutela & cura conceptum, a rigida nimis hominum censura & linguis vindicaturos, & virtutis ac eruditionis vestræ admiratione effecturos, ut per literatorum hominum ora innoxius transire possit. Præterea non debui non Vobis, *Viri Amplissimi & plurimum Reverendi*, hoc quantulumcumque sit, offerre sacrumque facere opusculum, quia plurima & maxima sunt vestra in me merita, nam ab eo tempore

quo Parentes mei piæ memoriæ naturæ concesserunt, adeo benignos & humanos Vos expertus sum, ut impuberis tutelam susceperitis, in qua Vos tales gessistis, ut Tutores an vero Parentes habuerim dictu mihi difficile foret. Qua profecto pietate indignus viderer, nisi aliquod erga Vos animi saltem grati argumentum publice exstaret. Quæso ergo, rudem hunc, & qui forte nondum satis maturuit, fætum a Loonio vestro tam benevolo suscipite, quam Vobis syncero animo offertur. Valete, *Viri Amplissimi & plurimum Reverendi*, ac magno rei publicæ & literarum commodo diu ac athletice vivite, meque vestrum amare pergite. Ultrajecti ipsis Kalend. Decembris cIↃIↃcLxxxiv.

IN

GULIELMI LOONI,

Liberali ingenio & eruditione florentissimi Juvenis

ELEYTHERIAN,

Seu *de Libertatis dandæ & accipiendæ ritibus apud Veteres*, elegantem libellum; in ipsis Libertatis Belgicæ incunabulis, *Trajecto*, editum,

EPIGRAMMA.

Aurea Libertas, *dulcissima nata Tonantis*,
Subdiderat servo libera colla jugo;
Stigmate deformis crudeli ferre catasta
Injustum Domini jussa supercilium.
Viderat hoc tandem docti mens libera Looni,
Nec tulit: ingenio vindice *reddit opem*;
Et Libertatem, *Trajecti*, *Palladis arce*,
Rite aura jussit liberiore frui.
Libertas *edi potius qua debuit Urbe*?
Qua potuit mitti *dignius illa* manu?

Amico Amicus P.
Henr. Chr. Henninius

WILHELMI A LOON
ELEUTHERIA
SIVE
DE
MANUMISSIONE SERVORUM APUD ROMANOS.
LIB. IV.

CAPUT I.

1. Manumissio unde dicta? quid? & *pro* id est, manus *pro* potestate. *manumissio unde orta? 2. Libertas ab initio simplex, ideo tantum una manumissionis species, postea duplex, justa & injusta. Suetonius & Tacitus explicati. 3. Justam libertatem adepti plane pleneque liberi, nec in servitutem revocari poterant? 4. Justa libertas quot modis acquiratur? ante tempora Servii Tulli nulli manumissi, prima manumissionis species per censum facta.*

§. 1. 
Anumissio dicitur a manumittendo, quasi e manu missio, is enim qui libertati restituebatur, a domino e manu mittebatur. Festus in voce manumitti: *Manumitti servus dicebatur, cum dominus ejus aut caput ejusdem servi aut aliud membrum, tenens dicebat: hunc hominem liberum esse volo, & emittebat eum e manu.* Definitionem manumissionis dat Imperator & dicit quod sit de *manu datio* pr. Inst. de Libertinis. Plenius definit Ulpianus docens *manumissionem esse de manu missionem id est dationem libertatis*. Lege 4. D. de J. & J. Mittebatur autem e manu ad indicandum eum jam jugo laxatum herili, ut Claudiani verbis utar, & potestati domini exemptum, ita enim vox *manus* sæpius pro *potestate* usurpatur. A JCtis Justinianus loc. cit. *Manumissio autem est de manu datio, nam quamdiu aliquis in servitute est manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur a domini potestate.* In quibus verbis notandum quod dicatur *manui & potestati*: dicitur enim ibi & pro *id est*: eodem modo Ulpianus: *Est autem manumissio de manu missio, id est, datio libertatis: nam quamdiu quis in servitute est, manui & potestati subjectus est.* Ubi & eodem pro *id est* modo sumitur. Neque id JCtis infrequens est, eodem enim modo utitur Imp. Inst. §. 1. de Tutelis. Cæterum *manus* pro *protestate* etiam sumitur a Pomponio lege 2. §. 1. de O. J. Nec tantum JCtis ea vox isto significatu frequens, sed & Oratoribus, Poetis, & Historiographis. Ita enim Cicero pro Flacco *in manum*, inquit, *convenerat* loquens de uxore per in manus conventionem ducta: Sic & Tacitus Ann. lib. 13. cap. 14. *Exsul Seneca, trunca manu* id est *imbecilli potestate* cui opponitur *strenua manus*. Eadem significatione sumitur & ab Ovidio in vulgato illo versu:

A *An nescis longas Regibus esse manus?*

Et a Virgilio:

Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.

Et ita sexcentis aliis locis.

Manumissio autem originem habet ex jure gentium, quippe cum jure naturali omnes homines liberi essent, nec nota esset servitus, ignota quoque manumissio fuit, postquam autem jure gentium servitus invasit, secutum ex eodem jure beneficium manumissionis, ut luculenter docet Imp. pr. Instit. de Libertinis.

B 2. Libertas autem quam per manumissionem consequebantur servi, ab initio una & simplex erat, eadem scilicet libertas competebat quam habebat manumissor, nisi quod libertinus esset qui manumitteretur, quamvis qui manumitteret, ingenuus esset, teste Justiniano §. 3. Instit. de Libertinis: *Quia & a primis*, inquit, *urbis Romæ incunabulis una atque simplex libertas competebat, id est, eadem quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus sit, qui manumittur, licet manumissor ingenuus sit.* Et quia libertas una & simplex competebat, ideo nec plures uno manumittendi modi in usu fuerunt, ut patet ex eodem Justiniano, §. dicto. Postea autem, scilicet temporibus Augusti, duplex esse cæpit libertas, *justa* & *injusta*. Seneca de vita beata cap. 24. *Hominibus prodesse natura jubet: servi liberive sint, ingenui an libertini, justæ libertatis an inter amicos datæ.* Suetonius in Augusto cap. 40. *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate justa removisse.* Ubi Suetonius exprimens libertatem justam agnovisse videtur non justam, eaque est, quam inter amicos datam vocat Seneca. Quoniam autem duplex libertas, ideo manumittendi duæ species. Tacitus Ann. lib. 13. c. 27. *Quin & manumittendi duas species institutas esse, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus.*

D 3. Justam libertatem consecuti plane pleneque liberi erant, nec ullo servitutis vinculo diutius tenebantur; neque in servitutem retrahi poterant, qui vero non justam acceperant, servitutis vinculo adhuc tenebantur, & in servitutem retrahi poterant, quod indicant verba Taciti: *Ut pœnitentiæ aut novo beneficio locus relinqueretur.* Poterant enim liberti minus justa libertate donari, & retrahi in servitutem, & justam libertatem a dominis adhuc exspectare, idque multis de causis, de quibus postea.

E 4. Justam libertatem consequebantur tribus manumissionum speciebus, quas legitimas vocat Theophilus §. 4. Instit. de Libertinis. Vel enim manumittebantur & a potestate dominica liberabantur.

Censu vel *vindicta* vel *testamento*. De quibus speciebus jam singilatim agemus. Quoniam vero supra vidimus unam tantum ab initio libertatem fuisse, idcirco quoque unam & simplicem manumissionem fuisse dicendum est. Quænam autem illa fuit? Verisimile est fuisse illam quæ fit testamento, quoniam ante tempora Servii Tullii qui censum instituit, testamenta facta & per ea servos manumissos dicere absurdum non videtur. At verisimilius & propius vero est fuisse illam, quæ fit censu, nam quæ vindicta fiebat postea instituta est ut docet Livius lib. 2. cap. 5. & testamentaria demum lege duodecim tabularum confirmata est. Ulpianus fragm. tit. 1. §. 9. *Ut testamento manumissi liberi sint, lex* XII. *tabularum facit, quæ confirmat quod datum legatum est*. Nec verisimile quoque est ante Servii Tullii tempora quosdam a Romanis manumissos, cum ipsus P. R. plurimam partem ex servis & fugitivis constaret, & victi non tam in servitutem redacti sint, quam in civium numerum adsciti. Quapropter de ea specie quæ censu fiebat, primo dicendum arbitror, & primum quidem de origine census, quomodo & ubi & a quibus habitus fuerit, & demum quomodo per eum servi facti sint cives.

CAP. II.

1. *Census a quo institutus? quare? Censores quando creati? quare* quinquennales *dicti?* 2. *Census quid? Theophili error detectus, quomodo facultates in censum referendæ? Ulpiano lux in* lege 4 §. 5. D. de Censibus. 3. *Servus in censum relatus quare liber? census signum libertatis. civis in censum non relatus libertatem sibi adjudicabat*. 4. *Dissensus veterum an servus in censum relatus continuo an vero post conditum lustrum liber sit. Placetque lustro condito libertatem ad primum momentum quo in censum relatus est retrotrahi*. 5. *Manumissio per censum facta quando exoleverit? in ejus locum successit species manumissionis in Ecclesia facta*.

1. CEnsum instituit Servius Tullius sextus Romanorum Rex. Florus lib. 1. cap. 6. ita de eo loquitur: *Ab eo populus Romanus relatus in censum*. Livius lib. 1. cap. 42. *Censum enim instituit* (loquens de Servio Tullio) *rem saluberrimam tanto futuro imperio; ex quo belli pacisque munia, non viritim ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent*. Ubi rationem addit Livius quare institutus sit, sed non rationes, quæ præcipue duæ erant, prior ut constaret non tantum de numero civium, sed quanta manus pro modo militaris ætatis apta bello esset. Inde toties apud Livium *lustrum eo anno conditum est, & censi sunt cives tot & tot*. Posterior erat ut ex professione bonorum constaret quantum quisque belli pacisque tempore vectigal posset solvere, cujus hic Livius meminit. Habitus primum est census a Regibus, deinde a Consulibus, qui, quoniam bellis externis ac sæpe internis occupati erant, nec censui habendo vacare poterant, instituti postea sunt Censores, ut docet Livius lib. 4. cap. 8. *Sequitur annus haud dubiis Coss. M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintum. Idem hic annus censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ*. Et paulo post: *Ortum autem initium rei est, quod in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque Consulibus quum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiæque & tabularum cura, cui arbitrium formulæ censendi*

A *subjiceretur*. Atque ita tunc creati Censores populum singulis quinquenniis in censum retulerunt, lustrumque condiderunt, unde *quinquennales* dicti sunt Censores auctore Festo. Locus ubi census fiebat, erat villa publica in Campo Martio, ubi agi perseveravit usque ad tempora Julii Cæsaris Dictatoris, de quo ita Suetonius in ejus vita cap. 41. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit*.

2. Census autem quid sit docet Theophilus κένσος μὲ, inquit, σανὶς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως, ἕκαστον εἰσ-
B φέρειν. Dicit hic Theophilus Romanos ipsos nomen suum in charta illa censuali scripsisse, quod falsum est, cum fuerint scribæ, qui civium nomina in censum deferebant eorumque facultates scribebant, ut patet ex Livii loco supra allegato. Quomodo autem omnes facultates in sensum deferendæ essent, luculenter docet lex 4. D. de Censibus. *Forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur, nomen fundi cujusque, & in qua civitate & quo pago sit, & quos duos vicinos proximos habeat: & id arvum quod in decem annos proximos satum erit, quot jugerum sit, & quot arbores habeat,*
C *vinea quot vites habeat, oliva quot jugerum: pratum quod intra decem annos proximos sectum erit, quot jugerum: pascua quot jugerum esse videantur: item sylvæ cæduæ: omnia ipse ut defert, æstimet*. Præter facultates etiam ætatem deferre in censum debebant. Plinius lib. 10. Epist. 22. *Ago gratias, domine, quod & jus Quiritium libertis necessariæ mihi fœminæ & civitatem Romanam Harpocrati jatraliptæ meo sine mora indulsisti. Sed quum annos ejus & censum, sicut præceperas, ederem, admonitus sum &c*. Atque ita capiendam puto legem 4. §. 5. D. de Censibus: *In servis deferendis observandum est, ut & rationes eorum, & æta-*
D *tes, & officia, & artificia specialiter deferantur*.

3. In hunc censum si servus nomen suum deferret, liber erat, teste Ulpiano: *Censu manumittebantur olim qui lustrali censu Romæ jussu dominorum, inter cives Romanos censum profitebantur*. Perinde autem erat sive dominus jussisset sive non, saltem non contradiceret, nam jubere creditur qui non impedit. Ratio quare post nomen in censum relatum liberi essent, hæc est, quod nulli, nisi cives Romani censerentur, qui autem se ut civem gerebat, liber & civis erat. Boetius lib 1. in Topica Ciceronis: *Censebantur antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente vel jubente Do-*
E *mino, nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, & servitutis vinculo solvebatur, atque hoc rat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, & effici civem Romanum*. Imo in censu esse debebat ut liber esset, ideo Quintilianus probaturus addictum non esse servum ait Declamat. CCCXI. *Ante omnia servus hic habet nomen, est in censu, est in tribu. Quorum nihil ut opinor, deprehendi potest in servo*. Quinimo homo liber, si non censeretur, ipse sibi libertatem adjudicabat, auctore Cicerone in oratione pro Cæcina.

4. Discensus autem inter antiquos JCtos fuit,
F utrum servus domini voluntate in censum relatus, protinus ac continuo liber sit, an demum post lustrum conditum! Cicero lib. 1. de Oratore: *Quid de libertate, quo judicium gravius nullum esse potest, nonne ex jure civili potest esse contentio, quum quæritur, is qui domini voluntate census sit, continuo, an ubi lustrum conditum, sitne liber?* Verius tamen videtur servum, non continuo ut in censum relatus est, ipso jure liberum esse, sed lustro condito libertatem ejus confirmatam, & retrotractam ad diem, quo manu-

missionis causa in censum relatus est: Ita docent, reliquiæ vel Ulpiani vel cujusdam vetustissimi JCti. quas sibi a Puteano datas testatur Cujacius Observ. lib. 17. c.20. Ita JCtus ibi: *Omnia quæ censu aguntur, lustro confirmantur*. Quæ autem confirmantur retrotrahuntur lege 25. C. de Donat. inter vir. & uxor. lege 40. D. de mortis caus. donat. adde legem 56. D. de Judiciis.

5 Manumissio quæ per censum fiebat, quando exoleverit, legisse me non memini, credibile est sublatam eo ipso tempore, quo comitia e campo ad patres translata sunt per Tiberium, de quo Tacit. Ann. lib. 15. Certe multo ante Ulpiani tempora ex usu fuisse patet ex his Ulpiani verbis: *Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romæ jussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur*. Vixit autem & floruit Ulpianus sub Alexandro Severo, cui a consiliis fuit, teste Lampridio in Alexandro Severo c 68. Cœpitque imperare Alexander iste circa annum a nato Christo CCXXIV. V. C. IↃCCCCLXXV. Conjecturæ favet quod nemo JCtorum in toto corpore juris, manumissionis per censum factæ mentionem faciat. Huic postea successit manumissio quæ in Ecclesia facta est, de qua priusquam dicam, illas, quæ libera Republica obtinuerunt, manumissionum species prætexam, sequitur igitur ut de ea specie quæ vindicta fiebat, despiciamus.

CAP. III.

1 Vindicta quid? dissensus veterum de etymologia hujus vocis. Rævardi sententia rejecta. 2 Servi raso capite ad Prætorem ducti. Formula qua dominus manumittens utitur. Servi a dominis in gyrum acti alapa percutiebantur, & ita e manu mittebantur. Festus tentatus. Quare in gyrum acti? Ambrosii lapsus. Alapa pro libertate. *3 Formulæ quibus Prætor inter manumittendum utitur quæ? lictor servi caput quater vindicta percutiebat. 4 Servus in templum Feroniæ deductus, genu nixus pileum accipiebat. 5 Hoc modo manumissi omnino liberi erant, nec in servitutem retrahi poterant. Persius explicatus. Ciceronis elegans locus adductus. 6 Servi vindicta manumissi nomen in acta publica relatum, adscripta manumissionis causa.*

1 VIndicta est *virgula quædam, quem lictor manumittendi servi capiti imponens eundem servum in libertatem vindicabat, dicens verba quædam solennia, atque ideo illa virgula vindicta appellatur*. Ex quibus verbis patet Boethium, cujus hæc sunt verba ad Topica Ciceronis derivare vindictam a vindicando, unde & alii eam dictam volunt, alii vero a vindice vel Vindicio Vitelliorum servo qui dominorum conjurationem de revocandis Regibus ad Coss. detulit, de quo ita Livius lib. 2. c. 5. *Præmium indici pecunia ex ærario, libertas & civitas data est. Ille primum dicitur vindicta liberatus, quidam vindictæ quoque nomen tractum ab eo putant. Vindicio ipsi nomen fuisse.* Qua veterum auctoritate moti nonnulli ex recentioribus, dubitant utrum a vindicando an a Vindicio dicta sit, inter quos & Theophilus est. ἐλέγετο δὲ βινδίκτα *quia vindicatur mancipium in naturalem libertatem.* ἢ ὑπὸ βινδικίου τινός, ὃς ὢν οἰκέτης ἐπιβουλὴν ἐσομένην κατὰ τῶν Ρωμαίων ἐμήνυσε, καὶ ἠλευθερώθη δημοσίᾳ ὑπὸ Ρωμαίων, καὶ εἰς τιμὴν τούτου πάντες οἱ ἐπὶ ἄρχοντος ἐλευθερούμενοι ἐλέγοντο βίνδικτα ἐλευθεροῦσθαι. Notandum quod illud, quod vindictam vocant ICti aliique auctores, id festucam a Plauto & Persio dici, quo argumento Jacobus Rævardus putat vindictam potius a vindicando quam a Vindice dictam. Quod an recte dubito, præsertim cum antiqui etiam apud Livium de vocis hujus etymologia dubitaverint. Vindicta porro manumissos dictos esse eos qui apud Magistratus manumissi erant, docet supra Theophilus, id quo ordine & quo modo factum fuerit, jam exponemus.

2 Servus raso capite ad Prætorem deducebatur, deducti caput vel aliud membrum tenens dominus dicebat, hunc hominem liberum esse volo. Festus: *Manumitti* (vindicta) *servus dicebatur, cum dominus ejus, aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenens dicebat, HUNC HOMINEM. LIBERUM. ESSE. VOLO. & emittebat eum e manu*. Ubi Festus forte brevitatis causa multa omittit, solebat enim dominus prius quam emitteret e manu, in gyrum servum agere, quod probat Persius Sat. 5. v. 75.

—— Heu steriles veri quibus una Quiritem
Vertigo facit.

& vers. 78. ejusdem satyræ.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Clarius Seneca Epist. 8. *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas, non differtur in diem qui se illi subjecit ac tradidit, statim circumagitur.* Eoque poterit respexisse Festus in voce *am* dicens: *Am præpositio loquelaris significat circum, unde servus ambactus, id est circum actus dicitur.* Quintilianus Declamat. CCCXLII. *An vero majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris?* & dextra quidem apprehendebat servum dominus in gyrum acturus. Appianus ἐμφυλίων lib. 4. καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἐδόκει τοῖς οἰκέταις, τὸν δὲ πιστότατον τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν. ὡς ἔθος ἐστὶ Ρωμαίοις ἐλευθερῶν. Vertebat autem in gyrum ad indicandum eum jam liberum esse, & posse abire quo vellet. Vide Cujacium Observationum lib. 14. c.27. Prius autem quam emitteret eum e manu, inter vertendum alapa faciem ipsius percutiebat, atque ita percussum emittebat. Cornutus ad Persii locum supra citatum. *Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & libros, & liberos confirmabant*. Et ex eo forte Isidorus Originum lib. 9. c. 4. *Manumissus dicitur quasi manu emissus; apud veteres enim quando manumittebant alapa percussos circum agebant, & liberos confirmabant*. Optime omnium ritum illum describit Claudianus in quarto Honorii Consulatu v. 615.

Te fastos ineunte quater, solennia ludit
Omnia libertus, deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recessit
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera, promissi felix injuria voti.

Alapas illas ῥαπίσματα μετ᾽ ὕβρεος vocat Justinianus in Novella LXXXI. & in lege ult. C. de *emancipatione liberorum*; eas servo manumittendo ductas manu lictoris asserit Ambrosius Epist. 7. *Non ista libertas quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit*: Sed vereor ut erraverit doctissimus Pater, docent enim uno ore Cornutus & Isidorus inter vertendum alapa percussos esse, versos autem & in gyrum actos servos a domino satis supra probatum credo. Quia autem alapa servo infligebatur & inde libertatis signum erat, *alapas* eleganter pro libertate dixit Phædrus lib. 2. fab. 5. in fine.

3 Servos hoc modo in gyrum actos & alapa percussos dominus e manu emittebat, dicens: HUNC

HOMINEM. LIBERUM. ESSE. VOLO. Tum Prætor vindicta servi manumittendi capiti imposita, hac formula uti solebat. AIO. TE. LIBERUM. MORE. QUIRITIUM. Licet tum servus esset jugo laxatus herili tamen ad lictorem, per quem expediri manumissionem testis est Hermogenianus lege 23. D. de Man. vind. Prætor conversus hæc quoque videtur prounciasse verba. SECUNDUM. SUAM. CAUSAM. SICUTI. DIXI. ECCE. TIBI. VINDICTA. Quam formulam se invenisse apud Valerium Probum in libello de Litteris antiquis, testatur Rævardus. Var. lib. 4. c. 9. Tum lictor caput servi vindicta verberabat. Juvenalis sat. V.

—— Pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Ex quibus verbis patet sæpius ejus caput a lictore percussum. Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 4. cap. 10. dictum Juvenalis locum interpretaturus, docet ter percussum servi caput a lictore, sed sine auctoritate ulla, quapropter addere lubet illud Horatii ex lib. 2. sat. 7.

—— Quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet.

Lictorem autem id fecisse non ipsum Prætorem patet ex lege 23. D. de Manum. vind. & his Persii verbis.

Non in vindicta, lictor quam jactat ineptus.

Et hæc quidem solennia olim adesse debebant, postea non opus fuerunt, valuitque manumissio, etiam si dominus solennia illa verba taceret, auctore Hermogeniano in allegata sæpius lege 23. D. de Manum. Vind.

4 Hisce peractis servus in templum Feroniæ deducebatur, ibique pileum accipiebat. Servius ad illud Virgilii Æneidos lib. 8.

Nascenti cui tres animas Feronia mater
Horrendum dictu dederat.

Feronia mater, inquit, *nympha Campaniæ, quam etiam supra diximus. Hæc etiam libertorum Dea est, in cujus templo raso capite pileum accipiebant, cujus rei Plautus in Amphitruone facit mentionem; Quod utinam ille faxit Jupiter, ut raso capite portem pileum. In hujus templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: BENEMERITI. SERVI. SEDEANT. SURGENT. LIBERI.* Sed non credo hoc diu in usu fuisse, ut in illo pileum caperent templo, cum tot quotidie manumitterentur. Cum autem pileum acciperent, nixi genubus sedebant, ut docet effigies servi raso capite in genubus sedentis pileumque capientis, apud Pierium Hieroglyphicorum lib. 40.

5 Hoc modo manumissi plene planeque liberi erant, ut videtur e verbis servi cujusdam manumissi, qui apud Persium satyra v. ita loquitur:

Vindicta postquam meus a Prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluptas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetarit?

Patet idem ex Cicerone pro C. Rabirio: *Carnifex & obductio capitis, & nomen ipsius crucis absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solum eventus, atque perpessio, sed etiam conditio atque exspectatio, mentio ipsa denique in-*

A *digna cive Romano, atque homine libero est. An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberabit: nos a verberibus, ab unco, crucis denique terrore, neq; res gestæ, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabunt?* Neque in servitutem retrahi poterant. Tacit. Ann. lib. 13. c. 27. *Quin & manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus, quos vindicta patronus non liberaverit; velut vinculo servitutis attineri.*

6 Simul atque hujusmodi manumissio peracta esset, nomen manumissi in acta referebatur, adjecta manumissionis causa, Terentius in Adelph. act. 5. sc. 9. vers. 2.

B

—— Ego ædepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse æquum liberum. M. Istunc liberum?
Quodnam ob factum?

Ubi Donatus ad hæc verba *quodnam ob factum* sic scribit: *Jure adscribi enim causas manumissionis in jure formula est.* Et apud eundem ejusdem scenæ vers. 19. & 20.

C

—— Sy. Et quidem tuo nepoti, hujus filio
Hodie primam mammam dedit hæc. PE. *Hercule vero serio.*
Siquidem primam dedit, haud dubium quin emitti æquum siet.
M. *Ob eam rem?*

Similiter intelligi potest id quod ait servus apud Plautum Menæch. act. 5. sc. 7. vers. 35.

ME. *Liberem ego te?* MES. *verum quandoquidem here te servavi* ME.
Quid est?
Adolescens erras. &c.

D

Nomen autem olim in acta relatum fuisse elici potest e Plauto, qui in Persa act. v. sc. III. vers. XIV. hoc modo servum cum lenone loquentem inducit.

TO. *Di dentquæ velis: eho an jam manu emisisti mulierem?*
DO. *Credo pol, credo inquam tibi.* TO. *jam liberta auctus es.* DO. *Enecas.*
Quin tibi medico credere. TO. *Dic bona fide jam libera est?*
D. *Ii ad forum ad Prætorem, exquire siquidem credere mihi non vis.*
Libera inquam est. Ecquid audis.

E

Hactenus de manumissionis speciebus quæ censu & vindicta fiebant, videamus porro quæ ultima species, quæ justam libertatem tribuebat, fuerit, & quomodo facta sit. Fuit hæc testamentaria de qua jam agere tempus est.

CAP. IV.

1 *Lex XII. tabularum confirmat libertatem Testamento datam. Familia quid significat? verbis legis XII. tabularum latissima potestas data.* 2. *Libertas Testamento data, vel directa vel fideicommissaria, utriusque verba solennia. Servus personam standi in judicio non habet. Assertores qui? assertio a Justiniano sublata. Servi in causa libertatis cum dominis consistere possunt.* 3. *Libertas datur pure, vel sub conditione sed possibili, & si duobus pluribusve sub conditione relicta sit libertas, unus conditionem implendo liberatur* 4. *Libertas adita demum hære-*

F

ditate competebat, postea tamen non adita hereditate, dummodo nomen servi Testamento insertum esset. 5. *Manumittens debebat dominus esse ex jure Quiritium, alias Latinum non vero civem Romanum faciebat.* 6. *Dominium vel est bonitarium vel ex jure Quiritium. Dominium ex jure Quiritium quot modis acquirebatur? formula ex eo nata quæ?* 7. *Horum dominiorum sublata differentia. Accursiani notati.* 8. *Servum alienum nemo directe manumittit. Tertullianus explicatus. Per fideicommissum libertas servo alieno relinqui potest, debetque tum heres eum servum redimere & manumittere.* 9. *Lex Ælia Sentia quando & a quo lata. Mynsingeri lapsus. Noluit hæc lex in fraudem creditorum manumitti.* 10. *Quando creditoribus fit fraus?* 11. *Bacchovii, Vinnii, & aliorum sententia rejecta, Tacitus explicatus.* 12. *In libertate fideicommissaria quando fraus creditoribus facta videtur? Libertas semel data non revocatur. Pacii error detectus & correctus.* 13. *Libertas relicta a domino, qui non solvendo esse videtur, suspensa fuit donec appareat an fraudati sint creditores. Statuliberi qui?* 14. *Utilitas & æquitas legis Æliæ Sentiæ.* 15. *Lex Ælia Sentia in fraudem creditorum unum servum manumitti permittit, plures si manumissi sint in servitutem revocat.* 16. *Heres necessarius quis? unde sic dictus?* 17. *Heres necessarius ideo manumittebatur ut ipsius nomine bona testatoris vendantur, ne ignominia afficiatur defunctus.* 18. *Lex Ælia Sentia prohibuit minori viginti annis manumittere nisi causa apud consilium probata. §. 4. Instit.* Quibus ex causis manumittere non licet. *restitutus, rejecta Hottomanni, Bacchovii & Vinnii sententia.* 19. *Æquitas legis Æliæ Sentiæ in hoc capite,* 20. *Legi Æliæ Sentiæ nonnulla tollit Justinianus.* 21. *Imo totum caput aufert & irritum reddit.* 22. *Lex Fusia Caninia quæ? litera R. a quo inventa? Veteres litera S pro R usi sunt.* 23. *Lex Fusia Caninia a quo & quando lata? Rævardi conjectura stabilita, rejecta Contii, Hottomanni & Gipbanii opinione.* 24. *Lex hæc quantum numerum manumittere in Testamento permiserit?* 25. *Ingentium familiarum exempla quædam collecta. Seneca Pater emendatus.* 26. *Lex Fusia Caninia non ultra centum in Testamento manumitti permisit. Egregium exemplum Taciti Imperatoris adductum.* 27. *Lex hæc voluit ut nomina servorum Testamento inserantur, & ut fugitivi computentur si ineundus sit numerus propter libertatem.* 28. *Legem hanc sustulit Justinianus. Egregium dilirium Accursii in etymologia legis Caniniæ.* 29. *Morientes liberaliores sunt, liberti pileati defunctorum patronorum funus comitantur.* 30. *Plautus & Ausonius explicati. Alciati lapsus.*

1. TEstamento manumissi liberi ut sint, facit lex XII. tabularum. Ulpianus in frag. tit. 1. §. 9. verba legis sunt in lege prima tabulæ quintæ: *Paterfamilias uti legasit super pecuniæ tutelæve suæ rei, ita jus esto.* Quæ verba haud dubie corrupta restituuntur ab Ulpiano hoc modo: *Pater familias uti legasit super pecunia tutelave suæ rei.* Aliter verba & mea quidem sententia melius profert Cicero vel alius quis lib 1. ad Herennium. *Lex*, inquit, *Pater familias uti super familia pecuniave sua legassit, ita jus esto.* Ubi per *familiam* haud dubie servi intelliguntur, cæterum etsi vox *familia* legi addit sive non, nihilominus ad libertates datas lex hæc pertinuit, uti patet ex lege 120. de V. S. cujus verba hæc sunt: *Verbis legis duodecim tabularum his: Uti legassit suæ rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur, & hæredis instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi.*

2. Testamento porro manumissi libertatem nanciscuntur directam vel fideicommissariam, directam, si ita verba adjecta Testamento fuerint: *Stichus servus meus liber esto.* lege 4. & 7. D. de Manum. Testam. vel alia quavis formula modo nulla fidei commissum olentia verba adjecta fuerint, veluti *rogo, precor, fidei tuæ committo.* Sic e contrario si talia verba adjecta sint, non directam, sed fideicommissariam libertatem consequuntur, & pendet eorum libertas non tam ab animo & voluntate manumittentis testatoris, quam a fide hæredis instituti. Neque servus ad libertatem proclamare poterat, nisi assertorem inveniret, qui judicio cum domino experiretur, & servum liberum esse pronunciari curaret, quia servus personam standi in judicio non habebat, ut abunde testantur Jurisconsultorum filii, & Terentius in Phorm. act. 2. sc. 1. vers. 62.

Servum hominem causam orare leges non sinunt.
Neque testimonii dictio est.

Licuit tamen postea hac in causa ut & in aliis quibusdam, cum dominis consistere, vide legem 53. D. de Judiciis. Cæterum quia quandoque non reperiebatur, quia assertoris munere fungi vellet, sæpius ex hac causa libertates peribant, quamobrem Justinianus assertionem omnem sustulit lege 1. C. de Assert. toll. concessitque servis ut suam causam ipsi tueri possent. Coguntur tamen hi servi fidejubere judicio sisti, si vero nullum fidejussorem invenire possint, juratoriæ cautioni committuntur, ut docet Imperator in lege eadem his verbis: *Omnes vero qui pro libertate periclitantur, si quidem possunt fidejussorem dare, eum exigi; Sin vero re vera datio ejus impossibilis iis est, hocque judici manifeste ostendatur, juratoriæ cautioni committi.*

Potest & libertas dari sub conditione ut docetur in lege 7. & 8. D. de manum. test. sed non sub omni conditione, inutilis enim est datio quæ sub jurisjurandi conditione fit, teste Ulpiano in lege 12. D. eod. Et si conditio ad duos pluresve spectat, alter vel unus eorum implendo & satisfaciendo conditioni libertatem adipiscitur, ut tradit Pomponius §. 1. legis 11. D. eod. *Si Stichus & Pamphilus*, inquit, *decem dederit liberi sunto. poterit alter quinque dando liber esse, quamvis alter non dederit.* Potest & a certo tempore dari velut post annum, biennium, triennium &c. sed si indistincte testator scripserit post annos, post biennium liber erit, idque & ratio & favor libertatis postulat, teste Juliano lege 17. §. ult. D. de Manum. Testam. *Post annos*, inquit, *indistincte liber esse jussus, post biennium liber erit; idque & favor libertatis exigit, & verba patiuntur. Nisi si aliud sensisse Patremfamilias manifestissimis rationibus is, a quo libertas relicta est, probaverit.* Sed non eodem modo ut a certo tempore sic ad certum tempus relinquere libertatem servo quis potest, quod notissimi juris est.

4. Testamento porro manumissus libertatem non prius accipit quam adita sit hæreditas, nec tamen opus est ut tota hæreditas adita sit, sed si modo ex parte, imo si vel unus hæredum tantum adierit, quod probat lex 25. tituli sæpius allegati: *Testamento liber esse jussus, tum fit liber, cum adita fuerit hæreditas qualibet ex parte: si modo ab eo a quo liber esse jussus est, adita fuerit gradu.* Posterius probat lex 23. §. 1. D. eod. *Testamento data libertas statim competit quam adita fuerit hæreditas vel ab uno ex hæredibus.* Sed tum oportet, ut libertas pure, id est, absque ulla conditione relicta sit. Oportet præterea ut Testamentum valeat, alias libertas non competit. Postea tamen libertas directa competebat etiam si hæreditas adita non esset. §. 1. Instit. De eo cui libert. caus. bon. addicuntur. Necesse quoque erat, ut manumissus Testamento nomine suo indicetur, & si plures ejusdem nominis

sint in eadem familia, poterat & debebat Pater familias officium vel ejus artificium adjicere, auctore A
Gajo lib. 1. Rerum Cottidianarum: *Nominatim videntur liberi esse jussi, qui vel ex artificio, vel officio, vel alio quolibet modo evidenter denotati essent: veluti dispensator meus, cellarius meus, cocus meus, Pamphili servi mei filius, &c.*

5. Sciendum autem est eum qui manumittit, debere esse dominum ex jure Quiritium, auctore Theophilo: *ἡνίκα τρία ἔννομα συνδράμωσιν ἐπὶ τῷ ἐλευθερουμένῳ οἰκέτῃ ὥστε αὐτὸν καὶ ὑπερβεβηκέναι τὸν λ ἐνιαυτὸν, καὶ ἔχειν ἐπ' αὐτῷ τὸν δεσπότην τὴν ἔννομον δεσποτείαν, τουτέστι τὸ ex jure Quiritium*. Quæ ita vertit Jacobus Curtius: *Cum in manumittendo servo* B
tria legitima concurrebant: ut & ipse major esset annis triginta, & dominus ejus legitimus esset dominus, hoc est ex jure Quiritium. Dicit debere esse dominum ex jure Quiritium quia apud veteres erat & dominus bonitarius tantum, qui si Testamento manumittat, non civem Romanum sed Latinum efficit. Auctore Ulpiano in fragm. tit. 1. §. 16. *Qui tantum*, inquit, *in bonis non etiam ex jure Quiritium servum habet, manumittendo Latinum facit.* Quam jure veteri dominiorum differentiam, quo facilius capiantur quæ dicta sunt, & deinceps dicentur, explicare fusius lubet.

6. Dominus itaque bonitarius quis tantum sit, C
docet Ulpian. his verbis: *In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo si civis Romanus a cive Romano servum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure cessus, neque ab eo anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid factum fuerit, is servus in bonis quidem emptoris est, ex jure Quiritium autem venditoris est.* Dominium illud bonitarium dicebatur antiquitus *dominium naturale*, dominium vero ex jure Quiritium *legitimum* dictum est. Theophilus: *ἔστιν οὖν ὡς εἶπον φυσικὴ δεσποτεία, καὶ ἔννομος δεσποτεία. καὶ ἡ μὲν φυσικὴ λέγεται in bonis καὶ δεσπότης βονιτάριος. ἡ δὲ ἔννομος* D
λέγεται jure Quiritium, *τουτέστιν ἐκ τοῦ δικαίου τῶν Κυιριτῶν Ῥωμαίων*. Legitimum autem dominium sive ex jure Quiritium ut acquiratur, sex fere res requiruntur, quas nobis ob oculos ponit Varro de R.R. l. 2. c. 10. *In emptionibus dominium legitimum sex fere res perficiunt, si hæreditatem justam adiit: si ut debuit, mancipio ab eo accepit a quo jure civili potuit: aut si in jure cessit cui potuit cedere, & id ubi oportuit: aut si usucepit: aut si e præda sub corona emit: tumve cum in bonis, sexioneve cujus publice venit.* Ex hoc jure oriebatur hæc formula. *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo.* Atque hinc illa formula apud Ciceronem invectiva IV. in E
Verrem: *Si patet fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure Quiritium P. Servilii esse.* Qui utrumque dominium habebat, jure pleno dominus dicebatur. Theophilus: *εἰ δέ τις τὰς ἀμφοτέρας εἶχε δεσποτείας ἐλέγετο pleno jure dominus, τουτέστιν ὡς ἔχων ἀμφοτέρας, τὴν ἔννομον καὶ τὴν φυσικήν.*

7. Verum hanc dominiorum distinctionem subtilem sublatam voluit Justinianus lege unica C. de nud. jure Quiritium toll. cujus verba addam Accursianorum causa, ita verba sonant: *Antiquæ subtilitatis ludibrium per hanc decisionem expellentes, nullam esse differentiam patimur inter dominos, apud* F
quos vel nudum ex jure Quiritium nomen, vel tantum in bonis reperietur: quia nec hujusmodi volumus esse distinctionem, nec jure Quiritium nomen, quod nihil ab ænigmate discrepat, nec unquam videtur, nec in rebus apparet, sed vacuum est & superfluum verbum, per quod animi juvenum, qui ad primam legum veniunt audientiam, perterriti ex primis eorum incunabulis inutiles legis antiquæ dispositiones accipiunt: sed sit plenissimus & legitimus quisque dominus, sive servi, sive aliarum rerum ad se pertinentium. Quæ verba, & si per se clara, nunquam intellexerunt Accursiani, seducti per rubricam hujus legis, quæ est *de nudo jure Quiritium tollendo*. Quia nesciverunt quid esset nudum jus Quiritium, quoniam nusquam in Justiniani libris explicatur, & illi illotis (ut dicitur) manibus ad jura accedebant, nec quicquam literis, ut hodie sæpius contigit, humanioribus operam dederant.

8. Oportebat itaque ut vidimus, eum, qui manumittit, debere esse dominum ejus quem manumittit, alterius igitur servum manumittens nihil agit, quoniam ei nullum in rem alterius competebat jus, quod notissimi juris est: eoque proculdubio respexit Tertullianus de Corona cap. 13. *Servum alienum quomodo manumittet?* Et adversus Marcionem l. 5. c. 4. *Qua libertate Christus nos manumisit; nonne eum constituit manumissorem qui fuit dominus? Alienos enim servos ne Galba quidem manumisit, facilius liberos soluturus.* Inde apud Plautum servus rogans manumitti a domino, responsum accipit se non esse dominum ejus, ideoque manumittere non posse: in Menæchm. act. 5. sc. 7. vers. 74. & sequent. Non tamen hoc in genere verum est, sed limitationem patitur. Directo quidem jure nemo alienum servum manumittere potest. Lege 9. C. de Testam. manum. *Servo tuo defunctus licet te hæredem scripsisse proponitur, directam tamen libertatem non potest dare: jure enim directo libertatem servis alienis nemo potest dare.* Ubi notandum quod dicat lex *jure directo* quod & Tertullianus intellexit; nam fideicommisso potest dare lege 16. D. de fideicom. libert. *Libertates etiam per fideicommissum dari possunt, & quidem largius quam directo: nam non tantum propriis, sed & alienis servis per fideicommissum libertas dari potest, ita tamen ut verbis vulgaribus, & quibus evidenter voluntas testatoris exprimi possit.* Idem docet Imperator §. 2. Instit. de sing. reb. per fideicom. rel. & Paulus lege 14. §. 1. D. de Legatis 2. Teneturque hæres vel legatarius servum illum a domino in cujus potestate est, redimere, & redempto libertatem tribuere §. 2. Instit. eod. ubi hoc modo loquitur Imperator: *Libertas quoque per fideicommissum servo dari potest, ut hæres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius, nec interest utrum de suo proprio servo testator roget, an de eo qui ipsius hæredis, aut legatarii aut etiam extranei sit. Itaque & alienus servus redimi & manumitti debet. Quodsi dominus eum non vendat: si modo nihil ex judicio ejus qui reliquit libertatem, recepit: non statim exstinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur, quasi posset tempore procedente, ubicunque occasio servi redimendi fuerit, præstari libertas.* Eodem modo Imperator Alexander leg. 6. C. de fideicom. libert. *Deberi etiam alienæ ancillæ fideicommissariam libertatem placuit: nec deficit hoc debitum si interim dominus (si modo nihil ex judicio ejus, qui quæve reliquit libertatem, perceperit) noluit vendere: quia possit tempore procedente, ubicunque occasio redimendæ ancillæ fuerit, præstari libertas.* Quibus in legibus observanda sunt verba: *Si modo nihil ex judicio ejus qui reliquit libertatem, perceperit.* Quibus indicatur, si is cujus servum liberum esse voluit testator, aliquid recepit vel ex testamento, vel ex legato, aut alio quolibet modo, non opus esse exspectari, donec dominus servum vendere velit, sed eum ad vendendum servum posse cogi, ut eo citius manumittatur, & voluntas domini adimpleatur. Quod satis clare docet lex 13. C. eod. adde legem 92. D. de Condict. & demonstrat. Debet itaque is, qui directam servo libertatem relinquere vult, dominus esse, potuitq; tunc tot manumittere quot vellet, idq; ex lege 12. tabular. *Paterfamilias uti super familia pecuniaque sua legassit, ita jus esto.* Patet.

9. Postea tamen hoc iis prohibitum est lege Ælia Sentia, quæ lata est an. U. C. IↃCCLVI. Sexto Ælio Lamia

Lamia & C.Sentio Saturnino Consulibus,& lata est per ipsum Augustum, quod satis indicat Dion Cassius l.LV.loquens de Augusto: πολλῶν τε πολλοὺς ἀκριβῶς ἐλευθερούντων, διέταξε τήν τε ἡλικίαν ἣν τόν τε ἐλευθερώσοντά τινα καὶ τὸν ἀφετησόμενον ὑπ' αὐτοῦ ἔχειν δεήσοι. Id est,ut Xilander vertit: *Quia multi multos manumittebant, ætatem quam & manumittens & manumittendus habere deberent,constituit.* Fallitur igitur Mynsingerus, qui in commentario ad Institutiones putat hanc legem esse eam cujus meminit Cicero in Topicis, cum multo post Ciceronis mortem demum lata sit. Prohibuit hæc lex ne quis in fraudem creditorum servos manumitteret, idque palam est ex Justiniano: *Non tamen*, inquit, *unicuique volenti manumittere licet. Nam is qui in fraudem creditorum manumittit,nihil agit; quia lex Ælia Sentia impedit libertatem.* Idem docet lex 27.D.Qui & a quib.manum. Idque tam jure militari quam jure civili obtinet.Lex 8.§.1.D.eod. *Si miles jure militari testamento facto, libertates dederit in fraudem creditorum, & non solvendo moriatur, impediuntur libertates.*

10. In fraudem autem creditorum quomodo quis libertates relinquat, luculenter docet Imperator §. 3.Instit. Quib. ex caus. manum. *In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore quo manumittit, solvendo non est: vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur(nisi animum quoque fraudandi habuerit manumissor) non impediri libertatem, quamvis bona ejus creditoribus non sufficiant. Sæpe enim de facultatibus suis, amplius quam in his est, sperant homines. Itaq; tunc intelligimus impediri libertatem,cum utroque modo fraudantur creditores, id est,& consilio manumittentis & ipsa re,eo quod ipsius bona non sunt suffectura creditoribus.* Quæ verba desumpta sunt ex lege 10.D.Qui & a quibus manum. Cæterum notandum est quod dicat Imperator: *Prævaluisse tamen videtur(nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit) non impediri libertatem.* Quibus verbis indicat non impediri libertatem, nisi & consilium & eventus adsint ut fraudentur creditores. Idque probat lex 10.D.eod. & lex 1. C.Qui manumittere non possunt: *Certum est jus non alias libertates per legem Æliam Sentiam,quæ sunt in fraudem creditorum datæ, revocari, nisi & consilium fraudis,hoc est,animus manumittentis,& eventus damni sequatur.* Quod obtinere in manumissione tam inter vivos quam inter mortuos, ex his verbis Imperatoris: *Sæpe enim de facultatibus suis amplius quam in his est, sperant homines.* Probare volunt Bacchovius, Vinnius, & alii ad dictum Institutionum locum.

11. Contrarium alii defendunt, dicuntque hoc tantum obtinere in manumissione quæ inter mortuos fit, quorum sententiam aliorum opinioni præfero, adductus his verbis Taciti Ann.l. 15.c.55. *Pecunias & libertates servis & ante dono datas; sed tunc largius,quia tenui jam re familiari, & instantibus creditoribus, testamento diffideret.* Ubi Scævino objicitur hoc, nec possum videre quare Scævinus, cum testamento diffideret, & creditoribus satisfieri posse desperaret, inter vivos servos suos manumittere festinasset, si manumissio inter vivos rescindi posset a creditoribus, ipsoque jure non valeret, utpote in fraudem creditorum data.

12. Notandum quoque quod in lege supra e Codice allegata dicatur *directas libertates*. Nam in fideicommissariis libertatibus non animus & eventus simul, sed eventus tantum spectatur. Lege 4.§. 19.in fine.D. de fideicom. libert. *Directæ libertates non competunt, si consilium & eventus fraudandorum creditorum adsint; nec fideicommissæ præstabuntur, si eventu fraudentur creditores.* Idem docet lex ult. C. Qui manum. poss. Igitur si directa libertas testamento relicta sit,& fraudati fuerint creditores, oportet ut illi si agere velint, & consilio manumittentis & eventu fraudatos se probent, tuncque non valet manumissio, nec opus est, ut revocetur aut rescindatur, cum ipso jure invalida fuerit, dicit enim Imperator *Qui in fraudem creditorum manumittit nihil agit.* Id est, *nihil jure agit.* Deinde quod contra legem fit, inutile censetur. Præterea libertas semel data revocari non potest. Arrianus in Epictetum l.4.c.7. *Libertate sum donatus a Deo, novi ejus mandata: nemo posthac in servitutem redigere me potest: assertorem habeo quem decet, judices habeo quales decet.* Imo ne ab ipsis quidem hæredibus aut manumissore. Lege 5.de Servo pignori dato manum.Lege 9.D.de Manum.vind. §. 6. Instit. Quib. ex caus. manum. Quapropter nescio ubi mens Pacii fuerit, cum scriberet si creditores probent se & consilio & eventu esse fraudatos, rescindi & revocari libertatem, servosque manumissos in servitutem retrahi.

13. Poterit hic quis rogare,si servi manumissi(ubi creditores probaverint se & consilio & eventu fraudatos) in servitutem revocari non possint, & vendi, quomodo creditoribus tum satisfactum fuerit? Respondeo libertatem a tali domino relictam, non continuo & ab initio valuisse,vel ipso jure nullam fuisse,sed tamdiu in suspenso fuisse,donec constaret fraudatine essent creditores nec ne, & si fraudati essent, an vellent jure suo uti, & judicio decernere, nam si non sint fraudati, vel fraudati jure suo non utantur, actum validum esse, & manumissos retro liberos factos intelligi. Quamdiu autem hæc incerta sunt, manumissi vi ipsa statuliberi sunt, ut docet Paulus lege 1. D.de Statulib. *Statuliberi sunt vi ipsa, cum creditoris fraudandi causa manumittuntur. Nam dum incertum est, an creditor jure suo utatur, interim statuliberi sunt.* Quinam autem & quales fuerint statuliberi, quo hæc clarius & distinctus capiantur, non videtur ex usu addere: Qui ergo *sub conditione testamento liber esse jussus est, statuliber* appellatur, auctore Ulpiano in fragm. tit. 2. § 1.vel ut docet Festus: *Statuliber est,qui testamento, certa conditione proposita, liber esse jubetur, & si per hæredem est,quo minus statuliber præstare possit, quod præstare debet: nihilominus liber esse jubetur.* Is pendente conditione servus hæredis est. Ulpianus: *Statuliber quamdiu pendet conditio, servus hæredis est.* Quod idem docet lex 9. D. de Statuliberis.

14. Atque ita vidimus legem Æliam Sentiam prohibere dominis manumissionem servorum, quæ fit in fraudem creditorum, quod æquissimum est, & Reipublicæ plurimum interest,non enim bene cum Republica agi potest, ubi privati semper fraudantur, nec ut ait Cicero pro lege Manilia: *multorum civium calamitas a Republica sejuncta esse potest.*

15. Ne tamen hæc lex Ælia Sentia omnem libertatem quæ in fraudem creditorum datur, arcere videatur, permittit dominis, etiamsi solvendo non sint,unum tamen servum testamento manumittere, sed hoc tantum in casu, ut solus ille hæres sit,quem ob id necessarium hæredem vocat. Imperator §. 1. Institut. Quib.ex caus.manum. *Licet tamen domino qui solvendo non est, (in testamento) servum suum cum libertate hæredem instituere, ut liber fiat, hæresq; ei solus & necessarius,si modo ei nemo alius hæres scriptus est, aut quia is qui hæres scriptus est, qualibet ex causa ei hæres non exstiterit. Itaque eadem lege Ælia Sentia provisum est, & recte.* Additque rationes. *Valde enim prospiciendum erat, ut egentes homines quibus alius hæres exstiturus non esset, vel servum suum necessarium hæredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias servi nomine vendant, ne injuria defunctus*

afficiatur. Notandum hic venit, quod Imperator dicat *si hæres ei solus exstiterit*. Nam si plures manumiserit, qui primo loco scriptus est, liber erit. Lege 24. D. Qui & a quib. manum. Idque lege Ælia Sentia cavetur. Lege 60. D. de Hæred. instit. *Qui solvendo non erat servum primo loco, & alterum servum secundo loco hæredes scripsit, solus is qui primo loco scriptus est, hæreditatem accipit: nam lege Ælia Sentia ita cavetur, ut si duo pluresve ex eadem causa hæredes scripti sint, uti quisq; primus scriptus sit, hæres sit.* Idque obtinet etiamsi homo liber substitutus sit. Lege 57. D. eod. Si tamen plures scripserit, reliqui pendente conditione Statuliberi erunt, arg. legis primæ D. de Statuliberis. Quod si duos servos eodem gradu instituerit, neuter liber & hæres erit, quoniam sibi invicem obstant, leg. 43. D. de Hæred instit. Si tamen alter eorum ante apertas tabulas decesserit, qui superstes est, liber & hæres erit, teste Juliano: *Qui*, inquit, *solvendo non erat, duos Apollonios liberos hæredesque esse jusserat: altero ante apertas testamenti tabulas mortuo, non ineleganter defendi poterit, eum qui supererit, liberum & solum necessarium hæredem fore: Quod si uterque vivit, institutionem nullius esse momenti propter legem Æliam Sentiam, quæ amplius quam unum necessarium hæredem fieri vetat.* Ubi observandum est obstare sibi invicem duos manumissos, si neuter primo loco sit scriptus, alias is liber solusque hæres necessarius erit, qui primo loco scriptus est, ut vidimus antea, & ut præter allegatas leges docet Ulpianus fragm. tit. 1. §. 14. Non tamen semper primo loco scriptus, liber & hæres necessarius est, sed interdum secundo loco scriptus, ut in hoc casu; si dominus qui solvendo non est, plures manumiserit hæredesque esse voluerit, si primo loco scriptus creditoribus satisfaciendis sufficiat, reliqui omnes non sufficiant, tum qui primo loco scriptus est, vendetur, ut creditoribus satisfiat, secundo vero loco scriptus, hæres liberque erit. Terentius Clemens: *Si quis habens creditores, plures manumiserit: non omnium libertas impedietur. Sed qui primi sunt liberi erunt, donec creditoribus solvatur quam rationem Julianus solet dicere velut duobus manumissis, si unius libertate fraudentur, non utriusque, sed alterutrius impediri libertatem: & plerumque postea scripti. Nisi si quando majoris pretii sit is, qui ante nominatus sit, nec sufficiat posteriorem retrahi in servitutem, prior (autem) sufficiat, nam hoc casu sequenti loco scriptum ad libertatem perventurum solum.*

16. Notandum autem quod Imperator verbis supra citatis dicat *dummodo sit necessarius hæres.* Idq; ideo quia servus sive velit sive nolit, protinus post mortem testatoris liber & hæres fit, teste Justiniano §. 1. Instit. de Hæred. qual. & diff. *Necessarius hæres*, inquit, *est servus hæres institutus, ideo sic appellatur, quia sive velit, sive nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & hæres necessarius fit.* Et quod hæreditate abstinere volenti Prætor vel Proconsul id non permittat. lege 57. §. 1. D. de Acquirenda vel omitt. hæred.

17. Dicat hic quis, quomodo cogi potest liber & hæres esse, cum invito non fiat beneficium, & nemo hæres alicui existere, jure possit cogi? Respondeo speciali de causa id fieri, ut dominus defunctus ignominia non afficiatur per distractionem & auctionem bonorum suorum, quæ infamiæ proxima est, ut satis patet ex oratione Ciceronis pro Quintio. Ast diceret, si infamiæ proxima est distractio bonorum per creditores instituta, ergo inhumanum atque injustum est, manumissum ad ferendam illam ignominiam obligari & adstringi: Verum quis nescit eum *libertatem* quæ *res inæstimabilis est*, pro ignominia illa consequi, deinde sibi ipsi acquirere quidquid post patroni mortem adquirit, nec obno-

A xia facere sua bona creditoribus etiam si patroni bona non sufficiant. Ut docet Imperator loquens de servo necessario hærede instituto, cujus, vel potius cujus patroni bona aversione vel sectione vendebantur. §. 1. d. t. *Pro hoc tamen incommodo illud ei commodum præstatur, ut ea quæ post mortem patroni sui sibi acquisierit, ipsi reserventur. Et quamvis bona defuncti non sufficiant creditoribus: tamen ex ea causa res ejus, quas sibi acquisierit, non veneunt.* Quod tamen cum sale capiendum est, nam si separationem bonorum suorum a bonis patroni non petierit, aut patroni bonis sese immiscuerit, etiam bona ejus post patroni mortem acquisita distrahentur,
B ut creditoribus satisfiat, bonis patroni non sufficientibus. Lege 1. §. ult. D. de Separationibus.

18 Atque hæc hactenus de lege Ælia Sentia quæ prohibuit in fraudem creditorum, in testamento plures uno manumitti. Restabat ergo, ut qui locupletiores essent, & quorum bona creditoribus abunde sufficerent, tot manumittere possent quot vellent. Idque ex lege 12. tabularum observatum est Donec eadem lex Ælia Sentia prohiberet domino minori viginti annis aliter manumittere quam vindicta, justa causa manumissionis apud consilium probata. §. 4. Instit. Quib. ex caus. manumit. *Eadem lege Ælia Sentia domino minori viginti annis non a-*
C *liter manumittere permittitur, quam vindicta apud consilium, justa causa manumissionis approbata, fuerint manumissi*: Textum hunc corruptum esse putant Bacchovius, Vinnius, & Galliæ decus Hottomannus qui idcirco ita legit: *Quam si dicta apud consilium justa causa manumissionis, approbata fuerit manumissio.* Sed fas mihi sit ab illis dissentire, credo integrum & minime mendosum esse textum, atque disposito uno commate hoc modo esse legendum: *quam si vindicta, apud consilium justa manumissionis causa approbata, fuerint manumissi.* Sed de consilio & justa causa postea loquendi dabitur
D occasio.

19. Notum itaq; est ex hac lege, domino minori viginti annis, non licuisse manumittere servum aliter quam vindicta, ergo nec censu nec testamento. Quæ lex æquitatem quamdam in se habere videri poterat, nam imbecilla ejus ætatis adolescentium judicia sunt, & facile circumveniri servorum blanditiis possunt. Theophilus: ὁ αὐτὸς νόμος ἀπέχει τὰς ἐλευθερίας τὰς παρεχομένας ὑπὸ τῶν ἐλαττόνων τῶν κ. ἐνιαυτῶν, οὐ διὰ μῖσος, ἀλλὰ δι᾽ εὔνοιαν τῶν ἐλευθερούντων. ἠπίστατο γὰρ, ὡς οἱ τοιαύτην ἄγοντες ἡλικίαν εὐχερῶς ἀπατῶνται, καὶ ταῖς τῶν οἰκετῶν εἴκουσι κολακείαις, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὴν ἑαυτῶν ἐλαττοῦσιν ὑπόστασιν.
E Quæ sic vertit Jacobus Curtius: *Eadem lex irritas vult esse libertates, quæ a minore viginti annis præstantur: nulloq; id odio, sed favore potius manumittentium, noverat enim eos qui eam ætatem agunt, facile circumveniri, servulorumq; blandimentis & adulationibus capi, & ita facultates suas diminuere.*

20. Hanc legem etiamsi quadantenus justam abrogavit nihilominus ex parte Justinian. nam quod lex Ælia Sentia prohibebat testamento ante annum vicesimum manumittere, ille reduxit ad annum decimum septimum impletum, & decimum octavum inchoatum, inductus his rationibus quas reddit §. 7.
F Instit. d. t. *Cum ergo certus modus manumittendi minoribus 20. annis dominis per legem Æliam Sentiam constitutus esset: eveniebat, ut qui 14. annos expleverat, licet testamenta facere legataque relinquere posset: tamen si adhuc minor esset 20. annis, libertatem servo dare non posset. Quod non erat ferendum: nam cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat, quare non similiter ei, quemadmodum alias res, ita de servis suis in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, ut & libertatem iis possit præstare? Sed quum libertas inæstimabilis res sit, &*

propter hoc ante vigesimum ætatis annum antiquitas libertatem servo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodo eligentes viam, non aliter minori viginti annis libertatem in testamento dare servo suo concedimus, nisi decimum septimum annum impleverit, & decimum octavum attigerit. Ejusque dispositionis & constitutionis suæ jam reddit porro rationem Justinianus, simulque occurrit oppositioni desumptæ ex lege Ælia Sentia, quod scilicet lubrica etiamnum sint istius ætatis ingenia & judicia, his verbis: *Quum enim antiquitas hujusmodi ætati, & pro aliis postulare concesserit: cur non etiam sui judicii stabilitas ita eos adjuvare credatur, ut ad libertatem dandam servis suis possint pervenire.* Quod dicit septemdecim annorum ætati concessum pro aliis postulare, adeo verum est, ut notum sit omnibus qui vel a limine JCtos salutaverunt, nec in civilibus id tantum obtinuit, sed & militaribus in rebus. Gellius Noctium Atticarum l.10.c.28. *C. Tubero Historiarum primo scripsit Servium Tullium, Regem populi Romani, quum illas quinque classes juniorum census faciendi gratia instituerct, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimodecimo, quod idoneos jam esse Reipublicæ arbitraretur, milites scripsisse.*

21. Verum contentus non fuit Imperator legi Æliæ Sentiæ aliquid sustulisse, sed totum hoc caput postea delevit & irritum reddidit, permittens ut omnis dominus, quo tempore testamenti condendi jus haberet, scilicet anno decimoquarto, etiam servos quos vellet, testamento manumittere posset. Quod patet ex §.3. Inst. de Libert. Ubi omnes libertos *nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito* cives Romanos fieri vult. Clarius docet idem hoc Novella 199. c. 2. *Et hoc quoque præsenti constitutione sancimus: ut licentia sit minoribus in ipso tempore, quo licet iis testari de alia substantia, etiam servos suos in ultimis voluntatibus manumittere, nullo iis ætatis impedimento faciendo: sed vacante lege quæ hæc primitus prohibebat.*

22. Huc usque de lege Ælia Sentia, erat præterea & alia, quæ numerum manumittendorum in testamento præscribebat, scilicet Fusia Caninia, de qua priusquam aliquid dicamus, a quo lata, & unde dicta sit, explicabimus. Legem itaque hanc quidam *Furiam* quidam *Fusiam* Caniniam vocant. *Fusiam* vocant vulgares Institutionum editiones, & Paulus Sententiarum l. 4. c. 14. *Furiam* vocant Ulpianus fragm. tit.1.§.24. & Theophilus in paraphrasi Institutionum: sed sive Furiam sive Fusiam vocemus hanc legem, non multum in eo situm erit. Nam R litera sero apud Romanos inventa est, & auctorem inventoremque habet Appium Claudium Cæcum, teste Pomponio in lege 2. §.36. de O. J. Ideo Romani sæpius has literas confuderunt, & pro R litera S quæ prius nota fuit, usi sunt. Festus: *R pro S litera antiqui sæpe posuerunt, ut majosibus, meliosibus, lasibus, fesiis, pro majoribus, melioribus, laribus, feriis.* Cum hoc convenit Quintilianus Institutionum Oratoriarum l.1.c.4. *Nam & Valesii & Fusii in Valerios Furiosque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam & clamos.* Et oportune Liv.l.3.c.4. *Furios Fusios scripsere quidam, id admoneo, nequis immutationem ipsorum virorum esse, quæ nominum est, putet.* Sive igitur *Furiam Caniniam* sive *Fusiam Caniniam* Interpretes vocent, perinde erit.

23. Latam hanc legem anno U.C.IↃCCLIII. Fusio Caleno & C. Caninio Gallo Consulibus volunt Contius, Giphanius, Hotomannus dicuntque hoc constare ex fastis Capitolinis: qui tamen ut a Stephano Pighio editi sunt, eo anno nullum hoc nomine Consulem exhibent. Quapropter vereor ne hæc lex eo anno lata non sit, & malo assentiri Rævardo, qui Conjectaneorum l.2.c.1. probat si non verum, saltem vero esse proximum, ut hæc lex lata sit anno U. C. IↃCCVI. Q. Fusio Caleno & P. Vatinio Consulibus, & inde Fusiam dictam vult, relatam autem temporibus Augusti, referente C. Caninio Gallo Cos. anno U. C. IↃCCLI. & inde dictam Fusiam Caniniam, eadem ratione, qua lex Papia Poppæa, dicta est lex Julia.

24. Lex illa certum numerum servorum testamento manumittendorum definiebat, quem numerum refert Ulpianus fragm. tit. 1. §. 24. *Lex Fusia Caninia jubet testamento ex tribus non plures quam duos manumitti: & usque ad decem dimidiam partem manumittere concedit: a decem usque ad triginta, tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manumittere liceat, æque ut ex priori numero; a triginta usque ad centum, quartam partem, æque ut decem ex priori numero manumitti possint: a centum usque ad quingentos, partem quintam, similiter ut ex antecedenti numero 25. possint liberi fieri.* Paulo distinctius atque clarius hæc refert Paulus Sententiar. l. 4.c.14. *Lege Fusia Caninia cavetur, ut certus servorum numerus testamento manumittatur, subductis igitur duobus usq; ad decem pars dimidia a x. usque ad xxx. pars tertia, a xxx. usque ad centum pars quarta, a c. usque ad IↃ. pars quinta.* Distinctissime & quo nihil clarius esse potest, tradit id Cajus Institutionum l. 1. tit. 4. loquens de lege Fusia Caninia: *Constitutum est,* inquit, *quantum servorum numerum de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine: ut si quis duos servos habeat, ambos manumittere possit. Qui vero tres, duos testamento manumittat. Qui quatuor, similiter duos. Qui sex, tres. Qui octo, quatuor, qui decem, quinque Qui undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, septem & decem, similiter quinque. Qui decem & octo, sex. Et ita ab hoc numero usque ad triginta, tertiam partem manumittere liceat. Qui amplius quam triginta habuerit, usque ad centum, quartam partem de numero servorum manumittere potest. Qui vero plures quam centum habuerit, quintam partem manumittere potest.*

25. Contingit autem sæpe ut locupletiores ingentem habeant familiam, qualis Pedanius Costa cui quadringentos servos tribuit Tacitus Ann.l.14. Qualis Cæcilius quidam Isidorus, cui quinquies mille tribuit Plin. Sed hæ familiæ mediocres fuerunt. Quid dicemus de familia Larentii cujusdam, cui viginti millia servorum tribuit Athen. l. 6. c. 7. quapropter cum exercitu hujusmodi familias comparat Seneca de Tranquillitate c. 8. *Feliciorem tu,* inquit, *Demetrium Pompejanum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompejo? numerus illi quotidie servorum velut Imperatori exercitus referebatur.* Fidem vero excedit quod refert Petronius in frag. Tragurino: *Familiæ vero babæ! babæ! non mehercules puto decimam partem esse, quæ dominum suum novit.* Quadrat huic quod ait Seneca pater Controversiarum l. 9. *Non me delectant ignoti domino servorum greges, nec sonantia laxi juris ergastulæ.* Ubi lego *laxi ruris ergastula.* Quare merito indignatur Tacitus servos multo superare ingenuos numero Ann. l. 4. c. 27. Sed si omnia ingentium familiarum exempla recenserem, dies deficeret, quapropter, cum hoc mei instituti hic non sit, hæc mittam.

26. Si autem ut dixi, ex tanta familia quinta pars manumitti posset, eveniret sæpe ut ex tali familia, dominus in testamento, duo vel tria, imo & quatuor millia manumitteret, atque ita civitatem his impleret, quod ne fieret, ei periculo occurrere volens legislator, cavit, ne plures centum ex quaque familia, licet maxima, in testamento manumitti possent: testibus Ulpiano, Paulo, & Gajo locis supra

citatis. Ideoque ne Caniniam videretur transire A Tacitus Imperator, non ultra centum manumisit, ut testatur Vopiscus in ejus vita cap. 11.

27 Sciendum autem est, si dominus quosdam inter vivos manumiserit, non computari eos inter illos, quos testamento liberos testator esse voluit, auctore Gajo Inst. lib. 1. tit. 4. §. ultimo. Sciendum præterea legem hanc Fusiam Caniniam favore libertatis, & quo plures manumitti possent, permittere, ut quoties numerus servorum propter legem hanc ineundus foret, fugitivi quoque computentur. Paulus Sententiarum lib. 4. tit. 14. §. 3. Vult quoque hæc lex ut servi nominatim in testamento manumittantur, Ulpianus dicto titulo, §. 25. B quapropter si non nominatim, sed confuse & velut in circulo scripti sint, nec possit cognosci uter prior aut posterior scriptus sit, omnes servi manebunt, teste Gajo Inst. d. t. 2. Si autem plures definito supra numero manumittantur, priores, quoad numerus completus erit, liberi erunt. Gajus ibidem.

28 Hanc legem velut invidam & libertates impedientem sustulit Justinianus, Inst. de Lege Fusia Caninia tollenda: *Lege*, inquit, *Fusia Caninia certus modus constitutus in servis testamento manumittendis: quam quasi libertates impedientem, & quodammodo invidam, tollendam esse censuimus:* C *quum satis fuerit inhumanum vivos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediat libertatem, morientibus autem hujusmodi licentiam adimere.* Constitutio illa Justiniani exstat in lege unica C. eod. Prius autem quam legem hanc transeam, non possum, quin addam lepidum dilirium Accursii, qui in glossis ad hunc locum putat legem hanc Caniniam dictam esse a cane, eo quod illam, *invidam* dicat Imperator, & quod nullum reperiatur animal magis invidum cane.

29 Cogitanti autem mihi, quænam sint rationes quare manumissio inter mortuos pluribus impediatur legibus, D manumissio vero inter vivos nullis, duæ sese offerunt. Prior est, quod morientes soleant esse liberaliores, ut qui post mortem nullis servis indigeant, ideoque plures testamento manumittant. Posterior est, quod veteres Romani admodum sumptuosi fuerint in funeribus suis, & maximum duxerint honorem quam plurimos libertos exequias comitantes habere, ideoque plures eum in finem manumiserint. Libertos autem funus comitari solitos videre est in Livio lib. 38. docente: *Q. Terentium Culleonem adeo amicum Corneliæ familiæ fuisse, ut pileatus, sicut in triumpho iverat, in funere quoque ante lectum* E (Scipionis) *iverit*. Erat autem a Scipione hic Terentius redemptus, ideoque ipsum *omni vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit*. Teste eodem Livio lib. 30. in fine. Clar. docet Justinianus lege unica §. 5. C. de Lat. libert. toll. *Sed & qui domini funus pileati antecedunt; vel in ipso lectulo stantes cadaver ventilare videntur, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris, vel hæredis: fiant cives Romani.* Meminit ejus quoque ritus Dionysius Halicarnassæus lib. 4. his verbis: ἐγὼ γ' οὖν ἐπίσαμαι τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέρους μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτὰς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν, ἐκκομιζομέναις F παρακαλουθῶσι τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. Hoc est: *Equidem scio quosdam, qui testamento omnes suos servos manumiserunt, ut post mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales prosequerentur pileati*. Ubi Dionysius dicit libertos prosequi, Livius vero & Justinianus præire. Sed sive præiverint, sive secuti fuerint, perinde erit, quum constet multos ideo totam suam familiam manumisisse.

30 Et hæc de manumissione per testamentum facta, atque ita de tribus manumissionis speciebus, per quas justa, id est, legitima libertas libera Republica acquirebatur. Unde Cicero, quum scire vellet an liber quis sit, a partium vel specierum enumeratione argumentatur in Topicis: *Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber factus est, non est liber, neque est ulla earum rerum, non igitur est liber*. Quia autem tribus manumissionis modis justa libertas acquirebatur, ideo tres libertates dixit Plautus Casina act. 2. sc. 8. vers. 68.

Tribus non conduci possim libertatibus
Quin ego illis hodie comparem magnum malum.

Atque eo sensu triplicem libertatem dixit Ausonius in Grypho vers. 65.

Triplex libertas capitisque minutio triplex.

Quamquam & ille versus de triplici libertate, scilicet justa, Latina, & Dedititia accipi possit, uti recte olim observavit Alciatus Parergon lib. 10. c. 7. quamvis & idem eodem capite erret, cum putat versum Plauti allegatum eodem sensu capi posse, nam Plautus multo ante vixit, quam in usu esse cæpit libertas Latina ac Dedititia.

CAP. V.

1 *Manumissio quæ in Ecclesia fit in cujus locum successerit?* 2 *Instituta a Constantino. Nicephorus & Sozomenus conciliati cum* lege 1. C. de his qui in Ecclesia manumittuntur. *Manumissio in Ecclesia debet fieri* μαρτυσι τοῖς ἱερεῦσι. 3 *Clerici tamen possunt sine testimonio Antistitum manumittere.* 4. *Qui in Ecclesia manumittunt servos sua dextra in Ecclesiam ducunt.*

1 Oppressa Republica & comitiis e Campo translatis exolevit mos manumittendi per censum, cui postea successit manumissio quæ in Ecclesia fiebat, ideo Gajus Institutionum lib. 1. tit. 2. §. 1. *Cives*, inquit, *Romani fiunt, qui his tribus modis, id est, testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem fuerint manumissi.* Ponens manumissionem quæ in Ecclesia fit, loco ejus quæ olim censu fiebat. Verum hæc genuina Gaii non esse, sed Aniani, qui, cum Gajus *censu* scripserat, *in Ecclesia* substituit, docet Oiselius ad Gaii loc. cit. Justinianus § 1. Instit. de Libert. *Multis autem modis manumissio procedit, aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesiis, aut vindicta, aut per testamentum*, &c. Certe successisse in locum manumissionis per censum factæ, patet ex lege 2. C. de His qui in Eccles. manum. ita lex: *Qui religiosa mente in Ecclesiæ gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo jure donasse videantur, quo civitas Romana solemnitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc dumtaxat his qui sub aspectu Antistitum dederint, placuit relaxari*. Ubi per *solemnitates decursas* nihil aliud significat quam comitiorum & census morem obsoletum. Ut observavit jam antea Hottomannus.

2 Manumissionem hanc institutam a Constantino auctores tradunt, eo quod solius Constantini nomine de ea in legibus aliquid cautum sit. Docet idem Nicephorus hist. Ecclesiast. lib. 7. cap. 16. & Interpres historiæ tripertitæ lib. 1. cap. 9. in fine. Contrarium tamen docere videtur lex 1. C. de His qui in Eccles. manum. Ubi Constantinus hoc modo loquens introducitur: *Jam dudum placuit, ut in Ecclesia Catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub adspectu plebis, adsistentibus Christianorum antistitibus id faciant: ut propter facti memoriam interponatur vice auctorum qualiscumque scriptura, in qua ipsi vice testium*

ſignent unde a vobis quoque ipſis non immerito dandæ & relinquendæ ſunt libertates, quo quiſque veſtrum pacto voluerit, dummodo veſtræ voluntatis appareat evidens teſtimonium. In qua lege verba *jam dudum placuit* oſtendunt non primo inſtitutam eam manumiſſionis ſpeciem a Conſtantino, qui ipſe ita loquitur, docent tamen id auctores ſupra citati. Quid ergo dicendum? Nihil niſi quod aut Conſtantinus ante quam legem hanc ferret, conſultus per epiſtolam reſponderit id fieri licere, nam quod Princeps conſultus per epiſtolam decrevit, legis vigorem habet. §. 6. Inſtit. de J. N. G. & Civili. Aut eum plures leges tuliſſe, quod probabilius eſt, præſertim quum Sozomenus tradat eum tres leges de illa manumiſſione tuliſſe. Verba ejus addam, quoniam non omnibus ſemper tales auctores ad manus ſunt. Ita loquitur Sozomenus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 9. de Conſtantino: ὑπὸ γὰρ ἀκριβείας νόμων, καὶ ἀκόντων τῶν κεκτημένων, πολλῆς δυσχερείας ὄσης περὶ τὴν κτῆσιν ἀμείνονος ἐλευθερίας, ἣν πολιτείαν ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθετο νόμους, ψηφισάμενος πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, πολιτείας ῥωμαικῆς τυγχάνειν. Quæ ſic vertit Valeſius: *Nam cum ob nimiam legum ſeveritatem, potior libertas, quam civitatem Romanam vocant, etiam volentibus dominis difficile admodum acquireretur, tres tulit leges, quibus conſtituit, ut quicumque in Eccleſiis, ſub teſtimonio ſacerdotum libertate donati eſſent, civitatem Romanam conſequerentur*. Notandum quod & lex, & Sozomenus dicat fieri id debere μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι. Idem docet Auguſtinus ſerm. de com. vit. Cleric. de Diacono quodam Hipponenſi, qui antequam eſſet clericus, emerat aliquot ſervulos: *Hodie*, inquit, *illos in conſpectu veſtro manumiſſurus eſt Epiſcopalibus geſtis*. Et lex unica C. Theod. de manum. in Eccleſ.

3 Non tamen omnibus opus erat eo modo ſuos ſervos manumittere, nam Clericis extra Eccleſiam & ſine teſtibus manumittere permiſit Conſtantinus. Lege 2. C. eod. *Qui religioſa mente in Eccleſiæ gremio ſervis ſuis meritam conceſſerint libertatem, eandem eo jure donaſſe videantur, quo civitas Romana ſolemnitatibus decurſis, dari conſuevit. Sed hoc dumtaxat his, qui ſub adſpectu Antiſtitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, ut cum ſuis famulis tribuunt libertatem, non ſolum in conſpectu Eccleſiæ ac religioſi populi, plenum fructum libertatis conceſſiſſe dicantur, verum etiam cum poſtremo judicio dederint libertates, ſeu quibuslibet verbis dari præceperint: ita ut ex die publicatæ libertatis, ſine aliquo juris teſte, vel interprete competat directa manumiſſio*. Quod tamen ſpeciale beneficium clericorum fuit, reliqui in Eccleſia ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι manumittere debebant.

4 Debebant quoque illi qui manumittebant, ſervos manumittendos propria manu ad Eccleſiam ducere, quod probat Auguſtinus, ſermone quinto, ex illis, quos Sirmundi beneficio habemus. *Servum tuum manumittendum manu ducis ad Eccleſiam, fit ſilentium, libellus tuus recitatur, aut fit deſiderii tui perſecutio*. Formulam, qua fieri manumiſſio in Eccleſia ſolebat, adderem, ſi mihi libri, ex quibus illa petenda eſt, ad manus eſſent, quapropter id in aliud tempus rejicere cogor.

CAP. VI.

1 *Auguſtus alium manumittendi modum inſtituit, vox* Imperator *quot modis in hiſtoria Romana accipiatur?* 2. *Juſte manumiſſi cives Romani fiunt niſi in proprias terras velint reverti.* 3 *Ut tamen ad civium privilegia & beneficia principum admittantur debent eſſe in tribu.* 4 *Lex* 35. D. de Legatis III. *explicata. Alciati error.* 5 *Tribus ſignum libertatis. Quare in tribu eſſe debuerint? Suetonius explicatus.* 6 *Quas in tribus diſtributi fuerint?*

1 HIs tribus modis manumittendi, per quos liberti facti juſtam libertatem & civitatem Romanam adipiſcebantur, unum addidit Cæſar Auguſtus, qui lege lata cavit, ut Imperatoribus fas eſſet abſque cenſu, vindicta, aut teſtamento ſervos ſuos manumittere, & juſtam illis libertatem concedere, idque probat Paulus lege 14. §. 1. D. de Manumiſſionibus. *Imperator cum ſervum manumittit, non vindictam imponit, ſed cum voluit, fit liber is qui manumittitur, ex lege Auguſti*. Quæ lex ut clarius intelligatur, dicendum eſt vocem *Imperatoris* trifariam in Romana hiſtoria accipi. Vel enim dicitur *Imperator* cui bellum gerendum populus commiſit, vel qui certum numerum hoſtium delevit, & a militibus *Imperator* ſalutatur, denique qui ſumma rerum potitur: de qua differentia fuſius agit Caſaubonus ad Suetonium in Julio cap. 76. In ultimo ſignificatu vox *Imperator* in noſtra lege accipitur. Ratio quare ſine vindictæ impoſitione civem facere manumittendo poteſt ſervum Imperator, hæc redditur a Juriſconſultis, quod ſcilicet princeps nonnullis legibus ſolutus ſit, quibus autem ſolutus ſit vide apud Cujacium Obſerv. lib. 15. cap. 30.

2 Et hæ quidem ſunt omnes, quod ſciam, ſpecies manumiſſionis, quibus ſervi manumiſſi civitatem Romanam obtinebant, niſi vellent in ſuas urbes reverti, ſcilicet ſi bello capti ſervitutem ſerviviſſent. Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 4. Τύλλιος καὶ τοῖς ἐλευθερουμένοις τῶν θεραπόντων ἐὰν μὴ θέλωσιν εἰς τὰς ἑαυτῶν πόλεις ἀπιέχειν τῆς ἰσοπολιτείας ἐκέλευσεν. Quæ ſic verto: *Et Tullius manumiſſos e ſervitute participes eſſe juſſit juris civitatis ex æquo* (cum civibus) *niſi velint in ſuas urbes reverti*. Si vero manerent, erant cives Romani.

Non tamen ut & hoc addam, protinus poſt manumiſſionem, quamvis jam ex ſtricto jure cives Romani eſſent, ad omnia civium privilegia admittebantur, nec ad principum beneficia, ut congiaria, viſcerationes, frumentationes, aliaſque magiſtratuum liberalitates. Nam non cum ipſa civitate tribum accipiebant, ut patet ex Cicerone pro L. Cornelio Balbo, per totam orationem, præcipue vero haud procul a fine. Ideoque prius in tribus deſcribi debebant, quapropter liberaliores & benigniores patroni interdum libertis tribum emebant, aut emi jubebant. Quod luculenter docet Scævola lege 35. D. de Legat. III. *Patronus liberto ſtatim emi tribum petierat, libertus diu moram ſub hærede paſſus eſt, & decedens hæredem reliquit clariſſimum virum: Quæſitum eſt an tribus æſtimatio hæredi ejus debeatur? Reſpondi deberi. Idem quæſivit an & commoda, & principales liberalitates quas libertus ex eadem tribu uſque in diem mortis ſuæ conſecutus fuiſſet, ſi ei ea tribus ſecundum voluntatem patroni ſui tunc comparata fuiſſet: an vero uſuræ æſtimationes hæredi ejus debeantur? Reſpondi quicquid ipſe conſecutus fuiſſet, id ad hæredem ſuum tranſmittere*. Ubi per *liberalitates* congiaria intelligenda ſunt, docent enim antiquæ

glossæ *congiaria* in legibus *liberalitates* appellari; his verbis: *Congiarium* ἐπίδοσις ἐπὶ τῶν νομῶν δωρεά. Teste Cujacio Observationum lib. 10. cap. 37. Huc pertinet illud Persii sat. 5.

Libertate opus est, non hac, qua, ut quisque Velina
Publius emeruit scabiosum tesserula far.

Ubi prius docet in qua tribu fuerit ille qui emeruit, deinde quid meruerit.

4 Verum hoc ad Latinos & Dedititios referri ait Alciatus Parergωn lib. 1. c. 16. docens cives Romanos id simul cum manumissione consecutos, cæteros vero id emere debuisse, idque probare vult ex eo quod Scævola lege allegata doceat patronum id liberto emisse. Ast labitur vir magnus, loquitur enim in lege illa Scævola de liberto testamento manumisso directe, & qui protinus civis Romanus fiebat, non enim Latini in tribus civium Romanorum adscribi poterant, quod illa lege factum in liberto docet Scævola. Deinde si Latini emere tribum possent, venale esset jus civitatis Romanæ: sed semetipsum confutat Alciatus, scilicet sui immemor, docet namque ex Gajo Latinos ad jus civitatis pervenire potuisse, si iterum a dominis aut in testamento, aut vindicta, vel in Ecclesia manumissi essent. Neque lex allegata ullatenus Alciatum juvare poterit, cum testamenti factio tantum civium Romanorum cum civibus, nec Latinus, cum civis Romanus non sit, quicquam ex testamento capere possit, auctore Gajo Instit. lib. 1. tit. 2. §. 4. *Nam & Latini, Dedititii nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum possunt ullatenus vindicare.* Sed hæc sufficere puto indicando & corrigendo Alciati errori.

5 In tribu autem debebant esse, ut pateret eos liberos esse, quapropter Quintilianus probaturus addictum non esse servum, dicit eum *tribum* habere, Declamatione CCCXI. Et Florus indicare volens C. Gracchum servum esse, ait *hominem sine tribu sine nomine* lib. 3. cap. 16. Rogare hic quis poterit, quare non antea capere & habere liberalitates Principum possint liberti, quam in tribus distributi fuerint? Respondeo ideo id necessarium fuisse, quia multi servos suos manumittebant eo tempore, quo frumentum, vel aliud beneficium a principe vel magistratu tribueretur, ut illi liberti, id quod acceperant, protinus ad patronos suos deferrent, quod docet Dionysius Halicarnassæus lib. 4. ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμόνων γίνοιτο φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν. Quæ ut vertit Casaubonus ad Suetonii Augustum, ita latine sonant: *Ut frumentum publice dari solitum singulis mensibus, accipientes, aut si quæ alia largitio a principibus vel magistratibus fuerit celebrata, auctoribus libertatis suæ id afferant.* Huc pertinet quod ait Dion Cassius, multos spe inductos, frumentationis die appellente, manumittere. Sic loquitur de Pompejana frumenti divisione: πολλοὺς πρὸς τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐλευθερωθῆναι. Huc quoque spectat illud Suetonii dictum de Augusto: *Nec minore gravitate atque constantia, cum proposito congiario, multos manumissos insertosque civium numero comperisset, negavit accepturos quibus promissum non esset.*

6 Quas autem in tribus distributi sint videre est apud Alexandrum ab Alexandro Genialium dierum lib. 1. cap. 17. & Carolum Sigonium de antiquo jure civium Romanorum lib. 2. cap. 14. quorum ego scripta non describo.

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

1 *Libertas minus justa quot modis acquiratur? φυσικοὶ ἐλευθερίας τρόποι qui? ἔννομοι qui?*

1 Ranseo ad species manumissionis, quæ libertatem non justam dabant, id est, quibus Latini, non cives Romani fiebant. Hæ species itidem tres erant, scilicet *per epistolam*, inter *amicos*, & *convivii adhibitione*. Quas omnes recenset Imperator §. 1. Institut. de Libertinis. Et Gajus Institut. § 2. de Jure personarum. *Latini*, inquit, *sunt qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* Hos modos naturales vocat Theophilus §. 4. Instit. de Libertinis: ἔστι δὲ ἔννομος τρόπος ἐλευθερίας, καὶ φυσικὸς τρόπος ἐλευθερίας· καὶ ὁ ἔννομος τρόπος γίνεται κατὰ τρόπους τρεῖς *vindicta, censu, testamento*. Et paulo infra: φυσικοὶ δὲ τρόποι ἐλευθερίας εἰσὶν τρεῖς, *inter amicos, per mensam, per epistolam.*

CAP. II.

1 *Manumissio per epistolam quomodo facta? Isidorus explicatus.* 2. *Quot testes epistolæ subscribere debent?*

1 PEr epistolam quomodo facta sit manumissio, docet idem Theophilus: Per *epistolam* inquit ἡνίκα ὄντι αὐτῷ ἐν ἑτέρᾳ χώρᾳ δι' ἐπιστολῆς ἐπέτρεπον ἄγειν ἐν ἐλευθερίᾳ. Huc pertinet quod dicit Isidorus Originum lib. 9. cap. 4. *Latinos fieri nunquam per testamentum, sed per epistolam libertatem sumere.* Exemplum hujusmodi manumissionis habemus in lege 38. D. Adquirenda vel omittenda possessione.

2 Oportebat autem ut hæc epistola quinque testium nominibus subscripta & signata esset. Teste Justiniano §. 1. legis unicæ C. de Libert. Lat. toll. *Sancimus itaque si quis per epistolam servum suum in libertatem perducere voluerit, licere ei hoc facere quinque testibus adbibitis, qui post ejus literas, sive in subscriptione positas, sive per totum textum effusas, suas literas supponentes, fidem perpetuam possint chartulæ præbere. Et si hoc fecerit, sive per se scribendo, sive per tabularium, libertas servo competat quasi ex imitatione codicilli delata.*

CAP. III.

1 *Inter amicos quomodo facta manumissio? Lucas Evangelista noviter explicatus.* 2 *Quot testes requirantur qui subscribunt tabulæ qua se servum liberare dominus scribit? Martialis explicatus.*

1 INter amicos manumittebat quis, cum dominus præsentibus amicis servum liberum esse ait, vel ut Theophili verbis utar ἡνίκα φίλων παρόντων ἐλεύθερον τινά. Meminit hujus manumissionis Seneca de vita beata. Cap. 24. *Hominibus natura prodesse jubet, servi liberine sint, justæ manumissionis, an inter amicos datæ.* Meminit quoque Plinius nepos lib. 7. Epist. 16. & exstat exemplum apud Petronium in fragmento Tragurino. Nescio an & Lucam Evangelistam c. 12. vers. 37.

2 Qui inter amicos manumittere volebat, debebat hoc quoque facere quinque testibus, qui id testarentur, præsentibus. Imperator §. 2. legis unicæ C. de Lat. libert. toll. *Et si quis inter amicos manumittere & libertatem servo suo dare maluerit: licebit ei similiter quinque testibus adhibitis suam explanare voluntatem: & quod liberum eum esse voluerit, dicere.* Et si in charta scriberet se servum suum liberum esse velle, debebant id testes signare. Martialis lib. 9. Epigram. 88.

Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modo liberum esse jussi
Nastam. (servulus est mihi paternus)
Signa, &c.

CAP. IV.

1 *Per mensam quomodo servi manumissi?* 2 *Cæna libera quæ, a qua libera & ei contraria serva.*

1 TErtius modus, ut ait Gajus, fit per mensam, sive convivii adhibitione, non tamen sufficiebat servo ut simpliciter domini mensæ accumberet, & cum domino cibum caperet, sed oportebat ut eum dominus expresse dandæ libertatis causa, convivio adhiberi testetur, hoc satis indicat Theophilus, dum ait: *Per mensam* ὅτε συνεστιαθῆναι ἐπὶ ἐλευθερίας δόσει προσέταττον τῷ οἰκέτῃ. Id est, *Cum libertatis dandæ gratia servum convivio adhibebant.* Utque sic eum vel inter epulas, vel etiam ante quam accumberet, manumitteret.

2 Hanc cænam liberam dictam fuisse crediderim, certe apud Petronium in principio fragmenti Tragurini hujusmodi cænæ mentio fit, ubi ita capiendam illam cænam sequentia satis probant. Tum quoque aquam liberam gustare dicuntur, Trimalcio apud Petronium dicto fragmento: *Amici,* inquit, *& servi homines sunt: & æque unum lactem biberunt, etiam si illos malus fatus oppresserit. Tamen me salvo cito aquam liberam gustabunt.* Contra quamdiu in servitute manent, aquam servam bibere dicuntur. Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 6. Alloquens janitorem:

——— Excute poste seram.
Excute: sic unquam longa relevere catena,
Nec tibi perpetuo serva bibetur aqua.

CAP. V.

1 *Naturalis manumissio justam libertatem non dat. Liberum esse, & in libertate esse, non est idem. Plautus & Terentius explicati.* 2 *Latini Juniani qui? Lex Junia quid cavit?* 3 *Latini Juniani jus civitatis non habent, libere vivunt, sed cum anima libertatem efflant.*

1 HÆ sunt species manumissionis, quas *naturales* vocat Thophilus, quæ libertatem non dabant legitimam, ideoque his modis manumissi domini voluntate in libertate erant, ut satis indicat lex in themate Declamationis Quintiliani CCCXL. aliud enim est liberum esse, aliud in libertate esse, ut in ea declamatione docet Quintilianus. Et inde apud Plautum Menæchmo act. 5. sc. 9. vers. 88. servus ait:

Sed meliore opus est auspicio liber perpetuo ut siem

Et servus vel potius libertus apud Terentium in Adelphis act. 5. sc. 9. vers. 13. & sequent.

Tu sis Syre, eho accede huc ad me, liber esto.
Sy. *bene facis.*
Omnibus gratiam habeo, & seorsim tibi præterea Dæmea.
DE. *Gaudeo.* Æs. *& ego.* Sy. *credo. utinam hoc perpetuum fiat gaudium,*

Verebatur enim servus ille jam manumissus, ne in servitutem retraheretur, quod fieri poterat, teste Tacito loco sæpius laudato, his verbis: *Ut pœnitentiæ aut novo beneficio locus esset.* Ideo Trimalcio servos, quos jam ante convivio adhibuerat, ac proculdubio convivii adhibitione manumiserat, testamento se eos manumittere ait apud Petronium in fragmento sæpius allegato.

2 Postea inter amicos manumissi liberi esse cæperunt, & propriam libertatem habere, dictique sunt Latini Juniani, eo quod de eorum jure legem tulerat M. Junius Silanus Cos. anno U. C. IↃCCLXXI quæ lex eos ipso jure liberos fecit. Ulpianus in fragment. titul. 1. §. 10. *Hodie autem ipso jure liberi sunt ex lege Junia, qua lege Latini sunt nominati inter amicos manumissi.* Legem hanc Latinorum conditionem reperisse auctor est etiam Theophilus §. 3. Institut. de Libertinis. Effecitque hæc lex ut eodem jure uterentur, quo Latini coloni, quod significare voluit Justinianus lege unica. C. de Lat. libert. toll. in pr. *Cum enim Latini liberti ad similitudinem antiquæ latinitatis, quæ in coloniis missa est, videntur esse introducti.* Discimus autem eos, qui in colonias Latinas nomina dederant, & deducti erant in eam civitatem, Romanam civitatem amisisse, ex Cicerone pro Cæcina & pro domo sua.

3 Quæ cum ita sint, apparet eos neque connubii, neque Testamenti, neve patriæ potestatis jura habuisse, ac proinde eandem conditionem Latinorum libertorum fuisse, Quare Justinianus facete ait §. 4. Instit. de Successⅼ. libert. *Eos quidem ut liberos vitam peregisse, attamen ipso spiritu ultimo simul animam & libertatem amisisse; & quasi servorum, ita bona eorum jure quodammodo peculii patronos occupasse.* Nec dissimili modo eorum conditionem exprimit Salvianus lib. 3. ad Eccles. *Jugo Latinitatis addicuntur, quos scilicet jubent sub libertorum quidem titulo agere viventes sed nolunt quidam habere morientes, negato his ultimæ voluntatis arbitrio; etiam quæ superstites habent, morien-*

tes donare non possunt. Eos autem exæquatos fuisse Latinis coloniariis, docet clare fragmentum quoddam veteris JCsulti a Pithæo editum. *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani: quoniam lex Junia, quæ libertatem iis dedit, exæquavit illos Latinis coloniariis, qui tunc erant cives Romanorum & nomen suum in civitatem dederant.*

CAP. VI.

1 *Naturaliter manumissi in servitutem revocari possunt. Terentius noviter explicatus. Donati opinio corroborata. Morem revocandi libertos ingratos in servitutem unde acceperint Romani? Ingrati in Campaniam relegantur.* 2 *In servitutem retrahi voluit Claudius, idem tamen hoc postea mutavit.* 3 *Priscum morem revocat Constantinus, & approbat Justinianus.* 4 *Tacitus noviter explicatus.* 5 *Ingrati liberti debent accusari apud judicem. Fragmentum veteris JCti. expositum.*

1 DOmini voluntate qui in libertate erant, in servitutem retrahi poterant, idque palam facit Tacitus loco sæpius allegato. *Quin & manumittendi*, inquit, *duas species institutas esse, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attineri.* Ubi rotunde fatetur vindicta liberatos in servitutem retrahi non potuisse. Quæ & communis omnium Intrepretum Taciti opinio est, non tamen recta mea quidem sententia, puto enim veteri Republica, eos quoque qui vindicta liberati erant, retrahi in servitutem potuisse, cui opinioni ansam præbuit Terentius, apud quem in Andria act. 1. sc. 1. v. 12. patronus Simon ita loquitur:

Si. *Scis feci e servo ut esses libertus mihi,*
Propterea quod serviebas liberaliter,
Quod habui summum pretium persolvi tibi.
So. *In memoria habeo.* Si. *haud muto factum.*

Ubi Donatus ad verba *in memoria habeo*. *Hoc est non sum ingratus*. Ad verba vero *haud muto factum*: *Vetuste non me pœnitet. Nam si quid pœniteret, infectum velle dicebant. An secundum jus, quod adversus libertos ingratos est, ut in servitutem revocentur.* Quod posterius verum puto; nam cum Simon patronus omnia beneficia in libertum collata, imo ipsam libertatem illi a se tributam commemorasset, dicit libertus *in memoria habeo*, quasi vellet rogare, an sum ingratus? iccirco patronus respondet *non muto factum*, ideo quia non ingratus es & in memoria habes beneficia a me in te collata, non muto factum nec me pœnitet. Memorem autem & gratum se esse libertum dicere voluisse patet, ex v. 16. sequenti.

—— *Nam ista commemoratio*
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

Hunc morem Romanos accepisse ab Atheniensibus crediderim, de quibus hunc in modum scribit Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. *Age quid illud institutum Athenarum, quam memorabile: quod convictus a patrono libertus ingratus jure civitatis exuitur. Supersedeo te, inquit, habere civem tanti muneris ineptum æstimatorem. Nec adduci possum ut credam urbi utilem, quem domui sceleftum cerno: abi ergo & esto servus, quoniam liber esse nescivisti.* Mutatum id postea & statutum ut liberti ingrati in Campaniam relegarentur. Tacitus Ann. lib. 13. c. 16. *Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum relegет?* Id quando & a quo institutum sit, pro certo affirmare non possum, verisimile est Augustum ejus instituti auctorem fuisse, de eo enim Dion Cassius lib. 55. tradit, quod *instituerit jura quibus adversus libertos patroni uterentur*. Quod observavit Lipsius ad dictum Taciti locum. Forte in favorem libertorum id factum ab Augusto, ut qui a patronis injuste essent in servitutem retracti, quia bellorum civilium tempore præ armorum strepitu leges exaudiri non poterant: vel quia patroni nonnulli, qui sua bona per bella civilia amiserant aut dilapidaverant, libertos falsis criminibus incusatos, in servitutem retraxerant.

2 Priscum certe modum reduxit Claudius, *libertos ingratos, ac de quibus quererentur patroni, in servitutem retrahi jubens*. auctore Suetonio in Claudio cap. 25. adde legem 5. D. de Jure patronatus. Verum id non diu duravit, & mutatum est forte ab ipso Claudio, vel a Nerone, utpote apud quos plurimum liberti valebant. Verisimilius tamen est ab ipso Claudio id mutatum, per libertos, nihil enim ipsum fecisse adeoque ne loqui quidem scivisse, nisi quod liberti dictarent, auctor est Tacitus. Quicquid sit, perniciosa illa constitutio fuit, quæ adeo jactantes & contumaces reddidit libertos, ut non timuerint patronis verbera intentare. Tacitus Annalium lib. 13. cap. 26. *Quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut ne æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum conculcarent, ac verberibus manus ultro intenderent impellerentve, pœnam suam dissuadentes.* Ita recte a Ferretto legi mihi videtur. Quod intolerandum patronis erat, ferre tamen debuerunt, utpote viventes sub principibus, potius dixerim tyrannis, quorum liberti totam Rempublicam regebant.

3 Priscum vero & diu exoletum morem quasi postliminio revocavit Constantinus lege 2. C. de Libertis & eorum liberis. *Sane si is qui in nostro consilio vindicta liberatus est, post coercitionem ex pœnitentia dignum se præstiterit, ut ei civitas Romana reddatur, non prius fruetur beneficio libertatis, quam si hoc patronus ejus oblatis precibus impetraverit.* Eam legem approbavit Justinianus, ut patet ex Institutionibus, §. 1. de Capitis diminutione: *Maxima capitis diminutio est, quum aliquis simul & civitatem & libertatem amittit, quod accidit in his, qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ, vel libertis ut ingratis erga patronos condemnatis.*

4 Certe antiqua & libera Republica patronos hoc jus habuisse patet ex Taciti verbis: nam cum multi senatores peterent ut senatus daret, seu potius redderet patronis jus libertos in servitutem retrahendi, respondetur ab aliis: *Manumissionis duas species institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet quod datum non adimeretur.* Quasi dicerent non opus esse, ut vindicta manumissi, ingrati condemnati in servitutem retrahantur, quum jam alia manumittendi species instituta sit, qua liberare servos poterant, ideoque non opus esse ut vindicta manumittant, cum alio modo manumittere possint, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo beneficio locus.

5 Et certe hoc Augusti ævo institutum est per legem Æliam Sentiam, teste Ulpiano in fragm. tit. 1. §. 12. *Lege Ælia Sentia cautum est, ut minor triginta annorum servus vindicta manumissus, civis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: ideo sine consilio manumissum servum manere putat. Testamento vero manumissum perinde haberi*

beri jubet, atque si domini voluntate in libertate esset, ideoque Latinus fit. Eos autem qui domini voluntate in libertate erant, in servitutem retrahi potuisse dubium non est, quum qui legitimam libertatem nacti erant, revocari potuerint. Probat id præterea lex 2. C. de Libertis & eorum liberis: *Si manumissus ingratus erga patronum exstiterit, & quadam jactantia vel contumacia cervicem adversus eum erexit, aut levis offensæ contraxit culpam: a patrono rursum sub imperium ditionemque mittatur, si in judicio vel apud pedaneos judices patroni querela exorta ingratum eum ostendat.* Loqui autem legem de libertis domini voluntate libere viventibus patet ex eo, quod in eadem lege paulo post hæc verba Imperator Constantinus loquatur de manumissis vindicta. Notanda autem verba: *si in judicio vel apud Pedaneos judices patroni querela exorta ingratum eum ostendat.* Quæ verba indicant Patronum non potuisse proprio jure & quasi vi libertum retrahere in servitutem, sed debere libertum arguere ingrati in judicio, nam ingrati actionem habet. lege 1. C. eodem. Atque ita intelligendum fragmentum veteris JCti a Pithœo editum: *Hi qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi, & manumissores audiebant in servitutem denuo eos per vim ducere. Interveniebat Prætor, & non permittebat manumissum servire.* Scilicet si dominus non probasset justam causam in judicio, quare per vim denuo libertum in servitutem retraheret. Nam tunc Prætor intervenire non poterat. *Libertis enim ingratis in tantum jura adversa sunt, ut si quadam jactantia vel contumacia cervices erexerint, aut levis offensæ contraxerint culpam, a patronis rursus sub imperium ditionemque mitti possint.* Lege unica Cod. Theod. eod.

CAP. VII.

1 Latini quot modis ad civitatem Romanam pervenire potuerint? Beneficium principis quid? Plinius Junior explicatus. Quousque pateat beneficium principis. 2 Iteratio quid? quomodo per eam Latinus fiat civis Romanus. 3 Per militiam Latinus, fit civis Romanus. Ulpianus emendatus. 4 Nave quomodo Latinus acceperit jus Quiritium? institutum id a Claudio. 5 Latinorum conditio sublata a Justiniano, adeo ut, licet dominus manumittens se eum Latinum velle facere adjiceret, civem tamen Romanum efficeret.

1 Latini multis modis ad civitatem Romanam pervenire potuerunt, quoniam autem hic omnes recensere nimis prolixum esset ac forte tœdium pareret, tres aut quatuor tantum indicabimus. Primo itaque civitatem Romanam acquisiverunt beneficio Principis. II. Iteratione. III. Militia. IV. & postremo nave. *Beneficio Principis*, quomodo ad civitatem Romanam pervenerint docet Ulpianus fragm. tit. de Latinis §. 2. *Beneficio*, inquit, *principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetraverit.* Plinius Epistola 6. libri 10. *Proxima infirmitas mea Domine obligavit me Posthumo Narino medico: cui parem gratiam beneficio tuo referre possum, si precibus meis ex consuetudine bonitatis tuæ indulseris Rogo ergo, ut propinquis ejus des civitatem Chrysippo Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicæ Epigoni, item liberis ejusdem Chrysippi Epigono, & Mithridati ita ut sint in patris potestate, utque iis servetur in libertos jus patronorum.* Ubi verba postrema indicant loqui Plinium de civitate Romana, & jure civium Romanorum, patria namque potestas civium Romanorum est tantum. §. 2. Instit. de Pat. pot. Notandum autem si peregrinus jus Quiritium impetraverit, non fieri eum civem Romanum sed Latinum; Plinius lib. 10. Epist. 4. *Rogo des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, ornatissimæ fœminæ Heliæ, & Antonidi Armeridi, quod a te petente patrona peto.* Idem ejusdem libri epistola 6. *Item rogo indulgeas jus Quiritium L. Satrio Abascantio, & P. Cæsio Phosphoro & Panchariæ Soteridi, quod a te volentibus patronis peto.* Ubi omnes Interpretes per jus Quiritium jus Latii intelligi contendunt. Cœterum notari velim quod dicat Plinius: *volentibus patronis id a te peto.* Quia nihil firmiter invitis patronis concedi poterat libertis, quapropter omne quod in fraudem patronorum gestum est, revocatur lege 1. §. 3. D. Si quid in fraudem patroni factum sit. Beneficium illud principale tam late patet, ut & civitatem Romanam peregrino tribuere possit, si tamen ante & civitatem Alexandrinam, si esset Ægyptius, concesserit. Plinius lib. 10. Ep. 22. *Ago gratias, domine, quod & jus Quiritium libertis necessariæ mihi fœminæ, & civitatem Romanam Harpocrati Jatraliptæ meo, sine mora indulsisti. Sed cum annos ejus & censum, sicut præceperas, ederem, admonitus sum a peritioribus, debuisse ante me ei civitatem Alexandrinam impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Ægyptius. Ego autem qui inter Ægyptios cæterosque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet a peregrina manumissum, patronamque ejus jam pridem decessisse. De qua ignorantia mea non queror, per quam stetit, ut tibi pro eodem homine sæpius obligarer. Rogo itaque ut beneficio tuo legitime frui possim, tribuas ei & Alexandrinam civitatem & Romanam.*

2 *Iteratione* Latinus quomodo civitatem Romanam accipiat docet idem Ulpianus. *Iteratione*, inquit, *fit civis Romanus, qui post Latinitatem, quam acceperat, major triginta annorum, iterum juste manumissus est ab eo, cujus ex jure Quiritium servus fuit. Sed huic concessum est ex SCto etiam liberis jus Quiritium consequi.* Gajus Inst. lib. 1. tit. 2. §. 4. in fine. *Nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis aut testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem manumittantur, civium Romanorum privilegia consequuntur.* Ejusmodi iterationis habemus exemplum apud Plin. lib. 7. Epist. 16. *Si voles vindicta liberare quos proxime inter amicos manumisisti, nihil est, quod verearis ne sit illi hoc molestum, cui orbem terrarum circumire non erit longum mea causa.* Adduximus quoque tale exemplum supra e Petronio, ubi Trimalcio inter amicos manumissos testamento se liberare ait.

3 Per *militiam* quoque civis Romanus fieri quis potest, auctore Ulpiano: *Militia in Quiritium accipit Latinus, si inter vigiles Romæ sex annis militaverit, ex lege Visellia.* textum vitiosum esse quis non videt, & miror post tot editiones a nemine hoc animadversum esse; lego: *militia jus Quiritium Latinus accipit.* quid enim esset *in Quiritium accipit?* Latinum certe non est.

4 Postremo jus civitatis Latinus accipit *nave*, id quid sit, clarius exponit Ulpian. §. 6. tituli sæpius laudati: *Nave Latinus civitatem Romanam accipit, si non minorem quam decem millia modiorum navem fabricaverit, & Romam sex annis frumentum portaverit, ex edicto Divi Claudii.* Meminit talis edicti Sueton. in Claudio c. 18. & 19. *Nihil non excogitavit ad invehendos etiam tempore hyberno commeatus, nam & negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestatem accidisset, & naves mercaturæ causa fabricantibus maxima commoda constituit, pro conditione cujusque, Civi vacationem Papiæ Poppææ legis, Latinis jus Quiritium, fœminis jus quatuor liberorum. Quæ constituta hodie servantur.*

5 Latinorum conditionem, ac omnem quæ circa illam fuit observantiam sustulit Justinianus, ut docet ipse §. ultimo Instit. de Libertinis: *Latinos autem Junianos, & omnem quæ circa eos fuerat, observantiam, alia constitutione per ejusdem Quæstoris suggestionem correximus, quæ inter imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos, nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec manumissionis modo, discrimine habito (sicut jam antea observabatur) civitate Romana decoravimus: multis modis additis, per quos possit libertas servis cum civitate Romana, quæ sola est in præsenti, præstari.* Idem fusius docet Justinianus per totum titulum Codicis de Lat. libert. toll. Adeo etiam, ut, si quis expresse adjecerit Latinum se velle esse eum quem manumittebat, non tamen posset, sed necessario civem Romanum facere deberet. §. 6. legis unicæ C. eodem. *Illo proculdubio observando, ut si quis sive in testamento sive vindicta quemdam manumiserit, licet hoc dixerit vel scripserit, quod voluerit eum esse Latinum, supervacua adjectio Latinitatis aboleatur, & ita fiat civis Romanus; ne modi qui ab antiqua observatione in civitatem Romanam homines perducebant, per privatorum voluntates diminui videantur.*

Hactenus de Latinitate quam cum omni sua observantia abolitam videmus. Tempus ergo erit ut ad tertium libertorum genus transeamus quod efficiunt Dedititii.

CAP. VIII.

1 Dedititii qui? introducti lege Ælia Sentia. unde sic dicti? 2 Formula deditionis quæ? torti nec inventi nocentes si manumittantur dedititii non sunt. Cives Romani fieri non possunt ex instituto Augusti. 3 Dedititios sustulit Justinianus, & omnes manumissos cives Romanos fieri voluit. Lex 17. D. de statu hominum *conciliata cum Novella* 78.

1 Dedititii qui & quales antiquitus fuerint docet Gajus §. 3. Instit. de Jure personarum. *Dedititii sunt*, inquit, *qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publice pro criminibus cæsi sunt: aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne aut ferro impressa sunt, ut deleri non possint. Hi si manumissi fuerint, dedititii appellantur.* Addit nonnulla alia Ulpianus §. 11. tituli 1. fragmentorum: *Dedititiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt a domino: quibus vestigia scripta fuerunt: qui propter noxam torti nocentesque inventi sunt: quive traditi sunt ut ferro, aut cum bestiis depugnarent: vel in custodiam conjecti fuerunt: deinde quoquo modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Quare autem dedititii dicti sint optime docet Theophilus Inst. lib. 1. tit. 5. ὠνόμασε δὲ (ὁ νόμος Αἴλιος Σέντιος) αὐτοὺς δεδιτιτίους κατὰ μίμησιν τῶν περεγρίνων. ποτὲ γάρ τινες τῶν περεγρίνων, ὑποτελεῖς ὄντες Ῥωμαίοις, τυραννικόν τι φρονήσαντες κατὰ τῶν Ῥωμαίων, ὅπλα ἔλαβον κατ' αὐτῶν καὶ παραταξάμενοι Ῥωμαῖοι ἐνίκησαν. οὐ δυνηθέντες γὰρ αὐτῶν ὑπενεγκεῖν τὴν ἀνδρείαν οἱ περεγρῖνοι, ῥίψαντες τὰ ὅπλα, ἑαυτοὺς ἐκδεδώκασι. φιλανθρωπευσάμενοι δὲ Ῥωμαῖοι τὸ μὲν ζῆν αὐτοῖς ἐχαρίσαντο. ὕβρεισαν δὲ αὐτοὺς, μόνῃ προσηγορίᾳ, δεδιτιτίους ὀνομάσαντες αὐτοὺς, ὅτι ἐκδεδώκασιν ἑαυτούς. Quæ ex versione Jacobi Curtii ita latine sonant: *Nominavit vero lex Ælia Sentia eos dedititios ad exemplum peregrinorum. Nam quondam peregrinorum aliqui quum Romanis vectigal penderent, infestis adversus Romanos animis, arma in eos sumpsere: Quos collata acie & dato congressu Romani vicerunt. Etenim cum impetum eorum fortitudinemque sustinere non possunt, abjectis armis sese dediderunt. At Romani cum hi humane agentes, vitam quidem his concessere, sed hujus appellationis ignominia affectis, ut quia se dedissent, dedititii vocarentur.*

2 Formulam deditionis habemus eleganter expressam apud Livium lib. 1. cap. 17. Ubi sese dedunt Collatini. Et apud eundem lib 7. cap. 31. ubi se dedunt Campani. Notari autem volo quod Ulpian. verbis supra allegatis dicat: *qui ob noxam torti nocentesque inventi sunt* dedititiorum numero esse, nam si innocentes inventi fuerint, ad justam possunt pervenire libertatem Paulus Sententiarum lib. 4. tit. 12. *Tormentis apud Præsidem subjectus, & de nullo crimine confessus, ad justam libertatem perduci potest.* Hi dedititii omnium libertorum vilissimi erant, & eorum jus minimum, nec ulla ratione ad civitatem Romanam perduci poterant. Gajus loco supra citato: *Dedititii vero nulla ratione possunt ad civium Romanorum libertorum beneficium pervenire.* Ejus constitutionibus per legem Æliam Sentiam auctor fuit Augustus, de quo ita Suetonius in vita Augusti cap 40. *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, & multo pluribus a libertate justa removisse, cum de numero, de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur curiose cavisset, hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam tortusve, ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Quia autem hi nequam liberi erant, *vanum nomen* esse eorum libertatem ait Justinianus lege unica C. de Dedit. libert. toll.

3 Hos plane sustulit Justinianus, ut ipse testatur Instit. §. 3. de Libertinis: *Et dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus, quam promulgavimus inter nostras decisiones: per quas, suggerente nobis Triboniano viro excelso quæstore nostro, antiqui juris altercationes placavimus.* Decisio illa Justinianea exstat Codicis lib. 7. tit. 5. ubi hoc modo loquitur Imperator: *Dedititia conditio nullo modo in posterum Rempublicam nostram molestare concedatur, sed sit penitus deleta, quia nec in usu esse reperimus, sed vanum nomen hujus libertatis circumducitur. Nos enim qui veritatem colimus, ea tantummodo volumus in nostris esse legibus, quæ reipsa obtinent.* Ita videmus Justinianum omnium libertorum æquam conditionem fecisse, & omnes manumissos cives Romanos fieri voluisse, quin & postremo eos ingenuis comparasse, salvo tamen patronatus jure, Novella 78. Sed scrupulum hic injicit Ulpianus, dicens *Imperatorem Antoninum constituisse, ut omnes homines qui in orbe Romano sunt, cives essent.* Lege 17. D de Statu hominum. Verum quis non videt Antoninum loqui de ingenuis in orbe Romano degentibus, qui natali solo & patrio impediebantur, quo minus cives essent Romani.

Hactenus de manumissionum generibus quæ olim justam & minus justam libertatem dabant. Videamus porro qui manumittere & manumitti possint, qui secus, ut & apud quos, quando, ubi, & cur manumissio facta fuerit.

LIBRI TERTII.

CAPUT I.

1 *Vindicta non potest manumittere minor 20. annis nisi apud consilium, consilium quid & a quo datum? Conventus quid? Virgilius explicatus, vetus inscriptio restituta. Vindicta manumitti potest tam communis & is cujus usumfructum alius habet, quam proprius. Vindicta manumittere possunt filii jussu patris possunt & municipia & societates. Varro explicatus. Collegia quoque possunt.* 2 *Testamento non potest efficere dominus minor viginti annis civem Romanum, nisi causa apud consilium probata. Nec miles quoque. Testamento manumittere non potest dominus qui non est solvendo. Manumittendi debent esse in potestate manumittentis.* 3 *Manumittere omnino non possunt servi pœnæ, nec rei rerum capitalium, nec lege Cornelia damnati vel damnandi. Tutor an possit manumittere servos pupilli? Pater servum filii in castris acquisitum manumittere non potest, nec eos quos in usum & ministerium filii attribuit.* 4 *Manumitti non possunt qui ideo liberantur ut crimini subtrahantur. Asconius Pedianus explicatus. Manumitti quoque non possunt qui hac lege venduntur ne manumittantur. Libertas ad tempus & in perpetuum impediri potest. Plagiarii intra decennium manumitti prohibentur. Patroni infantium manumissorum tutores fiunt.*

1 Vindicta non potest manumittere dominus minor annis viginti ex lege Ælia Sentia, nisi apud consilium justa causa approbata: Justinianus §. 4. Institut. Quib. ex caus. man. *Eadem lege Ælia Sentia domino minori viginti annis, non aliter manumittere permittitur, quam si vindicta apud consilium justa manumissionis causa approbata, fuerint manumissi.* Quo autem clarius quæ hic & superius de consilio dicta sunt, intelligantur, quid fuerit consilium addere lubet. *In consilium*, inquit Ulpianus, *adhibentur Romæ quinque senatores, & quinque Equites Romani, in provincia viginti recuperatores cives Romani.* Quod consilium a quo daretur, & quando Romæ ac in provinciis haberetur, egregie docet Theoph. §. 4. Inst. eod. *ἐστὶ συνέδριον φανερῶν ἀνδρῶν κατὰ ῥητὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνον συνιστάμενον· ἐγίνετο δὲ τοῦτο κονσίλιον οὐ μόνον ἐν Ῥώμῃ, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις· συνίστατο δὲ ἐν τῷ καιρῷ κομβέντου· καὶ τί ἐστι κομβέντος; ῥητὸς χρόνος πρὸς κατάλυσιν δικῶν ἐπινενοημένος· οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι τὸν πάντα σχεδὸν ἐνιαυτὸν ἐν τῷ πολεμεῖν δαπανῶντες, κατά τινα ὑπὸ χειμῶνος καὶ τῶν ἐν αὐτῷ δεινῶν κωλυόμενοι ἐπειδὴ παρόντας αὐτοὺς ἐν πολιτείᾳ, οὐκ ἐνῆν ἐκτὸς εἶναι δικῶν, ἀφέντες τὰ ὅπλα ταῖς δίκαις ἐσχόλαζον· καὶ πολλοὺς εἰς τοῦτο δικαστὰς ἐκάθιζον τέμνοντας αὐτῶν τὰ ἀμφίβολα οἵ τινες ἐλέγοντο recuperatores, quia per eos quisque debitum recipiat. ἐλέγετο δὲ ὁ καιρὸς κομβέντος, ἐπειδὴ convenire ἐστὶ τὸ συνιέναι· συνίεσαν δὲ ἐν ταὐτῷ οἵτε δικασταὶ καὶ οἱ δικαζόμενοι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ κομβέντου ἐγίνετο κονσίλιον, καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον· προῄει ὁ ἄρχων, καὶ ἐκάθητο ἐν τῷ οἰκείῳ δικαστηρίῳ, καὶ ἅμα αὐτῷ καὶ ἄνδρες, οἵ τινες ἐλέγοντο πελεγρίνοι, recuperatores quia per eos mancipium naturalem libertatem recipit. οἶδας γὰρ ὡς ἡ φύσις πάντας ἐλευθέρους προσήγαγε, καὶ ἐπ᾽ αὐτοὺς ἐλέγοντο δὲ λόγοι αἰτίαι ὑπὸ τῶν ἐλευθερούντων· ἐγίνετο δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ τὸ κονσίλιον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τοῦ κομβέντου, τοῦ πραίτωρος καθημένου ἐν τῷ οἰκείῳ δικαστηρίῳ καὶ συνκαθιζομένων αὐτῷ πέντε συγκλητικῶν, καὶ πέντε ἱππέων Ῥωμαίων.* Quæ hoc modo vertit Jacobus Curtius: *Consilium est consessus certorum virorum statis anni diebus coeuntium. Habebatur autem hoc consilium non Romæ tantum, sed etiam in provinciis. Coibant autem viri illi tempore conventus. Et quid est conventus? Est certum statumque tempus litium dirimendarum gratia inventum. Nam Romani cum totum fere annum bellis gerendis occuparentur, certo quodam tempore, cum hyems eos & hybernæ tempestates sub pellibus agere prohiberent. Quoniam ut in communi vita sine litibus controversiisque esse non poterant, omissis armis judiciis vacabant, & multos eam in rem constituebant judices, ut ambiguas ipsorum causas dirimerent. Tempus autem illud a conveniendo conventus dictum est. Conveniebant enim eo tempore & judices & litigatores. Extremo autem conventus die habebatur consilium, in provinciis hunc in modum: Procedebat proconsul aut præses, & in tribunali suo considebat, unaque juxta ipsum viginti viri, qui dicebantur peregrini recuperatores &c. Scis enim natura liberos omnes homines productos esse, & apud eos a manumittentibus allegabantur causæ justæ manumissionis. Habebatur & Romæ consilium die aliquo conventus, Prætore pro tribunali sedente & assidentibus ei quinque Equitibus Romanis.* Consilium autem quomodo præberit Prætor videre est apud Rævardum Protribunalium cap. 12. cujus scripta compilare mihi religio est. De conventu autem placet addere locum Ciceronis ex lib. 5. Epist. ad Atticum: *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, æstivos menses reliquos rei militari dare, hibernos jurisdictioni.* Et Livii & libro 44. *Eodem anno T. Quintius Elatriæ, quo in hyberna reduxerat copias, totum hybernum tempus juri dicundo consumpsit.* Huc proculdubio pertinet Virgilii ex Æneidos libro 5. versus 758.

Indicit forum, patribus dat jura vocatis.

Ubi Servius: *id est, tempus & locum distinguendorum negotiorum definit, qui conventus vocatur.* Ad consilium pertinet hæc inscriptio, quam exhibet in inscriptionibus suis Gruterus p. 631. PERSICUS. LIBERTUS. MANUMISSUS. AT. CONSILIUM (lego AP. CONSILIUM. id est, *apud consilium*) PROCURATORIO. NOMINE. APUD. DOMITIAN. CAES. IN. SECUN. COS. EXERCUIT. DECURIAS. DUAS. VIATORIA ET. LICTORIA CONSULARES. C. CORNELIO. PERSICO. F. HABENTI. EQUUM. PUBLICUM. CORNELIÆ. ZOSIMÆ. MATRI. EJUS. HABENT. JUS. (lego *habenti jus*) QUATUOR. LIBEROR. BENEFICIO. CÆSAR. LIBERTIS. LIBERTABUS. POSTERISQ. SUIS. EORUMVE. Nec tantum proprium sed & communem servum apud consilium manumittere potest §. 2. legis 4. D. de manum. vind. & id potest etiamsi unus tantum ex sociis approbaverit. Lege 6. D. eodem. *Servus communis quin a minoribus viginti annis dominis possit apud consilium manumitti, quamvis unus ex sociis tantum approbaverit causam, dubium non est.* Manumitti potest servus cujus usumfructum minor viginti annis habet, si ille manumissioni consenserit. Ulpian. lege 2. D. eod. *Si minor sit viginti annis fructuarius, an consentire libertati possit?*

& puto consentiendo posse ad libertatem perducere. A
Manumittere potest & filius patris surdi vel muti jussu, furiosi vero filius jussu patris non potest lege 10. D. eodem. Manumittere vindicta etiam possunt municipia & societates, ut patet ex Varrone de Lingua Latina lib. 7. in fine. Collegiis quoque quibus coeundi jus est, illud permisit Divus Marcus lege 1. D. de manum. quæ servis ad univers. pertin. imponuntur.

2 Testamento manumittere potest dominus, uti supra vidimus ubi de manumissione testamentaria egimus. Oportet tamen ut sit major annis viginti, & servus annis triginta, alias non efficiet civem Romanum sed Latinum, potest tamen civem Ro- B
manum facere si causam apud consilium approbaverit. Ulpianus ∫. 12. & 13. tit. 1. fragmentorum suo rum. Ideo nec miles minor viginti annis manumittere potest. Lege 3. D. de man. test. *Nec militi minori annis viginti permittitur posse testamento suo servum manumittere*. Manumittere quoque dominus qui solvendo non est, non potest, ut supra fuse satis probatum est. Nec Mulier quæ in tutela est, nec pupillus. Ulpianus ∫. 17. tituli sæpius allegati ex fragmentis. Manumitti possunt qui in dominio manumittentis sunt, ut supra demonstratum est, nec refert an testamenti conditi tempore an mortis fuerint, & valet manumissio si utroque tem- C
pore fuerint lege 35. D. de Manum. testam. *Servius existimat iis posse servis dari testamento directam libertatem, qui utroque tempore, & quo testamentum fit, & quo moritur, testatoris fuerunt. Quæ sententia vera est.* Sed & manumitti possunt quamvis neutro tempore in potestate fuerint. Ulpianus lege 30. D. eodem. *Si Servi qui apud hostes sunt, liberi esse jussi sunt, ad libertatem perveniunt: quamvis neque testamenti, neque mortis tempore, testatoris, sed hostium fuerint.*

3 In genere manumittere non possunt qui servi pœnæ efficiuntur. Lege 8. D. de Manumissionibus. D
Pœnæ autem servus fit, qui nullum alium dominum habet quam ipsam quodammodo pœnam, scilicet quum quis atrocitate sententiæ vel in metallum vel ad bestias damnatur. ∫. 3. Inst. Quib. mod. jus pat. pot. solvi. Manumittere etiam non possunt rei rerum capitalium. lege 8. ∫. 1. D. de Manumiss. Nec qui lege Cornelia damnati sunt. ∫. 2. legis 8. D. eod. Nec ii tantum qui damnati sunt, sed & illi qui damnabuntur manumittere prohibentur ibid. Tutores quoque pupillorum servos, si in id consentiant, manumittere possunt, ut docet Cujacius Observationum lib. 14. cap. 33. Pater servum filii, quem in castris acquisivit, manumittere non potest lege 17. E
D. eod. Idque recte, illud enim quod in peculio castrensi vel quasi castrensi filii est, ad patrem non pertinet, sed solus filius de ea re facere potest quicquid velit, atque ita capi debet versus hic Juvenalis sat. 16.

Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur.

Similiter nec pater nec mater manumittere possunt servos quos in ministerium filiorum attribuerunt, auctore Brissonio ad legem Juliam de Adulteriis p. 193. editionis Lugdunensis. E contrario filius quo- F
que non potest manumittere servum quamvis peculiarem, sine jussu patris. Lege 13. de D. de Jure Patronatus.

4 Manumitti non possunt qui ideo liberantur ut crimini subtrahantur ∫. 3. legis octavæ D. de Manumissionibus. Idque in omnibus criminibus obtinuisse credo, nec in criminibus servorum, sed criminibus dominorum, ut quæstioni subjici possint, quod colligi licet ex Asconio Pediano in argumento orationis pro Milone, & Cicerone in eadem oratione cap. 21. Nec manumitti possunt qui hac lege venduntur ne manumittantur. Paulus lege 9. D. de Manumissionibus. *Servus hac lege venditus ne manumittatur, vel testamento prohibitus manumitti, vel a Præfecto vel Præside prohibitus ob aliquod delictum manumitti, ad libertatem perduci non potest.* Adde legem 5. C. Si mancipium ita fuerit alien. ut man. Nec tantum in perpetuum sed & ad tempus impediri potest manumissio lege 17. ∫. 2. D. Qui & a quib. manum. lib. non fiunt. Possunt & vendi ne intra decem, viginti, vel triginta annos manumittantur, cujus modi exemplum habemus apud Suetonium Augusto cap. 21. Ita ob admissum plagium intra decem annos manumitti non potest servus. Lege 12. D. de Manum. Contra manumitti possunt tam infantes quam adulti lege 25. D. eodem. *Juris ratio efficit, ut infantibus quoque competat libertas.* Et tunc patroni ipsorum tutores fiunt, tot. tit. Instit. de legit patron. tutela. Manumitti quoque possunt furiosi, nec refert quo genere manumissionis liberati sint. Javolenus lege 26. D. de Manumissionibus: *Servum furiosum omni genere manumissionis, ad libertatem perduci posse putat Labeo.*

CAP. II.

1 *Manumissio apud quos fieri debuerit? Lex 17. D.* de manumissis vindicta *conciliata cum lege 2. D.* de Officio Proconsulis. *Rejecta sententia Hottomanni, Cujacii, Duareni, Roberti, Pacii, & Perezii. Burgii stabilita correctio. Legis actionem qui habeant?*

1 NUnc videamus apud quos manumissio facta antiquitus fuerit & fieri debuerit. Manumissio quæ in Ecclesia fiebat, apud quos facta fuerit ostensum satis superque supra puto, ubi de manumissione quæ in Ecclesia fiebat actum est. Apud quos, quæ vindicta fiebat, facta fuerit nunc despiciamus. Fiebat itaque in urbe apud Consulem vel apud Prætorem lege 1. D. de Manum. Vind. lege 20. ∫. 4. D. eodem. Ulpianus fragm. tit. 1. ∫. 7. Gajus Institut. lib. 1. tit. 2. ∫. 1. lege ult. C. de Vind. libert. In provinciis apud Proconsulem; nec tantum in ipsis provinciis præsentem, sed & antequam provinciam attingeret, modo urbem egressus sit. Lege 2. D. de Off. Procons. lege 17. D. de Manum. Vind. Apud legatum quoque Proconsulis manumitti posse docet Paulus in lege 17. D. eodem. *Apud Proconsulem postquam urbem egressus est, vindicta manumittere possumus. Sed & apud legatum ejus manumittere possumus.* Cui ex diametro adversum est quod docet Marcianus in lege 2. D. de Off. Proconsf. *Apud legatum vero Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem.* Quam antinomiam ut concilient Interpretes, Duarenus cap. de Off. Proconsf. Robertus 1. Recept. Lect. 28. Charondas lib. 1. Verisim. cap. 3. Pacius ἐν αντιοφανῶν. 1. 46. Perezius ad C. tit. de Off. Proconsf. & Legati num. 8. distinguunt inter Legatum ingressum provinciam, & non ingressum, dicentes Legatum provinciam ingressum ex mandato habere jurisdictionem, nondum vero ingressum, non habere. Hottomannus Observat. lib. 3. cap. 4. distinguit inter legatum præsentem & absentem. Cujacius Observationum lib. 1. cap. 1. addit particulam *non*, Burgius Electorum cap. 2. pro *ejus* legit *Cæsaris*. In qua Interpretum controversia & dissensione ego absque librorum ope vix hiscere audeo. Hoc saltem dico recte mihi videri lectum & correctum a Burgio, idque eo magis quod ob similitudinem notæ literæ C. & notæ literæ E.

decepti videantur librarii. Poterat quoque manumissio fieri apud Præsidem lege ult. C. de Manum. vind. & lege 2. D. de Off. Præsidis. Ut & apud Præfectum Ægypti lege 21. D. eodem: *Apud Præfectum Ægypti possum servum manumittere ex constitutione Divi Augusti*. Ratio quia ibi nullus Proconsul aut Præses erat; *Ægyptum namque inter alia dominationis arcana Equitibus Romanis sepofuit Augustus*. Teste Tacito Ann. lib. 2. cap. 59. Consul quoque in urbe apud se manumittere potest. lege 20. §. 4. D. de Man. vind. *Consul apud se potest manumittere, etiamsi evenerit ut minor viginti sit annis*. Eodem modo & Prætor facere potest lege 5. D. eod. Non tamen apud Collegam suum Prætor manumittere potest §. 1. legis 18. D. eod. Pater autem potest manumittere apud filium, & filius apud patrem, si pater id permiserit. Lege 18. citata. Porro manumitti potest apud Magistratus qui hujusmodi jus habent. Lege 4. C. eodem. Imo ante omnes qui legis actionem habent. Paulus Sententiarum lib. 2. tit. 25. *Apud Magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari & manumitti potest*. Est autem legis actio apud eos qui merum & mixtum imperium habent, ut docet fusius Alciatus Parergωn lib. 3. cap. 2. de legis actionibus fuse quoque agit Brissonius Antiquitatum ex jure civili selectarum lib. 4. cap. 20. Videndum nunc quando manumissio fieri deberet.

CAP. III.

1. Manumissio quando possit fieri? Dies fasti & nefasti qui? Nundinæ an feriæ? Macrobii error. 2. Feriis lege agere non licet. Nimis stricte die festos observarunt antiqui Romani. 3. Manumissio festis diebus fieri potuit sine piaculo apud posteriores Romanos. Christiani quoque Impp. eam fieri diebus festis permiserunt. Tertullianus explicatus.

1. MAnumissio *semper* fieri potest, teste Justiniano §. 2. Instit. de Libertinis. Ubi per *semper* singuli dies tam fasti quam nefasti intelliguntur, interprete Theophilo: *ἡ γὰρ ἐλευθερία τοῖς οἰκέταις ἐν παντὶ χρόνῳ νομίμως δύναται δίδοσθαι, καὶ ἐν ἀπράκτῳ ἡμέρᾳ*. Sed hoc repugnat legis actioni, nam manumissio est legis actio, & legis actio fieri non potest, nisi diebus fastis. Ovidius Fast. lib. 1.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Varro de Lingua Latina lib. 5. *Dies fasti per quos Prætoribus omnia verba fine piaculo licet fari. Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem: do, dico, addico*. Inde Trebatius probare volens nundinas inter ferias non esse, docet nundinis magistratus manumittere posse, apud Macrobium Saturnalium lib. 1. c. 16. Quasi dicat Trebatius, si nundinæ inter ferias essent, magistratus (quoniam feriis non potest) nundinis non posset manumittere. Sed videtur mihi errasse Macrobius, qui aut invertit sensum verborum Trebatii, aut non allegavit totum ut oportuit, Trebatii locum, non enim dubito, quin Trebatius divini humanique juris peritissimus non ignoraverit feriis manumitti posse apud magistratus.

2. Verum quidem est feriis aliisque diebus nefastis, Prætorem lege agere non potuisse, ut supra tradimus ex Ovidio & Varrone, attamen interest inter jurisdictionem voluntariam & contentiosam, quæ feriis fieri non poterat. Sed videre licet nimis stricte observasse festos illos dies antiquitatem, nam Prætor si manumisisset nescius expiari poterat & debebat. Varro de L. L. lib. 5. loquens de diebus nefastis: *Quid si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio, ut magistratus vitio creatus. Prætor autem qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta: si prudens dixit, Q. Mutius abnegabat eum expiari, & ut iniquum non posse, dicebat*.

3. Insecuta certe ætas illud non tam stricte observavit, & absque periculo fieri posse permisit. Paulus Sententiarum lib. 2. tit. 25. § 8. *Emancipatio etiam die feriato fieri potest*. Emancipationem autem speciem manumissionis esse adeo notum est ut quod notissimum. Quapropter Imperatores Christiani id fieri permiserunt diebus festis. Constantinus lege 1. Cod. Theod. de Feriis: *Sicut indignissimum videbatur diem solis venerationis suæ celebrem, altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est, eo die quæ sunt maxime votiva compleri. Atque ita emancipandi & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus acta non prohibeantur*. De diebus Paschalibus idem sancitum ab Impp. Valentiniano, Theodosio & Arcadio, in lege 8. C. de Feriis: *Actus omnes seu publici sunt seu privati, diebus quindecim paschalibus conquiescant. In his tamen & emancipandi & manumittendi cuncti licentiam habeant: & super his acta non prohibeantur*. Atque ita intelligi debet, quod legitur apud Tertullianum Apologetico: *Vectigalis libertas vulgo aditur omnibus sabbathis*. Et illud quidem est id, quod Justinianus ait *servos a dominis semper manumitti posse*. §. 2. Institutionum de Libertinis, supra allegato. Tempus nunc erit ut videamus ubi manumissio debuerit fieri.

CAP. IV.

1. Manumissio ab initio fieri debuit coram tribunali, postea ubicumque locorum.

1. MAnumissio antiquitus fieri debebat coram Consule vel Prætore in urbe, in Provinciis vero coram Proconsule vel Præside pro tribunali sedentibus, ut vidimus supra ubi actum est de manumissione quæ vindicta fit. Sed id intelligendum de domino majori viginti annis, minor namque viginti annis apud Consilium Prætore una cum Assessoribus suis pro tribunali sedente manumittere debebat. Postea favore libertatis introductum est, ut manumissio procederet etiamsi Prætor aut alii magistratus, apud quos manumissio fieri poterat, pro tribunali non sederent. Imperator §. 2. Institutionum de Libertinis: *Servi vero a dominis semper manumitti solent: adeo ut vel in transitu manumittantur: veluti cum Prætor aut Præses, aut Proconsul in balneum, vel in theatrum eant*. Idem clarius tradit Gajus in lege 7. D. de Manum. vind. *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere: itaque plerumque in transitu servi manumitti solent, cum aut lavandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit Prætor, aut Proconsul Legatusve Cæsaris*. Imo ubicumque locorum fuerit dominus, potest coram Prætore manumittere, nec opus est ut adsint lictores, quod expresse docet Ulpianus, lege 8. D. eodem: *Ego cum in villa cum Prætore fuissem, passus sum apud eum manumitti, & si lictoris præsentia non esset*.

CAP. V.

1. *Justæ causæ manumissionis quæ?* 2. *Nutrix juste manumittitur. Terentius explicatus.* 3. *Causæ §. 5. Instit.* Quibus ex causis manumittere non licet. *Allatæ ad dominos minores pertinent, causa semel probata apud consilium sive vera sive falsa sit, non retractatur.* 4. *Causæ dominos majores 20. annis concernentes publicæ sunt vel privatæ? Publicæ quæ? Servis apud Romanos militare capitale est.* 5. *Privatæ causæ sunt si servus domini vitam defenderit, aut mortem ultus sit vel detexerit, vel si dominum ex ancipiti morbo restituerit.* 6. *Plautus explicatus. Domini servis libertatem pollicentur cum egregium facinus ab iis patrari volunt. Plautus iterum explicatus.* 7. *Justa quoque causa si dominus servum, qui per totam vitam bene servivit, manumittat, ut liber saltem moriatur. Petronius explicatus.* 8. *Justa quoque causa si servus vel ancilla certo pretio libertatem a dominis emunt, qui mos veteribus admodum familiaris: Priapeæ carmen expositum. Plautus sæpius explicatus. Virgilio lux data. pacti cum dominis in certam summam pro capite solvendam tabulas fidei causa a dominis accipiebant. Paulo lux data in lege 3. §. 1. D.* Quod metus causa gestum erit. *Poterantque illi invitis dominis liberari. Peculium unde acquirant servi? Dionysius Halicarnassæus explicatus. Demensum quid? Donati ad Terentium duplex error. Sallustius explicatus. annua quid? Servi frugi vix ultra sexennium serviunt. Parasiti quomodo liberi esse possint? Juste manumittitur ancilla quæ domino plures liberos procreavit.* 9. *Sacrorum causa sæpius manumissi servi. Senes coemptionales qui? Festus explicatus.* 10. *Coss. creati primo honoris die nonnullos manumittunt, idque boni ominis causa. Petri Fabri Viri Clarissimi conjectura stabilita. Claudianus bis restitutus. Fiebat hæc manumissio in foro Trajani.* 11. *Justa manumissionis causa si dominus servum, cujus fidem & operam in studiis librisque exscribendis probaverat, manumittat, ejus rei plura exempla adducta.*

1. TRanseo nunc ad causas, ob quas manumissio fit, quarum non nullas indicat Imperator §. 5. Instit. Quib. ex caus. manum. *Justæ*, inquit, *manumissionis causæ hæ sunt; veluti si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratres sororesve naturales, aut pædagogum aut nutricem aut educatorem, aut alumnum alumnamve, aut collectaneum manumittat: aut servum procuratoris habendi gratia, aut ancillam matrimonii habendi causa: dum tamen intra sex menses in uxorem ducatur, nisi justa causa impediat: & servus qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & septem annis manumittatur.* Hunc paragraphum procul dubio composuit Tribonianus ex legibus 12. 13. 14. D. de Manum. vind. Ubi tamen additur justa de causa manumitti eum qui sanguine contingit, item & capsarium. Additque Marcianus fœminam matrimonii causa manumittere posse, si conservus suus in hoc ei legatus est, ut & spadonem, non tamen castratum.

2. Notandum quod inter eas personas quæ juste manumittuntur, nutricem recenseat Imperator, ideo & servus manumissus apud Terentium, rogans ut & uxor sua manumitteretur, allegat hanc causam, quod nepoti domini mammam præbuerit. Adelph. act. 5. sc. 9.

A SY. *Utinam hoc perpetuum fiat gaudium*
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
DE. *Optimam quidem mulierem.* SY.
Et quidem tuo nepoti hujus filio
Hodie primam mammam dedit hæc.

Nec prætereundum quod dicit *procuratoris habendi gratia*. Eo namque pertinet inscriptio vetus supra e Grutero allata: PERSICUS. LIBERTUS MANUMISSUS. AT. CONSILIUM. PROCURATORIO. NOMINE.

3. Sciendum quoque est, hasce causas, quas B supra enumeravit Justinianus, pertinere tantum ad dominos minores viginti annis, qui causam apud consilium probant. Lege 11. D. de Manum. vind. Causa autem tali semel apud consilium probata, sive vera sit, sive falsa, non retractatur. Lege 9. §. 1. D. eodem: *Sciendum est qualiscumque causa probata fuerit & recepta, libertatem tribuere oportere. Nam Divus Pius rescripsit, causas probatas revocari non oportere.* Idem docet & Justinianus §. 6. Institut. Quibus ex causis manumittere non licet.

4. Sunt & aliæ justæ causæ dominos majores viginti annis, (quamvis hi causam justam allegare C non teneantur) concernentes, quæ aut publicæ sunt, aut privatæ, publicæ sunt, si servus conjurationem contra Rempublicam factam detegat, ut est apud Liv. lib. 2. c. 5. lib. 4. cap. 45. & lib. 32. cap. 26. Apud Sallustium in Catilinario c. 30. Vel si conjuratum in Rempublicam aut regnum affectantem, statumve Reipublicæ labefactantem occiderit, ut exemplum habemus apud Ciceronem pro C. Rabirio perduellionis reo. in fine. Vel si servi fortiter militaverint, ac hostes vicerint, quale exemplum exstat apud Macrobium Saturnalium lib. 1. cap. 11. vel si in Reipublicæ extremitatibus D ad militiam manumittantur, ut probant exempla apud Florum lib. 2. cap. 6. apud Livium lib. 22. c. 57. quod quoque fecerunt Salonitæ apud J. Cæsarem de Bello Civili lib. 3. Nam servis alioqui apud Romanos militare capitale erat auctore Plinio in Epistolis. Et libera Republica summa fuit infamia servis in bello uti, quare nec ipse Catilina, quamvis plebis fecem colligeret, in principio servis uti voluit, teste Sallustio in Catilinario cap. 56. Vel si detulerint monetarios falsam monetam cudentes. lege 2. C. Pro quib. caus. servi pro præmio libert. accipiunt. Vel si raptorem aut militiæ desertorem prodiderint. lege 3. & 4. C. eodem. vel denique si E ulla in re Reipublicæ profuerint, deque ea bene meriti sint, ut est apud Ciceronem in oratione pro C. Cornelio Balbo.

5. Privatæ sunt si servus dominum vitæ infamiæque periculo liberaverit, lege 9. D. de Manum. vind. Et hanc ob causam servos suos manumisit Milo. Asconius Pedianus in argumento orationis pro Milone: *Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. Verba pauca Q. Hortensius dixit, quæ sunt, liberos esse eos qui pro servis postularentur: Nam post recentem cædem manumiserat eos Milo, sub hoc titulo quod caput suum ulti essent.* F Et paulo infra: *Miloni duos solos saucios esse, ob quæ Milonem postera die XII. servos qui ei maxime operam navassent, manumisisse.* Seneca de Beneficiis lib. 3. cap. 23. *Claudius Quadrigarius in duodevicesimo Annalium tradidit, cum obsideretur Adrumetum, & jam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse & operæ pretium fecisse. Deinde urbe capta passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua servierant, procurrisse, & dominam suam*

ante se egisse & quærentibus quænam esset, dominam, & quidem crudelissimum ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros, summa cura celasse, donec hostilis ira consideret, deinde ut satiatus miles ad Romanos mores cito rediit illos quoque ad suos rediisse, & dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque evestigio illa. Item si domini mortem ulti essent, libertatem consequebantur, at non ipso jure, sed aditione & sententia Præsidis. lege 1. C. Pro quib. caus. servi pro præmio libert. accip. Item si domini mortem detexissent lege 23. D. de Jure Patronatus. Vel si dominum ex ancipiti morbo valetudini restituissent. Suetonius in Nerone loquens de Domitio Neronis avo. *In desperatione rerum mortem timore appetitam adeo expavit, ut haustum venenum pœnitentia evomuerit, medicumque manumiserit qui idem sibi prudens ac sciens temperasset.* Imo interdum præter libertatem statuam merebantur. Suetonius in Augusto cap. 59. *Medico Antonio Musæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, statuam ære collato juxta signum Æsculapii posuerunt.*

6. Quod dixi supra servum juste libertate donari si caput domini defenderit, adeo verum est, ut servus apud Plautum Menœch. act. 5. sc. 7. audacter ingerat meruisse se libertatem, quia dominum e manibus quator prædonum liberaverat. Et si vel ullum majus beneficium in dominum contulissent, juste manumitti potuerunt, idcirco servus apud Plautum Epidico act. 5. sc. 2. libertatem a domino efflagitat, quia deperditam domini filiam invenerat, domumque reduxerat. Ideo quoque servis, quoties egregium quoddam facinus ab iis patrari volunt domini, libertas promittitur. Plautus Casina act. 2. sc. 5. vers. 63.

Si effexis hoc soleas tibi dabo, & annulum in digito
Aureolum, & bona plurima.

Ubi per soleas & annulum aureum libertatem intelligit, soli enim ingenui ac liberi soleas gestabant, servi sculponeas. De annulis quoque notum est. Eodem modo servo libertatem dominus pollicetur, si adulterum cum uxore sua rem habentem ostenderet atque indicaret, apud Heliodorum libro Æthiopicorum primo, & Ulysses bubulco & subulco libertatem pollicetur, interfectis ope eorum procis, apud Homerum Odyss. 21. vers. 214.

7. Justa & mea quidem sententia justissima causa fuit, si servos qui per totum vitæ curriculum servitutem servierant, domini manumitterent, ut in libertate saltem diem obirent, animamque liberam efflarent. Indicat id nobis Martialis lib. 1. Epigram 102.

Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras
Ureret implicitum cum scelerata lues.
Cavimus: & domini jus omne remisimus ægro.
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Atque ita capiendus est ille Petronii locus in Satyrico: *Sylla sacrum novendiale servo suo misello faciebat, quem mortuum manumiserat.*

8. Justa quoque causa est si domini manumittant servos ancillasve, qui quæve suam libertatem certo pretio cum dominis pacti sunt, quod sæpius apud Romanos fiebat. Quem ritum, (quoniam a nemine hactenus quod sciam totus explicatus est) hic fusius paululo exponere haud pigebit. Moribus ergo apud veteres receptum erat, ut interdum servus cum domino quasi pacisceretur in certam summam, quam pro libertate sua daret. Seneca Epistola 80. *Quid autem melius potes velle quam eripere te huic servituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata, omnimodo exuere conantur. Peculium suum quod comparaverunt, ventre fraudato, pro capite numerant.* Ita quoque intelligendus est ille versus ad Priapum:

Nota Suburanas inter Telethusa puellas
Quæ puto de quæstu libera facta sua est.

Vetus sane ille mos est, cujus plura vestigia apud Plautum habemus, ut in Aulul act. 5. sc. 1. vers. 8. Ubi servus invento thesauro

Quin ego illi me invenisse dico hanc prædam atque eloquar,
Igitur orabo ut manumittat.

Et in Rudente act. 4. sc. 2.

Nunc sic faciam sic consilium est, ad herum ut veniam docte atque astute.
Pauxillum pollicitabor pro capite argentum ut sim liber.

Petronius in fragmento Tragurino. *Quare ergo servivisti? quia ipse me dedi in servitutem, & malui civis Romanus esse quam tributarius: & nunc spero me sic vivere, ut nemini jocus sim. Homo inter homines suos capite aperto ambulo, assem ærarium nemini debeo, constitutum habui nunquam: nemo mihi in foro dixit, redde quod debes. Glebulas emi, lamellulas paravi: viginti ventres pasco, & canem contubernalem redemi, nullos denarios pro capite solvi.* Martialis libro 6. Epigram. 88.

Mane salutavi verum te nomine casu:
Nec dixi dominum Cæciliane meum.
Quanti libertas constet mihi tanta requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Ad hunc ritum procul dubio pertinet Virgilii Eclogæ 1. vers. 33.

Nec spes libertatis erat nec cura peculi.

Meminit hujus ritus quoque Tacitus Annalium lib. 14. cap. 42. *Haud multo post Præfectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit: seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive &c.* Exemplum ejus rei habemus quoque in lege 3. D. de Obs. parent. & patron. præstand. & apud Gruterum in Inscriptionibus pag. 400. Perinde autem erat an nummos haberet servus in peculio suo an vero beneficio amici cujusdam. Ulpianus lege 4. D de Manumissionibus: *Conniventibus oculis credendum est suis nummis eum redemptum, cum non nummis ejus qui eum redemit, comparatur. Proinde sive ex peculio quod ad venditionem pertinet, sive ex adventitio lucro, sive etiam amici beneficio, vel liberalitate, vel eo prorogante, vel repromittente, vel se delegante, vel in se recipiendo debitum, redemptus sit, credendum est suis nummis eum redemptum.* Plautus in Persa act. 1. scena prima.

TO. *Sed hoc me unum excruciat.*
SA. *Quidnam est id?* TO. *Hæc dies summa hodie est, mea amica sitne libera,*

An sempiternam servitutem serviat? SA *Quid nunc vis ergo?*
TO. *Facere amicum me tibi potis est sempiternum.*
SA. *Quemadmodum?*
TO. *Ut mihi des nummos sexcentos quos pro capite illius pendam?*
Quos continuo tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.

Servi autem hoc modo libertatem pacti accipiebant tabellas a dominis fidei causa. Seneca Epistola 80. *Itaque in tabellas conjicitur vanum nomen libertatis, quam nec qui emerunt, habent, nec qui vendiderunt.* Has tabellas *instrumenta status* vocat Paulus in lege 3. §. 1. D. Quod metus causa. Poterantque hi invitis dominis ad libertatem pervenire. Plautus in Casina act. 2. sc. 5.

Quid tu me vero libertate territas?
Quod si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis, atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Quod non aliter intelligendum est, quam quod cum hero jam ante pactus fuerit in libram, uti id explicat Lipsius. Si vero nolint eos manumittere domini, possunt cum iis consistere sique probaverint suis se nummis redemisse, liberi erunt, sin minus, in metallum damnantur. Marcianus lege 2. D. de Manumissionibus. *Si quis dicat se suis nummis emptum, potest consistere cum domino suo, cujus in fugam confugit, & queri quod ab eo non manumittatur. Romæ quidem apud Præfectum urbi, in Provinciis vero apud Præsides ex sacris constitutionibus Divorum fratrum, sub ea tamen denunciatione, ut is servus qui hoc intenderit, nec impleverit, in opus metalli detur, nisi forte dominus reddi eum sibi voluerit.* Quæri hic potest quomodo servus qui cum omni suo peculio & quicquid habet, ad dominum pertinet, ex peculio suo se possit redimere? Servos autem cum peculio suo domini esse docet præter JCtos Seneca de Beneficiis lib. 7 cap. 4. *Numquid dubium est quin servus cum peculio domini sit?* Quam quæstionem & movet & dirimit Ulpianus lege 4. §. 1. D. de Manumissionibus. his verbis: *Et primo quidem nummis suis non proprie videtur emptus dici, cum suos nummos servus habere non possit. Verum conniventibus oculis credendum est suis eum redemptum, cum non nummis ejus qui eum redemit, comparatur.* Nummos illos repetere servus poterat judicio, si post manumissionem pateret eum servum non fuisse sed ingenuum, lege 1. §. 5. D de Condict. causa data causa non secuta. Acquirebant autem servi illud peculium ex industria & frugalitate. *Industria,* quia mercenariam eorum operam aliis locabant domini, testibus lege 5 §. 11. D. Quod vi aut clam. & Seneca de Beneficiis lib. 7. cap. 5. Si tunc supra statutum tempus laborarent, majus pretium ac majorem mercedem, quam pepigerant eorum domini, accipiebant, vulgo id vocamus *een schoft over arbeyden;* Sic & artificum quoque famuli apud nos ob majorem diligentiam præter mercedem magistro debitam, nonnunquam recipiunt quod *drinckgeld* vocamus. Præterea si succesivis domi horis inertes non essent, aliquid mereri poterant, quo se tandem aliquando redimerent. Et id illud est quod Dionysius Halicarnassæus lib. 4. dicit antiquis P. R. temporibus ex pecunia justo labore acquisita se redemisse interdum servos. *Frugalitate,* si nummos illos quos accipiebant nonnulli ab orbis divitibus, quorum in liminibus semper fere reperiebantur, teste Arriano in Epictetum lib. 4. cap. 1. asservarent & modice uterentur frumento cæterisque cibariis, quæ singulis accipiebant mensibus, & id quidem illud est, quod Seneca ait *ventre fraudato.* Accipiebant autem & frumentum, panem, potum, & vestes, ac denique quicquid ad sustentandam vitam pertinet, ut luculenter docet Columella de R. R. lib. 1. cap. 8. qui videri potest. Frumentum illud *demensum* dicebatur. Terentius in Phorm. act. 1. sc. 1.

Quod ille unciatim vix de demenso suo
Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet.

Ubi Donatus: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id demensum dicebatur, utrum a mense an a metiendo incertum.* Ubi dupliciter errasse Donatus videtur, dictum enim demensum a metiendo Plautus in Menæch. Prolog. vers. 14.

Nunc argentum vobis demensum dabo.

Idem in Sticho act. 1. sc. 2. vers. 3.

Vos meministis quot calendis petere demensum cibum.

Ubi *quot calendis* est *quot mensibus*, id est, singulis mensibus. Deinde erravit, quod dixit, quatuor modios eos singulis mensibus accepisse, quum quinque modios acceperint. Seneca Epist. 80.

Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit.
En impero Argis, regna mihi liquit Pelops
Qua ponto ab Helles, atque ab Jonio mari
Urgetur Isthmus.

Servus est, quinque modios accipit & quinque denarios. Sallustius fragm. hist. lib. 3. in oratione Macri Lepidi trib. pleb. *Mithridatem, Sertorium, & reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis. Absit periculum & labos, quibus nulla pars fructus est, nisi forte repentina ista lege frumentaria munia vestra pensantur. Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere qui profecto non amplius possunt alimentis carceris.* Quem locum antea corruptissimum felicissime emendarunt Justus Lipsius Electorum l. 1. c. 8. & Ursinus ad dictum Sallustii locum. Hoc demensum ipsis dabatur per dispensatores ut fusius docet Popma in tractatu de operis servorum. Et quemadmodum privatorum servi *demensa* ita publici *annua* accipiebant. Plinius lib. 10. Epist. 40. *In plerisque civitatibus maxime Nicomediæ & Niceæ, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera pœnarum, publicorum servorum officio ministerioque funguntur, atque etiam ut publici servi annua accipiunt.* Præter hæc plurima etiamnum accipiebant, ab illis qui dominos eorum mane salutabant, ut priores intromitterentur, uti ex Seneca notum est. Hisce si modice uterentur & frugi essent, vix ultra sexennium serviebant. Cicero Philippica octava, circa finem: *Etenim P. C. cum in spem libertatis sexennio simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quam captivi frugi & diligentes solent.* Ita quoque parasiti liberi esse possunt, uti eleganter describit Martialis lib. 2. Epigrammate 53. & lib. 9. Epigrammate 11. Verum satis superque jam ritum hunc declaratum credo, quapropter ad alias causas manumissionis transeamus, iisque quas supra jam indicavimus addamus & illam, quando ancilla plures liberos domino procreaverit, juste & eam manumitti. Columella de Re Rustica lib. 1. c. 8. *Fœminis quoque fœcundioribus, quarum in sobo-*

in sobole certus fuit numerus honorari debet, otium nonnunquam & libertatem dedimus cum complures natos educassent. Nam cui tres erant filii, vacatio, cui plures, libertas quoque contingebat.

9 Inter causas quoque numeraverim, quamvis dubitem an justas, cum quis sacrorum causa manumittit, quod fiebat sæpius apud Romanos, nam cum sacra domestica interire leges vetarent, oportebat ut hæredes defunctorum sacra acciperent ac servarent, quo fiebat ut unus plenam interdum domum sacris haberet, quod & nimis onerosum & sumptuosum erat; Iccirco ne lege fraus fieri videretur, interdum totam familiam vendebant imaginaria quadam venditione pauperibus & præcipue senibus, qui inde teste Plauto *coemptionales* dicti sunt, ut mortuis iis sacra perirent, nemo enim pauperum hæreditatem facile adit. Atque ita sæpius servos manumittebant ut ad eos sacra pervenirent. Ita intelligendum est illud Festi; *Puri, probi, profani, sui auri dicitur in manumissione sacrorum causa.* in voce. *Puri*. Ut docet Magnus Scaliger.

10 Nec silentio prætermissam velim hanc causam, quando dominus Cos. creatus, primo magistratus die nonnullos manumittit. Ammian. Marcellinus lib.22. *Allapso itaque Calendarum Januariarum die, cum Mamertini & Nevittæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior princeps visus est in officio, pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alii, quidam ut affectatum & vile carpebant. Dein Mamertino ludos edente Circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat, uti solebat.* Libanius in Paneg. Jul. extremo. ἴσι δὴ νέμε τῆς ἐλευθερίας πᾶσι χρηστοῖς τε καὶ βελτίστοις οἰκέταις, οὓς τοσοῦτον τῆς ἐπ' ἐλευθερίαν πώποτε ῥαπισθέντων εὐδαιμονεστέρους θετέον, ὅσον ἐκείνους τῶν τελευτησάντων ἐν δουλείᾳ. μεταβάλλει γέ τοι τὴν τύχην ἀνὴρ ἀφ' αὑτοῦ τὴν ἐλευθερίαν ἀρξάμενος καὶ οὐκ ἐάσας ἐνδυναστευθῆναι τῇ τύχῃ τὴν δεσποτείαν τῶν ἡδονῶν. καὶ πλεονεκτοῦσι τῶν μὲν ἑτέρωθι λυθέντων ἐκ δουλείας τῇ τοῦ ὑπάτου σεμνότητι, τῶν δ' αὖ παρ' ὑπάτοις τῇ τοῦ βασιλέως προσθήκῃ, τῶν δ' αὖ παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῇ τοῦ νῦν ὑπεροχῇ. Quæ ita vertit Celeberrimus Gronovius Observationum lib. 1. cap. 21. *Vade nunc attribue libertatem omnibus illis frugi optimisque, servis, qui tanto feliciores habendi omnibus quibus unquam libertatis ducta est alapa, quanto hi illis, qui servitutem in diem mortis continuarunt. Mutat quippe fortunam istis vir a sua ipsius libertate orsus, nec passus imperare fortunæ dominatum voluptatum: & plus accipiunt illis, qui alio sunt manumissi loco, per Consulis majestatem; illis vero qui a Consulibus, per Imperatorii nominis accessionem; illis qui ab Imperatoribus, per hujus qui nunc est, excellentiam.* Meminit hujus moris Suetonius in Galba c. 10. Fiebatque hoc boni ominis causa. Cassiodorus Variarum lib. 6. Epist. 1. *Tot magnis debitis sola erat hujus retributio libertatis reperta in libertatis ornatum, inventa ad generale gaudium.* Et paulo post: *In argumentum etiam publicæ gloriæ solvebat famulos jugo servili, qui libertatem tantæ dederat civitati.* Et paulo post: *Prosperrimæ conditionis eventu vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cum nos securitatem demus per bella Romanis.* Forte ideo quia Brutus primus Cos. primum vindicta manumisit, in memoriam partæ tunc libertatis, uti opinatur Petrus Faber in libello de Magistratibus Romanis. Hunc ritum elegantissime exprimit Claudianus in 4. Honorii Consulatu vers. 614.

Aspice mox lætum sonuit clamore tribunal.
Te fastos ineunte quater solennia ludit
Omnia libertas. deductum vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu,
Tristis conditio pulsata fronte recessit.
In civem, rubuere genæ, tergoque removit

Legit hic *omina* pro *omnia* Faber loc. cit. idque recte, quapropter & probat id Gronovius Observationum capite supra laudato. Meminit hujus moris idem Claudianus lib. 1. in Eutropium v. 308.

Candida pollutos imitatur curia fasces
Forsitan & dominus, præbet miracula lictor
Consule nobilior, libertatemque daturus
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal.

Pro *dominus* legit *domini* Gronovius loc. cit. Fiebat autem hoc in foro Trajani. Sidonius Apollinaris Paneg. ad Authonium.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites;
Quorum gaudentes exspectant verbera malæ.
Perge Pater Patriæ felix, atque omine fausto
Captivos vincture novos, absolve vetustos.

11 Inter causas quoque & quidem justissimas numeraverim illam, quando dominus manumittit servum cujus operam & fidem in studiis, librisque exscribendis probaverat, ut ita in libertate melius impendere tempus suum studiis possit. Quod sæpius quoque factum est. Suetonius de Claris Grammaticis cap. 15. Loquens de Lenæo Magni Pompeii liberto. *Traditur autem puer adhuc catenis subreptus refugisse in Patriam: perceptisque liberalibus disciplinis, pretium domino suo retulisse: verum ob ingenium & doctrinam gratis manumissus.* Idem hujusmodi manumissionis meminit cap. 19. 21. & 23. libri ejusdem. Donatus in vita Terentii. *P. Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romæ Terentio Lucano senatori, a quo ob ingenium & formam mature manumissus est.* Simile exemplum de Publio Syro refert Macrobius Saturnalium lib. 2. cap. 7. Innumera præterea exempla in literis refert antiquitas. Sed manum de tabula, satis de causis.

Restat ut breviter addamus qui sine manumissione ad libertatem pervenire possint, ut & de nominibus libertorum & libertinorum, deque signis, ex quibus eos libertos esse patebat.

LIBRI QUARTI

CAPUT I.

1 Sine manumiſſione ad libertatem veniunt ſervi a dominis tutores dati, vel actis intervenientibus filii appellati. 2 Liberi quoque ſine manumiſſione fiunt ægri a dominis tædio medendi expoſiti, qui antiquitus Latini, poſtea cives Romani fiebant. 3 Poteſt & quis libertus naſci ex SCto. Claudiano. ingratus *pro* invitus. *SCtum Claudianum quid cavit? Tacitus reſtitutus, rejecta Lipſii, Torrentii & aliorum conjectura. 4 Nati ex mulieribus, quæ ſe ſervis miſcuerunt, quare pro libertis habiti.*



1 Sine manumiſſione ad libertatem perveniebat ſervus, ſi eum dominus tutorem inſtituiſſet, abſque adjectione libertatis. §.1. Inſtitut. qui tut. teſt. dari poſſunt: *Sed & ſervus proprius teſtamento cum libertate recte tutor dari poteſt. Sed ſciendum eſt eum & ſine libertate datum tutorem, tacite libertatem directam accepiſſe videri, & per hoc recte tutorem eſſe.* Notandum ibi quod Imperator dicat *proprius ſervus*, alienus enim directam libertatem non accipit, ſi tutor datus ſit ſed fideicommiſſariam tantum. Ulpianus ∫. 4. legis 10. D. de Teſtam. tutela. & neceſſe eſt tunc ut ematur ac manumittatur. Theophilus Inſtit. §. citato. Libertatem quoque accipit qui a domino filius vocatur actis intervenientibus, ex conſtitutione Juſtiniani ∫.ult. Inſtit. de Adoptionibus. *Apud Catonem bene ſcriptum refert antiquitas, ſervos ſi a domino adoptati ſint, ex hoc ipſo poſſe liberari. Unde & nos eruditi in noſtra conſtitutione etiam eum ſervum, quem dominus actis intervenientibus filium ſuum nominaverit, liberum eſſe conſtituimus; licet hoc ad jus filii accipiendum non ſufficiat.*

2 Sine manumiſſione liberi quoque fiebant qui ægri a dominis exponebantur tœdio medendi, idque ex conſtitutione Claudii Imperatoris. Suetonius in Claudio cap. 25. *Cum quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem domini ſi convaluiſſent. Quod ſi quis necare vellet quam exponere, cædis crimine teneri.* Meminit hujus edicti Claudiani Modeſtinus in lege 2. Qui ſine Manumiſſ. *Servo quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex dicto Divi Claudi competit libertas.* Hi ſervi antiquitus non cives Romani ſed Latini fiebant, poſtea ex conſtitutione Juſtiniani cives Romani facti ſunt ∫. 3. legis unicæ C. de Lat. libert. toll. *Scimus hoc etiam eſſe in antiqua latinitate, ex edicto Divi Claudii introductum, quod ſi quis ſervum ſuum ægritudine periclitantem ſua domo publice ejecerit, neque ipſe eum procurans, neque alii eum commendans, cum erat ei libera facultas, ſi non ipſe ad ejus curam ſufficeret, in xenonem eum mittere, vel quo poterat eum modo adjuvare, hujuſmodi ſervus in libertate latina antea morabatur, & quem ille morientem dereliquit, ejus bona iterum, cum moreretur, accipiebat. Talis itaque ſervus libertate neceſſaria, domino etiam nolente, re ipſa donatus, fiat illico civis Romanus, nec aditus in jura patronatus quondam reſervetur domino.* Huc pertinere puto epiſtolam Plinii 71. libri 10. ubi Trajanum conſulit an liberi nati, expoſiti & in ſervitute educati, liberi an ſervi ſint. Sunt & plures caſus, quibus ſervi ſine manumiſſione libertatem accipere poſſunt, de quibus vide titulum Pandectarum Qui ſine manumiſſ. & titulum Codicis ſi Mancipium ita fuerit alienat. ut manumittit. adde legem 7. in pr. & legem 8. §. 1. D. de jure patronatus. & legem 13. D. de Op. libert. nec non legem 3. D. de Servis export. ut & Novellam. 5. cap. 2.

3 Addere hic lubet poſſe aliquem libertum naſci, atque ita ad libertatem abſque manumiſſione pervenire. Idque conſtare puto ex Tacito Annalium lib. 12. c. 53. *Inter quæ refertur ad patres de pæna fæminarum quæ ſervis conjungerentur. Statuiturque ut ignaro domino ad id prolapſa, ſin ſervitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent pro libertis haberentur.* Ad quem locum Rhenanus monet abeſſe verba *& qui nati eſſent* in Codice Budenſi: & legit: *Statuiturque ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute; ſin conſenſiſſet pro libertis haberentur.* Quam lectionem Codicis Florentini eſſe docet Pichena ad dictum Taciti locum. Eandem lectionem, (niſi quod pro *libertis liberta* habet) ex Codice Farneſiano promit Lipſius, qui & vocem *libertis* ſublatam vult, dicit enim, unde liberti niſi ex manumiſſione, & quomodo libertus quis ſit, qui nunquam fuit ſervus? Eadem quoque vox ſuſpecta eſt Petro Fabro viro eruditiſſimo, Semeſtrium lib. 1. c. 25. Ubi etiam pro *ignaro* reponit *ingrato*, idque mea ſententia recte, *ingratum* enim ſæpius ponitur pro *invito* ut docet Donatus ad Terentium Eunuch. act. 2. ſc. 1. verſ.4. & *ingratiis* pro *invitis* frequens ipſi eſt, ut Heautont. act. 3. ſc. 1. v.37. & in Phorm. act. 5. ſc. 6. verſ. 48. ſimiliter Plauto in milite act.3. ſc.1. v.153. & aliis innumeris locis, ut videre eſt apud Pareum in lexico Plautino, cui addi poteſt Turnebus Adverſariorum lib.3.c.13. Et recte correxiſſe facili literarum tranſpoſitione Fabrum patet ex denunciationibus, quas dominus mulieri facere facere debebat, auctore Juſtiniano in lege unica C. de SCto. Claudiano tollendo. Ulpiano fragm. tit. 11. §. 11. & Tertulliano lib. 2. ad uxorem cap. 8. Lectio Lipſii, quæ ita ſe habet: *ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitute, ſi conſenſiſſet pro liberta haberetur.* Quamvis eam probet Cujacius Obſervat. lib. 21. c. 16. mihi non probatur. Quæ enim ratio moviſſet legislatorem, quare potius voluerit eam in ſervitute eſſe, quæ ignaro quam quæ invito & vetante domino ad id prolapſa eſſet? Certe multo credibilius eſſet legislatorem eam potius in ſervitute eſſe voluiſſe, quæ vetante & invito domino ad id prolapſa eſt, ut quæ in ſervitutem ſui conſenſiſſet, eam vero pro liberta haberi quæ ignaro domino ad id prolapſa erat. Præterea æquitas quoque non pateretur, domino, qui turpitudini hujuſmodi conſenſum accommodaſſet, patronatus nihilominus commodum quæri. Cum SCti.Claudiani pæna non tantum ad mulierum infamiam vindicandam pertineat, ſed etiam eo ne domini damnum patiantur corruptis libidine ſervis, & ita miniſterio eorum magna ex parte ſibi intercepto, ut recte ex Theoph. obſervavit Petrus Burgius in Electis c.8. Torrentii quoq; lectionem, quæ ita ſe habet in notis ad Suet. Veſpaſ. *Ut ignaro domino ad id prolapſa in ſervitutem, ſeu conſenſiſſet, & qui nati eſſent pro liberis ne haberentur.* Itidem non probo nam tunc liberi ſervi eſſent, quod falſum eſt, opponuntur enim ſemper liberis ſervi. Ut in pr. Inſtitut. de Jure Perſonarum. *Summa diviſio de jure perſonarum hæc eſt: quod omnes homines aut liberi ſunt aut ſervi.* Sen. loco ſæpius allegato: *Hominibus natura prodeſſe jubet ſervi liberive ſint,* &c. Totum itaq; Taciti locum ita legendum cenſeo: *Inter quæ refertur ad patres de pœna feminar quæ ſervis conjungerentur. Statuiturq; ut ingrato domino ad id*

prolapsa, ancilla esset, ut quæ in servitutem sui consensisset. Et qui nati essent, pro libertis haberentur. Quod Lipsius & Pichena dicunt verba *& qui nati essent* in nonnullis codicibus desiderari, non est argumentum ob quod verba illa legi non debeant, nam in aliis reperiri certo credo, quum in omnibus editionibus ita legantur. Ratio autem quare addiderim textui Taciti *ancilla esset*, est quod idem verbum in eodem SCto.a Vespasiano repetito, reperiam apud Suetonium in Vespasiano c. 11. *Auctor senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur.* Et apud Ulpianum fragm. tit. 11. §. 11. *Maxima capitis diminutio est, per quam & civitas & libertas amittitur. Veluti cum incensus aliquis venerit: aut cum mulier alieno servo se junxerit, denunciante domino, & ancilla facta fuerit ex SCto. Claudiano.*

4 Natos autem ex talibus fœminis pro libertis ut haberent veteres, ortum credo ex libertatis favore, cum alioquin liberi tales servi essent, utpote ex matribus ancillis nati, nam partus ventrem sequitur. Neque hic puto locum habere quod Faber loco sæpius allegato velit probare eos debere esse liberos, quum sufficiat proli vel uno tantum tempore, seu conceptionis, seu gestionis, seu partus, liberam matrem habuisse. Nam fœmina simulatque se miscet servo, consentit in sui servitutem. *Manifestum enim est ancillam esse voluisse, quam liberam esse pœnituit.* Juxta legem 6.Cod.Theod.ad SCtum Claudianum, ideoque libera non concepit: Præterea id contra regulam juris receptum est, ut liberti nascerentur, cum jure alioquin servi essent, ut docet Burgius Electorum libro singulari c. 8. Rationem autem hujus tam rigidæ legis etiam in filios, hanc esse credo, quia sæpius parentes plus ob liberos eorumque libertatem ac salutem facient quam ob suam propriam, ideo Mercurius a Jove missus ut Æneæ iter in Italiam relicta Carthagine suaderet, cum desperaret se id Æneæ persuasurum esse, exclamat!

Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, & spes hæredis Juli
Aspice.

Apud Virg. Æneid. lib.4.Dixi ex favore ortum esse, ut nati pro libertis haberentur, quoniam *calamitas matris non debet nocere ei qui in ventre est.* Pr. Instit. de Ingenuis. Æquum quoque non videretur maternam turpitudinem ea macula liberos adspergere, ut solidam iis quoque libertatem interciperet.

CAP. II.

1 *Manumissi dicti liberti & libertini. Antiquis P. Romani temporibus libertini dicti sunt nati ex libertis.* 2 *Ciceronis ævo libertini dicti sunt qui ipsi manumissi erant.* 3 *Libertini dicuntur ratione conditionis, liberti respectu patronorum. Suetonius contra Carolum Sigonium defensus.*

1 AD nomen pergamus quo status & conditio eorum definiebatur. Dicebantur *liberti* qui manumissi erant, dicebantur quoque *libertini*, Terentius in Andria act. 1. sc. 1.

Scis, feci e servo ut esses libertus mihi.

Dicebantur & *libertini*. Quintilianus Institutionum oratoriarum lib. 5. c. 10. *Qui servus est, si manumittitur, fit libertinus.* Idem id repetit lib. 7. c. 3. Justinianus pr. Instit. de Libertinis: *Libertini sunt qui ex justa servitute manumissi sunt.* Antiquis P. Romani temporibus non dicebantur *libertini*, qui ipsi manumissi erant, sed liberi ex his procreati. Suetonius in Claudio c. 24. *Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum senatorem nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum Censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appii & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Hinc Isidorus Originum lib. 8. cap. 4. *Libertinorum autem filii apud antiquos libertini appellabantur, quasi de libertis nati.*

2 Ciceronis ævo libertini dicti sunt illi qui ipsi manumissi erant. Cicero in Catilinam orat. 4. *Operæ pretium est. P. C. libertinorum hominum studia cognoscere, qui fortuna sua civitatis jus consecuti, hanc vere suam patriam esse judicant.* Idem libr.7. ad Atticum Epist. 4. loquens de Dionysio Attici liberto: *cognovi eum doctum, laudis meæ studiosum, frugi hominem, ac ne libertinum laudare videar, plane virum bonum.* Clarius hoc idem docet Verrina 3. *P. Trebonius fecit hæredem libertum suum.* Et post de eodem: *Equiti Romano libertinus homo fit hæres.* Plautus in Milite act. 1. sc. 1. vers. 25.

PH. *Quid? ean' ingenua an festuca facta e serva libera est?*
PA. *Vah, egone ut ad te ab libertina auderem esse internuncius.*

Idem in Persa act. 5. sc. 2. v. 55.

Te mihi dicto audientem esse addecet, nam hercle absque me
Foret & meo præsidio, hic faceret te prostibilem propediem.
Sed ita pars libertinorum est, nisi patrono quid adversatus est,
Nec satis liber sibi videtur, nec frugi, nec satis honestus.

Varro de L. L. lib.7. in fine. *Habent plerique libertini a municipio manumissi.* Eodem modo *libertinam* pro *liberta* dixit Horatius lib. 1. oda 33. vers. 15. & *libertinum* pro *liberto* lib. 2. sat. 3. v. 281. sic *libertos* & *libertas personas libertinas* vocat Ulpianus lege 2. D. de Operis libertor.

3 Dicuntur autem hic semper *libertini* ratione generis & conditionis, qua ingenuis opponuntur, *liberti* vero respectu patronorum, ut docet Laurentius Valla Elegantiarum lib. 4. cap. 1. idque manifestum est ex Justiniano §. ult. Instit. de Libertinis: *A primis urbis incunabulis una atque simplex libertas competebat: id est, eadem quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus fit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit.* Adde legem 32. §. 7. D. de recep. Obiter addendum puto quod Suetonius dicat Appii Claudii temporibus *libertinos non dictos qui manumitterentur sed ingenuos ex iis natos.* Ubi affirmat libertinorum filios ingenuos fuisse, cui nequit assentiri Carolus Sigonius de antiquo jure civium Romanorum lib. 1. c.6. Idem tamen dicere videtur Horatius lib. 1. sat. 6. vers. 20.

—— —— Censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus.

CAP. III.

1 *Signa ex quibus patebat libertos esse sunt interna vel externa, interna nomen, prænomen, cognomen quæ a dominis sortiebantur.* 2 *Pileum capite raso accipiebant, nummus Claudii Gothici explicatus. Pileus signum libertatis.* Ad pileum vocare pro ad libertatem vocare. 3 *Togam quoque accipiebant ut cæteri cives. Petronius explicatus. Plautus explicatus. Servi apud Romanos tunicis deinde pænulis amicti fuerunt.* 4 *Annulum quoque aureum accipiebant, quem a principe petere debebant.* 5 *Calceos quoque acceperunt. Servi venales nudo pede incedebant cæteri sculponeas gestabant. Cato explicatus.* 6 *Domestica signa sunt quod servus manumissus coronam gereret. Plautus explicatus. Mos ille a Judæis ad Romanos translatus.* 7 *Catenas quoque post manumissionem laribus dedicabant. Florus explicatus.*

1 Confero me ad signa ex quibus cognoscebatur quod essent liberti, horum alia erant quasi interna, alia externa. Interna erant Romana nomina, quæ servi non habebant, quapropter, Quintilianus volens probare addictum servum non esse, dicit eum habere *nomen* scilicet Romanum Declamatione 311. & Florus C. Gracchum servum esse indigitans, ait *hominem sine tribu sine nomine.* lib. 3. cap. 16. Nomina autem accipiebant a patronis, ideo Cicero Dionysium Pomponii Attici libertum vocat *Atticum Dionysium.* Familiarium lib. 12. epistola ultima. Et Tacitus Annalium lib 12. cap. 54. vocat *Felicem* tantum quem Historiar. lib. 5. *Antonium Felicem* nominat quia Antoniæ libertus erat; Addebatur autem cognomen hoc, quia eo tantum ingenui utebantur & liberi. Lege 9. C. de Liberali causa. Accipiebant & prænomen, quia salutare prænomine solebant veteres, quum aliquem honorifice ut liberum & ingenium salutare vellent. Horatius lib. 2. satyr. 5. vers. 32.

Quinte puta aut Publi, gaudent prænomine molles
Auriculæ.

Adde elegantem locum ex Ammiano Marcellino lib. 28. pag. 397. edit. Hamburg. Idcirco prænomen quo ante servi caruerant, accipiebant, quod venuste nec minus salse exprimit Persius sat. 5. v. 75.

—— *Hic Dama est non tressis agaso*
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit, ita est, assigna Marce tabellas.

Quia autem liberi tria nomina, scilicet prænomen, nomen, & cognomen habebant, ideo & illi tria accipiebant, ideo Ciceronis libertus dictus fuit *Marcus Tullius Tiro.* & Pomponii libertus *Marcus Pomponius Dionysius* teste Cicerone ad Atticum lib. 4 Epist. 14. Vide plura exempla apud Alciatum Dispunctionum lib. 4. cap. 1. & Angelum Politianum Miscell. cap. 31. Hinc Juvenalis volens exprobrare parasito fœdam patientiam, ait sat. 5. vers. 124.

Duceris planta velut ictus ab Hercule Cacus
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina.

Id est, tanquam liber sis. Liberorum enim tria nomina propria erant. Quintilianus Institutionum oratoriarum lib. 7. cap. 3. *Propria liberi quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, & cognomen.* Uti vero servi privatorum a dominis nomen accipiebant, ita publici, ut municipiorum liberti, nomen sortiebantur a municipio vel oppido, a quo manumissi erant. Varro de L. L. lib. 7. in fine. *Quod alii nomina habent ab oppidis; alii aut non ut debent, habent: habent plerique libertini a municipio manumissi: in quo ut societatum & fanorum servi, non servarunt proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici. Ut a Faventia Faventinus, a Roma Romanus.*

2 Externa signa sunt quæ in corpore apparent, & in vestibus, quarum quia primam obtinet pileus, de eo primum agemus. Accipiebant igitur manumissi protinus post manumissionis solennia perfecta, pileum in raso capite. Sosia apud Plautum in Amphit. act. 1. sc. 1. vers. ult.

—— *Quod ille faciat, Jupiter*
Ut hic ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

Livius lib. 45. in fine: *Hæc de Prusia nostri scriptores. Polybius, eum Regem indignum tanti nominis majestate tradit: pileatum raso capite, obviam ire legatis solitum, libertumque se Populi Romani ferre: & ideo insignia ejus ordinis gerere.* Petronius in satyrico: *Secutum est hos repositorium, in quo positus erat primæ magnitudinis aper, & quidem pileatus.* Et paulo post: *Interim ego, qui privatum secessum habebam, in multas cogitationes diductus sum, quare aper pileatus intrasset. Postquam ita omnes battologias consumsi, duravi interrogare illum interpretem meum, quid me torqueret. At ille: Plane etiam hoc servus tuus indicare potest. Non enim ænigma est, sed res aperta. Hic aper cum heri summam cœnam vindicasset, a conviviis dimissus: itaque hodie tanquam libertus in convivium revertitur.* Nec multo post. *Dum hæc loquimur, puer speciosus, vitibus hederisque redimitus, modo Bromium interdum Lyæum, Euhyumque confessus, calathisco uvas circumtulit, & poemata domini sui acutissima voce traduxit; ad quem sonum conversus Trimalcio: Dionyse, inquit, LIBER. ESTO. Puer detraxit pileum apro, capitique suo imposuit.* Pileum illum non omnes manumissi accipiebant, sed tantum qui testamento manumissi erant, ut vidimus supra ubi de manumissione testamentaria actum est, & qui vindicta manumissi, nam qui censu manumittebantur, illi se pro civibus Romanis gerebant, cives autem Romanos præter senes & ægros pileum gestasse, non memini me legisse. Illos autem qui minus justam libertatem nacti erant, non accepisse pileum probat Persius.

Hæc mera libertas, hæc nobis pilea donat.

Vindicta manumissos accepisse pileum probat nummus Claudii Gothici, ab una parte exhibens effigiem Imperatoris cum hac inscript. IMP. CLAUDIUS. AUG. ab altera parte hominem raso capite calvum, dextra pileum, sinistra festucam seu vindictam tenentem, cum hac inscriptione LIBERTAS. AUG. apud Spanhemium de usu & præstantia numismat. Differt. 9. Similem nummum se habere ait Smetius Antiquit. p. 233. nisi quod festuca in nummo Smetii transversa sit, in illo vero quem Spanhemius profert, recta. Quia autem pileus erat signum libertatis, ideo Cassius & Brutus occiso Cæsare cudi

curarunt nummum exhibentem duos gladios cum pileo in medio, cum hac subscriptione IDIBUS MARTIIS: quia eo die occisus in curia erat Cæsar, teste Suetonio in Julio cap. penultimo. Nummum hunc eleganter describit Alciatus in Emblematum libello emblemat. 151.

Cæsaris exitio ceu libertate recepta
Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit.
Ensiculi in primis, queis pileus insuper adstat
Qualem missa manu servitia accipiunt.

Ideo & populus Romanus sublato Nerone tanquam servitio liberatus, pileatus per publicum discurrebat. Xiphilinus Dionis epitomator in fine Neronis: καί τινες τὰ πῖλα ὡς ἐλευθερωμένοι ἔφερον. Eandem ob causam servi ad ostentandam libertatem qua Saturnalium diebus gaudebant, pileati ubique comparebant. Martialis lib. 14. Apoph. 1.

Synthesibus dum gaudet Eques dominusque senatus
Dumque decent nostrum pilea sumpta Jovem.

Idem eandem ob causam *Romam pileatam* vocat lib. 11. Epigram. 6. Imo pileum sæpe ἁπλῶς & κατ' ἐξοχὴν pro libertate usurparunt veteres. Hinc ad *pileum vocare* apud Senecam Epistola 47. in fine. Apud Suetonium in Tiberio cap. 4. & alios innumeros scriptores.

3. Præter pileum etiam togam accipiebant ut cæteri cives. Cicero in Pisonem *Togulæ lictoribus ad portam præsto fuerunt, quibus illi acceptis sagula rejecerunt, & catervam Imperatori suo novam præbuerunt.* Redierant enim ex bello, ideoque sagati. Et ita intelligi debet Petronius in fragmento, cum dicit *lictorem veste alba amictum.* Lictores autem legebantur ex libertis, ut manifestissimum est ex Tacito Annalium lib. 13. cap. 27. Ubi loquens de libertis ait: *Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus, cohortes etiam in urbe conscriptas esse.* Certe libertos togam post manumissionem accepisse probat Tertullianus de resurrectione carnis cap. 57. *Oro te famulum tuum libertate mutuaveris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus & stigmatibus obnoxiæ retro fuerant, idcircone illa eadem pati oportebit? non opinor. Atquin & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaque honoratur.* Et Plautus in Casina act. 2. sc. 8. vers. 10.

At candidatus cedit hic mastigia.

Loquens de Olympione villico jam liberto, ut docet Lipsius Electorum lib. 1. cap. 13. Sed non omnes liberti accipiebant togam, verum hi tantum qui justam consequebantur libertatem, ut patet ex Quintiliano Declamat. 342. *An vero majus in hoc putamus momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum dederis, stolamque dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit.* In qua declamatione fusius contendit liberam esse, quæ a patrono vel domino libera veste induta est. Ut & declamatione 340. ait non servum sed ingenuum esse cum cui dominus prætextam induendam dederat, ut publicanos falleret. Servi vero quamdiu in servitute erant, apud Romanos tunicis ac deinde pænulis amicti erant. Ut fusius docet Lipsius Electorum lib. 1. cap. 25.

4. Præter togam annulum quoque aureum accipiebant, ut patet ex Tertulliani loco modo citato. Et Plautus idem docet in Casina act. 3. sc. 5. vers. 63.

Si effexis hoc soleas tibi dabo, & annulum in digito
Aureolum.

Quæ tamen verba cautius intelligenda sunt, non enim patronus habebat jus annulos dandi libertis, sed id a Principe libertus petere debebat consentiente patrono. Uti fusius docet Kirchmannus de Annulis cap. 16. quem non fraudo sua laude. Addi potest & Lipsius Electorum lib. 2. cap. 8.

5. Calceos quoque accipiebant & quicquid ad pedum tegmen pertinet, ut ingenui, patet id ex Plauti versu modo allegato. Et nudis pedibus in servitute fuisse non puto, scio quidem nudis pedibus ductos Romam esse qui venderentur, teste Juvenali satyra 1.

—— Sacro nec cedat honori
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Et satyra 7.

Altera quos nudo traduxit Gallia talo.

Sed hæc dicuntur de servis qui venales aliunde Romam deducebantur, quapropter non sequitur eos jam venditos & in servitute agentes nudis pedibus fuisse. Imo contrarium sequitur ex Plauti versu jam sæpius allegato, nam herus promittit ancillæ soleas, quæ non nisi a liberis & ingenuis gerebantur, cum antea habuisset serviles calceos scilicet sculponeas. Clarum id ex Catone de Re Rustica cap. 59. *Vestimenta familiæ tunicam saga alternis annis. Quoties cuique tunicam aut sagam dabis, prius veterem accipito, unde centones fiant. Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.* Sculponeas autem esse genus calceamenti patet ex Varrone in fragm. Serrani: *Dum in agro studiosius ruror, adspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas.* Teste Nonio in voce *rurani.* Et clarius id constat ex Plauto in Casina act. 5. sc. 8. vers. 59. Ubi senex nuptias facere volens ait servo suo;

ST. *Tene marsupium*
Abi atque obsonia propera: sed lepido volo molliculas escas, ut ipsa mollicula est. OL. *Licet.*

Deinde enumeratis cibis quos habere senex volebat, addit

ST. *Soleas.* CH. *Qui quæso potius quam sculponeas*
Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.

Quæ eo lubentius protuli, quoniam Balduino latuisse videntur, qui in tractatu de calceis cap. 23. asserit servos nudis pedibus incessisse, nec ullam propterea in eo libello sculponearum mentionem facit.

6. Hæc sunt signa & insignia partæ concessæque libertatis forensia. Sunt & quædam domestica: nam servi manumissi, domum reducti, coronabantur. Plautus in Pseudolo act. 5. sc. 2. vers 2.

PS. *Cum corona ebrium Pseudolum tuum.* SI. *Libere hercule hæc quidem sed vide statum.*

Quasi diceret, herus, tu quidem incedis coronatus quasi jam modo manumissus, cum etiamnum servus sis, ideo addit: *sed vide statum.* Clarius & disertius tradit idem Tertullianus de Corona cap. 13. *Coronat & libertas secularis. Sed tu jam redemptus es a Christo, & quidem magno. Servum alienum quomodo seculum manumittet? Et si liber-*

tas videtur, sed & servitus videbatur. Omnia imaginaria in seculo, & nihil veri. Nam & tunc libertus hominis eras, redemptus a Christo: & nunc servus es Christi, licet manumissus ab homine. Si veram putes seculi libertatem, ut & corona insignes, rediisti in servitutem hominis, quam putas libertatem: amisisti libertatem Christi, quam putas servitutem. Morem hunc Romanos a Judæis accepisse crediderim, certe apud illos inter Jubilæorum solennia servi liberati, coronam gestantes, discurrebant, ut ex Maimonide refert Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. cap. 2.

7. Alterum erat quod protinus post manumissionem catenas laribus dedicarent servi, in memoriam laborum in catenis servitutis perpessorum. Martialis Epigrammate 29. lib. 3.

Has cum gemina compede dedicat catenas
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Is enim Zoilus ex servitute ad equestrem dignitatem pervenerat. Per *annulos compedes* intelliguntur, ut idem de eodem lib. 11. Epigram. 37.

Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Eodem modo intelligendum est quod dicit Florus lib. 4. cap. 8. Sextum Pompejum fugientem *annulos in mare abjecisse*, intelligit enim catenas quibus servi ad remos vincti erant. Catenas laribus a servis dedicatas docet & Horatius lib. 1. sat. 5. vers. 65. Ubi homo quidam improbus multa in alium convitia jaciebat, ad quæ ille nihil respondebat, nisi quod eum rogaret an modo liber esset & jugo laxatus herili:

Multa Cicerrus ad hæc: donasset jamne catenam
Ex voto laribus quærebat?

CAP. IV.

1. *Liberti vicesimam fortunarum suarum solvunt publicanis. Festus suppletus. Petronius restitutus. Cicero explicatus. Tertullianus explicatus. Aurum vicesimarium quid?*

1. HÆc de signis. Prius quam autem ultimam manum operi imponam, addere lubet dominos vel potius ipsos libertos manumis-

A sos dedisse certam pecuniæ summam quod patet ex Festo in voce *puri*. *Puri*, inquit, *probi, profani, sui auri dicitur in manumissione sacrorum causa*. Idem in voce *manumitti*: *Manumittens modo caput modo alium membrum servi tenet, & dicit: Hunc hominem liberum esse volo, ac pro eo auri x.... solvit, ut prius quam digreditur, efficiatur juris sui, dum his verbis hominem liberum mittit*. Ita enim implendas labes quæ sunt in Festo post vocem *manumitti* censet magni patris magnus filius, Josephus Scaliger. Non dubium autem quin Festus respexerit ad vigesimam eorum qui manumittebantur, debebant enim illi dare vi-

B gesimam fortunarum suarum. Arrianus in Epictetum lib. 4. cap. 1. *ὅταν οὖν στρέφῃ τὶς ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε· τί· ἔστρεφε τὸν αὐτοῦ δοῦλον. ἄλλ' οὐδέν; ναὶ. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Cum quis servum suum verterit apud Prætorem, nihilne fecit. quid? vertit suum servum. Numquid amplius? certe: vigesimam pro eo dependit*. Idem Arrianus lib. 3. cap. 26. *ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. διὰ τί; δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον*. Petronius in fragmento Tragurino: *Scissa lacuum* (lege *Sylla sacrum novendiale servo suo misello faciebat, quem*

C *mortuum manumiserat: & puto cum vigesimariis magnam mantissam habet: quinquaginta enim millibus existimant mortuum*. De hac vicesima capiendus est Cicero ad Atticum lib. 2. Epist. 16. *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quid vectigal superest domesticum præter vicesimam?* Hinc *vectigalem libertatem* dixit Tertullianus Apologetici cap. 18. Antiquum illud vectigal fuit, institutum anno U. C. CCCXCVII. C. Marcio & Cn. Manlio Coss. Livius lib. 7. cap. 16. *Ab altero Consule* (Cn. Manlio) *nihil memorabile gestum: nisi quod legem novo exemplo, ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum qui manumitterentur, tu-*

D *lit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt*. Hinc aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario servabatur. Livius libro 27. *Consulibus aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit.*

FINIS.

JO: JACOBI CLAUDII
DIATRIBE
DE
NUTRICIBUS
ET
PÆDAGOGIS.

JO. JACOBI CLAUDII
DIATRIBE
DE
NUTRICIBUS
ET
PÆDAGOGIS.

CAP. I.

Matres ipsæ priscis temporibus liberos lactabant, imo nobilissimæ fœminæ. Proprium matris esse officium, multis rationibus ostenditur. Matres ideo adhibuerunt nutrices quia post dolores partus, educandi laborem refugiunt: unde orta consuetudo liberos nutricibus lactandos tradendi. Maximum postea paupertatis indicium Romæ erat, si liberos suos ipsa mater aluisset.



Psæ matres, antiquis temporibus, liberos lactabant, imo Reginæ & nobilissimæ fœminæ; Tacit. vel quisquis sit, Auctor Dialogi de Orator. cap. 28. *Ego de urbe, & his propriis, ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt, & per singulos ætatis gradus cumulantur; si prius de severitate, ac disciplina majorum circa educandos formandosque liberos, pauca prædixero. Jamprimum, suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis.* Laudat idem in Germanis Tacitus de morib. German. cap. 20. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur.* Juven. Sat. 6. vers. 9. de sæculo aureo.

Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus; haud similis tibi Cynthia, nec tibi cujus
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos,
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis.

Ipsæ Reginæ Infantes alebant; sic Alcmena Herculem & Iphiclum simul lactat, apud Theocrit. Idyll. 24.

Ηρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ᾽ ἁ μιδεᾶτις
Αλκμήνα, ϰ̀ νυκτὶ νεώτερον Ιφικλῆα
Αμφοτέρως λέσασα, ϰ̀ ἐμπλήσασα γάλακτος
Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ᾽ ἀσπίδα. ——

Herculem, cum jam decem menses natus esset, quondam Mideatis
Alcmena, & nocte minorem Iphiclum,

A *Cum ambos lavisset, & lacte replevisset,*
Posuit super scutum æreum. ——

Et illud revera proprium Matris officium est; quæ quos peperit liberos, majori semper cura & ardore educat, quam adscititia nutrix: hinc post partum, matribus statim lac suppeditat alma natura & ubera implet; maximum præterea amoris materni vinculum est liberos suos lactasse; matres enim quos aluerunt, maxime diligere experientia quotidiana probat; atque inde factum ut nutricum in alumnos, alumnorum in nutrices, sæpissime in tantum amor creverit, de quo infra exempla afferentur. B Quibus de causis, censuerunt semper Philosophi atque Sapientes liberos ab ipsis matribus esse alendos, cum quibus suffragatur Plutarchus, de Liber. Educand pag. 3 & Favorinus, apud A. Gellium lib. 12. cap. 1. quem late de hac re differentem, omnino respice. Cum autem non firma satis corporis constitutio, aut quia ad novam prolem festinant, matribus quominus lactationis curam suscipere possent obstaret, tunc demum accersendas nutrices dicit ibidem Plutarchus.

Illæ igitur causæ, & maximus infantes alendi C & educandi labor, effecerunt ut paulisper invaluerit nutricibus lactandos infantes tradendi consuetudo; quamvis primo male audierint matres, quæ liberos alendi curam in nutrices derivabant, quod sensim tamen ut fit evanuit. Postea enim, maximæ paupertatis Romæ nota erat suos liberos alere: patet ex Juvenal. Satyr. 6. vers. 593.

Hæ tamen, & partus subeunt discrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortuna urgente, labores.

Scholiastes ibi, *cogente paupertate, non solum* D *partus periculum, sed etiam educationis subeunt laborem.* Indicat idem, locus Dialog. de Orator. in principio statim adscriptus. Atque inde occasio nobis, de nutricibus & earum circa alumnos cura breviter differendi.

Cap. II.

Nutrix, a nutriendo *derivatur; mammæ* nutrices *appellatæ. Nutrices ab* alendo almæ, *&* altrices *dicuntur: possunt & recte* alumnæ *appellari.* Τίτθη, Μαῖα, Τροφὸς, *præcipua vocabula, quibus ad designandas nutrices utuntur Græci.* Τίτθαι *a mammis dicuntur, quas* τίτθους *Græci vocant. Eupolis nutricem* θηλάστειαν *appellavit.* Τροφὸς *sumitur pro nutrice quæ lac præbet, & pro illa quæ infantuli tantum curam gerit. Hanc* Assam *appellabant Romani: quam tamen vocem aliter interpretatur Nonius. Antiquis temporibus infantium cura mandabatur ætate alicui provectæ mulieri: quæ sæpissime erat* avia *vel* matertera; *Illæ ex eo* nutrices *dicebantur.*

VOcem *nutrix*, a *nutriendo* derivari nemo nescit: qua eadem ratione ipsæ mammæ *nutrices* appellantur; uti doctis observatum ex Catull. Carm. 65. de Nupt. Pelei & Thetidis v. 18.

Illaque, haud alia viderunt luce, marinas,
Mortales oculi, nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

ubi vid. Passeratium.

Nutrices dicuntur etiam *almæ* ab *alendo*; Lucret. lib. 5. vers. 232.

Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Ab eodem verbo fit vocabulum *altrix*, quo aliquando etiam nutrices designantur. Stat. 2. Silv. 1. vers. 86.

Quid referam, altricum victos pietate parentes.

hinc τίτθην, optime vertunt Glossæ *altricem* ut statim apparebit.

Vocantur & recte eædem *alumnæ*, cum is qui alit, & ille qui alitur ambo *alumni* dicantur; Serv. ad 4. Æneid. Virg. vers. 72. *Nam vector, cum sit proprie qui vehit, invenimus etiam, eum vectorem dici qui vehitur.* Et paulo post, *Tale & alumnus, qui alit, & qui alitur.*

Græci multis vocabulis nutrices designant, quorum hæc præcipua, τίτθη, μαῖα, τροφὸς. Singula breviter expendamus. τίτθην, explicat Hesychius per τροφὸν. Glossæ Labbæi; τίτθη, *altrix, nutrix.* Appellantur autem sic a mammis, quæ Græcis τίτθοι dicuntur. Suid. τίτθοι: οἱ μαστοὶ, ἤτοι τῶν μαστῶν τὰ ἄκρα. *Mammæ, vel potius mammarum summæ partes.* Idem in τίτθαι: οὕτω καλοῦνται αἱ παρὰ τοῖς τιτθίοις, καὶ τῷ γάλακτι τρέφουσαι τὰ παιδία. *Sic appellantur nutrices, quæ juxta mammas & lac, infantes nutriunt;* Pollux lib. 3. cap. 3 Sect. 4. Καὶ ἡ γάλα παρέχουσα, τίτθη, καὶ μαῖα. De voce μαῖα, infra loquar.

Nutrix dicitur præterea τίτθις quo eodem nomine materteræ designantur, vide Lexicographos; Eupolis nutricem θηλάστειαν appellavit. Pollux, lib. 3. cap. 3. sect. 6. Τὴν δὲ θηλάζουσαν Εὔπολις τιτθὴν θηλάστειαν ὠνόμαζε. *Lactantem vero nutricem Eupolis* θηλάστειαν *dixit.* Nimirum ἀπὸ τοῦ θηλάζω, *lacto, sugo,* ut vertunt Glossæ, quodque patet ex ipsis Pollucis verbis; illud autem verbum ἀπὸ τῆς θηλῆς mamma.

In voce τροφὸς, paulo plus immorabimur. Glossæ, *Nutrix* τροφὸς. Hesych. τροφοὶ ἀντὶ τοῦ θρέμματα: sed hoc vocabulum laxioris est significatus: bifariam enim sumitur, vel pro nutrice quæ lac præbet uti vox ipsa indicat, & verbum τρέφω a quo derivatur, unde & omne alimentum τροφεῖον seu τροφὴ dicitur; vel, pro alio nutricum genere, quæ infantes non lactant, sed eorum tantum curam gerunt, sub qua notione vox Græca τροφός, & Latina *nutrix*, sæpe veniunt: Thom. Magister in τίτθη. Τίτθη δὲ λέγεται ἡ μαστὸν παρέχουσα. Et paulo post, τροφὸς δὲ, καὶ τιθηνὸς, ἡ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν ποιουμένη τοῦ παιδὸς μετὰ τὸν ἀπογαλακτισμόν. τροφὸς *vero &* τιθηνὸς *dicitur, quæ reliquam infantis curam gerit post ablactationem.* Falli tamen in eo mihi videtur, quod *lactantem nutricem* τίτθην tantum appellet, & τροφὸν absolute illam quæ solum post ablactationem infantem curat, esse velit: ut dixi enim τροφὸς nutricem lactantem sæpe notat, & aliquando illam quæ tantummodo præposita est infantium curæ, quæ etiam nutrix vocatur.

Sic apud Homer. Odyss. α vers. 435. dicitur Euryclea Telemachum infantem nutrivisse.

—— Καί ἑ μάλιστα
Δμωάων φιλέεσκε, καὶ ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα.
—— *Et ipsum maxime*
Ancillarum amabat, & enutrierat, parvulus cum esset.

quæ tamen vers. 430. a Laerte, patre Ulyssis empta fuisse dicitur, ita ut certe jam provecta ætate fuerit cum nasceretur Telemachus, eumque ideo lacte nutrire non potuerit; ad eandem prætærea dicit Ulysses lib. 19. vers. 482. se ab ea enutritum fuisse.

Μαῖα τίη μ' ἐθέλεις ὀλέσαι, σὺ δέ μ' ἔτρεφες αὐτὴ
Τῷ σῷ ἐπὶ μαζῷ. ——
Nutrix cur me vis perdere, tu autem me nutrivisti ipsa
Ipsa tua in mamma. ——

Unde observandum, patres matresque quæ ipsos aluerant nutrices, has jam vetulas suorum liberorum educationi præposuisse; quod idem de Pædagogis infra referemus. Sic intelligendus Virgil. lib. 5. Æneid. vers. 645.

—— *Heic una e multis, quæ maxima natu*
Pyrgo tot Priami gnatorum regia nutrix.

Istæ nutrices Romanis proprie dicebantur *Assæ*, si credendum Scholiastæ Juvenalis, ad Satyr. 14. vers. 208.

Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere
Hoc monstrant vetulæ, pueris repentibus, Assæ.

Ubi sic *Assam*, interpretatur; *Assa nutrix dicitur quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam & munditiam adhibet, nutricula sicca, vetusta, infantibus monstrat.* Hoc tamen vocabulum, inter ἅπαξ λεγόμενα referendum, aliter explicat, Non. Marcell. cap. 1. *Assas nutrices difficilis multis existimant intellectus. At vero acri intentione potuimus indagare, ob eam proprietatem officii eo nomine nuncupari, quod assint iis quos nutriant, nec vel exiguo divellantur:* vid. Turneb. Adversar. l. 24. c. 22. & Voss. in Etymologico.

Ad has nutrices quæ tantum diligentiam adhibent, pertinent aviæ, materteræ, & ætate provectæ mulieres, quibus mandabatur infantium cura; præcipue temporibus antiquis cum ipsæ matres liberos alerent. Tunc enim eligebatur anus

gravitate morum conſpicua quæ omnes ex ſua familia infantes educaret; Auctor Dialog. de Orator. cap. 28. *Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis, ſpectatiſque moribus, omnis cujuſpiam familiæ ſoboles committebatur*; & deinde; *ſic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem, præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus*. Illæ ſæpe erant aviæ, vel materteræ, Quintilian. Declamat. 388. *Filium ſuſtulerat, puer continuo ad Aviam translatus eſt*.

Poſtea matribus jam liberis præficientibus nutrices, mos idem remanſit; & ſimul cum nutrice, aviæ, materteræ, infantulum educabant, unde apud Reineſ. Inſcript. 52. Claſſ. 12. conjunguntur avia & nutrix, in inſcriptione tumuli infantis biennis, quippe quibus pueruli ad mortem uſque fuerat cura.

JUVENALIS. VIX. AN. II.
M. III. D. IX. H. I.
CANULEIA. TICHE. AVIA.
ET. ERASENA. LIBAS. NUTRIX.
FECERUNT. ET. SIBI. ET.
SUIS.

Atque eædem ob educandi nepotulum curam *nutrices* dicebantur; clarum eſt ex Perſio Sat. 2. verſ. 30. vota recenſente quæ die luſtrico ab aviis & materteris, pro infante fiebant.

Ecce Avia, inquit, *aut metuens divum matertera cunis*
Exemit Puerum. ——

ſubdit deinde de eiſdem verſ. 38.

—— *aſt ego nutrici non mando vota*.

CAP. III.

Maxima nutrices cura eligendas, ſemper monuerunt ſapientes. Quod tamen neglexerunt antiqui. Nutrici addebatur ſervus, nutritor dictus. Lacænæ nutrices magni fiebant, quæ ſine faſciis educabant infantes; unde multi eas ſuis liberis emebant. Nutrices ſæpe erant ſervæ, *aliquando* mercede *conductæ*.

EXpoſitis ita vocabulis quibus deſignantur, & vario earum genere, ad ipſas nunc nutrices venio; quæ ut ſupra dixi ideo a matribus accerſebantur, quia poſt dolorem partus alendi infantis laborem refugiunt. In his eligendis maxima incumbendum cura monuerunt Sapientium plurimi: probæ nutricis enim bona educatio pueris per totam vitam prodeſt, & contra infantium teneri animi facillime nutricum vitiis, ſi quædam habeant imbuuntur; Plutarch. de liber. Educand. pag. 3. Verba latina ſunt. *Sin id præſtare nequeant, ſaltem nutrices non quaſvis, ſed quam fieri poteſt maxime probas deligamus. Primum in hac re ſit, ut moribus eæ ſint Græcanicis, ſicut enim membra corporis, ſtatim ab ipſis natalibus, infantis ſunt fingenda ut recta adoleſcant, neque torqueantur; ita & jam inde ab initio indoles ejus informanda eſt*, &c. Myja Philoſophiæ peritiſſima, & inter doctas merito relata, Epiſtola ad Phyllidem inter fragmenta Pythagoreorum, hæc præcipit; Latine tantum adſcribam. *Cum mater liberorum facta ſis hæc te moneo, ut nutricem deligas aptiſſimam, atque mundam, præte-* A *rea verecundam, & ſomno non deditam neque temulentiæ*; & paulo poſt. *Neque vero iracunda ſit nutrix, neque balba, neque in ſumendo cibo nullam rationem aut diſcrimen adhibens, ſed compoſita, & moderata. Item ſi ullo modo fieri poſſit, non Barbara ſed Græca*. Quintil. lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 1. *Ante omnia, ne ſit vitioſus ſermo nutricibus, quas ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio eſt, recte tamen etiam loquantur*.

Sed horum præceptorum nullam habitam fuiſſe rationem apparet ex verbis Favorini Philoſophi, B apud Gell. lib. 12. cap. 1. *Præſertim ſi iſta, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut ſerva, aut ſervilis eſt ut plerumque ſolet, externæ atque barbaræ nationis; ſi improba, ſi informis, ſi impudica ſi temulenta eſt; nam plerumque ſine diſcrimine, quæcumque id temporis lactens eſt, adhiberi ſolet*. Auctor Dialog. de Orator. cap. 29. *At nunc, natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ; cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervis, plerumque viliſſimus*: nempe nutritor, qui nutrici comes dari ſolebat, unde apud Polluc. lib. 3. cap. 3. Sect. 6. cum nutrice conjungitur, *τίτθη, τιθήνη, τροφὸς, τροφεὺς οἷς οἱ τραφέντες τρόφιμοι*. C *Nutrix lactans, nutritor, quibus hi, qui nutriti ſunt, Alumni dicuntur*. Ita Amaltheæ lactanti Jovem, affuerunt Curetes, ſeu Corybantes, quod vulgatum nimis, ut oſtendi debeat. De nutritoribus vid. Pignor. de Servis..

Ex nutricibus plurimi fiebant Laconicæ, quæ infantes ſine faſciis educabant, ut ſpeciem illis liberalem conciliarent. Plutarch. Lycurg. pag. 49. *ἦν δὲ περὶ τὰς τροφὰς ἐπιμέλειά τις μετὰ τέχνης, ὥστε ἄνευ σπαργάνων ἐκτρεφούσας τὰ βρέφη, τοῖς μέλεσι καὶ τοῖς εἴδεσιν ἐλευθέρια ποιεῖν. Jam nutrices curam agebant artificioſam ut ſine faſciis infantes educentes, membra & ſpeciem iis liberalem conci-* D *liarent*: & paucis poſt verbis, *διὸ καὶ τῶν ἔξωθεν ἔνιοι τοῖς τέκνοις Λακωνικὰς ἐωνοῦντο τίτθας. Καὶ τήνγε τὸν Ἀθηναῖον Ἀλκιβιάδην τιτθεύσασαν Ἀμύκλαν ἱστοροῦσι γεγονέναι Λάκαιναν. Hinc mercabantur liberis, nonnulli exteri nutrices Laconicas. Etiam quæ Athenienſem nutricata eſt Alcibiadem, Amyclam, tradunt Lacænam fuiſſe*.

Nutrices autem, vel erant ſervæ, vel mercede conductæ; apud Homer. Odyſſ. α. verſ. 429. Laertes Eurycleam emiſſe dicitur.

Εὐρύκλει' Ὠπὸς θυγάτηρ Πεισηνορίδαο
E Τήν ποτε Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν
Πρωθήβην ἔτ' ἐοῦσαν, ἐεικοσάβοια δ' ἔδωκεν.

Euryclea, Opis filia Piſenoridæ,
Quam olim Laertes emerat facultatibus ſuis
Impubem adhuc, & precium viginti boum dedit.

Apud Euripid. Med. verſ. 49. Pædagogus ad nutricem.

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς.

F *Antiquum mancipium meæ dominæ*.

& ad illum rurſus nutrix, verſ. 65.

Μὴ πρὸς γενείου κρύπτε σύνδουλον σέθεν.

Ne, per barbam, celes conſervam tuam.

Auctor Dialogi de Orator. ſupra; *Jam primum ſuus cuique filius, ex caſta parente natus, non in*

cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur. Ita pueris nobilibus præfectas fuisse nobilissimas fœminas captivas, infra docebitur.

Nutrices aliquando non servas, sed mercenarias fuisse, cum ex multis Auctoribus, tum ex Plutarcho apparet, libello de Liber. Educand. pag. 3. *αἱ τίτθαι δὲ, καὶ αἱ τροφοὶ τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅτε μισθοῦ φιλοῦσαι*. *Nutricum enim amor, subdititius atque adscititius est, utpote mercedis gratia diligentium*; Observavit & hoc discrimen Favorinus. *Præsertim si ista quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serva aut servilis est*.

CAP. IV.

Nutricum infantes lactandi cura, proprie dicitur educatio. *Cunæ quid sint exponitur. Servii error. Græcis cunæ βαβαλιστήριον, κοιτὶς, λίκνον, σκάφη dicuntur; ex ultimis duabus vocibus innotescit cunarum forma. Infantes boni ominis causa in vannis positi; aliquando & in Clypeis. Cunabulis significantur & infantium lectuli, & fasciæ quibus involvebantur. Nutrices priusquam deponerent in cunis, solebant lavare & lactare infantes: Cantatiunculis inconditis conciliabant somnum; Illæ proprio nomine* Næniæ *dicebantur: duplex hujus vocis Etymologia. Næniæ a Græcis καταβαυκαλήσεις vocantur: A crebris* lalla, *quæ accinebant infantulis*, Lallare *dicuntur nutrices. Infantes ipsi cum hæc* lalla *imitari conarentur, dicebantur* lallare. *Crepitacula adhibebant nutrices ut eorum motu infantes in somnum verterentur. Fabulas narrare solebant. Præbita mamma vel placenta sedabant a lacrymis. Minis interdum placabant: minitabantur lupum, μορμοῦς, larvas &c. quas interdum ob oculos etiam illis ponebant. Mitigatis pollicebantur se occisuras lupum. Nutrices alumnos* filios *appellabant, illi contra* mammulas. *Nutrices alumnorum* matres *dictæ. Aviæ & nutrices die lustrico vota pro alumnis faciebant.*

PRogredior nunc ad ipsum officium & curam nutricum circa infantes. Atque primum, quam in illis lactandis impendebant, proprie *educatio* dicebatur. Propert. lib. 3. Eleg. 7. vers. 51.

Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo,
Eductosque pares silvestri ex ubere Reges.

Ad quem ultimum versum doctissimus Passeratius. *Eductos*, inquit, *id est nutritos, Varro de liber. educand. apud Nonium; educit obstetrix, educat nutrix, instituit Pædagogus, docet Magister*.

Dormituros infantes, in cunis nutrices deponebant. Cunæ quid sint docet Serv. ad Virg. Æneid. 3. vers. 105.

Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ

Cunabula, inquit, *h. e. nutrimenta, nam ubi jacent infantes, cunæ vocantur*; discimus ex hoc loco quid sint cunæ, videmus etiam dormitasse Servium, cum *cunabula nutrimenta* explicat. *Cunabula* enim heic natalem terram significant, metaphora a cunabulis, quæ sunt lectuli infantium, desumpta; ostendam ex ipsa auctoritate Servii, ad Eclog. 5. vers. 23. ubi dicit, *cunabula, lectuli in quibus infantes jacere consueverunt, vel loca, in quibus nascuntur, quasi Cynabula, nam κύειν est græce eniti*. Hæc verba videntur illum fugisse, cum adscriptum versum illustraret, quæ tamen optime Virgilii mentem exponunt. *Cunabula* pro *nutrimento* usurpari nunquam me legere memini.

Cunabula dicuntur Græcis, *βαβαλιστήριον, κοιτὶς, λίκνον, & σκάφη*: quibus ultimis vocibus forma cunarum discitur; *λίκνον* enim proprie est *vannus, cribrum*, & *σκάφη, scapha*. Vel potius, ipsi vanni & scaphæ loco cunarum a Veteribus usurpabantur, in quibus deponebant infantes ominis causa, in spem divitiarum omnium, & præcipue frugum terræ, ut docet Scholiast. Callimach. ad Hymn. 1. vers. 48. & ibidem Spanhemius. Sic etiam in clypeis pueruli collocabantur, in fortitudinis & virtutis bellicæ præsagium; ita apud Theocritum loco supra adscripto, ab Alcmena Hercules clypeo imponitur, ut observavit ad Callimachi versum laudatum doctissima Daceria.

Cunabula autem, non tantum lectulos infantium designant, sed & fascias, quibus ligabantur. Optime vertunt Glossæ Labbæi, *σπάργανα, cunabula*: vide Turneb. Adversar. 9. cap. 10. & Salmas. ad Vopisci Aurelian. cap. 4. qui hanc inter *cunas*, & *cunabula* differentiam ponit, ut *cunas* lectulos in quibus jacent infantes, *cunabula* tantum fascias quibus ligantur, esse velit. Sed refragatur Servius, & Glossæ, quæ *βαβαλιστήριον, λίκνον*, &c. *cunam, & cunabulum* vertunt: malim ego ex sententia Vossii & aliorum Doctorum credere, cunabula & pro lectulis & pro fasciis infantium sumi.

Priusquam vero infantes in cunis deponerent, lac præbere & lavare solebant nutrices, ita Alcmena supra Idyll. 24. Theocrit.

Ἀμφοτέρους λούσασα καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος,
Χαλκείαν κατέθηκεν ἐπ' ἀσπίδα. ——

Cum ambos lavisset, & lacte replevisset
Posuit super scutum æreum. ——

Infantibus in cunis collocatis, cantatiunculas inconditas accinebant, & sic conciliabant somnum. Jam ex Theocrito, annotaverunt doctissimi Viri Casaubon ad Theophrastum, & Gronov. Observat. lib. 2. cap. 1. ita Lucret. lib. 5. vers. 232.

Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Stat. 5. Thebaid. vers. 616.

—— *quoties tibi Lemnon & Argo*
Sueta loqui, & longa somnum suadere querela.

Hæ proprio nomine *Næniæ* appellantur; vide Lambin. ad Horat. lib. 2. Od. 1. lib. 2. Epist. 1. Glossæ *ἀτονία, defectio, nænia*. Forsan dictæ a Næniis quas exhibebant Præficæ in funeribus, nam illæ erant etiam inconditæ, & nil nisi ululatus. Non. Marcell. cap. 3. *Nænia, ineptum & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet*. Vel forte a Græca voce *νύννιον*, qua balbæ istæ nutricum voces designantur, (ut ex Hesychio, inter doctissimos doctissimus Josephus Scaliger, observat ad Auson. lib. 2. cap. 11.) Latinum vocabulum *nænia* derivatur: judicabit Lector.

Græcis, *næniæ* proprie *καταβαυκαλήσεις* dicuntur. Athenæus lib. 14. cap. 3. *αἱ δὲ τῶν τιθηνουσῶν ᾠδαὶ, καταβαυκαλήσεις ὀνομάζονται*. *Cantilenæ*

autem nutricum lactantium, *καταβαυκαλήσεις vocantur*: vide ibi doctiſſimum Caſaubon. ut & ad Theophraſt. cap. 7. pag. 204. & ſequentibus, ubi ex multis Auctorum locis *nænias καταβαυκαλήσεις* & alias tales voces explicat; Suidas. *βαυκαλᾶν*, *τιθηνεῖσθαι μετ' ᾠδῆς τὰ παιδία*. Βαυκαλᾶν, *infantes cantillando nutrire*.

Lallare etiam dicebantur nutrices, a crebris *lalla*, *lalla*, quæ infantulis accinebant; Perſ. Satyr. 3. verſ. 18.

—— *& iratus Mammæ lallare recuſas*.

Cornutus, vel quiſcunque ſit Scholiaſtes ibi. *Nutrices infantibus ut dormiant, ſolent dicere ſæpe lalla, lalla, lalla*. De his vide differentem Turneb. Adverſar. 18. cap. 34. quo loco docet, *Lallum* fuiſſe Deum qui næniis illis nutricum præerat. Vide rurſus eundem, lib. 19. c. 21. ut & Scaliger. Lect. Auſon. lib. 2. cap. 11.

Pueruli ipſi, cum hæc *lalla* imitari vellent, ſed perfecte non poſſent, *lallare* dicebantur; Sat. 5. Thebaid. verſ. 614.

Heu ubi ſiderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta ſonis? riſuſque, & murmura, ſoli
Intellecta mihi? ——

Ad ultima verba Scholiaſtes quem ſæpe laudat Barthius. *Lallos dicit, pueruli voces, quas didicerat præeunte nutrice, non autem perfecte poterat pronuntiare*. Et ab iſtis infantium lallatibus, ipſæ cunæ, Græcis *βαβαλιστήριον* ſeu *βαβαλίον* denominatæ, quod in illis pueruli *βαβάζουσι*, lallant; Gloſſæ, *βαβάζειν*, *lallare*. Heſych *βαβάζειν*, *τὸ μὴ διηρθρωμένα λέγειν*. *βαβάζειν*, *non formata verba loqui*.

Adhibebant ſimul nutrices crepitacula, quorum motu, & ſono, infantes in ſomnum verterentur; conjungit cum *lallis* Lucret. lib. 5. verſ. 230.

At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque,
Nec crepitacula eis opu' ſunt, nec cuiquam adhibenda 'ſt
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.

Teles, apud Stob. Serm. 247. pag. 814. Πεινᾷ τὸ παιδίον, ἡ δὲ τροφὸς κατακοιμίζει, διψᾷ, ἡ δὲ λούει. κοιμηθῆναι θέλει, ἡ δὲ κρόταλον ἔχουσα ψοφεῖ. *Eſurit infans, a nutrice ſopitur, ſitit, lavatur; dormire vult, nutrix quatit crepitaculum*.

Nutrices fabulas infantibus narrare fuiſſe ſolitas, ignorat nemo; ſic Statius, adſcripto ſtatim verſu,

—— *Quoties tibi Lemnon, & Argo*
Sueta loqui. ——

Hoc merito reprehendit Auctor Dialogi de Orator. cap. 29. *At nunc natus infans, delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervis, plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus; horum fabulis & erroribus, teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur*. Cenſet etiam ſapienter Plato, non quaſvis fabulas infantibus eſſe recitandas, ne his corrumpantur, apud Plutarch. de Liber. Educand. pag. 3. Καί μοι δοκεῖ Πλάτων ὁ δαιμόνιος ἐμμελῶς παραινεῖν ταῖς τίτθαις, μὴ τοὺς τυχόντας μύθους τοῖς παιδίοις λέγειν, ἵνα μὴ τὰς τούτων ψυχὰς, ἐξ ἀρχῆς ἀνοίας καὶ διαφθορᾶς ἀναπίμπλασθαι συμβαίνῃ. *Ac mihi videtur divinus Plato, nutricibus prudenter præcepiſſe, ne quaſvis fabulas pueris recitent, ne horum animi a principio ſtoliditate, ac pravitate occupentur*.

Utebantur variis artibus Nutrices, ad ſedandas infantium lachrymas; mammam vulgo, quod & adhuc fit, præbebant. Plutarch. de Liber. Educand. pag. 9. Καὶ μιμεῖσθαι τὰς τίτθας αἵτινες ἐπειδὰν τὰ παιδία κλαυθμυρίσωσιν, εἰς παρηγορίαν πάλιν τὸν μαστὸν ὑπέχουσι. *Imitandæque in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletum provocarunt, rurſum ut conſolentur, mammam præbent*. Placentis ſæpe eos leniebant nutrices & alii. Arrian. in Epictet. lib. 2. cap. 16. Τὰ γοῦν παιδία εὐθὺς ὅταν κλαύσῃ μικρὰ τῆς τίτθης ἀπελθούσης, πλακούντιον λαβόντα ἐπιλέλησται. *Pueri quidem cum primum plorant nutrice paulum digreſſa, placentula accepta ploratus obliviſcuntur*.

Minas interdum adhibebant ut infantes placarent; ſic minitabantur Lupum. Æſopus, (ſi ſaltem fabularum Auctor ſit, de quo merito Doctorum multi dubitant;) Fabul. 138. λύκος γενόμενος κατά τινα τόπον, ἤκουσε παιδίου κλαίοντος καὶ γραὸς λεγούσης αὐτῷ παῦσαι τοῦ κλαίειν. Εἰ δὲ μὴ, τῇ ὥρᾳ ταύτῃ ἐπιδώσω σε τῷ λύκῳ. *Lupus profectus ad quendam locum, audivit lugentem puerulum, eique dicentem anum, deſine plorare, ſin minus, hac hora tradam te lupo*. Anus nomine, forſan heic deſignatur avia, quam aut cum nutrice confudit, (nam avias, nutrices dici jam oſtenſum.) aut per anum ipſam deſignari nutricem, putavit Avienus, fabula Æſopia, 1.

Ruſtica deflenti parvo, juraverat olim
Ni taceat, rapido quod foret eſca lupo.

deinde, verſ. 13. dicit lupus ad lupam.

Nam quæ præda? rogo, quæ ſpes contingere poſſet?
Jurgia nutricis, cum mihi verba darent.

Larvis ad terrorem infantibus incutiendum, ſæpe etiam utebantur; quas vel induebant ſervi & ſic ſe coram puerulis ſiſtebant, vel tantum illis minitabantur nutrices. Græci *μορμοῖς* infantes terrebant; Gloſſæ, *μορμὼ*, *larvæ* Heſychius, *μορμοὶ*, *φόβοι κενοὶ*, ſic enim bene legunt Docti quidam. Late de larvis, lamiis & talibus terriculamentis, quæ minitabantur & etiam ob oculos ponebant pueris Antiqui, vide Cl. Spanhemium, Virum in quo ſtupenda eruditio & maximi honores certant, ad Callimach. Hymn. in Dian. verſ. 67. & 69. & ibidem doctiſſimam Daceriam. Addam tantum dictum Æſopi quo mercatori ut ſe emat perſuadet, in ejus vita pag. edition. Nevelet. 13. Καὶ ὁ Αἴσωπος οὐ πάρεισί σοι παιδία οἴκοι ἀτακτοῦντα καὶ κλαίοντα; τούτοις ἐπίστησόν με παιδαγωγὸν, καὶ πάντως αὐτοῖς ἀντὶ μορμοῦς ἔσομαι. *Et Æſopus, nonne adſunt tibi pueruli domi turbulenti & flentes? his præfice me Pædagogum, & omnino eis pro larva ero*: & paulo poſt cum ad domum mercatoris acceſſiſſent, infanteſque parvuli duo terrore fuiſſent perturbati, inquit ad dominum Æſopus ἔχεις μου τῆς ἐπαγγελίας ἀπόδειξιν. *Habes meæ pollicitationis probationem*.

Placatos vero infantes leniebant, Lupum ſe occiſuras pollicentes. Æſopus allata fabula: ὡς δ' ἑσπέρα κατέλαβεν ἀκούει πάλιν τῆς γραὸς κολακευούσης τὸ παιδίον, καὶ λεγούσης αὐτῷ, ἐὰν ἔλθῃ ὁ λύκος δεῦρο, φονεύσομεν ὦ τέκνον αὐτόν. *Sed cum adveniſſet veſpera, audit rurſus anum blandientem puerulo, ac dicentem, ſi venerit lupus huc, interficiemus eum fili*. Nota ex eiſdem verbis, alumnos a nutricibus *filios* fuiſſe appellatos, quod & aliis.

auctorum locis heic firmarem, nisi de hoc esset infra agendi locus.

Infantes contra, matres & nutrices suas, *mammas* vel *mammulas* vocabant. Pers. Sat. 3. v. 18.

—— *& iratus mammæ, lallare recusas.*

ubi videndus magnus Casaubonus, ut & Turneb. Adversar. 18. 34. qui mammam hoc loco pro nutrice poni, ex Martiali ostendit; ita Arsace nutricem Cybelen *μαμμίδιον* appellat apud Heliodor. lib. 7. pag. 319. Reines. Class. 11. Inscript. 61.

MAMMULÆ PIISSIMÆ
BENE MERENTI.

Nutrices aliquando & matres alumnorum dicebantur. Nonius. cap. 6. in voce *genitrix*. *Genitrix a matre hanc habet distantiam: quod genitrix semper quæ genuerit, nuncupatur: Mater vero aliquando pro nutrice ponitur: Virg. libro VIII.*

Geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem.

Plaut. Mænech. *Ita forma similes pueri, ut mater sua*
Non internosse posset, quæ mammam dabat,
Neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat.

vid. eundem in *Mater*.

Absolvo caput, vota observando, quæ aviæ & nutrices pro infantulis, lustrico eorum die (qui octavus in puellis, nonus in pueris post partum erat, ut doctissime ostendit Casaubonus) facere solebant. Pers. Sat. 2. vers. 31. loco jam laudato.

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina; puellæ
Hunc rapiant; quicquid calcaverit hic rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota.

Hæc omnia eruditissime explicata, operæ pretium erit in commentario Casauboni ad hanc Satyram respicere. Horat. lib. 1. Epist. 4.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno
Quam sapere, & fari ut possit quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena.

CAP. V.

Nutrices præerant institutioni Puellarum: antiquissimus Hebræorum mos; a quibus ad cæteras gentes defluxit. Illæ nutrices erant eædem quæ olim alumnas lactaverant. Maximus inter nutrices, & inter alumnos alumnasve mutuus amor: a quo amore ortæ sunt blandæ compellationes quibus invicem nutrices alumnique sese compellabant; sacrum caput, nutricula, *μαῖα*. *Nutrices alumnos alumnasque* filios *&* filias, *illi contra nutrices* matres *appellabant. Maxima alumnorum in nutrices pietas, & maximus nutricum erga alumnos amor, exemplis firmantur. Unde factum, ut in flagitiis & facinoribus sæpe alumnas adjuraverint nutrices. Virginibus tamen ideo erant præpositæ, ut earum pudori invigilarent, unde semper illis aderant; & ante fores cubiculi earum cubabant. Nuptis semper etiam ex amore adhærebant; qui mos Romæ in luxum versus est. Nutrices nobilium, sæpe genere claro oriundæ, sed bello captæ erant; firmatur exemplis Carmes & Hipsipiles.*

Nutricum circa infantes diligentiam, excipit nobilior in virgines cura. Nutrices enim quas aluerant Puellas, provectiores ætate semper comitabantur, & institutioni earum præerant, more jam antiquissimis temporibus recepto; legimus enim Genes. 24. comm. 59. Rebeccam nutricem habuisse. verba sunt, *dimittentes itaque sororem Rebeccam, & nutricem ejus*. Quæ consuetudo, ab Hebræis absque dubio ad cæteras gentes propagata est.

Nutrices has easdem fuisse quæ lactaverant, cum ex multis auctorum locis, tum præcipue ex Ceiri Virgiliana apparet, quod Poema Scaligero in castigationibus ad Catullum teste, merito divinum appellari potest; vers. 224. Carme nutrix ad Scyllam.

Et simul, o nobis sacrum caput inquit alumna.

& vers. 245.

Per tibi Dictynnæ præsentia numina juro
Prima Deum, quæ te mihi dulcem donat alumnam, &c.

Dianam quam & Dictynnam, ex hoc versu, sed præcipue ex 305. dictam patet, idcirco dicit, *primam Deum sibi Scyllam alumnam dedisse*, quoniam uti notissimum, Diana partubus præerat. Scylla ad Carmen vers. 274.

Quod te per divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ.

loco *memoris*, egregie *memori*, h. e. mihi *memori* & *gratæ*, legit litterarum Heros Josephus Scaliger, ut id in transcursu moneam. Ita & Arsacen Satrapæ uxorem, Cybele anus *τροφίμην* vocat, apud Heliodor. lib. 7. pag. 317.

Ab hac nutritione & educatione a prima infantia nutricum & alumnorum alumnarumve in tantum amor crevit, ut non tantum paterno amori æquiparare, sed & anteferre ausi sint sapientes. Clem. Alexandr. Pædagog. lib. 1. cap. 6. pag. 106. *Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι, πολλάκις πλείω πορίζει φίλτρα, τοῦ φῦσαι τέκνα. Aluisse autem, inter homines sæpe affert plura amoris incitamenta, quam procreasse liberos.* Quæ ad verbum, Græcorum Poetarum lectione imbutus Clemens, ex Euripide mutuatus est; sic enim ille apud Stob. Sermon. 197. pag. 673.

Τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖς πολλάκις
Πλείω πορίζει φίλτρα, τοῦ φῦσαι τέκνα.

Vetus Scholiastes Barth. ad Stat. Theb. 5. v. 632. *Matre non inferior sæpe, dilectio nutricis.* Nolo pulcherrima in hanc rem Statii carmina 2. Sylv. 1. vers. 82. omittere.

Fas mihi, sanctorum venia dixisse parentum
Tuque natura sinas, cui prima per orbem

Jura animis sociare datum: non omnia sanguis
Proximus, aut serie generis demissa propago
Alligat; interius nova sæpe adscitaque serpunt,
Pignora connexis. (loquitur de Nutritore.) *natos genuisse necesse est,*
At legisse juvat. Tenero sic blandus Achilli,
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.

& verſ. 86.

Quid referam, altricum victos pietate parentes.
Quid te post cineres deceptaque funera matris
Tutius Inoo reptantem pectore Bacche.
Jam secura parens, Thuscis regnabat in undis.
Ilia; portantem lassabat Romulus, Accam.

Et ab amore iſto, blandæ ortæ ſunt illæ compellationes, quibus nutrices & alumni ſeſe compellabant; ita Carme ſupra,

Et simul, o nobis sacrum caput, inquit, alumna;

Scylla, contra ad Carmen, verſ. 257.

Illa autem, quid nunc me, inquit nutricula torquens.

Sic nutrices ab alumnis apud Græcos in honorem μαῖαι vocabantur. Heſych. hac voce καὶ προσφώνησις, πρὸς πρεσβύτιν τιμητικὴ, ἀντὶ τῆ ὦ τρόφε. *Est & compellatio honorifica, ad natu majorem, loco τῆ nutrix.* Pollux ſupra Καὶ ἡ γάλα παρέχουσα, τίτθη, ἢ μαῖα. Homer. Odyſſ. 19. verſ. 15.

Ἐκ δὲ καλεσσάμενος, προσέφη τροφὸν Εὐρύκλειαν
Μαῖ᾽ ἄγε. ——

Extra autem vocatam, allocutus est nutricem
Eurycleam
Nutrix, age. ——

Et Odyſſ. 22. verſ. 11. &. 35. atque ſæpe, eodem libro. Euripid. Hippolyt. verſ. 243.

Μαῖα πάλιν μου κρύψον κεφαλάν

Nutrix tege rursus caput meum.

Imo parentum inſtar, nutrices alumnos *filios, filiasve*, illi contra eas *matres* appellabant. Homer. Odyſſ. 19. verſ. 21.

Τὸν δ᾽ αὖτε προσέειπε φίλη τροφὸς Εὐρύκλεια,
Αἲ γὰρ δή ποτε τέκνον, ἐπιφροσύνας ἀνέλοιο.

Hunc autem rursus allocuta est, dilecta nutrix
Euryclea
Utinam enim jam tandem, fili prudentiam suscipias.

& Odyſſ. 22. verſ. 486. & lib. 23. in princip. Apud Euripidem Hippolit. v. 204. Nutrix ad Phædram.

Θάρσει τέκνον καὶ μὴ χαλεπῶς
Μετάβαλλε δέμας. ——

Forti animo sis filia, neque moleste
Agites corpus. ——

& paulo poſt. ὦ παῖ τί θρόεις. *o filia, quid dicis*, atque paſſim in eadem Tragœdia. Puella ad nutricem apud Ariſtenæt. lib. 1. Epiſt. 6. νὴ τὴν ἄρτεμιν ὦ μῆτερ. & rurſus in fine Epiſtolæ: τί φῄς ὦ μῆτερ;

A τοῦτο δέδοικα, μάλιστα πάντων. *Quid ais? o Mater nihil est, quod metuam magis.* Arſace pariter ad nutricem apud Heliodor. lib. 7. pag. 317. βέβλημαι εἶπεν ὦ μῆτερ.

Et ab hoc amore maxima ſæpe fluxit alumnorum in nutrices pietas. Votum Virgil. lib. 7.

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dedisti.

Inde maximus Alexandri dolor, ob occiſum a ſe inter pocula Clytum, nutricis fratrem apud Curt. lib. 8. cap. 2. *Quo nunc se conferet misera? omni-*
B *bus ejus unus superſum*, (inter filios & propinquos nutricis, quod ex præcedentibus verbis patet, ſe quoque numerat) *quem solum æquis oculis videre non poterit; & ego servatorum meorum latro, revertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici, sine memoria calamitatis ejus offerre possim.*

Nutrices contra, in quibuſvis caſibus adverſis, omnem quam poſſent in conſolandis alumnis & alumnabus curam adhibebant eorumque dolorem pro viribus levare conabantur: Suet. Neron. cap. 43. *Utque resipuit, veste desciſſa, capite converberato, actum de se pronunciavit; consolantique nu-*
C *triculæ, & aliis quoque jam principibus similia accidisse, memoranti &c.* Reſpice Ovidium Ep. Heroid. 11. verſ. 33. & ſequentibus.

Imo tanta earum in alumnas indulgentia fuit, ut ſæpiſſime in flagitiis & facinoribus adjuvaverint. Notum ex 10. Metam. Ovidii, nutricem ſuis artibus, Myrrhæ cum patre concumbendi copiam feciſſe; ita & in Ciri Carme, Scyllæ comitem ad ſecandum Niſi purpureum crinem ſe addit: apud Heliodor. lib. 7. pag. 317. Cybele nutrix pollicetur Arſacæ, effecturam ſe ut a Theagene redametur, ibidemque de ſe ipſa prædicat, id ſæpe alumnæ præſtitiſſe; ἔργοις δὲ οἶμαι, πολλάκις τὴν πεῖ-
D ραν εἴληφας. *Re ipsa vero, sæpius, ut existimo, id ipsum experta es.* vide ibi Bourdelotium. Sic & nutrix apud Euripidem, Hippolitum Phædræ quæ ejus amore capta erat, propitium reddere conatur. Poſſem & alia multa congerere exempla, ſed hæc ſufficiunt.

Ideo tamen virginum cura nutricibus mandabatur, ut honori & pudori earum invigilarent. Tibull. lib. 1. Eleg. 3. verſ. 83.

—— *sanctique pudoris*
Assideat custos, sedula semper anus.

E Hinc ſemper aderant alumnabus ut actiones earum dirigerent; patebit ex Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 3. pag. 157. quo loco de Horatio victore agit, urbem cum acclamationibus totius populi ingrediente, ad quem, propter occiſum ſibi deſponſum Curiatium, furibunda ſoror convitia dictura accurrit, ὥσπερ αἱ μαινάδες ἐφέρετο, inquit, πρὸς τὰς πύλας, οὐδὲν ἐπιστρεφομένη, τῆς ἀνακαλούσης, τέ καὶ μεταδιωκούσης τροφοῦ. *Bacchabunda ferebatur ad portam, nutricem frustra insequentem, ac revocantem, nil respiciens.* Memoratur & nutrix a Polluce, inter ſponſæ comites. lib. 3. cap. 3. Sectione. 4. ἡ δὲ τροφὸς τῆς κόρης, τιθήνη. *Sponsæ*
F *vero curam gerens vocatur nutrix.*

Quapropter, in veſtibulo cubiculi alumnarum cubare nutrices ſolebant; unde *custodes liminis* dictæ. Ovid. Metam. 10. verſ. 383.

Murmura verborum, fidas nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen servantis alumnæ;
Surgit anus, reseratque fores. ——

idem Epiſt. Heroid. 21. verſ. 19.

Huc timor accedit, ne quis nisi conscia nutrix
Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hæc: quid agamque rogantibus intus,
Ut possim tuto scribere, dormit, ait,

Heliodor. lib. 7. pag. 317. ἕως δή, τις πρεσβῦτις ὄνομα Κυβέλη, τῶν θαλαμηπόλων, καὶ συνήθως τὰ ἐρωτικὰ τῇ Ἀρσάκῃ διακονουμένων, εἰς δραμοῦσα εἰς τὸν θάλαμον. &c. *Nisi quædam anus, nomine Cybele, custos cubilis, & rerum venerearum Arsaces ministra, incurrisset in thalamum.* respiciendus ibi Bourdelotius. Ex Ciri Virgiliana idem colligi potest, vers. 220.

Quam simul, Ogygii Phœnicis filia Carme
Surgere sensit anus, (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine, cardo.)

& ex vers. 255.

Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem, quam rettulit intra.

vide & versum 347. Alios præterea modos, quibus virginum pudorem servabant, multi jam Docti ex Catullo observarunt. Atque, non tantum innuptis semper aderant nutrices, sed & jam nuptis: his præ amore, illis propter pudicitiam & curam morum. Ita apud Euripid. in Med. vers. 52. miratur Pædagogus quasi rem insolitam, Medeam præ dolore, solam & sine nutrice esse; rogat itaque nutricem.

Πῶς, σοῦ μόνη Μήδεια, λείπεσθαι θέλει;

Quomodo, sine te, sola Medea relinqui vult?

in ejusdem Hippolito, Phædræ semper adest nutrix; & passim apud Græcos Latinosque Tragicos, Reginis, clarisque mulieribus ipsæ nutrices comites semper sunt; eodem modo hodie illæ, quæ idiomate Gallico *Confidentes* dicuntur. Ratio est, quod perspecta fidelitate ab infantia prima, illis intimos animi sensus alumnæ aperiebant, atque in earum fide maxime acquiescebant; huc & refer quæ statim adscribebamus de auxilio in omni occasione a nutricibus præstito.

Qui mos nutricum, his de causis semper alumnabus assistendi, ut omnia fere Romæ in luxum versus est. Nulla enim foras prodibat nobilis fœmina, quin inter immanem ancillarum istum comitatum (de quo obiter moneo videndum esse doctissimum Mercerum, ad Aristenæt. Epist. 9. lib. 1.) nutricem haberet. Declarat Juvenal. Sat. 6. v. 354.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam cui det mandata puellam.

Sed quod innuebam supra & pene obliviscebar, nobilium infantium & virginum nutrices, ipsæ sæpe nobilissimæ sed bello captæ erant. Isaias, c. 49. commat. 23. *Et erunt Reges nutricii tui, & fœminæ principes eorum, nutrices tuæ.* Ita Carme Scyllæ nutrix, Phœnicis filia dicitur in Ciri, vers. 220.

Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme,
Surgere sensit anus. ——

qui Phœnix Agenoris fuit filius. Antonin. Liberal. fab. 40. Κασσιεπείας τῆς Ἀραβίου, καὶ Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος, ἐγένετο Κάρμη. *Carme, fuit filia Cassiepeiæ, Arabii filiæ, & Phœnicis, Agenoris filii.* Eubuli tamen filiam eam facit Pausanias, ut jamdudum monuit Scaliger. Eandem captivam fuisse, discimus ex Ciri, vers. 290. ubi ipsa hæc dicit.

Tene ego, tam longe capta, atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum.

Sic & Hypsipile Archemori nutrix, apud Stat. 5. Thebaid. vers. 610. ob Archemorum a serpente interfectum, ita queritur.

O mihi desertæ natorum dulcis imago
Archemore. O rerum & patriæ solamen ademptæ,
Servitiique decus, qui te mea gaudia, sontes
Extinxere Dei. ——

Famulam & hanc vocat Lycurgus Archemori pater, vers. 686.

Si vilem, tanti premerent cum pectora luctus
In famulam jus esse ratus, dominoque, ducique.

Nobile autem ejus genus ex fabulis satis notum, vid. Hygin. fab. 74. & Ovid. Epist. Hypsipiles ad Jasonem. Illud & ipsa narrat, initio libri, v. 38.

Hoc memorasse sat est. Claro generata Thoante
Servitium Hypsipile vestri fero capta Lycurgi.

& vers. 71. Tydeus ad Lycurgum.

—— *Sed non sedato pectore Tydeus*
Subjicit. Anne ducem, servatricemque cohortis
Inachiæ, ingratis coram tot millibus audes
Mactare in tumulos? (quanti pro funeris ultor!)
Cui regnum, genitorque Thoas, & lucidus Evan
Stirpis avus. ——

CAP. VI

Pædagogi primi post nutricem puerorum curam suscipiebant. Vox pædagogus, fit a Græco παιδαγωγὸς quod est *παιδῶν ἀγωγὸς. dicunt etiam Græci* παιδευτήν. *Appellari posset latine* institutor. Instituere *est Græcis* παιδεύειν. *Educandi liberos curam proprie ad Patres pertinere ostenditur. Pædagogos maxima eligendos diligentia censuerunt Sapientes. Quod vulgo tamen neglectum est. Pædagogi erant aut servi & quidem vilissimi servorum, aut mercede conducti ex ima plebe; illud merito culpat Plutarchus. Lycurgus melius consulebat educationi Puerorum, ex Magistratibus enim summis sapientissimum virum eligebat qui illis præesset. Dicebatur hic* παιδονόμος.

Disseruimus hactenus, de administratione puellarum, quæ semper penes nutrices remanebat. Agendum restat de puerorum educatione; qui cum ad eam jam ætatem pervenissent, in qua ad discenda rudimenta prima apti sunt, statim Pædagogis mandabantur, hi enim primi post nutricem, puerorum curam suscipiebant. Teles, apud Stob. sermon. 247. pag. 815. εἰ δ' ἐκπέφευγε τὴν τιτθὴν παρέλαβε πάλιν ὁ παιδαγωγός,

γωγὸς, παιδοτρίβης, &c. ubi jam nutricem effugit infans, assumit ipsum Pædagogus, Pædotriba, &c.

Vocem, *Pædagogus*, ut pleraque artium, & disciplinarum vocabula, a Græcis mutuati sunt Romani; *παιδαγωγὸς* illis dicitur, quasi *παιδῶν ἀγωγὸς*, teste Clement. Alexandr. lib. 1. Pedagog. cap. 5. Vocatur etiam *παιδευτὴς*, Hesychius, *παιδαγωγὸς, παιδευτὴς, καὶ τὰ ὅμοια*. Vocabulum Latinum quo designetur nullum invenies. Dici posset *Institutor* ab *instituendo*, cum pædagogi officium proprie sit *institutio*, ut ex Varrone apud Nonium vidimus supra. Instituere Græcis est, *παιδεύειν παιδοτροφεῖν*, vide Hesychium, & Pollucem lib. 2. cap. 2. sect. 11. institutionis officium qua in re constitit, videbimus postea.

Et uti lactandi ad Matres, sic & liberos instituendi cura proprie ad Patres pertinet; sed quoniam, alii mites nimis sunt in educandis quos procrearunt liberis, facileque in culpis eorum connivent, alii contra nimis severi nihil non in filiis culpant, quo melius ad virtutis rectam normam conforment, & ut inquit Latinus Pacatus Panegiric. ad Theodos. *severi patres, his quos diligunt filiis, tristiores sunt*. Factum, ut adhibiti fuerint extranei, qui absque discrimine, bene se gerentes pueros laudarent, corrigerent delinquentes.

Hos non minori diligentia quam nutrices eligendos, omni tempore Sapientes censuerunt: facillime enim pædagogorum vitia contrahunt pueri; ita de Leonide, Quintil. 1. Instit. Orator. cap. 1. *siquidem Leonides Alexandri Pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque, & jam maximum Regem, ab illa institutione puerili sunt prosecuta.*

Nihilominus tamen, perfunctoriam tantum levissimamque, in eorum delectu quos liberis præficiebant operam solitos conferre parentes ex eo patet, quod servis, & quidem ultimis minimisque servorum, aut vilibus mercenariis, atque ex fæce plebis hominibus, tantam curam vulgo commiserint. Clem. Alexandr. Pædagog. lib. 1. cap. 7. *Ἀλκιβιάδου δὲ τὴν πορνείαν, ὁ Θρᾷξ ἐπισχεῖν οὐκ ἴσχυσε Ζώπυρος, ἀλλ᾽ ὠνητὸν ἀνδράποδον ὁ Ζώπυρος ἦν. καὶ τῶν Θεμιστοκλέους παίδων ὁ παιδαγωγὸς Σίκιννος οἰκέτης ῥᾴθυμος ἦν.* *Neque vero Alcibiadis scortationem Thrax Zopyrus reprimere potuit, sed erat emptitium mancipium Zopyrus; & Themistoclis liberorum Pædagogus Sicinnus, ignavus fuit famulus.* Puerorum Jasonis pædagogus, apud Euripid. Med. vers. 65. supra allato, servus a nutrice dicitur;

Μὴ πρὸς γενείου, κρύπτε σύνδουλον σέθεν.
Ne per barbam celes, conservam tuam.

Ipsius Claudii Pædagogus, apud Suet. cap. 2. ejus vitæ, *Superjumentarius servus* fuisse fertur.

Quod ut ineptum & valde absurdum, merito culpat Plutarch. de Liber. Educand. pag. 4. quid enim quæso? ex talibus Pædagogis imitari poterant pueri, quod non esset vitiosum, & nihil nisi rusticitatem morum, & abjectionem animi redoleret. Verba latina sunt. *Postquam eo ætatis puer pervenit ut jam sit pædagogo subdendus, ibi tum adhibenda est curatio, ne filios nostros, per imprudentiam, mancipiis, aut barbaris, aut levibus hominibus, tradamus*; *Nam plusquam deridiculum est quod plerisque hodie usuvenit: qui cum servorum quos habent probos, alios agriculturæ, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios administrationi rei familiaris, alios exercendæ usuræ adhibeant; si quod inveniunt mancipium ebriosum, ac gulæ deditum, & ad omnia inutile negotia, illud liberis præficiunt.*

Neque minus ex eo derideri merentur patres, quod postquam educandos filios servis & mercenariis tradiderant, ipsi nec quomodo docerentur, nec qualia discerent, an bene maleve instituerentur, nunquam examinarent; hoc etiam optime reprehendit Plutarchus eodem libro, pag. 9. Latine adscribam, Græcis enim non opus est, cum non verborum, sed tantum ratiocinationis vi utamur. *Culpandi autem sunt parentes nonnulli, qui postquam filios suos Pædagogis magistrisque commendaverunt, ipsi, quid discatur neque inspiciunt unquam, neque inaudiunt, magno sane cum errore. Oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum, subinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarii voluntate omnem spem collocare.* Apparet ex ultimis verbis, aliquando adhibitos fuisse mercenarios, quod & loco priori videtur etiam indicare Plutarchus, *adhibenda est curatio*, inquit, *ne filios nostros, per imprudentiam, mancipiis, aut barbaris, aut levibus hominibus tradamus*. Idem, Lycurg. pag. 50. *τοὺς δὲ Σπαρτιατῶν παῖδας, οὐκ ἐπὶ ὠνητοῖς, οὐδὲ μισθίοις ἐποιήσατο παιδαγωγοῖς ὁ Λυκοῦργος.* *Lacedæmoniorum liberis, non præposuit Lycurgus emptitios, aut mercenarios Pædagogos.*

Consulebat multo melius educationi infantium, sapientissimus Lycurgus, qui non tantum Lacedæmoniorum liberos vilissimis hominibus non fidebat, sed etiam ex nobilissimis clarissimisque magistratibus, omni virtutis genere conspicuum virum eligebat qui pueris præesset, & esset Παιδονόμος. Xenoph. de Republ. Lacon. apud Stob. Serm. 145. p. 465. *Ὁ γὰρ Λυκοῦργος, ἀντὶ μὲν τοῦ ἰδίᾳ ἑκάστοις παιδαγωγοὺς δούλους ἐφιστάναι ἄνδρα ἐπέστησε κρατεῖν αὐτῶν, ἐξ ὧν περ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται. Τοῦτον δὲ κύριον ἐποίησε, καὶ καθίζειν* (vel *ἀθροίζειν*, utrumque enim legitur) *τοὺς παῖδας καὶ ἐπισκοποῦντα, εἴ τις ῥᾳδιουργοίη, ἰσχυρῶς κολάζειν.* *Lycurgus enim, pro servis Pædagogis, quos privatim pueris quisque præficit, virum præesse illis voluit, ex eorum numero, e quibus maximi magistratus constant; qui quoniam pueros moderatur, Pædonomus appellatur. Huic vero potestatem dedit, ut & pueros congregaret, & quem versute aut nequiter quicquam patrare observasset, acerrime cæderet.*

CAP. VII.

Varia Pædagogorum officia, in pueros, puellas, & delicatorum puerorum cœtum. Pædagogi proprium est monere pueros. Monebant interdum futilia, sæpe & pulchra. Vultu severo vel senes fere semper finguntur. Monendi consuetudine vulgo superbi erant adeo, ut omnibus se sapientiores crederent. Hinc in reliquos servos imperium exercebant, & verberibus excipiebant. Ducebant semper alumnos in viis; illis addebantur Capsarii. Sequebantur alumnos. Deducebant & reducebant ex schola. Assidebant eis in Theatro. Quotidie cibi portionem præbebant. Alumni eos appellabant Dominos: *interdum* Pappas, & Tattas. *Pædagogi contra filios illos nuncupabant. Pædagogorum in puellas cura. Pudori earum invigilabant: a prima infantia jam eis præpositi fuerant: plerunque erant iidem, qui olim puellarum patres educaverant. Cœtus delicatorum Puerorum qui dicebatur* Pædagogia, *erat sub Pædagogo.*

VIdimus jam quales fuerint Pædagogi; dicendum sequitur qua de causa illos semper filiis addiderint Veteres. Nempe, ut prima litterarum elementa docerent, (quod prupie est *instituere*) ut bonis imbuerent præceptis,

mores conformarent, atque educationi eorum invigilarent, hoc erat Pædagogi officium, hæc omnis cura. Custodes aliquando puellis dabantur, sed maximam partem jam senes, & qui olim ipsorum patrum educatores fuerant. Erant & alii Pædagogi quorum curæ committebatur cœtus ille delicatorum puerorum, quem habebant vulgo nobiliores, quique *Pædagogium* vel *Pædagogia* dicebatur. De hac triplici cura, agam hoc capite, sed breviter non secus ac in præcedentibus, Diatriben enim non librum scribo.

Pædagogi ergo officium erat alumnos monere, bonisque præceptis & exemplis majorum, vel virtutibus clarorum hominum frequenter adductis atque repetitis, stimulum addere; Senec. Epist. 89. *Nam eum locum, qui monitiones continet sustulit, & Pædagogi esse dixit, non Philosophi.* vid. eund. Epist. 94. Arrian. in Epictet. lib. 3. cap. 19. *ἄνθρωπε, μὴ γὰρ ἐκείνῳ σε παιδαγωγὸν κατεστήσαμεν, ἀλλὰ τῷ παιδίῳ ἡμῶν, τοῦτο ἐπανόρθου, τοῦτο ὠφέλει. Homo, nunquid illi te Pædagogum præfecimus, & non filiolo nostro? hunc corrige, hunc juvato.* Adhortari, proprium pædagogi esse, apparet ex integro Clementis Alexandrini libro primo Pædagogi, & etiam ex sequentibus libris; vide præcipue caput 1. libri primi.

Admonebant autem sæpe & futilia, ut *ambulare in via demisso capite, uno digito salsamentum, duobus tangere piscem, &c.* vide Pignor. de Serv. cap. 236. qui id ex Plutarcho docet. Laudabant aliquando & pulchra, sic crebros cum alumnis sermones habebant de fortibus & prudentibus Heroum factis, ac de virtutibus eorum civilibus & bellicis. Lucian. Amorib. pag. 1061. *πάλιν γὰρ αὐτῷ διδάσκαλοι, καὶ παλαιῶν ἔργων αἰνιττόμεναι, καὶ ἐπιμελούμεναι μνῆμαι τίς ἀνδρεῖος ἥρως, ἢ τίς ἐπὶ φρονήσει μαρτυρούμενος, ἢ οἷοι δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην ἠσπάσαντο. Τοιαύταις ἀρεταῖς, ἀπαλὴν ἔτι τὴν ψυχὴν ἐπάρδων*, &c. *Rursum enim, ipsi Præceptores, & veterum operum exempla insinuantes, & curantes recordationes, nempe quis heros fortis fuerit, quis ob prudentiam publico testimonio cohonestatus, aut qui justitiam ac temperantiam amplexati fuerint. Hujusmodi virtutibus, tenerum adhuc animum imbuens*, &c.

Hinc sæpissime vel senes, vel vultu severo finguntur: notum Suetonii, Neron. cap. 37. *Pæto Thraseæ Nero objiciebat, tristiorem & Pædagogi vultum.* Semper fere, eos senes in Tragœdiis Poetæ inducunt, ut monita majoris ponderis & auctoritatis sint; ita apud Euripidem in Phœnissis Pædagogum valde senem esse videmus; quem cum alloquitur Antigona senem semper appellat. vers. 125.

Αὔδασον, ὦ γεραιέ, τίς ὀνομάζεται.

Dic, o senex, quomodo nominatur.

& vers. 143.

Σὺ δ' ὦ γέρων, πῶς οἶσθα ἀγ σαφῶς τάδε.

Tu vero, o senex, quomodo scis certo hæc?

vid. & vers. 161. & 175. &c.

Atque hac docendi & monendi alumnos consuetudine, inflati adeo & elati plerunque erant servi isti, abjectissimi hominum, ut nullum sibi doctiorem crederent, omnibus contra se sapientiores reputarent. Quintilian. lib. 1. Instit. Orator. c. 1. De *Pædagogis hoc amplius, ut, aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim pejus est iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atque interim sævientes stultitiam suam perdocent.* Hinc non in pueros tantum, sed & in reliquos servos imperium exercere volebant, quos excipiebant aliquando verberibus. Arrian. in Epictet. lib. 3. cap. 19. *πάλιν ἂν μὴ εὕρωμεν φαγεῖν ἐκ βαλανείου, οὐδέποθ' ἡμῶν κατέστειλε τὴν ἀθυμίαν ὁ παιδαγωγὸς, ἀλλὰ δαίρει τὸν ἀθυμίαν ὁ παιδαγωγὸς, ἀλλὰ δαίρει τὸν μάγειρον. Rursus si quando a balneo cibum non invenerimus, nunquam pusillitatem animi nostri compescit pædagogus sed coquum verberibus afficit.*

Iam, ut mores alumnorum observarent, semper & ubique illis comites erant. Sic in viis eos solebant ducere, Ælian. l. 14. Var. c. 20. *Συβαρίτης ἀνὴρ παιδαγωγός (ἐκ γὰρ οὖν μετὰ τῶν ἄλλων Συβαριτῶν, καὶ αὐτοὶ ἐτρύφων)* patet ex hac parenthesi, severiores præ cæteris mores affectasse pædagogos, ut dicebam statim, quoque in obitu moneo) *τοῦ παιδὸς οὗ ἦγε διὰ τῆς ὁδοῦ, ἰσχάδι περιτυχόντος, καὶ ἀνελομένου, ἐπέπληξεν αὐτῷ ἰσχυρότατα. Sybarita quidam Pædagogus (nam & hi cum reliquis Sybaritis luxuriæ indulgebant) quum puer, quem ducebat per viam in ficum incidisset, & sustulisset, vehementissime eum objurgavit.* Ex his verbis *τοῦ παιδὸς ὃν ἦγε*, optime, cum Clemente Alexandrino observat derivari vocabulum *παιδαγωγὸς*, celeberrimus & doctissimus vir Jacobus Perizonius.

Pædagogis solebant addi in viis Capsarii, qui in capsula libros pueri ferrent, unde sæpe ambo conjunguntur; ut apud Suet. Ner. cap. 37. *Damnatorum liberi urbe pulsi, enectique veneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis, uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.* Conjungit & Lucianus, Amorib. pag. 1061. quo loco eleganter capsarios describit. *ἀκόλουθοι δὲ καὶ παιδαγωγοὶ, χορὸς αὐτῷ κόσμιος ἕπονται, τὰ σεμνὰ τῆς ἀρετῆς ἐν χερσὶν ὄργανα κρατοῦντες. Οὐ πριστοῦ κτενὸς ἐντομὰς κόμην καταψήχειν δυναμένας, οὐδὲ ἔσοπτρα, τῶν ἀντιμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας, ἀλλὰ πολύπτυχοι δέλτοι κατόπιν ἀκολουθοῦσιν, ἢ παλαιῶν ἔργων ἀρετὰς φυλάττουσαι βίβλοι. Assecla autem & Pædagogi, turba conveniens ipsi sequuntur, venerabilia virtutis instrumenta manibus tenentes: non secti pectinis incisuras, quibus coma demulceri queat, neque specula formarum oppositarum, non pictas imagines. Sed vel multiplices pugilares a tergo sequuntur, vel veterum operum virtutes custodientes libri:* Apparet ex ultimis verbis, Pædagogos solitos sequi in viis suos alumnos, quod jam pridem ex his Manilii versibus,

Componet teneros etiam qui nutriet annos
Et dominum dominus, prætextæ lege sequatur.

& ex aliis Auctoribus observavit doctissimus Gronovius Observat. lib. 2. cap. 11.

Deducebant quoque & reducebant pueros ex ludo litterario. Æl. 3. var. cap. 21. *Ἐπανῄει ποτὲ ἐκ διδασκαλείου παῖς ἔτι ὢν Θεμιστοκλῆς. εἶτα προσιόντος Πεισιστράτου ὁ παιδαγωγὸς ἔφη τῷ Θεμιστοκλεῖ.* &c. *Puer adhuc Themistocles, quodam tempore e ludo redibat: ita tunc obvio Pisistrato, pædagogus dixit Themistocli*, &c. Respiciendus ibi Cl. Perizonius, qui docet pueros a pædagogis, puellas a nutricibus in ludum ductas fuisse.

Alumnis semper assidebant in theatro Pædagogi, Suet. Aug. cap. 44. *Maritis e plebe proprios ordines assignavit. Prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis.* Adderem Theophrasti locum ex character. 9. de Impudentia, sed cum videam eundem afferri a doctissimo Casaubono ad

Suetonii verba, nolo recoquere, præsertim quoniam omnino respiciendum moneo.
Ex his ut puto exemplis satis constat, pueris ne vitam licentiorem ingrederentur semper Pædagogos affuisse; quod præterea & ipsum pædagogi nomen clarum facit, & Galbæ jocus, apud Sueton. Galb. cap. 14. *Regebatur trium arbitrio, quos una & intra Palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, Pædagogos vulgo vocabat.*

Atque ut magnam curam, sic & magnam potestatem in alumnos Pædagogi habebant; nam cibi quotidie præbebant portionem. Quod ex Euripide Med. vers. 1019. colligo, ubi Pædagogum hæc jubet Medea.

—— ἀλλὰ βαῖνε δωμάτων ἔσω
Καὶ παισὶ πόρσυν᾽, οἷα χρὴ καθ᾽ ἡμέραν.

Sed ingredere in domum,
Et para pueris, quæ convenit quotidie.

Illos pueri magna prosequebantur reverentia, & cum appellarent Domini nomine insigniebant; ex Manilii jam allatis versibus multi viderunt, addam quædam Statii loca, ex 2. Silvar. Silv. 1. quæ est Epicedion ad Glauciam infantem quem educaverat Melior. vers. 52. loquitur de Meliore.

—— *heu lactea colla,*
Brachiaque, & nunquam Domini sine pondere cervix.

vers. 70.

—— *tu Domino requies, portusque senectæ.*

rursus vers. 75. 80. &c. Vocabant aliquando Pappas, & Tattas. Juvenal. Sat. 6. vers. 663.

Mordeat ante aliquis quidquid porrexerit illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula Pappas.

Vide Reinesium ad Inscript. 45. Class. 11. Sed credibile in infantia tantum prima pueros sic pædagogos suos nuncupasse.

Pædagogi sæpe alumnos suos *filios* appellabant. Ita Phœnix apud Homer. Iliad. 9. vers. 438. ad Achillem.

Πως αὖ ἔπειτ᾽ ἀπὸ σεῖο φίλον τέκος αὖθι λιποίμην
Οἶος. ——

Quomodo postea sine te chare fili hic relinquar
Solus. ——

apud Euripid. Phœniss. vers. 155. pædagogus ad Antigonam.

Εἴφ τάδ᾽ ὦ παῖ; ——

Hæc sint o filia. ——

& vers. 201.

Ω τέκνον εἴσβα δῶμα ——

Ingredere in domum o filia.

& in Hippolito famulus ad Hippolitum vers. 207.

Τιμᾶσιν ὦ παῖ, δαιμόνων ρχρῆσθαι χρεών.

O fili, oportet honorare Deos.

Pergo ad Pædagogorum curam in puellas; quibus ideo præpositi erant, ut earum pudori invigilarent; ita apud Euripidem Phœniss. versu quem statim adduximus, Antigonam jubet redire in gynæceum pædagogus.

Ω τέκνον εἴσβα δῶμα, καὶ κατὰ στέγας
Εν παρθενῶσι μίμνε σοῖς, ἐπεὶ πόθου
Εἰς τέρψιν ἦλθες, ὧν ἔχρηζες εἰσιδεῖν.

Ingredere ingredere in domum o filia & in contignatione
In gynæceo maneas tuo: postquam desiderii tui
Ad delectationem venisti, eorum quæ cupiebas videre

Stat. 12. Thebaid. vers. 205.

—— *Nec plura, unumque Menœtem*

(Olim hic virginei custos, monitorque pudoris)
Eligit. ——

vide ibi Barthium.

Hi plerumque jam ab ineunte ætate educationi puellarum præpositi fuerant; de Menœte innuit Stat. vers. 361. ejusdem libri.

—— *atque illam contra videt ire Menœtes*
Cui vacat, & caræ gemitus compescit alumnæ.

Senex apud Euripid. Elect. vers. 487.

Πῦ πῦ νεᾶνις πότνι᾽ ἐμὴ, δέσποινά τε,
Αγαμέμνονος παῖς, ἥν ποτ᾽ ἐξέθρεψ᾽ ἐγώ;

Ubi, ubinam est puella mea veneranda, & hera
Agamemnonis filia, quam enutrivi olim ego.

Adhibebantur autem sæpe senes, qui ipsos puellarum patres olim educaverant; sic senex heic dicit se educasse Electram, ad quem Electra vers. 505.

Η τὰς Ορέστου τλήμονας φυγὰς στένεις,
Καὶ πατέρα τὸν ἐμὸν, ὅν ποτ᾽ ἐν χεροῖν ἔχων
Ανόνητ᾽ ἔθρεψας σοί τε, καὶ τοῖς σοῖς φίλοις;

An Orestis miserum exilium gemis,
Et patrem meum, quem quondam in manibus habens,
Educasti frustra tibi, & amicis tuis.

& vers. 555.

Οὗτος τὸν ἀμὸν πατέρ᾽ ἔθρεψεν, ὦ ξένε.

Hic meum patrem educavit, o hospes.

Perspicua ratio est, hos enim quorum optimis moribus & educandi peritia imbuti olim fuerant tres, præ omnibus, filiabus suis præficere malebant, certi, fore ut maxima diligentia & assiduitate virtutem sequi, vitia fugere docerent puellas, & arcerent a virorum commercio ne corrumperentur, qua in re alumnabus sæpe nimis nutrices indulgebant.

Dicendum quidem restaret de dedicatorum puerorum cœtu, qui *Pædagogiorum* nomine veniebat; sic explicat Lipsius. *Cœtus elegantium puerorum, quos composita veste, facie, capillis, in publico habebant: & plerumque una ætate; sic dicta quia sub Pædagogo &c.* Sed segetem hanc adeo diligenter messuerunt Viri Doctissimi, Lipsius ad Tacit. Annal. lib. 15. cap. 69. Terentius,

& Macellus Donatus, ad Suet. Neron. cap. 28. Johann. Rhodius de Acia, cap. 5. & Reinesius ad Class. 9. Inscript. 34. ut nullum plane reliquerint sacrilegium.

CAP. VIII.

Pædagogi principum & Regum. Illis in singula arte singulus adhærebat Magister. Quatuor ex nobilissimis viris apud Persas, Regum filiis præerant. Profugi nobiles, eorum apud quos se receperant, liberis sæpe fuerunt præpositi. Pædagogi, Regum & Principum filios in bellum comitabantur. Phœnix affuit Achilli. Adrastus custos fuit Atydis venatum euntis. Acetes cum Pallante ab Evandro missus.

A Atque ejusmodi fuerunt Pædagogi quos solebant Veteres suis liberis præficere; illud tantum superest, ut verbo institutionem Regum, & principum attingam. Horum cum maximi sit momenti educatio, non solus Pædagogus, sed plures, aut quod sæpius fiebat, in singula arte singulus illis addebatur Magister. Sic de Alexandro Plutarchus, pag. 667. Πολλοὶ μὲν ἦν περὶ τὴν ἐπιμέλειαν ἦσαν αὐτοῦ, τροφεῖς καὶ παιδαγωγοὶ καὶ διδάσκαλοι λεγόμενοι. Πᾶσιν δ' ἐφειστήκει Λεωνίδας, ἀνὴρ τό τε ἦθος αὐστηρὸς, καὶ συγγενὴς Ολυμπιάδος. *Multi ejus institutioni appositi fuerunt, nutritii, pædagogi, & magistri appellati: quibus omnibus impositus erat Leonidas, vir & moribus severus, & propinquitate Olympiada contingens.*

Arcessit undique viros doctos qui Commodum instituerent Marcus Imperator, apud Herodian. lib. 1. cap. 1. Τὸν δὲ περίοντα Κόμμοδον καλούμενον, ὁ πατὴρ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀνεθρέψατο, πανταχόθεν τοὺς ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἐπὶ λόγοις δοκιμωτάτους ἐπὶ συντάξεσιν οὐκ εὐκαταφρονήτοις καλῶν, ὅπως συνόντες ἀεὶ παιδεύοιεν αὐτῷ τὸν υἱόν. Vertit Politianus. *Alterum vero Commodum nomine, magna diligentia curaque pater educavit, accitis undique viris doctrina claris, maximaque proposita mercede, ut mores pro se quisque filii ingeniumque excoleret.* Recensentur multi apud Theocrit. Idyll. 24. quorum unusquisque suam artem Herculem docuit. Ita Linus litteras, Eurytus arcum tendere, musicam Eumolpus, Harpalicus luctam, aurigationem Amphitrio, & bellicam scientiam Castor.

Persarum Reges, quatuor ex nobilissimis viris eligebant, quibus filiorum committebant curam. Clem. Alexandr. lib. 1. Pædagog. cap. 7. pag. 109. Οὐκ ἔλαθον ἡμᾶς παρὰ Πέρσαις βασίλειοι καλούμενοι Παιδαγωγοί. Οὓς τέτταρας τὸν ἀριθμὸν ἀριστίνδην ἐκλέγοντες ἐκ πάντων Περσῶν οἱ βασιλεῖς Περσῶν τοῖς σφῶν αὐτῶν ἐφίστων παισίν. *Neque latent nos, qui apud Persas Regii vocantur Pædagogi, quos numero quatuor ex omnibus Persis optimatim diligentes reges Persarum, suis perficiebant liberis.*

Nobilibus profugis, qui ob aliquod improvisum facinus, citra culpam & mente pura perpetratum, ex paterna domo ausugerant, seque apud quendam ex amicis Regem receperant, aliquando puerorum principum cura mandabatur; quod de se ipse narrat Phœnix apud Homer. Iliad. 9. a versu 440. ad vers. 488. Sic etiam Adrastus qui ob occisum imprudenter fratrem ad Crœsum confugerat, Regiorum liberorum Pædagogus factus est. Clem. Alexand. lib. 1. Pædagog. c. 7. Ἀχιλλέως μὲν οὖν παιδαγωγὸν τὸν Φοίνικα φασὶ γεγονέναι, καὶ τῶν Κροίσου παίδων Ἄδραστον. Vide Herodotum libro primo.

Et hi Pædagogi cum ad eam jam pervenissent Regum filii ætatem ut ad expeditionem vel in bellum mitterentur, comites semper illis, ut belli dolos, virtutem, & prudentiam docerent, addi solebant. Phœnix ad Achillem Iliad. 9. v. 440.

> —— σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
> Ἤματι τῷ ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
> Νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο
> Οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι.
> Τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
> Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

> *—— tecum vero me misit senex equitator Peleus*
> *Die illo, quando te ex Phthia Agamemnoni misit*
> *Infantem, nondum peritum omnibus perniciosi belli*
> *Neque concionum, ubi homines illustres redduntur.*
> *Propterea me misit, ut docerem te ista omnia,*
> *Dicendique peritus ut evaderes, & idoneus rebus agendis.*

Dictys Cretensis lib. 1. cap. 14. *Cum eo Patroclus & Phœnix, alter propter conjunctionem amicitiæ, alter custos atque rector ejus.* Ita, Atydi filio venatum eunti, Adrastum custodem dat Crœsus apud Herodot. lib. 1. cap. 4. Φύλακα παιδός σε τοῦ ἐμοῦ χρήζω γενέσθαι, ἐς ἄγρην ὁρμεωμένου. Μή τινες κατ' ὁδὸν κλῶπες κακοῦργοι ἐπὶ δηλήσει φανέωσι ὑμῖν. *Custodem te opus est esse filii mei,* inquit, *venatum proficiscentis, nequi inter viam occulti grassatores, in vestram perniciem prodeant.*

Evander Acetem cum Pallante filio miserat. Virgil. Æneid. 11. vers. 30.

> *Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes*
> *Servabat senior; qui Parrhasio Evandro*
> *Armiger ante fuit, sed non felicibus æque*
> *Tum comes auspiciis, caro datus ibat alumno.*

Stat. 2. Silvar. Silv. 1. vers. 90.

> *Nec senior Peleus, natum comitatus in arma*
> *Troica, sed caro Phœnix hærebat alumno;*
> *Optabat longe reditus Pallantis ovantes*
> *Evander, fidus pugnas spectabat Acetes.*
> *Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris*
> *Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictis.*

Pauca hæc sunt, quæ in præsenti dicenda habebam de Nutricibus & Pædagogis.

FINIS.

HIERONYMI MERCURIALIS
FOROLIVIENSIS
DE
ARTE GYMNASTICA
LIBRI SEX.

In quibus exercitationum omnium vetustarum genera, loca, modi, facultates, & quidquid denique ad corporis humani exercitationes pertinet diligenter explicatur.

NOBILISSIMO, GENEROSISSIMOQUE VIRO,

DOMINO

PETRO a SPREKELSEN,

Hæreditario in

DRONENBORG, & STERNHOLM

ANDREAS FRISIUS

P. F.



CUM suo, & aliorum fato luctantur, Nobilissime Vir, quotquot eruditorum hominum lucubrationes typis excudendas suscipiunt. Etenim, ut sumptus perquam graves, & mille curarum, quibus conflictantur genera tacitus prætercam, usque adeo anceps & spinosum est hoc negotium, ut quid prius, quid posterius agendum sit, & quæ conatus tuos fortuna maneat, non magis scias, quam quæ imminentis anni futura sit tempestas: ita omnia ab incerto eventu, & quod longe magis ominosum est, a captu & arbitrio legentium dependent, quorum ut diversæ facultates ita diversa quoque ingenia, & diversæ inclinationes sunt. His nihil nisi quod fumosam antiquitatem sapit, illi nisi quod novum est, & recens ab incude prodiit, nihil placet. Sunt qui seriis capiuntur, & omnia sua ad quæstum & humanæ usum vitæ componunt, nulla elegantiarum aut humanioris literaturæ cura, quibus animam facilius, quam nummos extorseris. Contra alii austerum hoc, & (ut ipsis videtur) servile vitæ genus dedignantes, circa amœnitates studiorum vagantur, & quidquid vel minus comptum, vel magis reconditum occurrit, non sine indignatione & supercilio transmittunt: cui hominum generi ne ipse quidem, si viveret, deliciarum arbiter Petronius satisfaceret. Nec desunt, qui ex sola inscriptione & titulo operis, de qualitate libri, haud secus ac Architecturæ & rerum ignari ex frontispicio domus de ejusdem interni constitutione, secure, nec sine applausu aliorum judicant. In hac tanta ingeniorum & sententiarum varietate aureos sibi montes, & communem lectorum omnium benevolentiam polliceri, id vero nihil aliud esset, quam cum ratione insanire. Quomodocunque tamen hæc sese habeant, in ea semper fui sententia, ut exornandam esse eam quam nactus sum Spartam putarem: ideoque id egi sedulo, ut quidquid ex officina mea prodiret, quam minimo lectoris impendio publicis omnium usibus inservire posset: ac tantum abest ut laboris & instituti me mei pœniteat, ut multo potius currenti mihi calcar additum sit, crescatque sub ipsa oneris gravitate propositi rectique tenax animus; & ne longa oratione tua tempora morer, en Tibi, Nobilissime Vir, nova veste donatum a me *Hieronymi Mercurialis de arte Gymnastica* tractatum, de cujus viri eruditione & præstantia, nunc tanto minus dico, quanto nomen ejusdem & fama erudito orbi magis innotuit. Et sane præstiti-

mus in exornando hoc Authore omne illud, quod præſtari a nobis pro rei & ſubjectæ materiæ natura potuit. Sed enim cum omnia ſatis ex voto procederent, illa nos ſollicitudo tenuit, quod cum ex hujus ſæculi more tanto operi, par dignitate patronus eligendus eſſet, cui hæ partes deferendæ eſſent, non ſatis conſtaret. Sed hunc quidem non levem ſcrupulum caſus & benignior fortuna diſcuſſit. Etenim ex quo Nobiliſſimi *D. Kerckringii* beneficio adſpectu & alloquio Nob. T. frui mihi contigit, dici non poteſt quam me inſignis tua comitas, & cuivis obvia humanitas affecerit. Et certe ſi ſuus virtuti honor debetur; ſi digna dignis tribuenda ſunt, totus Tibi, Nobiliſſime Vir, quantus quantus eſt hic debebitur libellus, ut qui bonis artibus & animi generoſitate præclarum apud omnes nomen, & variis peregrinationibus id aſſecutus es, ut ſimul linguas moreſque populorum optime calleas, & quicquid ubique equeſtrium aliarumque exercitationum eſt, quaſi proprium tuum in numerato habeas. Accipe ergo Nobiliſſime Vir, ea qua polles humanitate & benevolentia id, quod jure tibi debitum ſponte ſua ad te properat, & ex qualitate operis officioſiſſimum animi noſtri erga Nobil. T. affectum, & obſervantiam minime vulgarem dimetiendo, nos, quod facis, amare perge. Vale.

Dabantur Amſtelodami Calend. Januar. M. DC. LXXII.

AN-

ANDREAS FRISIUS

L. S.



Liquot jam menses abierunt, ex quo Solerii de Pileo cæterisque capitis tegminibus, *nec non* Bossii de Toga Romana *tractatus publico dedimus, facta spe, futurum, ut utrumque hunc Authorem brevi subsequeretur quovis encomio dignissimus* Hieronymi Mercurialis de arte Gymnastica *liber. Sed, ut quod verum est fatear, prope erat, ut me promissorum pœniteret, non tam ob ea quæ subinde occurrerunt impedimenta, quam quod exemplar, quo duce necessario utendum erat, plane expectationem meam falleret. Etenim incredibile dictu est, quam hic incuria typographi simul & correctoris a vera lectione recessum sit longius. Et quanquam diffiteri nemo possit, optimam esse eam editionem, quæ Venetiis anno* M. DC. XLIV. *curantibus* Juntarum *hæredibus prodiit, quod ipsius Mercurialis auctum simul & emendatum autographum illis facem præluceret, si tamen Græca quæ passim occurrunt, respicias, quot apices, tot fere menda reperias. Nec multo minor in Latino textu correctorum socordia apparet, prorsus ut fatale Mercuriali fuisse videatur, cum operis luctari. Quomodocunque tamen hæc sese habeant, standum promissis, & liberanda fides fuit. Ergo collata, non sine improbo labore, anni* M. D. LXIII. *aliorumque codicum fide, quam licuit textui medicinam adhibuimus: citata auctorum nomina & loca, quæ nullo antea discrimine cernebantur, suis singula notis, & diversitate characteris ab ipso textu secrevimus, & res cum rebus, verba cum verbis, quantum in nobis fuit, contulimus; denique id egimus, ut aliquem apud te, benevole Lector, gratiæ locum curis nostris futurum confidamus. Ac figuras quidem ipsas quod attinet, non alias hic tibi & publico offerimus, quam quas insignis Antiquarius Pyrrhus Ligorius Mercuriali obtulit, maximorum cura artificum designatas, &, quod caput rei est, manu* Christophori Coriolani (*cujus illustris apud Vasarium in suo* de Pictoribus *libro memoria extat*) *non sine maximis impensis ligno insculptas. Et harum quidem figurarum ut non leve artificium est, ita sors quoque minime vulgaris semper fuit. Etenim non paucos, cum in Italia degerem, videre mihi contigit, qui linguæ Latinæ rudes hoc solo figurarum artificio ducti, hunc librum avide, & ambabus quod ajunt manibus venerabundi exciperent: Atque hujus rei gratia; ne quid dissimulem, charissimo fratri meo* Joanni La Nou, *eruditorum omnium fautori eximio, & bibliopolæ apud Venetos non postremo, debetur; cujus erga bonas artes affectu factum est, ut non minimam typographiæ & bibliopolii* Juntarum *partem, & inter alia hanc figurarum molem impensis haud sane levibus suam fecerit; quod ideo monere visum est, ne quis fucum fieri, & spurias Parisiensium misere detortas figuras pro authenticis* Coriolani *obtrudi sibi putet. Postremo, ne qua pars operis curam nostram & manum effugeret, in gratiam eorum, qui his talibus capiuntur, non* Naumachiæ *modo, qualem Onuphrius Panvinus, in suo* de ludis Circensibus *tractatu eam nobis exhibuit; sed utriusque etiam Amphitheatri*, Titiani *scilicet &* Veronensis *ideam, qualem tempus edax rerum eam hactenus nobis conservat, exhibemus, adjectis in usum capitis* XI. *libri* II. saltantium supra utres oleo unctos, *& in usum capitis* IV. *libri* III. *gladiatorum depugnantium figuris, quarum hæ Lipsio, illa Liceto, vel si mavis Petro Stephanonio debetur. Atquæ hæc sunt, Lector benevole, quæ in adornanda hac editione præstitimus, aut certe præstare conati sumus. Quod si non omne semper & ubique punctum tulimus, non ab unius omnia typographi arbitrio dependere, sed suum etiam operis ingenium esse puta, quarum pervicacia, ne quid gravius dicam, haud raro fit, ut cum amphoram intendas, currente rota urceus exeat. Nulli tamen dubitamus quin leviora sint, si qua forte invitis nobis irrepserunt errata, quam ut æquus animus illis offendatur.*

MAXIMILIANO II.

IMPERATORI INVICTISSIMO

HIERONYMUS MERCURIALIS

Perpetuam Felicitatem D.



SI quando mecum diligentius considero, MAXIMILIANE Invictissime, quot, quantaque Imperatores, summique Principes pro hominum salute, & tranquillitate tam bello, quam pace gesserint, in eam facile descendo sententiam, merito, atque optimo jure omnes fere gentes, & nationes fecisse, quod eos dignos existimarunt, qui in Deorum immortalium numerum referrentur. Inter ea vero, quæ in humanum genus innumera contulerunt beneficia, magnam partem sibi vendicant artes pœne omnes liberales, quas maximis propositis præmiis non excitarunt modo, atque extulerunt aliquando jacentes, sed ita etiam earum dignitatem amplificarunt, ut ipsi soli illarum auctores, & instauratores propemodum videantur. Id facile perspicere quivis potest, qui militaris disciplinæ, legum scientiæ, cæterarumque, sine quibus vita hæc nostra fere vitalis non esset, laudandarum artium ortus, & incrementa memoria velit repetere: sed ne Imperatori sapientissimo, quæ omnibus passim nota sunt, recensendo sim molestus, unum medicæ artis omnium utilissimæ exemplum proponam, quæ proculdubio aut nulla esset, aut certe eum quem hoc tempore præ se fert splendorem, & elegantiam non haberet, nisi Principum benignitas, sine qua omnis plerumque languescit industria, summis viris illius auctoribus affulsisset. Etenim quantum a primis illis temporibus quasi nascenti medicinæ attulerint auxilii Cadmus, Salomon, Alexander, posterioribus vero Attalus, Ptolemæus, Nero, Hadrianus, Constantinus, Justinus, alii permulti, complurium Doctorum hominum monumenta testantur: verumtamen ut alia omittam in præsentia, non exigui momenti putandum id est, quod magnificentissima, atque amplissima Gymnasia exstruxerunt, inque iis artem Gymnasticam instituentes, ipsius magistros ac præfectos aluerint, qui homines exercitationibus, & ad corporis, & ad animi sanitatem conferentibus instruentes ad bene, beateque vivendum viam communirent. Hæc enim ars illa est, ob quam olim Persarum reges, Lacedæmonii, Athenienses, Romani ita in bellis gerendis valuerunt, ut sæpe non maxima manu incredibiles hostium vires fregerint, innumerabiles copias fuderint, tot denique regna, totque nationes suis ditionibus subjecerint, ut ne recenseri quidem numerando facile queant. Hac eadem instructi, non defuerunt Principes, qui adversus quemlibet Athletam robore sunt ausi contendere, quales fuisse Cyrum, Neronem, Trajanum, Antoninum, & Severum accepimus, quos præterquam quod hac sola arte sanitatem conservasse, fortissimosque evasisse memoriæ proditum est, ob hanc quoque caussam id eos fecisse verisimile est, ut cæteros suo exemplo ad easdem exercitationes invitarent. Hujusmet artis ope quis ignorat priscos regnorum, & provinciarum gubernatores Athletarum, & gladiatorum spectacula ad subditos in officio continendos prudenter excogitata introduxisse? ne plurima alia commoda recenseam, quæ gymnastica, quot tempore floruit, ad humanam felicitatem perficiendam semper uberrime præstitit. Sed, quo plures scimus ab hac arte utilitates emanasse, eo magis dolendum nobis est, quibus nescio quo misero fato cum multis aliis optimarum artium studiis periit, atque exstincta prorsus est; unde fit ut vetus illud militare robur, & veram sanitatem per pauci sint hoc tempore, qui consequantur, totque morborum genera quotidie nos infestent, quot ob exercendorum corporum consuetudinem non expertos esse veteres rationi consentaneum est. Hæc autem etsi ita sint, desperandum tamen non est, sapientissime Imperator, quin eorum scriptorum beneficio, apud quos rudis atque adumbrata quædam illius delineatio remansit, ab interitu possit vindicari, ac iterum in

hominum adſpectum, lucemque proferri, ſi & Principum ad hanc rem propenſio adſit, & homines docti, & antiquitatis periti reperiantur, qui in hoc ſtudium incumbere, omneſque ingenii nervos contendere non recuſent. Cæterum cur nemo noſtris ſæculis hujuſmodi provinciam ſuſceperit, ſane pronunciare non audeo: id unum ſcio, rem ſicut maximæ utilitatis, ita immenſi eſſe laboris. Et ego, licet multa eſſent, quæ ab ea deterrere me poſſent, aliquando tamen ſum aggreſſus, quæque inter legendos auctores huc pertinentia obſervaveram, in unum veluti corpus collecta in commentarium redegi: quod factum a me eſt magna animi contentione, & ſtudio: eventu autem, ut ex multorum teſtimoniis cognovi, audeo dicere, non infelici. Quæ etiam me cauſſa impulit, ut, quamvis hos libros, quo tempore ALEXANDRI FARNESII Card. ſapientiſſimi ac prudentiſs. medicum Romæ agebam pepererim, illique dicatos in vulgus ediderim: tamen publico licet profitendi munere, & frequentibus ægrorum viſitationibus implicitus, rurſus eos poſtremis hiſce menſibus in manibus ſumpſerim, nonnulliſque mutatis, aliis plurimis adjectis, quarumdam exercitationum ex vetuſtis monumentis iconibus repræſentatis ita exornaverim, ut non verear quin gratiores multo (quemadmodum ſolent ſemper poſteriores curæ eſſe meliores) ſint in lucem prodituri, atque jucundiores. Quo etiam factum eſt, ut, quod antea non ſum auſus, illos nunc tuæ Majeſtati conſecrare pro mea erga te obſervantia non dubitaverim. Cum præſertim, ſi Gymnaſticæ renaſcenti ullus eſt patronus quærendus, neminem te potiorem eſſe conſtet: ut, quemadmodum olim Imperatores eam inſtituerunt, auxerunt, & illuſtrarunt, ita tu hoc tempore amiſſam, quæ tua ſumma auctoritas, & potentia, promptaque de humano genere bene merendi voluntas eſt, in priſtinum ſplendorem, in veterem dignitatem & poſſis, & velis reſtituere. Accedit etiam, quod Cardinali FARNESIO, cui poſt Deum omnia debere me fateor, & quem tuæ Majeſtatis obſervantiſſimum, ac indefeſſum laudum tuarum prædicatorem ſemper eſſe ſenſi, gratiſſimam rem facturum me exiſtimavi, ſi hoc opus in ipſius laribus natum, & minus politum in ejus nomine publicatum, nunc perfectius, locupletius, & pulchrius redditum tuæ Majeſtati ipſius nomine adferrem. Quamobrem oro, ut, qua ſoles incomparabili animi magnitudine, hoc licet Majeſtati tuæ impar munus, qualecumque tamen tenuitas noſtra offerre poteſt, accipere, meque inter tuos numerare, protegere, ac fovere digneris: nam, quamquam me iis, qui omni diſciplinarum atque artium genere excellentes M. T. inſerviunt, comparandum non eſſe non ignorem: ſi tamen animus ſpectetur meus, non dubito, quin, ſicut nullius ſtudia in M. T. ſunt ardentiora, aut obſervantia major, ita aliquo inter alios gratiæ tuæ loco non indignus videri poſſim. Deus Optimus Max. M. T. pro Chriſtiani orbis ſalute diu incolumem, & felicem conſervet.

Patavii, Kal. Sext. CIↃ IↃ LXXIII.

LAURENTII GAMBARÆ
BRIXIANI CARMEN.

Auxilio ſicut Phœbi genitoris, & arte,
Arte Coronides medica celeberrimus olim
Membra minutatim patrios disjecta per agros
Hippolyti, tandem manibus collegit, & artus
Artubus aptavit nitens, juvenemque carentem
Jam luce ætheria, jam tartara nigra tenentem
Ad ſuperas ſedes, erebi revocavit ab umbris;
Et membris lætos, oculiſque infudit honores:
Queis ſolitum lumen ſumpſerunt membra juventæ:
Confiſus ita nunc ope Mercurialis, & aura
Farneſii aſpirantis heri collegit in unum
Gymnada: qua quondam ſe ſe exercere relicto
Carcere majores, populo ſpectante, ſolebant.
Hæc pars ad ludos ſpectat, pars altera tantum
Commemorat; cum quis pictis ſe oſtentat in armis,
Fortis ut evadat miles, pars tertia narrat,
Sint ea, quæ incolumes ſervent, morboque vacantes
Mortales, dum vita manet, docet inſuper hæc pars,
Ordine quo poſſint homines extendere longum
In tempus dubiam ætatem, tardamque ſenectam
Ducere inexpertamque mali, curaque carentem;
Omnia quæ latuere diu diſperſa, tenebriſque
Abdita Cimmeriis: quæ nunc diſtincta labore
Et multo ſtudio, tamquam nova ſidera fulgent,
Scriptores inter Graios, pariterque Latinos.

Matth. Devarii.

Ως πάλαι ἱππολύτοιο μέλη, παιήονος υἱός
  σύςασιν εἰς ζώου σώματος ἡρμόσατο,
ὧ δέποτ᾽ οἰχομένης καλὰ λείψαν ἀμυδράπερ ἔμπης
  τέχνης γυμνασίης νῦν αναλεξαμενος,
ἄκρος ἀκεςορίην Ιερώνυμος, ἀθάνατόν μιν
  κοὐτεθνηξομένην αὖθις, ἔταξε νόῳ.
ὃς γοῦν ἶσα θεοῖσιν, ὀνήσιμα ἔργ᾽ ἀναφαίνει,
  ἶσα θεοῖς, τιμῆς ἄξιος ἀθανάτου.

Αχιλλέως Στατίου Λουσιτανοῦ.

Γυμνάσιον πολυηδὲς ἄγαν πονέων συνέγειρες
  Παντοίοις σποράδην ἐκδοθὲν ἐν βιβλίοις
Οὕνεκα τῶντε σοφῶν Ιερώνυμε ψυφῶνι ἀποισῆ
  Πένταθλον οὐχὶ μόνον πάνταθλον ἀλλὰ μόνος.

Achillis Statii Luſitani.

Orco mortales Hieronymus invidet ægros
  Lumen ad ætherium ſemianimes revocans,
Quod quia ſæpe facit, laudatur ſæpe, ſuique
  Fama tripertito nominis orbe volat.
Nunc autem nova fama alia increbreſcit, ut artes
  Exſtinctas veterum gymnaſiumque novat.
Macte animo, vir magne, ergo tu cetera membra
  Ore exercebis, ſed tua laus hominum.

HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Principiis Medicinæ.



Quamdiu Homines paucissimis rebus contenti lautas mensas, & opipara convivia non cognoverunt, propinationisque post inductam paullatim consuetudinem penitus ignorarunt, (id quod primis illis sæculis extitisse memoriæ proditum est) morbi neque apparuerunt, neque etiam eorum nomina innotuerunt, sicut usque ad tempora Socratis distillationum, quas Græci *κατάῤῥους* dicunt, nomen, quo nil hodie frequentius est, ignoratum esse tradidit (*a*) Plato: qua de re tunc temporis medicinæ aut paucos omnino, aut nullos usus, nullaque principia extitisse certum est: etsi Homerus antiquissimus auctor scripserit Ægyptum multas herbas, multaque medicamenta habuisse. Postquam vero intemperantiæ nefanda lues, coquorum exquisitæ artes, delicatissima epularum condimenta, vinorumque peregrinæ temperaturæ inter homines irrepsere, morborum simul varia continuo genera succrescentia ad inveniendam medicinam eos coegerunt: qua semper carere profecto licuisset, nisi humana, vel potius ferina ingluvies, omnium vitiorum soboles, ejus usum omnium maxime necessarium effecisset. Medicina vero tametsi primo illo ortu rudis admodum incultaque fuerit, quando prisci illi (ut Herodotus & (*b*) Galenus referunt) ægrotos palam exponebant, ut unusquisque quod utile, atque experimentis comprobatum tum habebat, alterum edoceret; posterioribus tamen sæculis ab Æsculapio Epidaurio cognomento apud Cyrenæos medico mirifice exornata fuit, & quasi ex rustica urbana & concinna reddita: quam tamen omnino perficere is nequaquam potuit, quippe qui solis morbosis, ac languentibus operam navans id unum semper curandi studium habuit: sanorum curam aut ullam esse ignoravit, aut eam prorsus contempsit: quod postea successores illius intelligentes adeo existimatione dignam reputarunt, ut medicinam sine hac totam mancam, nulloque modo perfectam esse posse perspexerint. Atque hi fuere primi Herodicus Selymbrianus, & Hippocrates ejus discipulus, qui curativæ morborum medicinæ conservatoriam valetudinis partem fere circa sana dumtaxat corpora satagentem addere visi sunt, arbitrantes non minus præclarum, atque artificiosum opus esse sanos homines a morbis præcavere, quam illos jam implicitos liberare: unde medicina, quæ antea semper quasi virgo fuerat, prægnans ab illis reddita fuit, quandoquidem prius solis curandis ægritudinibus, tum sanis etiam

A conservandis præfecta est. An totam eam medicinæ partem, quæ & ad sanos, & ad victus rationem pertinet ex tabellulis, aliisve donariis, Æsculapii templo dicatis Hippocrates conflaverit: an vero solam in curandis morbis versantem, clinicem vocatam, quemadmodum Varro, Strabo, atque (*a*) Plinius credidisse videntur, mihi plane compertum non est: *nisi quod fuit mos liberatos morbis in templo ejus Dei, quid auxiliatum esset, scribere:* Isque a primis illis temporibus usque ad Antonini Imperatoris ætatem non modo in Græcia, verum etiam in Italia perduravit, uti præ cæteris ex tabella marmorea Romæ in Æsculapii

B templo in insula Tiberina inventa, & usque ad hanc diem apud Maphæos conservata intelligere licet, in qua græce hæc leguntur.

Αὐταῖς ταῖς ἡμέραις Γαΐῳ τινὶ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ἐλθεῖν ἐπ' ἱερὸν βῆμα, καὶ προσκυνῆσαι· εἶτα ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν, καὶ θεῖναι τοὺς πέντε δακτύλους ἐπάνω τοῦ βήματος, καὶ ἆραι τὴν χεῖρα, καὶ ἐπιθεῖναι τοῖς ἰδίοι ὀφθαλμοῖς, καὶ ὀρθὸν ἀνέβλεψε, τοῦ δήμου παρεστῶτος καὶ συγχαιρομένου ὅτι ζῶσαι ἀρεταὶ ἐγένοντο ἐπὶ τοῦ σεβαστοῦ ἡμῶν Ἀντωνίνου.

C Id est:

Hisce diebus Cajo cuidam cæco oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, deinde a parte dextera veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret manum, & poneret super proprios oculos; & recte vidit populo præsente, & gratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Λουκίῳ πλευρειτικῷ καὶ ἀπηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι τέφραν, καὶ μετ' οἴνου ἀναφυρᾶσαι, καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τὸ πλευρὸν, καὶ ἐσώθη, καὶ δημοσίᾳ ηὐχαρίστησε τῷ θεῷ, καὶ ὁ δῆμος συνεχαρίσατο.

D Id est:

Lucio affecto lateris dolore, & desperato a cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus: & convaluit, & publice gratias egit Deo: & populus congratulatus est illi.

E *Αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ ἀπηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν, καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβίλου, καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, καὶ ἐσώθη, καὶ ἐλθὼν δημοσίᾳ ηὐχαρίστησεν ἔμπροσθεν τοῦ δήμου.*

Id est:

Sanguinem removenti Juliano desperato ab omni-

a 3. *de Republic.* b *In lib. qui medicus inscribitur.*

a *Lib.* 29 *cap.* 1

bus hominibus ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet una cum melle per tres dies: & convaluit, & veniens publice gratias egit præsente populo.

Οὐαλερίῳ Ἄπρῳ στρατιώτῃ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ὁ Θεὸς ἐλθεῖν, καὶ λαβεῖν αἷμα ἐξ ἀλεκτρυόνος λευκοῦ μετὰ μέλιτος, καὶ κολλύριον συνθεῖναι, καὶ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐπιχρίσαι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἀνέβλεψε καὶ ἐλήλυθε, καὶ ηὐχαρίστησε δημοσίᾳ τῷ θεῷ.

Id est:

Valerio Apro, militi cæco, oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos; & vidit, & venit, & gratias egit publice Deo.

Quod etiam in templo Isidis fieri solitum fuisse, ex his (*a*) Tibulli carminibus conjicio.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Cum hæc, inquam, ita essent, verisimile fit, solam remediorum cognitionem potuisse ab Hippocrate inde excerpi, & sub certis regulis ac rationibus constitutam ad artis formam provectam esse: certus sum tamen sapientissimum senem non casu ullo, nec fortuna, sed divinissimis illis, quibus pollebat, ingenii viribus ac disciplinis sicuti cætera omnia, ita & hanc invenisse, inventam excoluisse, necnon curativæ adjunxisse: in quibus medicinæ partibus non ideo veteres illius parentes minorem laudem merentur, quod plurimi fuerint morbi, quos nec ab ipsis cognitos, nec curandi eos modum indicatum esse constet; quoniam non veterum ignavia, aut rerum imperitia illud effecerunt, sed potius infinita gulæ blandimenta, inexplebilis libido, immensaque voracitas, quibus, ut sapienter disputavit (*b*) Seneca, & post ipsum (*c*) Plutarchus, novæ morborum species genitæ sunt, adhucque quotidie gignuntur, quarum aliæ sero, aliæ numquam medelam receperunt: sic namque pueros, & mulieres post Hippocratis ætatem podagra exercere cœpit, sic vivente Pompejo atque Asclepiade aquæ formido, seu hydrophobia, Aristoteli ac antiquioribus haud nota, nec non elephantiasis, Ægypto familiaris, sese primo demonstrarunt: adeoque tarde medelam receperunt, ut (*d*) Scribonius Largus, qui Claudii Imperatoris tempore Romæ medicam artem professus est, scripserit neminem ab hydrophobia usque ad tempora sua liberari visum; etsi Apulejus Celsus in Sicilia, ubi plurimi fiunt rabidi canes, ortus ad eum morbum antidotum quandam composuisset, Barbarusque quidam in Creta naufragio appulsus se eum Hyenæ pelle, quod (*e*) Ætius quoque de aliis retulit, curare gloriaretur: sic Cornelii Celsi tempestate quædam ex naturalibus partibus carne prolapsa, & arente intra paucas horas expiravit, ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium invenerint. Sic Tiberium Imperatorem omnium primum Coli dolorem expertum accepimus, nisi veteres sub alio nomine illum cognovisse tueamur: ut ipse Hippocratem sub Ilei doloris nomine comprehendisse reor. Sic (*f*) Plinii ætate mentagra, stomachace, & sceltyrbis, ægritudines nostro orbi advenæ, natæ sunt: sic multis olim circa mare rubrum ægrotantibus dracunculi quidam parvi, ut Agatarchides in ejus maris tractatu retulit, crura atque brachia edentes apparuerunt, qui quamprimum tangebantur illico refugiebant, musculosisque partibus sese includentes intolerabiles inflammationes cruciatusve pariebant, quod genus morbi se ab aliis audivisse, sed neque naturam ejus, neque generationis rationem cognovisse fatetur (*a*) Galenus. Sic quidam ab urinæ difficultate multo tempore detentus tandem paleam hordeaceam internodia habentem minxit, sic Ephebus Athenis serpentem pusillum pilosum & plurimis pedibus statim ambulantem multo cum semine ejecit: sic Timonis Aviam duobus singulorum annorum mensibus in Cilicia delituisse in cavernis, solaque respiratione, quod viveret, cognitam esse traditur: sic in Meloniis signum cujusdam affectionis hepaticæ descriptum est, qua quicunque occupabantur, domesticos mures diligenter observabant, ac prosequebantur; sic Crateri medici servus, referente (*b*) Porphyrio, novo quodam morbo captus fuit, ita ut carnes ejus ab ossibus abscederent: sic temporibus nostris execranda illa gallica, & pene exitialis lues universas regiones vexare cœpit: ut nullo pacto illud, quod vel posteriorum hominum culpa, vel fortuna, aut Deo ita volente contigit, Hippocrati crimen afferre debeat, a quo cum duæ jam prædictæ medicinæ partes ad summam perfectionem provectæ fuerint, divinis ejus manibus immortales semper habendæ sunt gratiæ. Amplius usque illud æternæ memoriæ mandandum, quod ambæ medicinæ partes sicuti diversæ revera sunt, pariter varia nomina habuerunt, alteraque προφυλακτικὴ, sive ὑγιεινὴ, altera θεραπευτικὴ nuncupata fuit, vocabulis quidem his tum ab opere, tum a re, circa quam versantur, acceptis, quæ quoniam sapienter, atque vere deprompta fuerunt, nullam unquam apud ullos mutationem susceperunt: quemadmodum etiam usque ad posteriora tempora hæc inveterata permansit inter medicos consuetudo, ut omnes duas medicinæ partes primarias efficiant, alteram curativam, alteram conservativam nuncupantes, quas ob id communi medicinæ nomine plerumque comprehenderunt; quoniam curativa, quæ primo ob majorem necessitatem inventa fuit, id nomen adepta est, quod conservativa quoque ei postremo adjuncta non modo obtinuit, verum etiam apud nonnullos tantam auctoritatem acquisivit, ut judicaverint hanc solam medicinam veram appellari debere: illam incertam, falsam, meramve hominum alios decipere studentium imposturam existere, nempe quæ nudis conjecturis, firmisque argumentis primo ad cognoscendos morbos utatur: deinde in eo fere omnes fortuita remedia, incognitaque medicamenta, ut plurimum adhibeant, & demum tam in judicando, quam in curando non raro fallantur, quos tamen in gravissimo errore versari facillime cognoscent, quicumque humanas calamitates, morborumque incommoditates, quales forent, ni curatrix medicina succurreret, æquo animo æstimare voluerint: ut non absque summa ratione Julianus (*c*) Imperator hanc pro medicis legem promulgasse videatur.

Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν, τὸ δὲ χρῆμα τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὰ τῶν ἐπισυμβαινόντων ἀρρωστημάτων, ἐπανορθοῦται

a *Lib.* 1. *Elegia* 3. b *Epist.* 95. c 8. *Sympos. probl.* 9. d *Compos.* 171. c. 4. e *Lib.* 2. c. 162. f *prob.* f *Lib.* 25. c. 3.

a 6. *De locis affect.* b *Libro* 1. *de abstinentia ab animalibus.* c *In Epist. græcis variorum.*

διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς ἐν τοῖς λοιποῖς χρόνοις διάγειν.

Id est:

Medicinæ scientiam hominibus salutiferam esse, patens ejus usus attestatur, & ideo hanc e cælo delapsam philosophi merito prædicant; siquidem cum naturæ nostræ imbecillitas, tum morbi quotidie incidentes per hanc corrigantur. Itaque nos secundum justitiæ rationem superioribus regibus consona observari præcipientes, humanitate nostra mandamus vos in reliquis temporibus ab omnibus curialibus ministeriis immunes vivere.

CAP. II.

De conservativæ partibus, & quid tractandum.

CUm igitur duæ sint medicinæ partes, una curativa, altera conservativa, aut ὑγιεινὴ nuncupata; Postrema hæc ab aliquibus in tres partes divisa fuit, in προφυλακτικὴν, morbos futuros & imminentes avertentem: σωτηρητικὴν, quæ præsentem sanitatem tuetur: & ἀναληπτικὴν, a qua valetudinarii reficiuntur: omnes autem istæ, quamvis ultimo, sicuti demonstravimus, fuerint inventæ, nihilominus & ipsæ tantum multorum hominum additamentis splendorem acquisiverunt, quantum vix primi illi inventores optare ausi forent, tum ob copiam eorum, quæ huic parti conservativæ adserta sunt, tum ob incredibilem utilitatem, quam non minus anteactis temporibus, quam nunc præstare visa est. Ea porro, quæ ad hanc partem constituendam a medicis excogitata atque ordinata sunt, quattuor nominibus comprehenduntur, quorum singula varias ac multiplices res sub se complectuntur, tot namque præsidiis bonam valetudinem conservari posse, a Galeno, ac aliis medicinæ auctoribus concorditer decretum fuit. Illa vero sunt τὰ προσφερόμενα: τὰ κενούμενα, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ τὰ ποιούμενα. Quæ enim exhibentur potulentis atque esculentis sive ciborum sive remediorum usum habeant, finiuntur. Quæ exinanitioni subsunt, sudoribus, stercoribus, sputis, urinis, & aliis omnibus similibus continentur. Extrinsecus accidentia aqua, aere, salsugine, mari, oleo, & hujuscemodi constituuntur. Agenda vero exercitationibus, studiis, vigiliis, somno, venere, ira, cura, lotionibus, cæterisque ejusdem generis comprehenduntur, unde nulla res est, nullumve auxilium, quod ad sanitatem defendendam conducat, quin sub aliquo prædictorum quattuor generum, quæ totam conservatoriam artem quantitate, qualitate, & occasione convenientibus perficiunt, concludatur. Sed quoniam de omnibus fere tum ab antiquioribus, tum a recentioribus copiose satis tractatum est: de gymnasiis autem sive exercitationibus, a quibus ars gymnastica apud veteres valde celebris constituta & denominata fuit, aut nulla, aut quam paucissima, & fortuito, confuseque tradita reperiuntur, ideo de his, deque gymnastica arte, a Latinis exercitatoria dicta, integram, & forsan ab alio nunquam absolutam tractationem habere decrevi, eo magis quod Galenus hanc haud ignobilissimam conservatoriæ facultatis partem esse scriptum reliquit: omnesque fere testantur exercitationum artem, & ad avertendos futuros morbos, & ad custodiendam præsentem sanitatem, & ad valetudinarios reficiendos, (quæ tres partes uni- A versam conservatoriam efficiunt) incredibilem utilitatem afferre; ut etiam nos uberrime demonstraturi sumus, ubi hæc omnia distincte simul, atque copiose, prout res ipsa postulabit, in hisce libris declarabimus. Primo, *quid sit gymnastica ipsa, quomodo, & quando inventa, aucta, & perfecta, quot ejus species*: deinde, *quid exercitatio, quot genera, & quomodo ab antiquis efficerentur*: postremo, *quid sit illa qualitas, quantitas & occasio, quibus hæc ars tantopere bonæ valetudini conservandæ conferat*: demum, *quæ commoditates, quæve damna ab unoquoque exercitationum genere gymnasticæ studiosis expectanda sint*: B quibus omnibus diligenter explicatis nil relictum iri spero, quod in hujusmodi tractatione desiderari possit: quam ideo vehementius omnes valetudinis studiosos amplexuros esse auguror, quoniam hæc pars a nobis tractanda curativam partem tanto antecellere videtur, quanto medicamenta ipsa ab exercitationibus superantur; de quibus (*a*) Galenus atque (*b*) Avicenna celebratissimi medicinæ scriptores, ita prodiderunt, exercitationes tum excrementa solvere, tum per sudoris meatus ejicere posse; tantoque tam cibis quam medicamentis attenuantibus præstare, quanto satius est nullo corporis nostri incommodo exigi, quæ redundant, C quam pariter & carne liquanda, & solidis extenuandis: hæc namque incommoda calidis attenuantibusque medicamentis associantur: exercitationes vero tantum abest ut aliquid tale sequatur, ut potius firmitas quædam membris accedat, cum & naturalis ipse calor accenditur, & ex partium inter se attritu soliditas quædam ac δυσπάθεια comparatur: Iccirco non immerito Athenienses Apollini gymnasium sive exercitationem consecrarunt, significantes, quemadmodum auctor est (*c*) Plutarchus, ab eo Deo, qui sanitatem nobis largitur, etiam bonum, & robur donari; Neque etiam in- D consulto fecit Cyrus, qui apud (*c*) Xenophontem tanti exercitationes, laboresque corporis æstimavit, ut Persis, quos recte instituere semper studuerat, quasi legem dederit, ne ipsi unquam sine labore cibum caperent, ratus valetudini atque fortitudini perinde exercitationes necessarias esse, ac cibum, quas illud humanis corporibus præstare dicebat Solon apud (*d*) Lucianum, quod ii, qui ventilando purgant triticum, paleas ac spicas inanes flatu propellentes, purum autem fructum separantes & accumulantes. Etenim Diogenes apud Stobæum dicebat, Medeam sapientem, non veneficam fuisse, quæ acceptis mollibus & effemina- E tis hominum corporibus, confirmabat ipsa gymnasiis ac exercitationibus, & robusta vigentiaque reddebat. Unde fama emanavit, quod coquendo carnes in juventutem restitueret.

CAP. III.

Quid sit Gymnastica, & quotuplex.

QUatuor itaque existentibus illis, quibus tota conservandæ sanitatis facultas completur, exercitatoriam quartæ partis quandam par- F tem esse nemo sanus negarit: quandoquidem si exercitationes sub agendis inter multa alia collocantur, quæ pro quarta conservatoriæ parte a nobis declarata sunt, gymnasticam, quæ de exercitationibus tota est, ad eam pertinere rationi consentaneum est: & proinde negare nemo potest, quin ad eum, qui medicinam profitetur contra Erasistratum, & alios gymnasticam a medicina sejun-

a *De tuen. valetud. c. 2.* b *3. primi doc. 2. c. 1.* c *8 Sympos. prob. 4.* d *Lig. 8. de Cyri Pædia.* e *In Anacharsi Dial.*

gentes, illam cognoſcere ſpectet, eo præſertim quod ab Hippocrate, Platone, & Galeno crebro ſcriptum reperitur, exercitationes, tot atque tanta ad vitam ſanam traducendam bona præſtare, quot & quanta vix ulla alia medicinæ inſtrumenta præſtant. Quod ſi Hippocrates *in lib. de Locis in homine* ſcripſit gymnaſticam, & medicinam contrarias eſſe, quoniam altera permutatione opus habet, altera non, de ſola ea medicinæ parte ſermonem habuit, quæ in medendis decumbentibus, clinice a poſterioribus vocata, ſolum verſatur. Plato etiam atque Plutarchus quando dixerunt duas eſſe circa corpus humanum verſantes artes, medicinam, & gymnaſticam, non ob id, quemadmodum Eraſiſtratus & Sectatores illas ſejunxerunt, ſed communem hominum loquendi uſum ſecuti ſunt, qui, quoniam poſterius gymnaſtica medicina inventa, eique adnexa eſt, eas diverſas nulla alia ratione ducti efficiebant. Cæterum quid ſit hæc ars exercitatoria gymnaſtica græco nomine nuncupata, ab ejus definitione, ſive deſcriptione petere debemus, quam etſi luculenter explicatam apud Platonem habeamus, a nullo tamen alio, quam a (*a*) Galeno noſtro eam & brevius, & lucidius declaratam credo, ubi ita dixit: *ἡ τέχνη γυμναστικὴ ἐστὶν ἐπιστήμη τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως*: hoc eſt, *gymnaſtica eſt quæ omnium exercitationum facultates novit*, aut potius, *gymnaſtica ars eſt ſcientia potentiæ omnium exercitationum*. Quo in loco animadvertendum eſt, Galenum ſcientiam non proprie, ſed communiter, ut plerumque auctores ſolent, accepiſſe, propterea quod gymnaſtica cum pro fine opus habeat, & ſcientiæ nullum opus conſiderent, neceſſario a vera ſcientia excluditur; quamvis alioqui cauſſas exercitationis virium ſæpiſſime contempletur: eſt inſuper animadvertendum, Galenum hac definitione gymnaſticam a pædotribica diſtinxiſſe, quoniam illa tanquam imperatrix & exercitationum qualitates omnes, & earum cauſſas ſpeculatur, imperatque, hæc veluti miniſtra illius exiſtit, perinde ac gymnaſta erat, qui omnium exercitationum potentias probe noſcebat, eaſque, prout ſanitati & bono habitui expedire judicabat, diverſis hominibus imperabat: pædotriba vero, qui eas, quomodo fieri deberent & poſſent, re ipſa demonſtrabat: atque hoc ænigmatice explicavit (*b*) Polybius ſub his verbis: *Παιδοτρίβαι τοῖον διδάσκουσι παρανομέειν κατὰ νόμον, ἀδικέειν δικαίως, ἐξαπατέειν, κλέπτειν, ἁρπάζειν, βιάζεσθαι, τὰ κάλλιστα, καὶ αἴσχιστα*: id eſt: *Pædotribæ hoc edocent prævaricari ſecundum leges, injuriam facere juſte, decipere, furari, rapere, vim inferre honeſtiſſime, & turpiſſime*. Nam ſi quis luctatorum & aliorum, qui a pædotribis edocebantur, actiones æſtimet, liquido conſpiciet valde iis aſſimilari, quæ a Polybo ſcripta ſunt, ſicque gymnaſtam & pædotribam non parum diſſimiles fuiſſe: verumtamen, cum interdum unus utriuſque munus impleret, non immerito exiſtimaverunt aliqui has duas artes unam atque eandem eſſe, veluti nonnunquam idem & militis & Imperatoris officio perfungitur; attamen Galenus eas eſſe diſtinctas voluit, dum gymnaſticam vocari reſpectu habito ad ſolam exercitationis qualitatum notitiam, quæ operatione ipſa nobilior eſt; pædotribicam dici ob actum ipſum exercendi, utpote ignobiliorem contendit, haud aliter ac ſi dixiſſet alteram harum ſpeculativam, ac arbitram, & judicem; alteram practicam eſſe, quæ omnes interdum una gymnaſticæ appellatione a materia, circa quam verſantur, ut pharmaceutica, ſuſcepta vocarentur; ſicuti ſpeculativa & practica medicinæ partes uno medicinæ nomine ſæpenumero appellantur, ſed quod vere, ſicuti declaravimus, gymnaſtica talis eſſet, gymnaſtaque & pædotriba differrent, Ariſtotelis teſtimonio quoque comprobare licet, qui in principio *quarti Politicorum* hoc ſcriptum reliquit: *Ἐν πάσαις ταῖς τέχναις μὴ κατὰ μόριον γινομέναις, ἀλλὰ περὶ γένος ἕν τι τελείαις οὔσαις, μιᾶς ἐστὶ θεωρῆσαι τὸ περὶ ἕκαστον γένος ἁρμόττον, οἷον ἄσκησις σώματι ποία τε ποίῳ συμφέρει, καὶ τίς ἀρίστη (τῷ γὰρ κάλλιστα πεφυκότι καὶ κεχορηγημένῳ, τὴν ἀρίστην ἀναγκαῖον ἁρμόττειν) καὶ τίς πλείστοις, μία πᾶσι, καὶ γὰρ τοῦτο τῆς γυμναστικῆς ἐστὶ· ἔτι δ' ἐάν τις μὴ τῆς ἱκνουμένης ἐπιθυμῇ, μήθ' ἕξεως, μήτ' ἐπιστήμης τῆς περὶ τὴν ἀγωνίαν, μηδὲν ἧττον τοῦ παιδοτρίβου, καὶ τοῦ γυμναστικοῦ παρασκευάσαι τε καὶ ταύτην, ἐστὶ τὴν δύναμιν*: Id eſt; *In cunctis artibus & ſcientiis, quæ non circa partem, ſed circa genus aliquod perfecte exiſtunt, unius eſt conſiderare, quid cuique conveniat generi: ceu exercitatio corporis qualis quali conveniat, & quæ ſit optima: (optime enim natura diſpoſito, & cui omnia ſuppeditant, optimam convenire neceſſarium eſt) & quæ plurimis una omnibus. Etenim hoc gymnaſticæ eſt. Præterea vero, ſi quis non exactum illum cupiat habitum, & ſcientiam circa certamina, nihilominus pædotribæ, & gymnaſtici eſt hanc potentiam præparare.* Quibus verbis clare ſatis patet, tum ab Ariſtotele gymnaſticam nuncupari ſcientiam eo ferme pacto, quo a Galeno: tum etiam gymnaſticam a pædotriba diſtingui. At ne illos, qui utramque ſub uno gymnaſticæ nomine intelligunt, definitio lateat, quæ utriuſque vim ſimul explanet, ita dicere poterimus, *Artem gymnaſticam eſſe facultatem quandam omnium exercitationum facultates contemplantem, earumque varietates opere ipſo edocentem, vel gratia bonæ valetudinis conſervandæ, vel gratia optimi corporis habitus acquirendi, atque tuendi.* Dixi hujus artis talem eſſe finem, non ſolum ut plenam atque perfectam, quantum fieri poteſt, definitionem redderem, verum etiam ut hanc ſcientiam ab aliis, quæ ſimilem formam obtinent, differentem oſtenderem: Nam ludi omnes antiquorum, tam Græcorum, quam Romanorum, necnon etiam tota athletica ipſa, atque exercitationes gratia belli factæ circa omnes fere exercitationes verſantur, circa quas gymnaſtica medica, ut in ſequentibus ſum demonſtraturus, quando in ſingulis exercitationum generibus declarandis quomodo in unaquaque gymnaſtica locum habuerint ſeparatim planum faciam: nihilominus magnopere inter ſe diſcrepant, cauſaque talis differentiæ nulla alia exiſtit præter finem ſingularum, quo fine omnes facultates diſtingui ſcripſit Ariſtoteles: Nam ludorum finis erat religio quædam, qua Antiqui opinabantur ſeſe Diis rem gratam illis ludis tanquam promiſſam facturos: erat quoque populi voluptas, cui maxime & reſpublicæ & Reges ac Imperatores ſtudebant, quo homines voluptate demulſi in officio continerentur: unde ludorum exercitatoribus tantum honorem tributum eſſe ſcribit (*a*) Plinius, ut *dum eos inirent, ſemper aſſurgi, etiam ab Senatu, in more eſſet, nec non ſedendi jus in proximo Senatui, atque vacatio munerum omnium ipſis, patribuſque & avis paternis*, quod tamen ſervis, quando illi ſimiles ludos inibant, conceſſum fuiſſe minime credo. De his vero ludis quicumque aliquid cognoſcere optaverit, librum Onuphrii Panvini Veronenſis habebit, qui omnium diligentiſſime, ut eſt ipſe omnium ſæculi noſtri in hiſtoriis longe verſatiſſimus, hanc materiam tractavit. Athletica finem habuit robur, ut illius vi poſſet athleta adverſarium ſuperare, & coronam præmiaque pro-

a *In lib. ad Thraſ.* b *In primo de diæta.*

a *Lib. 16. cap. 4.*

posita consequi: quamvis etiam apud Græcos & Latinos nonnunquam athletæ vocati sunt, tam illi qui in ludis, quam qui extra ludos præmii gratia certabant, quos omnes sub nomine vitiosæ gymnasticæ (de qua inferius loquemur) Galenus complexus est: Cæterum qui gratia belli exercitationes prædictas obibant, id non ob aliud agebant, nisi quo agilitatem ac peritiam compararent, quibus postea, cum oportebat, hostes in pugna vincere possent, atque harum exercitationum disciplina usque adeo severa apud majores servabatur, ut ejus doctores duplicibus, quod scribit (*a*) Vegetius, remunerarentur annonis; & qui parum in illa profecissent milites, pro frumento hordeum cogerentur accipere, nec ante eis in tritico redderetur annona, quam sub præsentia præfecti tribunorum, vel principum experimentis datis ostendissent se omnes militiæ exercitationes complesse. Ex quibus omnibus manifestum est gymnasticam nostram a prædictis differentem esse, & ideo summa cum ratione a nobis in illius definitione positum finem fuisse, qui est gratia sanitatis tuendæ, & boni corporis habitus comparandi. Quod vero exercitationum omnium tres prædicti fines, a quibus tria gymnasticæ genera orta sunt, apud veteres extiterint, atque omnes in unum publicæ felicitatis finem relati sint, abunde declaravit Solon apud Lucianum in Anacharsi dialogo: qua una illius oratione, tota hæc sententia nostra haberi rata mereretur, nisi Platonis & aliorum inferius explicanda testimonia accederent.

CAP. IV.

De Gymnasticæ subjecto, & ejus laudibus.

CUm jam gymnasticam, quid sit, satis (nisi fallor) explicuerimus, eamque ab affinibus facultatibus sejunxerimus, reliquum est, subjectum illius, quale sit, considerare: nam sicuti nulla reperitur ars, sive illa sit architectonica, sive ei subjecta, quæ finem operationum suarum aliquem non habeat, pariter nulla est, cujus subjectum aliquod non liceat proprium assignare, circa quod tota illius operatio versetur: & quamvis idem subjectum sæpenumero plurium artium esse videatur, si tamen res exacte perpendatur, cunctarum subjecta artium finibus ipsis inter se distingui apparebit, eo quod idem sane aliquo pacto, sed sub variis conditionibus, atque proprietatibus ab unaquaque consideratur: ita namque fit, ut corpus humanum, quod pluribus artibus atque disciplinis re vera subjicitur, tali pacto ab una consideretur, quo non ab alia: siquidem, prout naturale atque mobile existit, Physicus illud contemplatur: prout sanitatis, vel morbi capax, Medico subjicitur: prout εὐεκτον, id est boni habitus susceptibile, a gymnastica, sive conservatoria, quæ medicinæ subjicitur, & de qua nobis futurus est sermo, consideratur. Corpus itaque humanum quatenus bonum habitum recipere, eumque & sanitatem conservare in seipso natum est, gymnasticæ subjectum esse difinimus, quemadmodum etiam (*b*) Galenus *in libello* illo *ad Thrasybulum* scripto luculentissime declaravit: neque propter hoc inferendum est, illum sibi contraria dicere, cum gymnasticam a medicina sejungi debere voluerit, propterea quod voluit, gymnasticam medicinæ quidem partem esse, ita tamen, ut, veluti pars a suo toto aliquo modo sejungitur, similiter gymnastica a medicina distinguatur: medicina enim sanitatem atque morbum in corpore humano considerans, alterum expellere, alteram comparare & conservare nititur: at gymnastica in corpore sano bonum habitum generare, eumque tanquam sanitatis vel partem, vel causam conservantem retinere conatur: & ob id tanta fuit apud veteres hujus existimatio, ut Plato, atque Aristoteles (ne alios quamplures recenseam) eam rempublicam haud optimam esse posse censuerint, in qua talis ars desideraretur; nec immerito quidem, quoniam si animi semper habenda est cura, neque ille absque corporis auxilio quidquam grave, aut dignum efficere valet: ita profecto studendum est corporis salubritati, bonoque habitui, ut & animo inservire, & ejus operationes nequaquam impedire, sed adjuvare possit: propter quod in Protagora Plato eum esse claudum appellandum dixit, qui solum animum exercens, corpus ignavia atque otio consumit. Quantum porro ars gymnastica ad hunc habitum adipiscendum, sanitatemque conservandam, tum etiam reparandam conferat, ut Platonis & Aristotelis certissima testimonia præteream, unum Galenum in medium adducam, qui se infinitos prope imbecilles ad bonum habitum revocasse, & innumeros item alios, ne in morbos laberentur, sola gymnastica conservasse gloriatus est, ut nullo pacto nobis mirandum sit, si majores nostri usque adeo corporis exercitationes æstimaverint, ut non tantum publica, eaque præclarissima exercendis corporibus loca, qualia gymnasia, & Romanæ thermæ fuerunt, extruxerint, verum etiam in quibusvis fere privatis ædibus exercitationibus locus aliquis in id designaretur, & quotidie in usu esset.

CAP. V.

Quo tempore, & quo pacto cœperit Gymnastica.

QUamvis Galenus medicorum omnium post Hippocratem princeps ejus sententiæ fuerit, quod gymnastica ars Homeri tempore nondum reperta esset, sed solummodo paullo ante Platonis tempora principium habuerit, nihilominus bello Trojano ab ipsomet poeta descripto semina quædam illius jacta fuisse, quasique primordia eluxisse verisimile videtur, nisi quoque fateamur potuisse faciliter multo prius extitisse, verum aut non tunc temporis nominatam, neque cultam, & ad regulas artisque formam redactam esse, aut scriptores, qui illam ab interitu & oblivione vindicarent, non habuisse, id quod credere non est penitus absonum, si quod alibi (*a*) Galenus scriptum reliquit, verum esse non negamus, cunctos homines ad musicam, atque gymnasticam propensos nasci, nec quidquam reperiri, quod corpus atque animum hisce duabus magis componere, & ad bonam frugem inducere queat contra Asclepiadas, injustos omnium exercitationum & æstimatores, & damnatores: ut his rationibus gymnasticam naturalem homini esse, & iccirco semper extitisse persuasum habere deceat. Porro quod Homeri tempore artis gymnasticæ principia quædam extiterint, facile illi intelligere potuerunt, qui poetæ libros lectitantes animadverterunt milites Græcos interdum disco, lucta, cursu, arcu, & aliis hujuscemodi, quæ post ad gymnasticam facultatem transierunt, sese exercuisse, sicuti *octavo*, & *vigesimotertio Odyssææ* frequenter legitur. Sed quomodo, & quo ordine ad hanc artem deventum sit, licet nihil plane explicatum habeamus, conjectura tamen quadam assequi possumus ex illis, quæ Plutarchus in *quinto Symposiacorum prob.3.* scriptis mandavit, ubi tradit, certamina prius simplicia fuisse, in quibus solummodo victoriam, atque coronam pro fine habebant, ab his postea ad sacrificia

a *Lib. de re militari cap.* 13. b *Cap.* 35. & 47.

a *Primo de tuenda valetud.*

rem translatam fuisse, quando Deo sacra facturi, populumque ad festa accedentem oblectaturi certamina instituebant, quæ a sacrificiis demum ad gymnasia paullatim fuisse introducta existimo, quod primis illis temporibus, dum homines temperatam vitam traducerent, perpetuaque sanitate fruerentur, illud unum studium habebant, ut ad bella peragenda, hostesque superandos aptissimi evaderent: & propterea quando otiabantur, ne prorsus inertia consumerentur, sese illis exercitationibus detinebant, in quibus etiam victoribus præmia ponebantur, quo & illorum voluptate allecti, & spe præmiorum inflammati libentius, atque accuratius ad acriter contra hostes dimicandum disponerentur: & ob id Homerus *secundo Iliados* in hunc modum finxit, (*a*)

—— Λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης
Δίσκοισιν τέρποντο, καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες,
Τόξοισίν θ'.

Id est;

—— *At gentes in littore ponti*
Ludebant discis, arcus, & jacula longe
Mittentes:

Et vigesimo tertio: (*b*)

—— Αὐτὰρ, Ἀχιλλεὺς
Αὐτοῦ λαὸν ἔρυκε, καὶ ἵζανεν εὐρὺν ἀγῶνα·
Νηῶν δ' ἐκφερ' ἄεθλα, λέβητάς τε τρίποδάς τε,
Ἵππους θ', ἡμιόνους τε, βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα,
Ἠδὲ γυναῖκας εὐζώνους, πολιόν τε σίδηρον·

Id est;

—— *Sed Achilles*
Illic detinuit populum, magnumque locavit
Certamen, Navibus hac præmia splendida promens
Scilicet & tripodas, lebetesque & fortia boum
Cum mulis, & equis capita, & quoque corpora lumbis
Feminea accinctis, & albi pondera ferri.

Ex quibus & sequentibus omnibus satis perspicuum est, primis illis sæculis exercitationum finem fuisse tum delectationem quandam, & præmia consequendi spem, tum ad bellorum hostiumque victoriam obtinendam agilitatem atque peritiam. Post ea tempora cum Deorum cultus, & sacrificiorum celebrationes excrescere cœpissent, ut homines ad illas confluentes alacrius, & libentius concurrerent, hæ exercitationes in Deorum celebritatibus institutæ sunt, ubi & Diis & hominibus gratæ reputabantur, præmia, quæ homines ad quidvis audendum incitare solent, statuebantur ipsis certaminibus optatiora, atque præstantiora, sicut innuit (*c*) Aristoteles: in his exercitationibus, quoniam homines præmiorum gratia dumtaxat certabant, quæ ἆθλα Græcis dicuntur, exercitatores ἀθληταὶ nuncupati fuerunt, qui & ab Atticis ἀσκηταὶ, ut Erotianus tradit, & a Latinis athletæ, apud quos certamen ipsum ludi nomen obtinuit, quod non solum in Deorum festis, verumetiam in Amphitheatris, & ante amphitheatra instituta in foro, in privatis locis ad populum oblectandum hujusceemodi certamina peragebantur, sicuti quoque & apud Græcos ἆθλοι. Nam Olympia Pisis, sive in Elide, & Nemea apud Cleonas, Isthmia in Isthmo ipso, Pythia Delphis apud eos talia fuerunt, quales apud Romanos ludi Capitolini, sæculares, & alii hujusceemodi, in quibus omnibus præter præmia, ita etiam victoribus magni honores constituebantur, uti non modo in conventu stantes cum palma & corona laudes ferrent, sed etiam (utor Vitruvii oratione) cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias veherentur, æreque publico perpetua vota constitutis vectigalibus fruerentur: at de his cum non sit nobis loquendum, ad rem nostram revertamur. Dum itaque vita hominum parca fuit, hi soli exercitationum fines extitere: verum enimvero crescente luxu, multisque a longa valetudine detentis, tandem ad reparandam sanitatem, & imbecillitatem curandam, bonumque habitum comparandum exercitationes institui cœptæ sunt, quod fuit paullo ante Hippocratis ætatem, quando Herodicus ille (ut scribit (*a*) Plato) gymnasticam, quæ prius in sacrificiis atque ludis, nec non in bellicis exercitationibus solum auctoritatem atque locum habebat, medicinæ adjunxit: quod mea sententia nil aliud fuit, nisi certamina illa & exercitationes, quæ solum pro coronis & præmiis ac militari disciplina assequendis, nec non pro Diis placandis & hominibus delectandis in usu erant ad sanitatis conservandæ, & boni habitus acquirendi finem traducere, quas postea exercitationes cum primi illi, atque etiam posteriores gymnastæ a medicis & philosophis, ut verisimile est, moniti mirum in modum corporibus conferre didicissent, alia moderantes, alia addentes, necnon a publicis ad particulares, & propria loca transferentes, tandem regulis quibusdam præceptis ac terminis concluserunt, atque ita artem totam pepererunt γυμναστικὴν vocatam ἀπὸ τοῦ γυμνάζεσθαι, id est ab exercendo, quasi nullus alius finis esset, quam ob habitum corporis bonum obtinendum sanitatemque conservandam exerceri, hoc autem primos omnium effecisse Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Erasistratum testatus est Galenus LVIII. c. lib. ad Thrasybulum. Quamobrem ex his clarum factum arbitror, quomodo ars gymnastica principium, incrementa, & statum, necnon quo tempore susceperit. Siquidem primum in bello Trojano dum milites Græci in arenam ex navibus descendentes (unde post emanasse proverbium *in arenam descendere* opinor) inter se certantes ad bellum exercebantur, tunc apparere cœpit, artisque agonisticæ & gymnasticæ nomen etiam accepit. Postea ad sacrificia & hominum voluptates traducta non modo prædicta nomina retinuit, sed etiam athleticæ appellationem consecuta est, & apud Galenum *vitiosa gymnastica* nominata fuit. Demum ad gymnasia & certos locos pro pueris edocendis pro omnium sanitate tuenda, ac pro bono habitu parando traducta, & sub normis conclusa gymnasticæ vere nomen promeruit, quod ante (*b*) Plauti tempora fuit, apud quem Atticus ille juvenis Philolaches ita loquitur:

Cor dolet, cum scio nunc ut sum, atque ut fui;
Quo neque industrior de juventute erat
Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo. ——

Verum enimvero hæc ars (ut testatum reliquit (*c*) Marcus Varro) apud Græcos solum in usu viguit, *quamdiu rura colentes Romani & cultura fœcundissimos agros habuerunt, & ipsi valetudine firmiores extiterunt*: sed postquam crescente desidia in

a *Vers.* 774. b *Vers.* 257. c *In* 3. *parti. prob.* 8.

a *Tertio de Republica.* b *In Mostellaria act.* 1. *scen.* 2. c *In secundo de re rust. in proœm.*

oppidis otiari, quam ruri laborare maluerunt, Græcorum urbana gymnasia ita frequentissima extulerunt, ut idem Varro conquestus sit suo tempore vix singula satis fuisse, quæ profecto, dum Roma sub Imperatoribus floruit, omnium maxima & speciosissima fuerant: at deinceps Romano imperio declinante, cæterisque in pejus ruentibus una etiam destructa fuerunt, & simul cum ipsis ars non parvam jacturam passa fuit, quam a Varronis temporibus usque ad Imperii Romani inclinationem in frequentissimo usu habitam fuisse quisque intelligere potest, qui omnes medicos ea ætate Romæ æstimatos passim in morbis curandis & sanis conservandis exercitatoriam artem adhibuisse ab eorum, quæ supersunt, scriptis observarit, aut qui (*a*) Plutarchum *omnes sua ætate exercitationibus occupatos fuisse* scribentem lectitarit, quanquam (*b*) Plinius non omnes exercitationes tunc honesti usus gratia invectas fuisse, sed nonnullas & peregrinas præsertim ad excitandam sitim quæsitas esse prædicat. Itaque valde hallucinatum fuisse Budæum puto, qui in suis ad Pandectas adnotationibus *Romanos gymnasiorum, & palæstræ exercitamentis minime usos*, nulla firma ratione probat.

CAP. VI.

De Gymnasiis Antiquorum.

Gymnasticam, sive exercitatoriam in certis locis fieri solitam, quoniam supra statuimus, rationi modo consentaneum est, quid, loca ipsa, & qualia forent, planum facere. Nam loca illa nil aliud fuisse, quam gymnasia nuncupata, ex multis, & præsertim ex verbis Galeni in secundo de tuend. valet. (*c*) scriptis manifesto comprobatur, ubi narrat *gymnasium fuisse publicum in separata urbis regione locum extructum, in quo ungebantur, fricabantur, luctabantur, discum jactabant, aut tale quippiam factitabant:* quæ loca ita nuncupata fuerunt, quoniam exercitatores ibi, ut plurimum denudabantur. γυμνάζεσθαι enim antiquissima vox etiam denudari significare videtur, unde Martialis libro tertio, Epigramm. LXVIII.

Gymnasium, Thermæ, stadium est hac parte, recede,
Exuimur, nudos parce videre viros.

Et Bardesenes apud Eusebium lib. VI. de præpar. Evang. cap. VIII. Græcos ait non potuisse ulla vi siderum prohiberi, quin in gymnasiis nudis exercerentur corporibus. Verum an omnes & toti semper denudarentur qui sanitatis tantum gratia exercerentur, non est ita compertum; suspicor tamen luctatores, pugiles, atque alios quosdam potuisse denudari, quemadmodum Athletis in usu erat, quos tantum subligacula pro pudendis tegendis tam in publicis, quam in privatis certaminibus habuisse etiam usque ad Homeri tempora, a quo eorum fit mentio, omnis ratio decoris exigit; & historia Orsippi ab Eustathio & (*d*) Pausania relata, cui subligacula delapsa victoriam dempserunt, ut inde postmodum indultum sit nec ea gestare, ita accipienda est, tanquam non magnis & impedientibus, sed parvis & nullius impedimenti uti liceret, quem morem usque ad sua tempora Romæ perdurasse scribit Pausanias. Ad hæc quandoque sub nomine gymnasii omnem locum, ubi exercerentur, comprehensum fuisse reperitur: sicut postea hæc vox ad alia quoque translata est, quemadmodum apud (*a*) Josephum videre licet, qui in libris de bello Judaico balnea aliquando gymnasia nuncupata esse demonstrat, ubi de Herode ita loquitur. *Namque apud Tripolim & Damascum, & Ptolemaidem publicas balneas, quæ gymnasia dicuntur, Bibli autem exedras porticus condidit.* Hæc loca a Vitruvio, Celso, Plinio, atque aliis Latinæ linguæ auctoribus palæstras nuncupari invenio: Unde etiam conjicio Vitruvii tempestate in Italia, vel raras admodum, vel nullas extitisse palæstras, sive gymnasia, quandoquidem is libro (*b*) architecturæ earum ædificationes traditurus *Italicæ consuetudinis non fuisse* prædicit: nam qui primi gymnasia exædificasse creduntur, fuerunt Græci, si credendum est Soloni apud (*c*) Lucianum, & M. Tullio Ciceroni, qui in secundo de Oratore scribit, *gymnasia delectationis & exercitationis gratia ab ipsis primum instituta fuisse.* Inter Græcos autem primi extiterunt Lacedæmones, sicut Athenæus ex Ippasi sententia, & Plato in Theæt. & primo de legibus memoriæ prodiderunt, quos etiam illa ipsa omnium præstantissima, atque speciosissima construxisse ex Martialis libro IV. intelligere licet, ubi hos versus habet.

Argivas generatus inter urbes
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.

Quomodo vero Plato in Critia dum Athlanticam illam regiam describit, quam novem millium annorum intervallo ab ætate sua ante floruisse narrat, ibi gymnasia extasse scribit, qui Lacedæmonum inventum illam facit, exacte discernere nequeo, nisi totam illam Critiæ narrationem fabulosam credamus. Post Lacedæmonios Athenienses quoque sua gymnasia erexerunt, in quorum urbe tria extitisse testantur Pausanias & Suidas, alterum ἀκαδημίαν vocatum, in quo Plato Philosophiam suam professus est; alterum λυκεῖον, ubi Aristoteles edocuit, quod Apollinis Lycii templum fuisse legitur apud (*d*) Lucianum; alterum κυνόσαργες, ubi nothi, spurii, ac ignobiliores omnes exercebantur: siquidem apud Græcos tanto odio, tantaque infamia viles ac spurii notabantur, ut qui vere legitimi ac nobiles essent, cum iis consuetudinem, aut communem sese exercendi locum habere recusarent. Præter hæc tria mentionem facit alterius, quod Canopum vocat Philostratus in vita Herodis Attici. Dixi in urbe Atheniensium tria fuisse gymnasia, quod licet extra urbem essent, erant tamen haud longe ædificata, ut quæ proxima essent urbi, in ea fuisse dici potuerint. In his etenim mortuos quoque sepeliendi consuetudinem Græcos habuisse scriptum est apud (*e*) Ciceronem, cui Servius se Marcellum interfectum in Academia Atheniensium nobilissimo totius orbis gymnasio sepelivisse scribit. Quæ vero Ligorius antiquitatis totius peritissimus invenisse scribit in vestigiis Hadriani Imperatoris Tiburtinæ villæ repræsentata, Athenæum, Hermeum, Panathenaicum, minime gymnasia, ubi corpora exercerentur, fuisse puto: sed loca, in quibus aut disciplinarum, & aliarum artium studiis opera dabatur, vel festa aliqua celebrabantur, ut in Panathenaico festa Panathenaica. Corinthum quoque gymnasium habuisse, *Craneum* vocatum, auctor est Laertius libro tertio: tandem nullum pene oppidum fuit Græcorum, quod gymnasium non haberet, ut Anacharsis dicere solebat. (*f*) Romani postremi

a *Lib. 3. Sympos. prob. 6.* b *Lib. 14. cap. 22.* c *Cap. 2.* d *In Atticis circa finem.*

a *Lib. 1. c. 16.* b *5. c. 11.* c *In Anacharsi dial.* d *In Anacharsi dial.* e *Ep. fam. ed. 12.* f *In lib. de antiquis nominib.*

omnium gymnasia, palæstras vocata, in urbe ad Græcorum æmulationem, Varrone auctore, ædificare cœperunt: quos tamen ceteros quoscumque tum magnificentia operum, tum inæstimabili pulchritudine in hoc genere antecessisse, ex illis Thermarum ruinis, quæ ad hanc usque diem non sine omnium stupore perdurantes, conspiciuntur, facile convincitur, ne sileam illud, quod de Neronis gymnasio scribit Martialis lib. VII. Epigr. XXXIV.


Quid Nerone pejus?
Quid Thermis melius Neronianis?

attamen ante Neronis quoque tempora fuisse Romæ gymnasia ex Plauti Bacchidibus, cujus locum apponam inferius, colligere licet. Nam gymnasia tota aliquando Thermas ob aquæ calidæ usum ibi frequentem nuncupari, apud auctores Latinæ linguæ nemo dubitat, sicut etiam interdum Thermæ significant eam gymnasii partem, in qua lavabantur, ubi propnigeum, laconicum, calda lavatio sitæ erant, ut ex multis auctorum testimoniis, & præsertim ex Martialis versibus nuper citatis clare perspicitur. *Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte.* His omnibus potest jam unicuique persuasum esse, quantum in errore versatus sit (invitus fateor) Blondus Foroliviensis concivis meus, qui in secundo Romæ instauratæ commentario thermas solum ad lavandi usus institutas fuisse scripsit. Porro ne quis forsan admiratione capiatur, quod dixerim Platonem atque Aristotelem in gymnasiis philosophari consuevisse; scire debet in hujuscemodi locis varia hominum genera convenire solita fuisse, quæ omnia in sequenti capite a nobis sigillatim demonstrabuntur: tanta enim erat hujuscemodi locorum capacitas, tamque spatiosa amplitudo, ut absque ullo impedimento diversæ, ac fere innumeræ exercitationes, & corporum & animorum peragi possent, quemadmodum ex Vitruvii allata descriptione perspicere quivis mediocriter hac in re versatus poterit; quam cum in rebus plurimis diversam ex Octavii Pantagathi viri tempestate nostra summi judicio in prima editione tradiderimus, nunc ipsa diligentius considerata (ut semper curæ posteriores esse meliores solent) castigatiorem, & omnibus Vitruvii verbis exacte correspondentem exhibemus, ad quod agendum clarissimus Aloysius Mocenicus, Francisci filius, Joannes Vincentius Pinellus, Melchior Guillandinus, viri tum ob acre in cunctis judicium, tum ob singularem eruditionem apud omnes spectatissimi, necnon Andreas Palladius priscæ totius architecturæ peritissimus non parum adjumento nobis fuerunt: ita ut non verear, quin hoc pacto doctis Vitruviique scientiæ studiosis probata eveniat, & quemadmodum ad hanc fere diem palæstræ ratio fuit incognita, sic in posterum clara atque manifesta futura sit. Immo vero, si Octavius ipse revivisceret, non dubitarem, ut erat homo sanctissimus atque doctissimus, quin etiam ipse huic descriptioni, & Vitruvii contextui non mutato, sed in aliquibus tantum melius ordinato libentissime subscriberet. Placuit autem duas ejus ichnographias proponere, quia auctor & quadratas & oblongas fieri posse docet.

De palæstrarum ædificatione, & xystis, ex Vitruvio Lib. V. Cap. XI.

NUnc mihi videtur (tametsi non sint Italicæ consuetudinis) palæstrarum ædificationes tradere explicate, & quemadmodum apud Græcos constituantur monstrare. In palæstris peristylia, quadrata, sive oblonga ita sunt facienda, uti duorum stadiorum habeant ambulationis circuitionem, quod Græci vocant δίαυλον, ex quibus tres porticus simplices disponantur, quartaque quæ ad meridianas regiones est conversa duplex, ut cum tempestates ventosæ sunt, non possit aspergo in interiorem partem pervenire. Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. In duplici autem porticu collocentur hæc membra, Ephebæum in medio (hoc autem est exedra amplissima cum sedibus, quæ tertia parte longior sit, quam lata) sub dextro coriceum, deinde proxime conisterium, a conisterio in versura porticus frigida lavatio, quam Græci λουτρὸν vocitant, ad sinistram ephebei elæothesium, proxime autem elæothesium frigidarium, ab eoque iter in propnigeum in versura porticus. Proxime autem introrsus e regione frigidarii collocetur concamerata sudatio longitudine duplex, quam latitudine, quæ habeat in versuris ex una parte laconicum ad eundem modum, uti supra scriptum est, compositum. Ex adverso laconici calidam lavationem. In palæstra peristylia, quemadmodum supra scriptum est, ita debent esse perfecte distributa. Extra autem disponantur porticus tres, una ex peristylio exeuntibus, duæ dextra atque sinistra stadiatæ. Ex quibus una, quæ spectaverit ad Septentrionem, perficiatur duplex amplissima latitudine, altera simplex ita facta, ut in partibus, quæ fuerint circa parietes, & quæ erunt ad columnas, margines habeant uti semitas non minus pedum denum, mediumque excavatum, uti gradus bini sint in descensu sesquipedali a marginibus ad planitiem, quæ planities sit ne minus lata pedum duodecim: Ita qui vestiti ambulaverint circum in marginibus non impedientur ab cunctis se exercentibus. Hæc autem porticus apud Græcos ξυστὸς vocitatur, quod athletæ per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur. Proxime autem xystum & duplicem porticum designentur hypæthræ ambulationes, quas Græci περιδρομίδας, nostri xysta appellant, in quas per hiemem ex xysto sereno cælo athletæ prodeuntes exercentur. Faciunda autem xysta sic videntur, ut sint inter duas porticus silvæ, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino stationes. Post xystum autem stadium ita figuratum, ut possint hominum copiæ cum laxamento athletas certantes spectare. Quæ in mœnibus necessaria videbantur esse, ut apte disponantur, præscripsi.

A *Peristylium in palæstra quadratum & oblongum, habens ambulationis circuitionem duum stadiorum.*
B *Tres porticus simplices.*
C *Porticus quarta ad meridianas cæli regiones conversa, quæ duplex est.*
D *Exedræ in tribus porticibus spatiosæ, in quibus philosophi, & rhetores disputabant.*
E *Ephebeum, id est, exedra, tertia parte longior, quam lata.*
F *Coriceum a parte dextera.*
G *Conisterium.*


Figura palæstræ cum peristylio oblongo.
Occasus




Meridies
Ortus


Figura palæstræ cum peristylio quadrato
Occasus


Septemtrio
Meridies
Ortus

H *Frigida lavatio in versura porticus.*
I *Elæothesium ad sinistram ephebei.*
K *Frigidarium.*
L *Iter in propnigeum in versura porticus.*
M *Propnigeum.*
N *Concamerata sudatio introrsus e regione frigidarii, longitudine duplex, quam latitudine, habens* { *ex una parte* P *laconicum* / *Ex altera* O *calidam lavationem*
Q. *Exitus e peristylio*
R *Porticus extra palæstram prima exeuntibus.*
S *Porticus secunda spectans ad septentrionem duplex amplissima latitudine, & stadiata.*
T *Porticus tertia simplex, ita facta, ut habeat*
V *Margines circa parietes.*
X *Margines ad columnas.*
Z *Medium excavatum uti gradus bini sint in descensu sesquipedali.*
a *Hypæthræ ambulationes proxime xystum, & duplicem porticum, quæ a Latinis* xysta, *a Græcis* περιδρομίδες *vocabantur.*
b *Silvæ vel platanones inter dictas duas porticus.*
* *Stationes ex opere signino,*
d *Stadium ita figuratum ut possent hominum copiæ cum laxamento athletas certantes spectare.*
e *Loca de quibus etsi non meminerit Vitruvius, fuisse tamen in palæstra necesse est, ut lignarium, aquarium, vasarium, latrinæ, ministrorum cellæ, & similia.*

Cap. VII.

De variis hominum generibus, quæ in Gymnasiis conveniebant.

TAnta, adeoque varia hominum in gymnasiis conversantium erat multitudo, ut referente (*a*) Galeno, sæpenumero inter ipsos contentiones exorirentur, atque etiam maximus quidam, & insuavis clamor, de quo conquerebatur (*b*) Seneca, continue exaudiretur; & quem etiam in thermis Varro tempore suo testatur fieri solitum, his verbis apud Nonium: *Ita uti soliti Romæ eramus in balneis plodere cœpimus, & murmurari.* Sed ne singulis enarrando nimis a proposito recedam, præcipua quædam ipsorum genera persequar. Primum itaque genus in gymnasiis conversantium erant philosophi, rhetores, reliquive, qui studiis delectabantur; ibi legebant, colloquebantur, inter seque disputabant, sicut (*c*) Juvenalis his versibus demonstrat, quibus rhetoris & præceptoris conditiones exponit:

Sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet.
Ut legat historias, auctores noverit omneis,
Tamquam ungues, digitosque suos, ut forte rogatus
Dum petit, aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamque novercæ.

Et sicuti etiam (*d*) Galeni testimonio comprobatur, qui Theagenis cujusdam, philosophi Cynici in Trajani gymnasio quotidie publice disputantis mentionem facit: Tria enim fuisse Romæ loca, in quibus litterariæ exercitationes obirentur, ex variis (*e*) Galeni libris cognoscitur, templum pacis

A antequam conflagraret, gymnasia publica, & ἀκεστήρια. Inter quæ scholam medicorum appellatam si quis recenseat, mea sententia a vero non errabit: fuit autem ea in Esquiliis ædificata, multisque imaginibus, atque marmoribus ornatissima, ut ex ruinis illius partis a pluribus, & præsertim a Ligorio observatum fuit. Quid potissimum in hac schola fieret, nondum apud quemquam legi. At existimo præter dispositiones, & alia medicinæ studiosorum exercitia simile quid tractari solitum fuisse, atque nunc in collegiis vocatis fit, quando & scholam ejusmodi proprios tabularios habuisse, ostendit marmor cum hac inscriptione
B Romæ ad D. Sebastiani repertum.

M. LIVIO. CELSO. TABVLARIO.
SCHOLAE. MEDICORVM
M. LIVIVS. EVTYCHVS.
ARCHIATROS. OLL. D. II.
IN. FR. PED. IIII.

Alterum genus erat adolescentes, qui ut exercitationum observationes atque modos addiscerent, ad gymnasia accedebant, ubi a gymnastis ipsis quascumque cupiebant exercitationes, edocebantur.
C Adolescentes liberos palæstram ediscere solitos fuisse facile convincitur ex illis Parmenonis apud (*a*) Terentium verbis, quibus ille Cheream sub forma Eunuchi Thaidi offerens ait:

—— Fac periculum in litteris,
Fac in palæstra, in musicis: quæ liberum,
Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.

id quod clarius infra demonstrabo. Tertium genus erant Athletæ qui ibi se exercebant, ut in publicis ludis seu in sacris certaminibus possent & populum delectare, necnon victoria ac præmiis
D potiri: & quod hoc fuerit, præter Vitruvii auctoritatem Suetonius clarissime demonstrat, dum refert Neronem *quandoque gymnasium ingredi solitum, ut certantes athletas spectaret.* Quartum genus erant omnes illi sive ignobiles, qui vel militaris disciplinæ & fortitudinis, vel tuendæ sanitatis & boni habitus comparandi gratia variis exercitationum generibus incumbebant; de prioribus est locus apud Cassiodorum lib. v. epist. XXIII. male a Pamelio adnot. ad Tertull. lib. de spect. intellectus, ubi ita scribit. *Ostentent juvenes nostris bellis, quod in gymnasio didicere virtutis.* In posterioribus vero (*b*) Galenum nostrum numerare
E possumus, cum scribat se anno ætatis suæ trigesimo quinto passum fuisse luxationem summi humeri in palæstra. Quintum genus erat eorum, qui fricabantur, licet enim frictiones fierent a multis ante reliquas exercitationes, nihilominus multi quoque sine ulla exercitatione seorsum ab aliis, ut de Vespasiano tradit Suetonius, solum fricabantur, quod intelligi potest ex (*c*) Galeno, frictionem ad exercitationes præparatoriam a reliquis distinguente. Sextum genus erat, qui lavabantur, atque hi erant tum nobiles, tum ignobiliores. Hoc tamen intererat, quod divites atque primates labra
F & colymbithras proprias in cellis alioqui communibus habebant, ubi soli diversis temporibus lavabantur, multi erant qui etiam solia vel lignea, vel argentea (quod recitat (*d*) Plinius) secum ferrent, ne pedes nudos collocarent, ubi vilissimi quique ponebant, quamvis etiam referant nonnulli Hadrianum Imperatorem lavari solitum, ubi plebs lavabatur: quod & Titum Cæsarem fecisse

a 10. *meth.* b *Epist.* 56. c *Satyr.* 7. d 13. *meth.* e *In lib. de libris propriis.*

a *Eunucho actu* 3. *scena* 2. b *In* 1. *de arti.* c 2. *tuend. val.* d *Lib.* 33. *cap.* 12.

scribit Suetonius. Qui vero dumtaxat ungerentur, nulli in gymnasiis reperiebantur, quoniam vel exercitationum vel balnearum gratia ungebantur. Ab his postremo omnibus non pauci spectatores (ne ministros, de quibus infra loquemur, nunc recenseam) in gymnasia conveniebant, qui non ob aliud, nisi ad videndos exercitatores utpote otiosi, & nullis negotiis occupati eo accedebant. Quo in loco id etiam animadvertendum censeo, diebus festivis gymnasia magis frequentata fuisse, quando artifices, aut aliis servitiis detenti otiantes, in illis ob remittendos labores & voluptatem capiundam versabantur. An in Romanorum thermis mulieres quoque versarentur, quemadmodum viri, nil certi affirmare ausim, nisi quod Romanam majestatem illud dedecuisse videtur, facileque fieri potest, ut impuræ aliquæ, & spectandi & ludendi gratia, quod Juvenalis & Martialis innuunt, publice versarentur in gymnasiis, necnon in locis separatis, quæ ibi lavandis feminis solis extructa essent, perinde ac in privatis balneis honestæ mulieres lavarentur tam ignobiles & mediocri loco natæ, quam illustriores, cum de Poppæa Domitii Neronis uxore referat (*a*) Plinius, quod *ad augendum cutis candorem quingentas asinas fœtas per omnia secum trahebat, & balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat:* quod intellexit Juvenalis dum scripsit.

—— aut pinguia Poppæana
Spirat, —— &
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur.
Propter quod secum comites educit asellas.

In quem dealbandi corporis usum alias mulieres *farinam fabaceam, alias nitrum, aphronitrumque* in balneis usurpasse meminit (*b*) Galenus. Atqui Spartanorum mulieres una cum viris in palæstris exerceri se consuevisse, præter alios, satis testatum facit Propertius lib. III. Eleg. XII.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:
Cum pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & versi clavis adunca trochi,
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio,
Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Neque de hoc Spartanorum more quisquam mirari debet, quando & Plato in quinto de republ. gravissimis argumentis probavit ad felicem rerumpublicarum statum maximopere conducere, si mulieres tam juvenes, quam seniores una cum viris nudæ in palæstris atque gymnasiis exerceantur, quod an sapienter decretum fuerit, & an ad continentiam temperantiamve ex consuetudine consequendam, ut Platoni in animo erat, conferret, non est locus examinandi.

CAP. VIII.

De Gymnasiorum diversis partibus.

VItruvium qui Augusti Cæsaris ætate floruit, solum palæstras Græcas tradidisse ex ipsius verbis constat, quando nondum Romani Imperatores suas extruere cœperant, quas postea extructas sicuti in multis Græcorum gymnasiis similes fuisse probabile est, ita pariter verisimile fit Romanos (ut solet esse posteriorum in excolendis rebus mos) plura suis addidisse, quæ vel Græcos latuerant, vel parum ab illis æstimata fuerant: Quocirca partes gymnasiorum magis principales explicaturus haudquaquam solas a Vitruvio significatas in medium afferam, sed illas nullo situs ordine servato enarrabo, quas dispersim ab Auctoribus traditas invenio, quasve rei ipsius ratio expostulare videtur in Græcis atque Romanis palæstris extitisse: quamquam Vitruvii auctoritatem nunquam multifaciendam existimavi, nempe quem παραδοξόλογον & sua ætate minime æstimatum puto, quod enim ab Augusto nullis egregiis fabricis, nisi solis Balistis præfectus fuerit, quando scilicet in urbe & extra urbem magnifica ædificia extruebantur, quod etiam a nullo fere posteriore auctore nominatus inveniatur, præterquam in capitum Plinii librorum catalogo, qui ab aliquibus minime Plinianus, vel saltem adulteratus putatur, magnam certe ipsius existimationis suspicionem merito parit. Ergo primæ gymnasiorum partes fuerunt porticus exedris sive cubilibus apertis plenæ, in quibus philosophi & rhetores, mathematici, & omnium denique disciplinarum amatores disputando, legendo, ac docendo exercebantur: atque has non longe ab aliis admodum sitas fuisse conjicere possumus tum ex ipsa figura, tum ex proverbio inde nato (*discum quam philosophum audire malunt*) quod in eos dicebatur, qui in eodem gymnasio inter philosophos sedentes, atque inde discorum crepitus audientes, relicta sapientiæ schola, ad proximum certaminum locum erumpebant. In exedris philosophorum adolescentes atque pueros illos, qui disciplinarum studiis operam navabant, versatos esse rationi consentaneum est: quod essent illæ veluti scholæ quædam, ubi possent facillime post animorum exercitationes corpora ad sanitatem, vel fortitudinem juvenes & pueri exercere, subindeque lavari: extat enim Lampridii auctoritas, Alexandrum Severum *post lectionem operam modo palæstræ, modo sphæristerio, modo cursui, modo lenibus luctis dedisse, mox balneum introivisse.* Inter has adnumero quoque medicorum scholas. Secunda pars erat Ephebeum, quo mihi verisimile apparet eos convenire, atque de præmiis, & exercendi genere pactiones facere solitos, qui simul exerceri, ac certare volebant: quamquam sciam Philandrum ejus opinionis fuisse, quod in Ephebeo puberes exercerentur: quam in re ipsum valde melius sensisse existimo, quam Gulielmum Choulum, qui in suo de antiquorum exercitationibus libro in Ephebeo *juvenes studendi gratia sedisse*, scriptis mandavit. Utrum vero apud Romanos, qui cum viris ante decimum sextum annum pueros commercium ullum habere vetabant, hoc verum fuerit, affirmare non auderem. Neque item negare possumus, (*a*) Galeni tempore, pueros exerceri in palæstra consuevisse, cum is cujusdam ægritudinis, quam Commodus puer, atque Imperatoris filius in palæstra acquisiverat, mentionem faciat: οὕτω δὲ καὶ ὅστις ἀναῤῥιχᾶται διὰ σχοινίου καθάπερ ἐν παλαίστρᾳ γυμνάζουσι τὰς παῖδας εἰς εὐτονίαν παρασκευάζοντες: id est: *sic autem, & quicumque per funem scandit quemadmodum pueros in palæstra exercent, eos ad robur præparantes.* Ex quibus verbis pueros in palæstris exerceri solitos fuisse satis constaret, nisi id quoque (*b*) Plautus in Bacchidibus apertissime testatus esset, ubi Lydus Pistocleri pædagogus, patrum

a *Lib. 11. cap. 41.* b *Primo de alim. fac.*


a *Li. de præc. ad Posth.* b *actu. 3. sc. 3.*

erga filios sui temporis indulgentiam taxans, de anteacti temporis moribus ita loquitur.

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ
Digitum longe a pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum,
Et discipulus & magister perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila
Saliendo se exercebant magis, quam scorto, aut saviis.

Unde mihi conjiciendum videtur pueris summo mane palæstram adeundi præceptum fuisse, ut virorum, qui tunc non aderant, commercium vitarent, atque etiam litterarium studiis incumbendi otium superesset: etenim non defuisse, qui pueros nudos videre, & nefandum eorum amorem sibi conciliare ex palæstris studerent, facile ex amatorio Plutarchi libro colligitur: habetur autem ex citato Plauti loco gymnasia publica Romæ etiam fuisse ante Neronis principatum, sicut & ex Catullo, ac aliis. Tertia pars erat Coriceum, qui locus (ut mea fert sententia) pro denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lavari, vel utrumque agere volebant, inserviebat, alias a Græcis ἀποδυτήριον, & a Galeno γυμνασήριον vocatus. Nisi enim Coriceum apud Vitruvium talem locum significat, palæstras ab ipso descriptas absque hac parte omnium maxime necessaria extitisse dicendum esset, quam non solum in publicis gymnasiis, verum etiam in privatis affuisse credo, si quidem (*a*) Plinius Cæcilius in descriptionibus villæ suæ Laurentinæ ac Tuscorum apodyterium inter alia adnumerat: unde illorum sententias probare nequeo, qui Coryceum in Vitruvii textu legendum putarunt, a coryco, pilæ specie, quasi ibi ludus talis ageretur, aut couriceum pro tonstrina, aut coryceum, tanquam in eo puellæ & virgines, κόραι Græcis vocatæ exercerentur. Quarta pars erat elæothesium a Julio Polluce ἀλειπτήριον, a (*b*) Cæcilio Plinio unctuarium vocatum, atque in isto luctaturi, & alias exercitationes, vel balneas inituri ungebantur, redungebanturque. Sed, quoniam opportunitas rei postulare videtur, ut de hoc gymnastico ungendi munere verba faciam, neque Metrodori Scepsii περὶ τ̃ ἀλειπτικῆς, id est, *de ungendi ratione*, citatus ab Athenæo liber, hodie extat, quatuor ego dicam; primum, *quando & qui ungerentur*, secundum *quæ esset unctionis materia*: tertium, *cujus finis gratia ungerentur*: quartum, *quo modo, & a quibus unctio administraretur*. Illi qui vel loturi vel sese exercitaturi in gymnasium veniebant, majori ex parte spoliabantur in apodyterio: postea horum nonnulli, & præsertim qui vel luctam, vel pancratium inire intendebant, (nam pugilatores, cursores, ac alii multi unctione non egebant) alipterium ingredientes ungebantur, atque ita uncti ad locum, ubi erat pulvis, de quo loquar inferius, transeuntes pulvere conspergebantur, sicque deinceps in exercitationes diversas diversi prodibant: postquam vero sese, quantum libuerat, exercuissent, iterum ad unctuarium reverentes, ibi a mediastinis & reunctoribus *strigilibus*, ferreis, de quibus Martialis lib. XIV. Epigr. XLIX.

a *Lib. 2. Epist. 17. & Lib. 5. Epist. 6.* b *Lib. 2. Epist. 17.*



Pergamus has misit curvo destringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi,

detergebantur, in qua detersione oleum, pulvis, & sudor, quæ deradebantur, simul mixta in usum medicum adservabantur, & ab Atticis κονίσαλος, ab aliis vero πάτος vocabatur, ut ex (*a*) Dioscoride, (*b*) Plinio, (*c*) Galeno, & (*d*) Aetio facil-

a *Lib. 1. c. 3.* b *Lib. 14. c. 8.* c *li. de sim. med. 81. & 4. de tu. va. Lib. 5. & 10. de sim. med. &* d *Lib. 2. c. 17.*

lime confirmari poteſt: tametſi Avicenna libro ſecundo faciat mentionem etiam ſudoris ſicci athletarum, quem puto fuiſſe illum, cui neque oleum, neque pulvis inerat: & quamvis Galeni ætate ſtrigiles adhiberentur ad balnei uſum, nihilominus balneorum ſtrigiles plerumque ſpongiæ erant, vel linei, neque communiter ſemper adminiſtrabantur, ſed quiſque proprium ſecum gerebat, & præſertim quicunque communia cum aliis inſtrumenta habere fugiebat, ut inſinuat Perſius Sat. v.

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Ferrei autem erant, vel aurei, vel argentei, vel cornei, vel eburnei, vel ænei, quibus ſtrigmenta & ſordes exercitatorum a corporibus radebantur. Ænei ſtrigiles erant, quorum pictura præcedenti pagina poſita eſt, quive olim inter Trajani Imperatoris thermarum ruinas inventi ſunt.

Deterſi tandem iterum diligentiores aliqui valetudinis aut deliciarum gratia ungebantur, & nonnumquam inuncti balnea ingrediebantur, ſed poſt egreſſi denuo ungebantur, modo ſimplici oleo, modo variis odoribus condito, modo diapaſmate ad coercendos ſudores, ut ſcribit (*a*) Plinius, adeo quod varia erant ungendi tempora, interdum poſt balnea, quod Homeri temporibus obſervatum legimus, ut in III. Odyſ. Αὐτὰρ ἐπεὶ λοῦσεν τε καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ, id eſt, *Poſtquam lavit, & pingui oleo unxit*, & lib. IV. iterumque XVII. τὰς δὲ ἐπεὶ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ, id eſt, *Hos autem poſtquam famulæ laverunt, & unxerunt oleo*, interdum quoque ante, ſicuti refert Galenus VI. de valetudine conſervanda. De Archimede quædam apud Stobæum ſcitu digna leguntur: *eum ſcilicet abaco incumbentem, & figuras quaſdam ducentem a famulis vi abſtractum ungi ſolitum fuiſſe, atque ipſum in corpore ita uncto figuras mathematicas ſæpe deſignare conſueviſſe.* Hac in parte gymnaſiorum manſiſſe puto illos miniſtros, qui victus quærendi gratia ſervandis veſtibus inſervientes, *olearii* nuncupabantur, quos etiam in balneis Aſiæ ſolitos eſſe perhibet Epiphanius hæreſ. XXX. Materia unctionis pro exercitandis varia fuit. Ariſtotelis tempore, & oleo ſimplici, & aqua mixto ungebantur: Is enim quinta problematum particula ſcripſit, *iccirco aquam oleo admixtam, quando exercitatis adhibetur, magis laſſitudinem tollere, quam oleum ſimplex, quoniam ita interius penetrans exiccata membra humectat*; addo etiam ex Hippocrate II. de diæta minime hujuſmodi unctiones permittere, ut corpora plus juſto incaleſcant; auctor eſt (*b*) Plinius *Græcos vitiorum omnium genitores oleum primos in gymnaſia invexiſſe*, de quo dicebat Anacharſis Scytha eſſe inſaniæ pharmacum, quoniam eo peruncti athletæ inſanirent. Butyrum quoque apud nonnullas barbaras nationes, quibus deerat fortaſſe oleum, interdum pro ungendis exercitandorum corporibus in uſu fuiſſe teſtatum reliquit (*c*) Plinius, & poſt ipſum (*d*) Galenus: fuit & aliud mixturæ genus poſterius inventum ex oleo, pulvere, & cera commixtum, quo ungebantur: atque illud *ceroma* a Plinio vocatum invenio, quo juventutem Romanam corpora exercendo vires animorum amiſiſſe dicit: ſicut & apud Martialem libro IV. de Endromide:

Seu lentum ceroma teris.

& lib. V. epigr. LXV.

Et caſtigatum Libyæ ceroma palæſtræ;

& lib. VII. epigr. XXXII.

Vara nec injecto ceromate brachia tendis.

Quamquam dubium non eſt, quin apud eundem Plinium, Senecam, & D. Hieronymum & alios ceroma vocatus ſit locus ubi ungebantur, alias aliPterium vocatum. Scribit item Plinius oleum in gymnaſiis condiri odoribus, ſed viliſſimis conſueviſſe. Quæ omnia de unctionibus ante exercitationes adhibitis intelligi debent: cum poſt exercitationes, & poſt balnea infinita prope variorum odoribus conditorum unguentorum genera tradantur adhibita: quæ ſoli laſciviæ atque libidini inſerviebant, atque hæc a Plutarcho in Amatorio nobis indicata puto, quando ſcripſit, Solonem vetaſſe ſervis unctiones ſiccas, atque puerorum amorem, non item mulierum conjugium, niſi potius unctiones extra balnea factas, ſeu diapaſmata intellexerit: hunc morem oleis odoratis utendi apud exteros quoque viguiſſe hiſtoria ab Athenæo relata Deipnoſoph. V. ſatis teſtatum facit, ut ſcribit *Antiochum Epiphanem apud Daphnem conſueviſſe certaminis die exhibere certantibus olea odorata, crocinum, amaracinum, telinum, irinum, & alia quibus ungerentur corpora.* Quo fine demum prædictis unctionibus gymnaſia adeuntes ungerentur, diverſa ab auctoribus tradita invenio; Hippocrates in III. de diæta memoriæ mandavit *terrarum pulverem oleo admiſceri ſolitum*, ut ſuo frigore & ſiccitate olei æſtum & humiditatem temperaret, Alexander in I. (*a*) Probl. volumine ſcripſit athletas ideo oleo ante exercitationes perungi conſueviſſe, *ut membra emollita labores ſine rupturæ ullius periculo ſuſtinerent*, quam ſententiam ſecutus eſt quoque Lucianus in dialogo περὶ γυμνασίων. Lucianus videtur ſenſiſſe luctatores pulvere ſeſe conſpergere ſolitos fuiſſe, ut corpora fortiora redderentur. De Hercule namque & Antæo ſermonem faciens ait:

Auxilium membris calidas infundit arenas.

Plutarchus in libello de primo frigido hujus ſententiæ fuiſſe videtur, quod athletæ in unctionibus pulvere uterentur tum ad refrigeranda calefacta corpora, tum ad cohibendum ſudorem, ne tantopere delaſſarentur. Ego autem cum Luciano exiſtimo potiſſimum uſum pulveris extitiſſe, ne oleo manus laberentur, ſed facilius exercitatores ſeſe comprehendere valerent, neve ſudore diffluerent, aut venti corpora aperta ingrederentur, atque hac de cauſa a Martiale pulvis ille ἀφὴ vocatus fuit, ut ibi (*flaveſcit haphe*) unde ſi qui adverſarios perunctos, & ſine pulvere certantes vincebant, majori gloria digni habebantur, qualis fuit apud (*b*) Plinium Dioxippus, & Dioreus apud (*c*) Pauſaniam, ἀκονιτὶ nomen promeritus: cujus rei mentionem fecit (*d*) Horatius, ita ad Mæcenatem ſcribens.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmæ?

Ex quo ſatis mirari nequeo Budæum, virum ſane doctiſſimum, qui in ſuis ad Pandectas adnotationibus hoc non viderit, malueritque ἀκονιτὶ, id eſt, ἀνὲυ ἀγῶνος, ſeu *ſine certamine* ſimpliciter dictum

a *lib.* 21. *c.* 19. b *lib.* 15. *c.* 4. c *lib.* 11. *c.* 41. d *& lib.* 25. *c.* 9. 2. *de aliment. fac. cap.* 15.

a *Prob.* 119. b *Lib.* 35. *cap.* 11. c *Lib.* 6. *Eliacor.* d *Lib.* 1. *Epiſt.* 1.

ctum esse, quamquam & hoc quoque non abnuo A
interdum aliquos esse coronatos sine certamine, vel, quod adversarius tempore constituto non comparuisset, vel, quod ob robur & vincendi consuetudinem a cunctis vitaretur, cujusmodi fuisse complures Pausanias, Diodorus, Heliodorus, atque Suidas commemorant, ἀκονιτὶ propterea nominatos. Alii sunt, qui credant oleo exercitatores unctos ad arcenda frigora & levandas lassitudines. (*a*) Galenus sentit oleum tam ad exolvendam præteritam lassitudinem, & futuram mitigandam, quam ad præparandum ad motus conduxisse: quibus ceram additam cum Galeno opinor, quo oleum B
alioqui fluxile diutius adhæreret. Quæ vero post balnea adhibebantur unctiones, nemo dubitat inserviisse, ne humiditas in balneis acquisita evanesceret, neve reseratis a balnei calore meatibus nativa caliditas exspiraret: quamquam etiam aliqui delicatiores voluptatis & lasciviæ gratia *odoriferis unguentis*, aut *siccis diapasmatis* ad comprimendum immoderatum sudorem, ut scribit (*b*) Plinius, post balineas ungebantur, de quibus (*c*) Martialis.

Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus.

Ceterum quo modo ungerentur, nil certo definitum invenio: est tamen valde probabile, nonnul- C
los, cum prius seipsos fricassent, manibus propriis hoc egisse, aut alterum ab altero vicissim unctum, quod Lucianus in gymnasiis scribit; licet etiam a servis gymnasticis, atque reunctoribus vocatis ungerentur: qui & ipsi prius ad majorem unctionis penetrationem fricantes, tandem universum corpus modo leniter, modo secus prementes, perungebant, & prout temporis constitutio postulabat, alias tepidum, alias calidum, alias frigidum linimentum applicabant: atquæ hec omnia ut plurimum in alipterio fiebant: qui nitro & aphronitro sese fricabant, ut meminit Cyprianus D
Epist. VII. lib. IV. ac Martialis lib. XIV. existimo illud eos agere solitos, ut sordes a corpore melius eluerent, atque exiccarent, quantum enim abstergere possit aphronitrum nemo ignorat. Prope quod erat *conisterium*, Polluci κονίστρα vocatum, quinta gymnasii pars, in quo positus pulvis conservabatur, ut possent uncti statim illo conspergi. Ex variis regionibus in hunc usum pulveres advectos legimus, sed duo palmam habuerunt, *Puteolanus*, de quo Sidonius Apollinaris,

Namque Dicarcheæ translatus pulvis arenæ. E

& *Ægyptius*, quem Romam in hunc usum advehi solitum refert (*d*) Suetonius in Nerone, quemadmodum & Patrobium (*e*) Plinius tradit Neronis libertum ex Nilo arenam tenuissimam non multum a Puteolano pulvere distantem ad debellanda corpora palæstræ studiis advexisse, eandemque a Leonato Cratero, & Meleagro, Alexandri Magni ducibus, cum reliquis militaribus commerciis portatam: cui forsan haud absimilis illa erat, de qua Ovidius, Acheloi pugnam describens, loquitur.

Inque vicem fulvæ tractu flavescit arenæ.

Nam, & (*f*) Martialis, Philænim irridens, quod F
palæstritarum exercitationes iniret, dixit ipsam flavescere hac arena, quam *haphem* ab illo vocari diximus, quoniam contrectationibus exercitatorum inserviebat: ἁφὴν namque tactum significare, nemo nescit. Seneca Epist. LVII. *a ceromate nos haphe excepit.*

a *6. de tuen. va. cap. ult.* b *Lib. 13. c. 2.* c *Lib. 1. ad Fiscennium.* d *cap. 45.* e *Lib. 35. c. 13.* f *Lib. 7.*

CAP. IX.

De Palæstra, & aliis Gymnasii partibus.

HActenus quinque gymnasii partes, quæ etiam in palæstra Græcorum a Vitruvio descriptæ inveniuntur, philosophorum exedras, ephebeum, apodyterium, unctuarium, & conisterium explicavimus: nunc ceteras partim ab eodem prætermissas, & ab aliis indicatas, partim ab ipsomet explicatas prosequemur. Erat itaque sexta pars locus quidam *palæstra* vocatus, ubi (dicebat Lydus ille (*a*) Plautinus) *cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant magis, quam scorto, aut saviis*, & ubi scribit (*b*) Galenus has exercitationes peragi solitas *luctam, pugilatum, appensionem manibus ad funes, exercitationem, qua stabant pedibus & manibus in pugnum vinctis, easque alteri aperiendas porrigebant, qua pondera manibus attollebant, & ita persistebant, quod genus* halteres *vocatum est, schiamachia, & armorum pugna*: Galeno vero assentiens Oribasius Pergamenus fassus est non modo has, sed & alias sexcentas fuisse palæstræ exercitationes. Unde animadvertendum est, palæstram apud utriusque linguæ auctores multa significare, primo totum ipsum gymnasium, ut est videre penes Vitruvium; secundo locum quemcumque exercendis corporibus idoneum, quo pacto locutus est Cicero in Epistola tertii libri ad Q. F. prima, & II. de legibus, dum villam suam Arpinatem describens, palæstram ibi nominat, nec non Virgilius sexto Æneidos.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

& Geta apud (*c*) Terentium in Phormione, ubi dixit, *eccum a sua palæstra exit foras*. Tertio certam gymnasii partem, in qua ex sententia (*d*) Plauti, (*e*) Galeni, & (*f*) Oribasii tot exercitationes factas prædiximus, & cujus parietum sordes collectas in panno applicatas furunculos maturare scripserunt (*g*) Plinius & Theodorus (*h*) Priscianus: in qua significatione accepisse Catullum puto, ubi dixit:

Abero foro, palæstra, stadio, & gymnasiis?
Miser ah miser.

& Afranius scribens.

Et eam depellis mihi manum per palæstricos.

Id est:

Palæstræ usum (ut ait Nonius) *callentes.*

Quod autem a palæstræ muris, statuis, atque columnis strigmenta quædam a pulvere & luctantium corporum contactu ibi factæ abraderentur, & in varios medicinæ usus servarentur, abunde testati sunt Dioscorides, Plinius & Galenus, quæ strigmenta quandoque a ludorum magistratibus octingentis sestertiis vendita fuisse tradit (*i*) Plinius. Invenio quoque exercitationem ipsam palæstrarum interdum palæstram vocari, sicuti quandoque M. Tullius pro palæstra actiones ordinate & venuste factas metaphorice intelligere visus est auctoritate Lucilii, cujus hic versus legitur apud Porphyrionem, *Judicis Hortensi est ad eam rem nata palæ-*

a *In Bacchidibus.* b *2. de tue. val. cap. 9.* c *Actu 3. scena 1.* d *In Bacchidibus.* e *Lib. 5. de simpl. med.* f *6. collect. cap. 14.* g *Lib. 27. cap. 4.* h *Lib. de claris orator.* i *Lib. 15. cap. 4.*

ſtra. necnon Plato in Charmide pro Taurei palæſtra locum ſignificavit, quo viri docti ad colloquendum diſputandumque conveniebant. Ad hæc Plutarchus in ſecundo ſympoſiacon palæſtram vocatum ſcribit locum, ubi athletæ exercerentur, & in quo ſolum lucta & pancratium, non curſus, non pugilatus agerentur: quemadmodum & Galenus quandoque palæſtram nuncupavit, ubi athletæ ſolum, & craſſitudini corporis ſtudentes exercerentur, quo pacto accipiendum reor apud Hippocratem, quum in principio primi Epid. narrat tubercula iis eſſe oborta, qui in palæſtra & gymnaſiis exercebantur. Forſan autem dubitavit aliquis, an in palæſtra hac pulvis ſtratus eſſet quoniam (*a*) Galenus ipſam a loco, ubi pulvis erat, ſeparaſſe videtur hiſce verbis: *Ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα καὶ χωρὶς παλαίστρας, ἢ βαθείας κόνεως δύναται γίγνεσθαι καθ' ὁτιοῦν χωρίον ἐπίκροτον ὀρθῶν ἑστώτων. ὅσα δὲ παλαίοντες εἰς ἀλλήλους δρῶσιν ἀσκοῦντες τὸ τόνον, ἤτοι κόνεως βαθείας, ἢ παλαίστρας δεῖται. Sed & hæc abſque palæſtra & alto pulvere in quocunque loco conculcato erectis ſtantibus fieri poſſunt: quæ vero lucta inter ſe contendentes agunt robori acquirendo incumbentes, vel alto pulvere, vel palæſtra opus habent.* Cui ita reſponſum volo, etiam palæſtra fuiſſe ſtratum pulverem, ſed humilem, ac modicum, ita ut duo fuerint loca pulvere ſtrata, alterum palæſtræ, alterum extra palæſtram: in illo pulvis humilis, in hoc altus & copioſus eſſet: cujus pulveris in utroque uſus erat, tum ut certantes firmius contenderent, neque pedibus laberentur: tum etiam ut qui in terram dejiciebantur, minus læderentur: At altus pulvis hoc amplius habebat, quod dum homines in illo pedes alte figebant, majori conatu ac vi ad eos tollendos opus habebant, atque inde robur majus comparabant. Quæ omnia ſignificavit Lucianus in libello de exercitationibus: de hoc enim alto pulvere locutum puto (*b*) Galenum, ubi ſcribit ſe vidiſſe athletas, ſæpius, ne a pulvere ſuffocarentur, periclitantes, & ubi adoleſcentem quendam narrat ex concitato motu per loca profunda & arenoſa facto valde exiccatum ad gymnaſium ſe contuliſſe: quod ex iis eſſet, qui illa exercitatione delectabantur, ac ibi identidem exerceri vellent. Quod palæſtra quoque dicta ſit ars oratores in actionibus exercendi, ut probare in ſuis ad Pandectas adnotationibus conatur Budæus, ſane non video. Septima gymnaſii pars fuit *ſphæriſterium*, ubi variæ exercitationes, & præſertim cuncta pilæ exercitia, quæ plurima extitiſſe (*c*) infra demonſtrabimus, frequentius, quam alibi peragebantur. Hoc non eſſe coriceum a Vitruvio deſcriptum ſatis in ſuperioribus probavimus, & licet ab eo non ponatur, in gymnaſiis tamen fuiſſe multis verbis oſtendit Budæus, quinimmo, & in particularibus gymnaſiis, hortiſve Sphæriſterium una cum aliis extructum fuiſſe, locupletiſſimum teſtem habemus juniorem (*d*) Plinium, qui villas ſuas deſcribens Laurentinum & Tuſcos, in utriſque ſphæriſterium ponit, quod plura exercitationis genera, pluresque circulos caperet, idem & ex eo Pandectarum loco confirmari poteſt, ubi hæc (*e*) Ulpiani verba leguntur: *Cum Aurelius Quietus hoſpiti ſuo medico mandaſſe diceretur, ut in hortis ejus quos Ravennæ habebat, in quos omnibus annis ſecedere ſolebat, ſphæriſterium & hypocauſta & quædam ipſius valetudini apta ſua impenſa faceret.* Unde quoque facile conjicitur in ſphæriſterio nedum pilæ ludos, verum etiam alias exercitationes fieri conſueviſſe, quando in ipſo Veſpaſianus *fauces, cæteraque membra* (ut tradit Suetonius) *ſibimet ad numerum defricabat*. Octava pars fuerunt viæ illæ, quæ inter porticus, ac muros, ut ego puto, ſitæ erant, ab omnibus ædificiis nudæ, necnon nota periſtylii area quæ & ad ſubminiſtrandam porticibus ac cellis lucem factæ erant, & ad ſpatiandum, aliaſve exercitationes obeundas, quæ nec in alto pulvere, nec in xyſtis, aliiſve locis fieri poſſent. Has locum conculcatum paullo ante ex Galeno a nobis nominatum fuiſſe opinor ita vocatas, quod nullis lapidibus, lateribuſve ſtratæ, ſed rudes & æquato tantum ſolo forent. In his curſum factum exiſtimo, atque ad id tum *diauli*, tum *dolichi*, a quibus *dolichodromi*, & *diaulodromi* formas atque terminos ibi conſtitutos, tametſi apud (*a*) Vitruvium nil aliud fuerit diaulos, quam peryſtiliorum quadratorum circumitio duobus ſtadiis definita. In ipſis etiam ſaltum, & diſci exercitationes, quas palæſtræ negavit Galenus (ut mea fert ſententia) interdum habebantur. Nona pars erant xyſti, & xyſta, nam utraque apud Græcos & Latinos non parum diſcriminis obtinent, ſiquidem xyſtos hi vocant porticus tectas ubi athletæ per hyemem & æſtatem, tempore luctationibus alieno, exercebantur: xyſta autem ſubdiales ambulationes, ubi hyeme tempeſtate leni e porticu prodeuntes, & æſtate fere ſemper exercebantur, ac ambulabant: atque has *περιδρομίδας* a Græcis nominatas ſcribit loco citato Vitruvius, quæ duplices erant, aliæ nudæ, aliæ platanis aliiſve arboribus conſitæ ad præſtandum amœnitatem, atque illis, qui a ſole offendebantur, umbram: de his loquebatur (*b*) Plinius, dum *platanos Athenis in academiæ ambulatione celebratas* fuiſſe ſcribit: De iiſdem quoque (*c*) Plinius junior ſermonem habuit, quando in depingendis Tuſcis ac Laurentina villis ſuis xyſtos toties decantat. Nec alium intellexit Iſchomacus apud (*d*) Xenophontem, quando ambulationem in xyſto factam nominavit, ſicuti nec Phædrus apud Platonem, ubi ex Acumeni ſententia ſalubriorem facit ambulationem in viis, quam in curſibus ſub hiſce verbis: *Τῷ δὲ σῷ καὶ ἐμῷ ἑταίρῳ πειθόμενος Ἀκουμενῷ κατὰ τὰς ὁδοὺς ποιοῦμαι τοὺς περιπάτους, φησὶ γὰρ ἀκοπωτέρους τῶν ἐν τοῖς δρόμοις εἶναι*, Ideſt: *Tuo autem & meo ſocio obtemperans Acumeno, in viis ambulationes facio, nempe quas minorem laſſitudinem iis, quæ fiunt in curſibus, parere* dicit. Id quod ſi Ficinus recte penſitaſſet; melius Platonis verba in noſtram linguam tranſtuliſſet, ſed de hac re plura inferius, quando de exercitationum locis tractabimus. Eaſdem ambulationes intellexit Juſtinus martyr, cum in principio dialogi ſui dixit: *περιπατοῦντί μοι ἐν τοῖς τοῦ ξυστοῦ περιπάτοις*, hoc eſt, *ambulanti mihi in xyſti ambulationibus*, quod ejus interpres haud exacte percepiſſe videtur. Nemora, quæ & in thermis publicis deputaſſe, & in ſuis juxta Neronianas diruptis ædificiis Alexandrum Severum feciſſe ſcribit (*e*) Lampridius, nulla alia fuerunt, quam platanones & xyſta Græcorum.

CAP. X.

De Balneis gymnaſiorum, atque etiam de Stadio.

DEcima gymnaſiorum pars fuit *balneum*, quam ob delicias atque ſanitatem omnium maxime æſtimatam fuiſſe certum eſt, quamve cunctis aliis majorem & pulchriorem extitiſſe opinor ego, tum quia (ut Galenus ſua tempora de-

a 2. *de tuen. val. cap. 9.* b *lib. 11. de uſu partium & lib. de cauſis procatarticis.* c *lib. 2. c. 4.* d *Lib. 2. Epiſt. 17.* e *Leg. 16. ff. de mandat.*

a *Lib. 5. cap. 11.* b *lib. 12. cap. 1.* c *lib. 2. Epiſt. 17. & lib. 5. epiſt. 6.* d *In Oeconom.* e *cap. 25.*

plorat) omnes fere homines quotidie lavabantur, quod tempore Hippocratis, & antiquorum fere omnium usque ad Asclepiadis & Pompeii ætatem, non erat; quando ut scribit (*a*) Hippocrates & Galenus nondum publica balnea, aut privata accommode ædificata videbantur, rarique & raro lavabantur: tum quia multis locis balnea indigebant pro variis lavandorum commoditatibus, quæ necessario spatium majus requirebant, & ob id columnis, ac superbissimis marmoribus extruebantur: ut interim non omittam quanta privati viri usi sint in privatis balneis ædificandis magnificentia, de qua scriptum est a (*b*) Seneca, *quod quisque pauper sibi videbatur ac sordidus, nisi parietes balneorum magnis ac pretiosis orbibus refulsissent, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta fuissent, nisi illis undique operosa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexeretur, nisi vitro conderetur camera, nisi aquam argentea epistomia fudissent*. Ne statuarum & columnarum nihil sustinentium ornamentum sileatur, quod libertinorum balnea habebant, ut nil nisi gemmas calcare vellent. Etrusci balneum a (*c*) Martiale, & (*d*) Statio elegantissime descriptum qui lectitarit, non poterit majorum in extruendis balneis magnificentiam, atque luxum satis admirari: sed de his satis. Ut autem de gymnasiorum balneis paullo plenior habeatur cognitio, hæc in præsentia solum (quando jam Andreas Baccius Elpidanus multæ lectionis atque doctrinæ vir post primam horum commentariorum editionem universam de Balneis materiam absolutissime tractavit) explicabimus. Primo, *qualia essent, & quæ loca balneis destinata*: Secundo, *quæ vasa & aeris dispositio, ubi lavabantur*: Tertio, *cujus gratia lavarentur*: Quarto, *qui, & quando lavarentur*: materiam enim, qua lavabantur, plerumque aquam dulcem, vel pluvia collectam, vel ab aquæ ductibus, aut fluminibus, aut aliunde corrivatam omnes sciunt: & quamvis apud Galenum, aliosque sæpenumero de medicatis balneorum aquis mentio fiat, illis tamen ægroti, aut valetudinarii utebantur, non gymnasia ingredientes, de quibus solis nos loqui intendimus: nisi immensam Neronis & profusam libidinem in medium adducamus, qui *dulcibus non contentus aquis, marinas* teste Lampridio & Suetonio *atque Albulas in suas thermas deduci curavit*. Loca balneum universum constituentia a (*e*) Cicerone *balnearia* vocata, plurima fuisse reperio, frigidam lavationem sive λουτρὸν, frigidarium, tepidarium, sudationem calidam, & calidam lavationem. Quæ vero balneis inserviebant, fuerunt hypocaustum, aquarium, & vasarium: Hæc omnia loca concamerata & fornicum modo fabricata fuisse cognoscere possunt, qui Romanarum thermarum reliquias contemplari voluerint. Nec quis miretur a nobis hic loca plura balneorum recenseri, quam a Vitruvio descripta inveniantur, quoniam, quæ ipse descripsit, a Græcis omnia fere accepit, quando Romani nondum thermarum ea admiranda ædificia extruere cœperant, in quibus multo Græcis lasciviores, plura etiam loca disposuerunt. Frigida lavatio, sive λουτρὸν, locus erat, in quo frigidæ aquæ lavacra, & præsertim piscina, alias baptisterium a Plinio juniore vocitata, pro nationis usu ab auctoribus citata posita erant, tum ob æstatem quando similis lavatio diligitur, tum ob eos, qui omni tempore illam prosequebantur sive ob valetudinem, sive ob delicias, qualis Alexander Severus, quem *rarissime in calidariis, fere semper in piscinis lavisse* scribit Lampridius. De hujus usu

a 3.*com.de vic.rat.in acut.* b *Epist.86.* c *Lib.6.epigr.42.* d *Lib.1.Silv.* e *lib.3.epist.ad Q.Fra.epist.1.*

A plura apud Oribasium ex Galeni sententia videri possunt in decimo collect. lib. Auctor est Lampridius Heliogabalum *nunquam in piscinis se lavari passum esse, nisi illæ croco, aliisve pretiosis unguentis fuissent infectæ*. Ab hac aderat frigidarium ob eos fabricatum, qui statim post egressum tepidarii, aut calidarii frigido aere frui optabant: neque enim ulla ibi aquæ vasa reperiebantur, ut possent æstate plures convenire: non defuerunt qui in hac parte piscinam pro natationis studiosis, de qua copiosius lib. III. tractabimus, positam fuisse crediderint. At mihi verisimilius videtur eam in frigi- B da lavatione, ubi alia frigida aqua servabatur, extitisse, cum in frigidario aquæ nullius apud auctores mentio habeatur: In parte fieri potest, ut loturi exuerentur quoque, tum quia apodyterium communis pro exercitatoribus spoliandis locus non parum distabat, adeo ut loturos, si ibi vestimenta deposuissent, nudos per ephebeum, frigidam lavationem, & reliqua loca transire necessum esset: tum quia probabile est in ephebeo homines sæpius inveniri consuesse, a quibus loturos haudquaque nudos conspici honestum erat: ex quo ad hæc omnia evitanda facile est in frigidario sese exuisse, eo magis quod (*a*) Varro atque (*b*) Pli- C nius testati sunt, tam in urbibus, quam ruri apodyterium quoque fuisse balnei partem, quemadmodum etiam Galenus atque (*c*) Oribasius significare visi sunt, ubi qua hora juvenis temperati corporis balneo uti debeat, exponentes, gymnasterium temperari debere mandarunt, quod nullum aliud esse potest, nisi frigidarium ipsum, in quo & sudores detergebantur: siquidem Galenus x. Methodi libro partes balnei enumerans quatuor statuit, calidarium, calidam lavationem, quam λουτρὸν vocat, frigidam lavationem, & quartam, in qua sudores detergerentur: sed hæc potius conjectura, quam ullo certo judicio intelligere conce- D ditur: nec quisquam hic dubitare debet quum Vitruvius unam partem, Galenus aliam λουτρὸν vocent, quandoquidem non est rationi dissentaneum, utrasque eo nomine designatas esse, cum in ambabus homines lavarentur. Illud etiam hoc in loco commemorandum est, publicas balneas hanc partem admodum vastam, & cuivis perviam habuisse, ita ut vestimenta eorum qui lavabantur, facile surripi possent, ob quos lege cautum fuit fures balneorum gravius esse plectendos, quemadmodum præ ceteris copiose docuit Aristoteles sec. XXIX. prob. XIV. quamquam & capsarios vocatos in eum conducere usum consuevisse balneatores atque alios E sciam, ut vestimenta lavandorum a furibus conservarent, quod intellexisse puto Juvenalem eo versu x. Satyr.

Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ,

Et Ovidium lib. III. de arte amandi:

Cum, custode foris tunicam servante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta jocos.

Et Martialem lib. XII.

F *Lintea ferret Apro vacuus cum vernula nuper,*
Et supra togulam lusca sederet anus.

Frigidario adnexum tepidarium duobus hominum generibus inserviebat, tum illis, qui tepore aeris aut aquæ, vel utriusque ob voluptatem, sive valetudinem frui volebant, tum illis, qui aut frigida, aut calida lavari quærebant; hi etenim ne ab apo-

a 2.*de re rust, in pro.* b *lib.5.epist.6.* c 10.*Collect.c.6.*

dyterio sive frigidario ad calidarium, & rursum a balneo calido ad frigidarium, seu frigidam lavationem, tanquam ab extremo ad extremum prodeuntes, horrerent, aliterve offenderentur, tepidario pro medio quodam utebantur, in quo exeuntes de frigido, seu calido loco tamdiu morabantur, quousque ad alterum eorum citra noxam recipiendum sese disposuissent: quamquam etiam fieri potest, ut in privatis balneariis tepidarium (a) & apodyterium idem locus fuerint, ob spatii penuriam, vel quod ita major commoditas haberetur. Cicero enim, cum Arpinatem villam, quæ judicio Quincti fratris sui ædificabatur, invisisset, *se assa in alterum apodyterii angulum in balneariis promovisse* scribit: in quo satis aperte demonstrat, apodyterium & laconicum, sive calidam, assamve, ut ipse & Celsus vocant, sudationem conjuncta fuisse eo prope modo, quo nos tepidarium & laconicum conjuncta interdum fuisse, saltem post Vitruvii tempora, opinamur, etsi is lib. v. cap. x. huic sententiæ omnino adstipulari videatur. Calidarium, quod a (b) Vitruvio & (c) Celso laconicum nuncupatum fuit, cella erat nullam aquam intra se continens, ad provocandum sudorem potissimum instituta, & ob id a nonnullis *calida sudatio*, sicuti a (d) Cicerone & Corn. (e) Celso *assa* nuncupata: de qua sermonem faciens (f) Collumella, hæc contra sui temporis mores scripsit. *Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas quotidianam cruditatem laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus.* In hac vapor calidus, seu calor siccus inclusus sudorem provocabat, haud aliter, ac super Bajas myrtetis, ubi tempore Celsi e terra profusus calidus vapor ædificio inclusus maximos sudores ciebat: cujus (g) Horatius quoque meminit in Epist. ubi ait:

—— sane myrteta relinqui
Dictaque cessantes nervis elidere morbos
Sulphura contemni, ——

Qui apud (h) Vitruvium tepidarium & laconicum idem faciunt, verba ipsius Vitruvii lectitantes facile cognoscent, utraque ab ipso separari, dum præcipit laconicum, sudationesque tepidario conjungi, præterquam quod manifeste Celsus laconicum vocat ubi calor siccus eliciebat sudorem, quam conditionem tepidario minime convenire quivis intelligere valet: id quod etiam clarissime significavit (i) Martialis, balnea Etrusci describens sub his verbis.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Marciaque mergi.

Scio quoque nonnullos, quod laconicum rotundum, ac veluti turricula in hemisphærium camerata foret, idem cum sphæristerio, a nobis superius explicato, effecisse, quibus plane assentiri nequeo, quoniam mihi irrationabile videtur, ut in loco calido sudationibus ædificato ludum pilæ atque alias exercitationes, quas in sphæristerio fieri consuevisse tradit (k) Plinius, exercerent: fuisset namque (ut est in proverbio) *camino oleum addere*, si exercitationes per se corpora valde calefacientes in calidissimis locis egissent. De laconico possunt verba (l) Juvenalis intelligi, si versus ita restituatur: quidquid dixerint alii:

a *Lib.* 3. *epist. ad Q. F. epist. prima.* b *lib.* 5. *cap.* 14. c *lib.* 2. *cap.* 17. d *lib.* 3. *ad Q. F. epist.* 1. e *In proœm.* f *l. de re rust.* g *Lib.* 1. *ad Valam. epist.* 15. h *Lib.* 1. *cap.* 10. i *Lib.* 6. *epigr.* 42. k 5. *Epist. li.* l *vers.* 174. *Sat.* 11.

A *Qui Lacedæmonium proptysmate lubricat orbem:*

nam taxat quendam quod in laconici solio copiose exspuendo efficeret, quo minus in ipso pedes ambulantium firmari valerent. Post laconicum sequebatur cella calida, labris aquæ continendæ positis referta, in qua quod lavarentur, calidæ lavationis a Vitruvio, & a (a) Galeno λουτρὸν nomen adepta est: hanc puto Archigenem apud Galenum VIII. de composit. medicam. sec. loc. vocasse ζεστόν. Erat namque primaria balnei pars, & proinde a
B nemine de ipsa quidquam est in controversia positum. Cur Vitruvius in balneis gymnasiorum construendis nullam tepidarii mentionem faciat, cujus, dum privatorum balnea doceret, aperte meminit, non sum admodum certus, quoniam si illud sub concamerata sudatione intellexit, sequeretur etiam in tepidario sudari consuevisse, cum tamen superiori capite sudationes & tepidarium distinxerit; si sub calida lavatione tepidarium ab ipso comprehensum fuisse placeat, quomodo ergo calidaria, atque tepidaria in decimi capitis ejusdem libri initio tamquam diversa fecit? itaque dicendum est forte concameratam sudationem & la-
C conicum, & calidam lavatione complecti; tepidarium vero omissum, quia Græcorum palestræ id non haberent. Quod porro scripsit Pollux libro septimo, ἀλειπτήριον apud Alexim fuisse balneorum partem, nullo modo probare valeo: cum idem alias ipsum inter gymnasiorum partes adnumeraverit: nisi velimus penes antiquos βαλανεῖον significasse totum gymnasium ipsum. Atque hæc sufficiant de publicorum in gymnasiis balneorum partibus. Fuerunt & innumera fere privatorum balnea, quæ & aliquibus ex prædictis partibus caruisse, & alias habuisse verisimile est; sed de hujusmodi non est instituti nostri verba facere. Quæ au-
D tem loca non essent intra balneas, sed ipsis tantum inservirent, primo hypocaustum continebant, quod secundum Vitruvii descriptionem erat fornax seu caminata structura subterranea calidario, calidæ lavationi, atque vasario subposita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca ignis succendebatur, & ne extingueretur a servis *fornacatoribus* ob id in Pandectis a Papiniano vocatis, frequenter cum pilis & glomis pice illitis excitabatur, de lignis autem in hunc usum adhibitis narrat Plutarchus x. prob. lib. III. sympos. ædiles cavisse, *ne ignis balnearum ex olea succende-*
E *retur, neque in eum conjiceretur lolium*, quod horum nidores gravedinem capitis, & vertigines lavantibus invehant: prædictarum pilarum apud Vitruvium lib. v. cap. x. mentio clara habetur, ubi docet *solum caldariorum ita sternendum esse inclinatum ad hypocausim, uti pila cum mittatur non possit intro resistere, sed rursus redire ad præfurnium, atque sic facilius flamma pervagari sub suspensione.* (b) De his loquebatur Statius in descriptione balneorum Etrusci.

—— crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
F *Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.*


Unde cuivis manifestum esse potest, in quam gravi errore versentur illi, qui hypocaustum & laconicum idem fuisse crediderunt. Auctor est Seneca III. nat. quæstion. cap. XXIV. nec non Epistola XC. tempestate sua inventos esse parietibus impressos tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foveret æqualiter: illum vero ca-

a 10. *Metho.* b *Lib.* 1. *Silv.*

lorem immitti consuevisse ex hypocausto, & a Jurisconsultis memoriæ mandatum est, & ab Ausonio in Mosella sic expressum:

Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea, fervente cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomerans æstu expirante vaporem?

A Horum autem tuborum vestigia adhuc quamplurima Romæ conspiciuntur in Diocletiani atque Caracallæ gymnasiis. Ante hypocaustum via quædam erat propnigeum, quasi dixeris præfurnium a Vitruvio vocata. Aquarium cella erat calidæ lavationi, atque calidario adnexa, in qua alveus magnus ædificatus erat ad continendam aquam ex aquæductibus, aut aliunde invectam, atque in frigidam lavationem, & calidam per fistulas corrivandam.



Non longe ab hoc situm fuit vasarium, ubi vasa conservabantur balneorum servitiis necessaria, & ubi aqua pro ipsis calefiebat. de hoc ita tradidit (*a*) Vitruvius: *Ahenea vasa supra hypocaustum tria composita fuisse, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium, & ita collocata, uti ex tepidario in caldarium, quantum aquæ calidæ exisset, influeret, de frigidario in tepidarium ad eundem modum*. De aere balneorum, qui extrinsecus admittebatur, (ut Vitruvius innuit) ea in calidissimo loco averso a septentrione & aquilone sita erant, tum caldaria atque tepidaria ab occidente hyberno lumen habebant. Quod (*b*) Oribasium significasse puto, ubi ex Galeni sententia architectos optimos balneorum domos ad octavam horam versas construxisse scribit. Sin autem natura loci impedivisset, utique a meridie: lumen vero ita capiebatur, ut in medio cameræ fo-

E ramen latum relinqueretur, sub quo labrum extruebatur: circa labrum erant spatiosi quidam margines, aut porticus, a Vitruvio *scolæ* vocati, in quibus occupato a prioribus lavationis loco, reliqui circumspectantes recte stabant, nec suis umbris lucem, quæ superius capiebatur, obscurare poterant. De aeris porro intra balneum existentis statu (*a*) Seneca, & (*b*) Plutarcho auctoribus gravissimis scriptum reperio, antiquiores mollibus ac moderate calidis balneis usos, ita ut Alexander in lavacro etiam febriens, Galatarumque F mulieres pultis ollas in balnea ferentes una cum pueris lavarentur, & manducarent: at eorum tempestate maxime calidas in pretio habitas fuisse, adeo quod de illis dicere licebat,

—— —— huc
Cocytus, Plegetonque fluunt Acheronta petentes.

a *Lib.* 5. *c.* 10. b *Lib.* 9. *collect. cap.* 12.

a *Epist.* 86. b *Lib.* 8. *symp. prob.* 9.

Quales fortasse Neronianæ thermæ extiterunt, de quibus Martialis sic scribit libro tertio.

Si temperari balneum cupis fervens
Faustine, quod vix Julianus intraret,
Roga, lavetur, rhetorem Sabineum,
Neronianas is refrigerat thermas.

Nihilominus tempore Galeni, qui paullo post Senecam & Plutarchum floruit, balnea usque adeo calida in usu nequaquam fuerunt. Quinimmo etiam morem illum calidioribus utendi haudquaquam tunc omnibus communem fuisse, sed aliquibus peculiarem, pro comperto habeo: etsi (*a*) Seneca testatur apud veteres *hoc quoque nobilissimos ædiles officio functos esse, intrandi ea balneorum loca, quæ populum recipiebant, exigendique munditias, & utilem ac salubrem temperaturam procurandi*: sed tempore suo illud in desuetudinem abiisse, ut balnea tunc similia incendio forent, narrat Plinius libro XXXI. cap. IX. *ut convalescentes balinearum æstus tolerare possent salem linguæ subditum præstitisse*. Vasa quibus lavabantur, alia immobilia, alia mobilia fuerunt: Quæ non movebantur, ex lateribus & marmore fiebant, alveique & labra in calida lavatione, in frigida piscinæ & baptisteria nuncupabantur: adeoque magna erant, ut etiam in ipsis aliquo pacto natare concederetur: atque horum vestigia adhuc Romæ in aliquibus thermarum ruinis conspiciuntur. Quæ moveri poterant, tametsi in privatis balneis utplurimum fierent: attamen in publicis quoque, sed ob privatorum forsan usus, extitisse opinor: & hæc diversas figuras habuerunt, alia quadratam, alia quadratam oblongam; alia rotundiusculam, alia ovalem, sicuti nunc apparet ex vetustissimis, quæ adhuc Romæ supersunt. Hic autem unam dumtaxat formam damus, a Pyrrho Ligorio ex suis præclarissimis rerum antiquarum monumentis communicatam; quod eam & pulcherrimam, & pro multis rebus intelligendis sagaci lectori accommodatissimam putamus. Varia eorum porro materia fuit, alia ex lapide, alia ex marmore, alia ex ære; quorum omnium nomina a (*b*) Julio Polluce scriptis mandata leguntur, fuerunt & qui lignea pro balneis lavacra facere tentarint, qualis Tucca a (*c*) Martiale sub his versibus derisus.

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit,
Sed strage nemorum, pineaque compage
Ut navigare Tucca balneo possit.

Tongillum quendam ex Rhinocerotis cornu labrum fabricasse crediderunt aliqui, his (*d*) Juvenalis versibus adducti.

—— exitus hic est
Tongilli, magno cum Rhinocerote lavari
Qui solet, & vexat lutulenta balnea turba.

In bello quoque solitum portari hæc labra ob imbecillorum commoditatem, ex Paterculo conjicere licet, qui libro II. non longe a fine celebrans Augusti curam erga imbecillos milites, inter alia dicit non defuisse optantibus & indigentibus balinei instrumentum. Sed eorum sententiam admodum probare nequeo, potiusque credo sub Rhinocerotis nomine nasutum aliquem a maledico poeta notari. Finis, cujus gratia lavabantur, non unus extitit. (de sanis loquor, & gymnasiorum studiosis; nam de ægrotantium & valetudinariorum lavationibus sermonem haberi non postulat locus) Primam balneorum institutionem semper fuisse existimavi, ut quotidianas sordes eluerent, possentque mundo corpore cenare, qui singulis diebus lavabantur: antiquitus enim cum nondum lineorum pannorum, qui corpora a sorditie tuentur, usus inventus, aut saltem infrequens esset, magnaque ex parte corpora nuda ferrent, a pulvere, & omni alia illuvie conspurcabantur, atque inde vel saltem ter quaterve in mense, vel, si semper mundi cenare gaudebant, singulo quoque die lavari cogebantur: quod posteriores, qui in gymnasiis ante exercitationes ungebantur, & pulvere, ac sudoribus conspurcabantur, ad eluendas sordes factitasse semper, & ob id in ipsis gymnasiis balnearum usum invectum rationi consentaneum est, sicuti namque primi illi locum, ubi juventus Romana exercebatur, Tyberi propinquum constituerunt, ne longius ad deponendas inter exercendum contractas sordes ire cogerentur, quemadmodum scribit (*a*) Vegetius: ita postquam gymnasia ob exercitationes instituta fuerunt, æquum erat & balnea ibi ad mundanda corpora construere. Ab hoc autem usu etiam semel tantum in die cenandi, & in stratis dum cenarent accumbendi, ut inferius copiose demonstrabo, consuetudo introducta fuit. Posteriori tempore majorem hominum partem balneis ob delicias, atque mollitiem usam esse clare constat, & præsertim tepidis, quibus exiccatas, hæc ab exercitationibus, vel sole, vel frigore ardentes corporis partes attemperabant. Nec solum dulcibus aquis, sed & medicatis ob delicias usos homines testatur Galenus in principio tertii de medicamentis localibus. Balneis aliquos uti consuevisse, quod non possent, neque ferrent cibos capere nisi loti, auctor est (*b*) Plutarchus, qui Titum Imperatorem hac de caussa interiisse, ex relationibus eorum, qui ægrotanti ministrarunt, prodidit. Quod etiam qui invalidum ad concoquendos cibos ventriculum habebant, ejus corroborandi, & cibos conficiendi gratia lavarentur, a (*c*) Posidonio medico relatum est; ut non temere (*d*) Plinius in medicos invectus sit, quod *persuasissent balneis ardentibus cibos in corporibus coqui, a quibus nemo non minus validus exiret, obedientissimi vero efferrentur*. Summatim ob quatuor caussas balnea in usu extitisse scribit (*e*) Clemens Alexandrinus, ἢ καθαρειότητος ἕνεκα, ἢ ἀλέας, ἢ ὑγείας, ἢ τὸ τελδυταῖον ἡδονῆς, *sive ob corpora mundanda, tepefaciendave, sive ob sanitatem, sive ob voluptatem*. Calidis balneis utebantur majores ad levandas lassitudines, necnon ad corpora emolienda: quæ ideo αὐθρωπογναφεῖα vacarunt. Calidis & tepidis ad conciliandum somnum; Frigida lavabantur, & ob voluptatem, & ut robustiores redderentur, calorque naturalis intro repulsus major evaderet; ideoque fere post calidas balineas ea adhibebatur. quem usum primos omnium Euphorbum Jubæ regis, & Antonium Musam Augusti medicos, fratres, monstrasse refert Plinius lib. XXV. c. VII. *Charmis* quoque medicus * *Massiliensis, damnato calidorum balneorum usu, hyberno tempore etiam frigida lavari hortabatur, atque in lacus ægros mergebat*, qua de re extat Senecæ adstipulatio, sese psychrolutrem vocantis. prætérquam quod etiam (ut referunt (*f*) Plinius, & Agathinus apud (*g*) Oribasium) ad prorogandam vitam, multaque alia præstanda, frigidam lava-

a *Epist. 86.* b *Lib. 7.* c *Lib. 9. epigramm. 75.* d *Sat. 7. versu 130.*

a *Lib. 1. de re milit. cap. 10.* b *In Lib. de tuend. valetud.* c *Ætius lib. 6. cap. 10.* d *Lib. 29 c. 1.* e *Lib 3. Pædag. c. 9.* * *Plin. lib. 29. c. 1.* f *Lib. XXXI. c. 3.* g *Lib. 10. colle cap. 7.*

tionem conferre opinati sunt; hæc enim de seipso refert Agathinus. *Equidem sæpenumero a cœna cum ægre in somnum delabor, propter æstum, in frigidam descendere consuevi; & mirabile est quam jucundam noctem transigam.* Qui balneas ingrediebantur publicas, ante decimum quartum annum nihil solvisse, testatur (*a*) Juvenalis.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Alii quadrantem balneatori dabant, & ob id balneum *rem quadrantariam* vocavit (*b*) Seneca, de quo (*c*) Flaccus.

—— dum tu quadrante lavatum
Rex ibis,

& (*d*) Juvenalis:

Cædere Silvano porcum quadrante lavari.

Queritur tamen (*e*) Martialis, quod pluris sibi balnea constarent ubi scribit.

Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. ——

Quod forsan vel ob diuturniorem moram, vel alterius rei gratia, & ipsi, & aliquibus aliis contingere poterat. Sat est, quadrantem commune pretium fuisse: quin & Antoninum Pium balneum sine mercede populo constituisse, tradit Julius Capitolinus, & Athenæus VIII. Deipnos. scribit apud Phaselitas fuisse legem, ut peregrini carius lavarent. propterea cum ita vili pretio liceret, nullum genus hominum a publico balneo arcebatur: pueri, juvenes, viri, senes, decrepiti, nobiles & ignobiles lavabantur: sed præ cæteris, phonaschos, cytharœdos, præcones, tragœdos, comœdos frequentare balnea solitos refert (*f*) Galenus, quod vocem oblæsam, & assiduis vocibus exasperatam aquarum dulcium humectatione curabant, integramque servabant. Hoc similiter videtur (*g*) Martialis in his de Menophilo versibus significasse.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in uno)
Solicitum voci parcere, Flacce, suæ.
Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Qui Menophilus comœdus erat, & sicuti cæteri, licet recutitus, infibulatus erat, atque sæpe cum Martiale in communi thermarum balneo lavabatur. Mulieres Lacedæmoniorum in balneis gymnasiorum lavari consuevisse perspectum est, & nedum in his, verum & una cum viris promiscue: quod tamen non in cunctis evenisse credendum est, quando Hesiodus scriptor antiquissimus balnei muliebris mentionem ibi facit.

Μηδὲ γυναικείῳ λουτρῷ χρόα φαιδρύνεσθαι
Ανέρα.

Id est:

(*h*) *Neque in muliebri balneo corpus abluito Vir.*

a *Sat.* 2. b *Ep.* 86. c *Lib.* 1. *serm.* d *Sat.* 6. e *Lib.* 10. *epigr.* 75. f 3. *de comp. med. s. G.* g *lib.* 7. *epigr.* 81. h *Hesiod. in fine.* 2. *ope. & die.*

Ubi & fœminarum lavationes etiam antiquitus apud Græcos distinctas fuisse, & viris eas ingredi ob salubritatem vetitum apparet: quod præter turpitudinem etiam a corporibus muliebribus, ac menstruis recrementis effluxus quidam exeant, ut Proclus meminit, quibus si viri inficiantur, tam per aquæ communis, quam per solius aeris ingressum statim eorum sanitas inquinatur. An apud Romanos primis illis temporibus eadem utrumque sexum promiscue lavandi consuetudo fuerit, neque prorsus inficiari, neque affirmare audeo: quoniam ex una parte gravitati, atque priscæ illi educationi Romanæ minime convenisse videtur: quando scilicet *nec parentibus cum filiis, nec socero cum genero lavari licuisse* tradit Cicero primo offic. lib. Ex altera Varronis testimonium mulieres una cum viris, si non eodem lavacro, eodem saltem loco etiam antiquitus lavisse comprobat, qui libro de analogia secundo tradit in balneo conjuncta fuisse ædificia bina, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur: præterea, C. Gracchus in oratione de promulgatis legibus idem confirmare videtur, cujus verba apud (*a*) Gellium ita leguntur: *Pudor enim non patiebatur utrumque sexum simul lavari, sed commoditas conjungi desiderabat.* Nisi dicamus ista omnia non de publicis balneis, quæ tunc vel nulla, vel angustissima & vilissima extitere, sed de privatis esse intelligenda: quemadmodum forsan (*b*) Vitruvius intellexit, ubi utriusque sexus lavacra conjungenda monstravit. verum enimvero posterioribus sæculis mulieres promiscuis balneis usas esse, quamplurimorum probatissimorum auctorum testimoniis comprobari potest, inter quos primo sese offert (*c*) Juvenalis, qui dissolutos Romanarum fœminarum mores carpens hæc scribit:

—— gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit, conchas & castra moveri
Nocte jubet, magno gaudet sudare tumultu.
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus & cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit,

ex quibus neminem esse existimo, qui non videat mulieres tempore Juvenalis publicas balneas adivisse, ibique & exercendo, & lavando sine pudore ullo viris se immiscuisse, quod similiter ejus tempestate (*d*) Martialis confirmavit.

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blatara? ——

& (*e*)

Cum te lucerna balneator extincta
Admittat inter bustuarias mœchas.

(*f*) Clemens Alexandrinus, qui sub Antonino & Severo floruit, in eo, quem Pædagogum inscripsit commentario non modo fœminas communes viris balneas, atque publicas in usu habuisse testatur, sed omni pudore deposito externis quibusque libidinis gratia sese nudas in ipsis spectandas præbuisse. Quos mores postea detestans Cæcilius Cyprianus hæc in libro de virginum habitu scripta reliquit. *Quid vero quæ promiscuas balneas adeunt: quæ oculis ad libidinem curiosis pudori, ac pudicitiæ dicata corpora prostituunt, quæ cum viros, ac a viris nudæ vident turpiter, ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant.* Cui

a *lib.* 10. *c.* 3. b *lib.* 5. *c.* 10. c *Sat.* 6. *vers.* 417. d *Lib.* 11. *in Blataram.* e *Lib.* 3. *in vetustinam.* f *Lib.* 3. *cap.* 5.

ſententiæ multa etiam ſimillima a D. Hieronymo in Epiſt. ad Lætam de filiæ inſtitutione fuere prodita. His itaque omnibus cuivis perſpectum eſſe poteſt, non pauco tempore eum morem & Romæ, & alibi perduraſſe, ut fœminæ atque viri in promiſcuis balneis lavarentur: quando etiam non defuerunt qui interdum hanc mulierum impuram procacitatem coercere tentarint: qualis fuit Hadrianus princeps, quem ſcribit Dion Caſſius viros diſcretos a fœminis lavari voluiſſe: ſicut & Marcum Aurelium Antoninum balnea promiſcua ſuſtuliſſe, eademque ab Heliogabalo renovata Alexandrum Severum prohibuiſſe, refert Capitolinus & Lampridius. Ob quod item aliquando cenſoria lex lata traditur, ut mulieres a promiſcuis balneis abſtinerent, nec commune lavacrum cum viris libidinis cauſſa intrarent, ſub repudii & dotis amiſſionis pœna: quod poſtea *in leg. fin. titul. de repud.* & *in authentica de nuptiis* pro ſancito receptum fuit. Qua ratione fieri poteſt, ut balneæ aliquæ muliebres in fœminarum dumtaxat uſum fuerint extructæ, quales Agrippinæ Auguſtæ Neronis matris: necnon Olympiadis in Suburra, & quas Ampelidem ac Priſcillam trans Tyberim ad evitandum forſan hominum conſpectum habuiſſe refert Victor. Tempus lavandi penes veteres, quemadmodum narrat (*a*) Seneca, fuit, quod *quotidie brachia & crura abluebant: toti nundinis ſolum lavabantur*. Cæterum poſt M. Pompeii ætatem cœperunt ſingulis diebus toto corpore lavari. Hora vero uſque a temporibus Homeri fere a pluribus obſervata fuit paullo antequam cibus ſumeretur, non deerant tamen Galeni tempeſtate, qui etiam a cibo, nulla valetudinis habita ratione lavarentur. ob quod ipſe rigorem ſine febre viſum tempore ſuo narrat, quem ætate antiquiorum medicorum, cum rari poſt cibum lavarentur, non eſſe viſum ſcribit. Ut plurimum autem major pars liberorum hominum prius exercebatur, deinde balnea ingrediebantur, nonnulli ſine exercitationibus lavabantur. Adnotavit (*b*) Galenus, antiquos poſt pilæ ludum calidis balneis lavari conſueviſſe: quod ſimiliter ante illum innuiſſe (*c*) Martialem eo verſu videri poteſt.

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis ſola lotus abire domum.

Nam dum hora balnearum appropinquaret, tintinnabulo quodam ſignificabatur, quo pilæ luſores, atque alii exercitatores ſtatim accurrerent: alioqui in *gelidiſſima virgine*, quam & *tactu jucundiſſimam, ſicut hauſtu Marcium*, refert (*d*) Plinius, & ſic dictam *quod nullis ſordibus pollueretur* tradit Caſſiodorus VII. 6. Var. jam clauſis thermis lavabantur; ſcribit enim Capitolinus, ante Alexandri Severi tempora nunquam thermas ante auroram apertas fuiſſe, & ſemper ante ſolis occaſum claudi conſueviſſe, ipſumque Imperatorem publicarum thermarum luminibus oleum addidiſſe, quo & in nocte paterent. quod etiam feciſſe Lyconem philoſophum juventuti Græcæ ſcribit Laertius in ejus vita. Non me latet quoſdam aliis horis laviſſe, ſed vel extra gymnaſia, vel in gymnaſiis gratia alicujus affectionis, aut alterius rei, vel conſuetudinis, ut ſcribit (*e*) Martialis de Fabiano.

Laſſus ut in thermas decima, vel ſerius, hora,
Te ſequar Agrippæ, cum laver ipſe Titi.

a *Epiſt.* 86. b *In lib. de parvæ pilæ luſu.* c *Lib.* 14. *epigram.* 163. d *Lib.* 31. *c.* 3. e *Lib.* 3. *epigr.* 36.

Hoc certum eſt, quod Vitruvius loco citato memoriæ mandavit, tempus lavandi maxime a meridiano ad veſperum fuiſſe conſtitutum, cum enim ſemel dumtaxat in die ſaturarentur majores, nullum tempus hoc ipſo opportunius habebatur, quod circa octavam diei horam paullo ante cenam erat, ut (*a*) Martialis teſtatum reliquit.

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,

&

(*b*) *Octavam poteris ſervare, lavabimur una.*

Hadrianus Cæſar referente Spartiano *ante octavam horam neminem niſi ægrum lavari voluit*, quam horam etiam Julium Cæſarem prioribus ſæculis ſervaſſe, conjicere poſſumus ex Epiſtola (*c*) Ciceronis ad Atticum, ubi de Cæſare loquens, hæc ait: *ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam ſeptimam, nec quemquam admiſit, rationes opinor cum Balbo; inde ambulavit in littore, poſt horam octavam in balneum, tum audivit de Mamurra, non mutavit: unctus eſt, accubuit, ἐμετικὴν agebat, itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & jucunde.* Sed an perpetuo illam vitæ rationem ſervaret Cæſar haud clare ex eo loco habetur; quando ejus ſolius diei rationem exponit, in qua ſecundum multorum conſuetudinem vomere deſtinaverat, atque ob id ἀδεῶς, id eſt, *ſine timore*, & jucunde ederat, biberatque, ut (quod erat (*d*) medicorum præceptum) varii generis potu, ciboque repletus poſſet, dum iret dormitum, vomere. ita namque locus ille (ἐμετικὴν agebat) intelligi judicio meo debet: quod ſicuti διαιτητικὴ a Græcis ſimplici vocabulo dicitur ea medicinæ ratio, quæ in rebus ad humanum victum ſpectantibus ſita eſt, & κενωτικὴ quæ ad exinanitiones pertinet, haud ſecius ἐμετικὴ eſt illa ἀγωγὴ, ſive ratio, quæ in rebus & modis vomitum parantibus collocata eſt. Tot itaque de balneis gymnaſiorum, ac privatis breviter dicta ſufficiant, quorum uſus cum apud antiquiores rarior eſſet, Aſclepiades Pruſienſis ætate Pompeii orator habitus ex illa arte nullum quæſtum trahens, cum ad medicinam ſe contuliſſet, in eaque magnam gloriam & auctoritatem brevi comparaſſet, ob blandimenta, quibus ægros curabat, ob perpetuam ſanitatis firmitatem, & quod Romæ quendam pro mortuo ad ſepulturam elatum miro gentium ſtupore, ut (*e*) Celſus (*f*) Plinius, & (*g*) Appulejus tradiderunt, vivere cognoverat, eum frequentiorem reddidit. Undecima, ac omnium poſtrema in gymnaſiis pars fuit *ſtadium*, ubi populus cum voluptate athletas certantes ſpectabat: nilque aliud erat, quam hemiſphærium quoddam, multis gradibus conſtructum, unde poterant commode ſpectatores, qui ſemper plurimi eo confluebant, certatores intueri. An autem inter ipſum & xyſtum, ſeu peridromidas murus intercederet; atque inde per hoſtium ex platanonibus gymnaſiorum athletæ in arenam ſtadii prodirent, etſi a Vitruvio nil explicatum habeatur, rationi tamen conſentaneum videtur, univerſum ædificium, ne cuivis pateret (quod etiam ſupra citati Capitolini teſtimonio comprobari poteſt) muro concluſum, & propterea a gymnaſio ſtadium muri ſepto diviſum fuiſſe. De aliis gymnaſio fere neceſſariis locis, veluti lignario, vaſario, latrinis, tricliniis, atque ejus generis multis non loquor, quod horum in palæſtrarum deſcriptione mentio non habeatur, ad no-

a *Lib.* 4. *epigr.* 8. b *Lib.* 11. *epigr.* 53. c *Lib.* 13. *Epiſt. ultima.* d *Hippo. in lib. de ſal. diæta & ibi Gal.* e *Lib.* 2. *cap.* 6. f *Lib.* 26. *cap.* 3. g 4. *Florid.*

ſtrum-

ſtrumque inſtitutum minus pertineat: ſicut nec quomodo ambulationes illæ ſubſtratis carbonibus, atque cloacis proximis extruerentur. Quæ omnia tanquam clara, aut alibi commodius explicata, a Vitruvio in deſcribendis xyſtis prætermiſſa puto. Juxta publicas thermas invenio extructas fuiſſe popinas, quas Iſidorus lib. etymolog. xv. cap. II. tradit huic inſerviſſe, ut qui ob exercitationes aut lavacra eſſent admodum exinaniti diſſolutive, haberent, ubi ſtatim refici poſſent. atque has forſan Plinius intellexit Epiſt. III. lib. I. quando poſt balneum & triclinia popinarum meminit. Hactenus de antiquorum gymnaſiis.

CAP. XI.

De accubitus in cena antiquorum, & ſemel dumtaxat in die cenandi conſuetudinis origine.

QUoniam balneorum explicatorum occaſio jam ſuadet, noſque ſupra polliciti ſumus de cenandi ſemel in die, & in cena accumbendi antiquorum conſuetudinis origine ſermonem habere; etſi extra rem noſtram videatur, atque a Galeno de accubitu nihil explicatum habeamus: haud prætermittendum eſt, quin ſententiam noſtram in medium proponamus, alias eam libentiſſime mutaturi, ſi quis meliori judicio, ac eruditione præditus, veriorem aliquam, & magis rationi conſentaneam demonſtraverit. Quod etenim majores noſtri mane exiguum quid comederent, quod prandium vocabant, & veſpere tantum ſaturarentur, dum cenare dicebantur, (exceptis iis, qui coitu uſuri erant, quibus a medicis veſpere cenare interdictum fuiſſe ſcripſit (*a*) Ariſtoteles, & exceptis Syracuſanis, quos bis in die cibis impleri, quaſi res nova eſſet, tradit Plato) ſatis ab Horatio, Martiale, Plutarcho, atque Galeno (ne multos alios nominem) comprobatum eſt: ſed his fuſius & melius in variis lectionibus noſtris tractatum eſt, quod ſimiliter fere omnes dum cenabant in ſtratis accumberent, præter lapides Romanos, *quos hic damus*, id clare oſtendentes, doctiſſimus Philander in ſuis in Vitruvium commentariis auctorum antiquorum teſtimoniis clarum fecit, ut id amplius demonſtrandi laborem mihi omnem dempſerit. Cæterum unde nam hæ duæ conſuetudines principium acceperint, & quomodo vere accumberent, nemo, quem ego viderim, ſive ex recentioribus, ita appoſite & diligenter declaravit, quin poſteris dubitandi, & plura deſiderandi occaſionem reliquerit. Quod an ob rei obſcuritatem, an ob neglectum evenerit, ignoro. Ego ſane utraſque illas, & accubitus ſcilicet, & unius in die cenæ conſuetudines a balneorum uſu manaſſe exiſtimo, & primo ut ita de accubitu ſentiam, pluribus, iiſque non ſpernendis conjecturis adducor, quarum prima eſt, quod (*a*) Homeri tempore, quando non adeo frequenter balneis utebantur, cenaturi ſedebant, ut in convivio Procorum apparet.

> Ες δ' ἤλθον μνηςῆρες ἀγήνορες· οἱ μὲν ἔπειτα
> Εξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Id eſt:

> *At proci ingreſſi ſunt, qui mox inde ſuperbi*
> *Ordine ſederunt ſcamnis, & ordine thronis.*

& ubi Telemachus, ejuſque ſocius a Menelao hoſpitio accepti poſt lotionem cenant ſedentes.

> Ες ῥὰ θρόνους ἕζοντο παρ' Ατρείδην Μενέλαον.

Id eſt:

> *Thronis ſedebant prope Atridem Menelaum.*

ſicque tempore majoris Scipionis ac Plauti, creſcente paullatim balneorum uſu, una quoque hujuſmodi accubitus incrementum, præſertim apud Romanos cœpit; neque tamen multum, quando ſcilicet viri tantum, & non mulieres, ut Vitruvius, Valerius Max. & Iſidorus ex Varrone teſtati ſunt, accumbebant, nec cum ipſis lavabantur, etſi Tyrrhenos una cum mulieribus ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ accubuiſſe legatur apud Athenæum. Nam & Ariſtotelis tempore Græcos diſcubuiſſe in publicis cenis credi poteſt ex ejus in VII. Politic. ſcriptis, ubi puerorum inſtitutionem tradens junioribus præcepit, ne tragœdias, aut jambos audirent, priuſquam in commeſſationibus cum aliis diſcumbere (κατακλίσεως voce utitur) valerent: a Pompeii vero Magni ætate uſque ad Galeni, atque etiam Conſtantini Imperatoris tempora, cum in frequentiſſimo uſu balnea eſſent, non ſolum penes divites atque nobiles, verum etiam quoſcunque alios, tunc omnes fere, atque etiam mulieres

a 3. *partic. Probl.* 32.

a *A. Odyſſ.*

Lateranenſis & Mutinenſium marmorum formæ, accubitum probantes.





cenantes simul accumbebant, sicuti hisce versibus innuit (*a*) Ovidius.

Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi,
Atque erit in socii fœmina parte tori.

& (*b*)

Cum premit ille torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis, ut accumbas;

& sicuti (*c*) Valerius idem de ætate sua scribit. Quamquam *apud Græcos numquam mulieres accubuisse* 1. Verr. tradit Cicero, & apud Romanos diverso situ mulieres a viris accumbentes cenasse
E rationi consentaneum est: non solum, quod honestatis atque dignitatis utriusque ratio ita postulasse videtur, sed quia in Romanis lapidibus, in quibus mulieres cum viris accumbentes repræsentantur, illæ certe figura quadam ab ipsis aliquo pacto diversa, quasique sedentes, & nulli alteri rei cubitis innixæ accumbentes & edentes conspiciuntur. At quo pacto viri accumberent, operæ pretium me facturum auguror, si postquam locus invitat, breviter explicuero. Viros enim scribit (*d*) Plutarchus, in principio cenæ cubito sinistro
F innixos pectoribus (ita interpretor πλατεῖς) mensam, ut plurimum tetigisse: quo sola dextera manu illam circumire possent, in fine vero se ipsos in latus ita, ut acutam corporis figuram redderent, vertisse. οὐ κατ' ἐπίπεδον, ἀλλὰ κατὰ γραμμὴν τῆς χώρας ἁπτομένους. id est: *non secundum latitudinem, sed longitudinem locum tangentes*. Quam etiam rem Alexander ille, sive sit Aphrodisiensis, sive Trallianus, (ut magis suspicor) libro problem. primo, probl. 82. clariorem facit: ubi inter alias caussas,

a 1. *De arte amandi*. b *Lib.* 1. *amor. eleg.* 4. c *Lib.* 2. *cap.* 1. d 5. *Sympos. Probl.* 6.

D ob quas veteres in principio cenæ arctius accumbebant, hanc esse unam putat, quod tunc ἐπὶ τὸν θώρακα καὶ τὰ πλάτη τοῦ σώματος disponebantur: satiati vero ἐπὶ τὰ πλάγια vertebantur. ita quod ubi edebant, capite erecto ac humeris, spina vero dorsi modice reflexa, ac reliquo corpore resupine locato, & jacente manebant. dum autem multa loqui volebant in latera versus auditores vertebantur, ob quod (*a*) Juvenalis.

—— —— *Nam plurima dixit*
In lævam conversus; at illi dextra jacebat
E *Bellua; sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus*
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.

Saturati pariter interdum unum in latus, nonnumquam supra dorsum supini, sæpe more sedentium sese componebant. Sertorium enim, cum molestas importunorum convivarum rixas, & fraudulenta convicia aversaretur, mutata discumbendi forma sese supinum locasse, atque inde facilius ab iniquissimis, qui in eum conjuraverant, convivis trucidatum esse in ipsius vita narrat Plutarchus. Quod accubitus in mensis apud veteres hunc in
F modum fieret, præter allata scriptorum testimonia locupletissimam fidem unicuique facere possunt duæ, quas infra ponendas curavimus, picturæ, quarum alteram ad tripodem cenantium, ut plerumque solebant, Ligorius maximæ auctoritatis antiquarius ex vetustis monumentis communicavit, alteram ex antiquissimo, & omnium rarissimo marmore, quod in Paulli Rhamnusii viri optimi, bonarum litterarum, omniumque pulcherrimarum rerum studiosissimi, luculentis ædibus Patavii con-

a *Satyr.* 4.

spicitur, accurate & fideliter repræsentari fecimus. Ex hac namque postrema, non modo sententia nostra de vera accubitus forma, quam primi forsan omnium Romæ Octavio Pantagatho, Onuphrio Panvino, aliisque gravissimis viris, & postremo Patavii Ligorio, absque marmoris ullius testimonio, ac sola conjectura proposuimus, librorumque auctoritatibus tutati sumus, apertissime confirmatur, quæque fuerint veterum triclinia perspicuo cognoscitur, immo vero Lambini, ac aliorum qui ex ingeniis accubitum variis modis describere aggressi sunt, opiniones refelluntur, simul plura scriptorum obscura & præclara loca illustrantur, ut non immerito debeant cuncti bonarum artium, & antiquitatis amatores in primis doctissimi viri Joann. Baptistæ, qui lapidem comparavit, manibus; tum Paulo Rhamnusio filio, qui eum egregie custodivit, & nobis indicavit, immortales gratias agere. Etenim ei quod (*a*) Plutarchus de loco consulari, nec non de tribus tricliniorum lectis disseruit, jam non obscurum est, quam mirifice quadret proposita triclinii Rhamnusiani figura. Similiter, & quæ ab (*b*) Horatio de convivarum situ variis in locis narrantur, non aliunde melius intelligi possunt, præsertim quando scribit.

Sæpe tribus lectis videas cenare quaternos:
E quibus unus avet, quavis aspergere cunctos
Præter eum, qui præbet aquam. ——

Quem locum dum Lambinus exponeret, cur antiquos consuevisse in quolibet lecto magna ex parte quaternos cenare palam asseruerit, sane miror, quasi non sit cuique perspectissimum, ut narrat (*c*) Varro, leges extitisse quæ *numerum convivarum novem excedere, nec pauciores tribus* esse vetabant, sicut & adagium illud vulgatissimum *septem convivium, novem convicium*, attestatur. D Quinimmo Julius Capitolinus refert L. Verum Imperatorem præter exempla majorum, *cum duodecim solemni convivio primum accubuisse*, ita ut prioribus sæculis potius ternos, atque pauciores adhuc singulo lecto convivas discumbere solitos fuisse convincatur: nisi epula publica, & nuptiales cenas excipiamus, in quas cum magna hominum copia conveniret, nequaquam accumbentium numerus servari poterat, ut ex (*d*) Plutarcho, ac Rhamnusiano lapide colligitur, quo vel epulum publicum, vel nuptialem cenam repræsentari non est dubitandum, ut ob hoc Chacrephon apud Athenæum in VI. videatur admittere convivas E triginta dumtaxat in nuptiis, in quibus verisimile est necessarium fuisse *vocatorem* illum, cujus meminit Seneca lib. III. de ira cap. XXXVII. & qui secundum cujusque dignitatem convivas ad loca debita vocabat. Quod autem Turnebus & Lambinus idem de puero aquam præbente sunt interpretati, equidem non improbo, at forsan nec absurdum fuerit, si Flacci verba de eo puero exponantur, quem tam omnes fere mensarum sculpturæ antiquæ; quam poetarum testimonia conviviis semper frigidam & calidam præbuisse ostendunt, quemque cunctos, ne ab ipso male tractarentur, reveritos esse, & a quo mordendo abstinuisse verisimile fit. Jam vero Maria Magdalena ut stans retro pedes Christi cenantis laverit, atque Joannes supra ejusdem Christi pectus recubuerit, ex hac eadem Rhamnusiani triclinii figura, secus quam pictores antiquarum rerum ignari faciant, & quam Gajeta-

A nus Cardinalis inutiliter commentatus est, facile conjicitur, etenim Hebræos ac Christum accumbendi Romanorum consuetudinem observasse præter *Architriclini accubitusque* nomen, in Evangeliis sæpe usurpatum, etiam id testari potest, quod Judæi frequenter Romæ conversarentur, similiterque Romani in Judæa, ac in usu positum sit ut populi principum mores frequenter æmulentur, neque pariter arduum est percipere quid (*a*) Martialis significare hoc disticho voluerit.

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
B *Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?*

Siquidem cenantibus alte jacentibus spacia retro relinquebantur, in quibus servis varia ministrantibus multa offerre, & ablata recipere facile erat, servos namque ad pedes cenantium stare ac ob id *a pedibus*, vel *ad pedes vocari* solitos ex multorum scriptis intelligere licet. (*b*) Seneca libro III. de beneficiis. *Servus qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quod inter cenam ebrius dixisset.* (*c*) Martialis. *Mixto lagenam ad pedes replet vino.* Sue-
C tonius in Galba cap. XXII. *inter cenam vero usque eo abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet spargique ad pedes stantibus.* Theophrastus in Characteribus hunc morem dandi ex mensa servis a pedibus tribuit impudenti, de quo etiam Athenæus initio libri quarti. Lucianus in lapithis, & Lucilius secundo epigramm. græc. titul. in gluttones. Sed præter alia mox dicta, triclinium hocce tria non adeo vulgata monstrat no-



F bis. Unum est, quod memoriæ prodidit Varro, scilicet quo tempore usus cameræ ignorabatur, vela ad excipiendum pulverem, ne super mensas spargeretur, atque dapes simul conspurcaret & convivas, solita in tricliniis suspendi, atque ab (*d*) Horatio *aulæa* vocata, his carminibus designari.

a *lib. de sympos. probl.* 3. b *Lib.* 1. *Serm. Sat.* 4. c *Gellius lib.* 13. *cap.* 11. d 5. *Symp.* 5.

a *Lib.* 3. *epigr.* 23. b *Cap.* 27. c *Lib.* 7. *in Sanctram.* d *Lib.* 2. *Serm.*

Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere trahentia pulveris atri
Quantum non aquilo Campanis excitat agris.


quem morem hodie principes & monarchas servare compertum est: apud quos mensas sub quibusdam veluti tentoriis sericeis parari sæpe videmus. Alterum est, quod in *variis nostris lectionibus* docuimus, priscis illis temporibus priusquam coronæ ex floribus, herbis, & auro in usum venirent, cenaturos, cum ad dolores capitis ex cibo & potu averruncandos, tum ad ebrietatem compescendam, laneis, aut lineis vinculis tempora & frontem vincire solitos. quod minime puto absque ratione fuisse excogitatum, cum venæ, arteriæ, cæterique capitis meatus, quo magis coacti atque adstricti sunt, eo minus vapores a vino & cibis sursum elatos, simulque molestias varias inducentes recipiant. Tertium est, id quod luculentissime (*a*)

a *Deipnosophist. lib. vi. cap. 7.*

A Athenæus tractavit, apud quem scriptum & probatum invenitur, priscos illos primum cornibus boum potasse, indeque κεράσαι, id est *temperare vinum aqua* ἀπὸ τῶν κεράτων, id est, a *cornibus* vocatum esse: tum cornua illa non solum auro & argento ornata, verum etiam argentea, & aurea esse facta, illisque convivas sibi ipsis mutuo propinare consuevisse: ut ex his omnibus jure colligendum videatur, lapidem Rhamnusianum esse vetustissimum, in quo & aulæa, & convivarum cinctæ laneis, seu lineis vinculis frontes, & cornu facta propinatio clarissime repræsentantur, una cum aliis instrumentis nonnullis in dextro margine B expressis, quæ aliis, in antiquitate explicanda magis versatis, relinquo declaranda; quos etiam monitos cupio, ne, si quæ discumbentium & mensarum figuræ in hoc ipso triclinio minus integræ conspiciuntur, ulla admiratione capiantur, quoniam ut est hodie marmor ipsum vetustate corrosum, & pene deletum, repræsentare satius duximus, quam addentes aut dementes quicquam, fidem nostram suspectam reddere.

MARMOREUM TRICLINIUM VETUSTISSIMUM

Patavii, in Ædibus Rhamnusianis, post Curiam Urbis Præfecti, in vico Patriarchæ, ad Divi Petri.



Nunc itaque ad id quod supra proposueram rediens dico, cum & lavandi, & accumbendi mores simul introduci, augerique cœperint, verisimile fieri, alterum eorum ab altero ortum duxisse: non autem est dicendum ab accubitu balnea, utpote valde antiquiora, ortum duxisse: igitur remanet, ut accubitus a balneis principium habuerit. Secunda ratio est, quod veteres usque ab Ho-

F meri temporibus statim post balnea cenitabant, quinimmo ex locis Homeri a nobis supra citatis clare elicitur, mensas prope locum ubi lavabantur, parari solitas fuisse: ex quo si commoditatis, voluptatis, ac valetudinis rationes consideremus, valde rationi consentaneum erat, illos præsertim, quibus privata erant domi balnea, jam lotos & detersos, ne noxam ullam incurrerent, sed lassitu-

dinem effugerent, lectulos ingredi, a quibus non discederent, sed mox prope mensas & cenam parari curarent, sicque comederent, perinde ac tempestate nostra major pars eorum medicorum faciendum jubet, qui aut valetudinarios, aut etiam sanos lavari mandat, nam κλισμοὶ illi, in quibus procos lotos Homerus sedere facit, dum cenant, haud multum lectulis accubitoriis dissimiles erant, ut hinc quoque conjicere valeamus, tunc accumbendi morem principium quoddam obscurum habuisse; quod posterioribus deinde seculis paullatim crescens in eam formam terminatum sit. Nam & (*a*) Plinius hoc innuere voluisse mihi videtur, quando nonnullos vino nimium deditos improbat, quod post balnea lectos ingredi prius, tunicamque induere non paterentur; sed nudi protinus ad bibendum accurrerent. Accedit tertia ratio, quod cum neque ob voluptatem, commoditatemve ullam aliam, aut honestatem ita accumbere inchoarint, quando si sedentes atque accumbentes in cenando invicem comparemus, illi valde majori commoditate, facilitate, dignitate, ac honestate utuntur, quam accumbentes: conjiciendum videtur aliqua alia justa ratione consuetudinem illam invectam fuisse, quæ opinione mea, nulla alia fuit, nisi quia quotidie lavabantur; a lotione ne offenderentur, lassitudinemve incurrerent, & humectatione balnei magis fruerentur, lectos ingrediebantur, atque ibi vel lacerna, alias veste nuptiali vocata, induti, vel nudi, ut in marmoribus aliquibus ostenduntur, mensas sibi ipsis apparari jubebant. Ex quo paullatim hujuscemodi consuetudine crescente factum fuit, ut non modo semper mensæ & lecti simul pararentur, verum etiam magnum dedecus foret, si quis cenans non accubuisset, ut ex hisce (*b*) Plauti in Sticho verbis colligitur:

—— potius in subsellio
Cynice accipiemur, quam in lectis. ——

& ut (*c*) Martialis significavit, ubi Syriscum damnat, quod in popinis sellulariis non accumbens cenaret. Excipio tamen in bello versantes ubi non est verisimile ullos accumbere potuisse, cum etiam Augustum inter alios cenantem sedere solitum se vidisse in exercitu narret Paterculus lib. II. Quod si quis sententiæ nostræ id refragari velit, quod verisimile nequaquam videtur in epulis publicis, in nuptiis, in cenis privatis, semper balnea ante cenam adhibita, ut eorum gratia in lectis accumberent; & quod magna pars hominum in publicis balneis gymnasiorum lavabantur; in privatis vero domibus cenabant; unde necesse erat exeuntes ab ipsis indui, & præterea minime credendum esse, artifices, & omnes denique qui accumbendo cenabant, semper antea lavisse, quando præsertim, ex Plauto, Terentio, & ex lapidibus Romanis scitur accubituris soccos & soleas detrahi solitum: quod argumentum est, eos non semper a balneis tunc discessisse, & quando similiter constat triclinia a balneis separata fuisse, atque lectos accubitorios & cubicularios, in quibus dormiebant, diversos extitisse. Huic primo respondeo, minime mihi plene constare, quod omnes indiscriminatim semper accumberent, ubi certum est de nobilioribus, atque ditioribus, qui privatas domi balneas habebant, quando (*d*) Horatius privatam sui ipsius vivendi rationem exponens, accubitus nullam mentionem fecit, quando (*e*) Martialis eos, qui in sellulariis, vocatis tabernis comedebant minime accubuisse significat, ubi de Syrisco in hunc modum loquitur:

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea, quatuor peregit.
O quanta est gula centies comesse!
Quanto major adhuc nec accubare!

Sed esto quod accumberent, quin etiam omnes lavarentur, minime negari potest, cum vel rarissime, vel nunquam de accubitu apud auctores mentio habeatur, quin lotionem quoque aliquo pacto nominari appareat. De publicis epulis atque nuptialibus conviviis, fateor quidem omnes in stratis tunc accubuisse: haudquaquam tamen jure quis inficiabitur, quod etiam quilibet ante separatim, aut simul in privatis, aut publicis balneis non lavaretur: immo verisimile fit, accessuros ad publica, vel privata amicorum convivia prius se lavisse, ne sordibus in die necessitate quadam contractis infecti, ceteros mundiores perturbarent, & propterea ipsis nunquam non stratos fuisse lectos, jam vero soleas & soccos accubituris detrahendi mos certum argumentum est prius sese lavare consuevisse, ac ne inter eundum a balneis ad lectos pedes conspurcarentur iis tegere consuevisse, dumque accumberent semper detraxisse, ac forte Apostolos lotos, dum ad cubitum cum Christo irent neque soleas, neque soccos, quibus minime utebantur, habuisse; propterea audivisse a Christo sese quidem lotos fuisse, sed ut pedes lavarentur indiguisse. Addo huic nequaquam me sentire posterioribus seculis omnes propterea accubuisse cenantes, quia statim e balneis exirent, sed existimo accubitus originem inde emanasse, quoniam antiquiores balneis egredientes ad jam contractam, aut futuram lassitudinem vitandam post modicum temporis intervallum lectos intrarent, atque ibi modo nudi, modo lacernis, aliisve in id paratis vestibus induti cenarent, atque inde mox aucta balneorum consuetudine usque adeo accumbendi morem crevisse, ut nobiliores in deliciis maximis eum habentes, lectos nunc marmoreos, nunc argenteos (quod de Heliogabalo ferunt) in id separatim extrui curarint, neque in iis, in quibus tamen quam plures, (ut de Lucio Vero Imperatore tradit Capitolinus, & præsertim pauperes dormire consuevisse puto) sed in cubicu-lariis vocatis dormire voluerint: quem morem accumbendi postea viliores & pauperes ad ditiorum imitationem, tam a balneis, quam illoti, ita frequentissimum effecerunt, ut Columella præcipere coactus sit, *ne villicus nisi sacris diebus accumbens cenaret;* in qua re non secus contigit, ac evenisse conspicitur in balneis, atque plurimis aliis rebus, quæ in honestum usum, & quasi necessitate quadam primum repertæ, deinceps ad luxum, lasciviam, voluptatem, aliosque usus traductæ fuerunt. Quis est, qui nesciat veteres in conviviis omnes prope excogitasse voluptates, nihilque reliquisse, quod ad deliniendos animos faceret: sic enim sermones convivales ad animi intelligentias afficiendas magno studio invenerunt, ad auditum oblectandum musicæ varia genera adhibuerunt, unguenta pretiosissima odoratui dicarunt, sicut & coronas ex foliis floribusque contextas, quas modo manibus, modo collo, modo capite ut lapides Romani, (*a*) Plutarchus, (*b*) Galenus, & (*c*) Clemens Alexandrinus testantur, tenebant;

a *Lib.* 14. *c.* 22. b *Act.* 5. *scen.* 4. c *Lib.* 5. d *Lib.* 1. *Serm. Sat.* 6. e *Lib.* 5. 70.

a 3. *Symp. Prob.* 1. b 6. *De simp. c. de anetho.* c 2. *Pædag. cap.* 8.

A quo fragrantia & colore naribus atque oculis arriderent, somnum conciliarent, ebrietatem vitarent: quantum porro cibis & potibus delicatissimis conquirendis studium adhibuerint, non modo fidem faciunt sexdecim illa eduliorum genera, ut ex Varrone refert (*a*) Gellius, a longinquis regionibus Romam advecta, atque alia quamplurima a Julio Polluce nominata, verum etiam multa, & prope innumera auctorum de re coquinaria commentaria ab Athenæo citata.

De antiquorum in die semel tantum sese cibis implendi consuetudine, ejus etiam opinionis sum ut cum ad emundanda corpora quotidie ante cibos, ut superiori capite diximus, veteres lavari B cogerentur, & a lotione lectos ingrederentur, vix semel comedendi in die otium ipsis suppeteret: quoniam si privata cujusque negotia spectemus, si & exercitationum, & balneorum, accubitusque apparatum consideremus, magna temporis pars ipsis insumitur, ut si bis in die saturari voluissent, aut negocia omittere, aut balnea interdum ventre pleno adire, aliosque multos errores, & in valetudine, & in alia vitæ ratione committere fuissent coacti. Comedendi vero horam & modum balneorum tempore atque commoditate metiri institutum fuisse possumus a (*b*) Galeno intelligere, C qui si interdum ob ægrotantium inspectiones tardius se lavandum dubitabat, panem mane sumebat, quo cenæ tempori sufficere valeret, quando alii simili de caussa, panem, vinum, olivas, aut quid aliud cupiebant, uti non modo Galenus fassus est, sed etiam (*c*) Horatius, ubi de se scribit:

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare. ——

Quod porro vespertinam horam cenæ dedicarint, in caussa fuisse præcipue vitæ commoditatem existimo: siquidem difficile fuisset post exercitationes, balnea, & cibum, agendis rebus operam navare; præterea cum accumbentes cenarent, alii statim somno capiebantur, alii modico temporis spatio vigilantes dormitum ibant: ex quo ad hæc omnia nulla opportunior hora quam vespertina inveniebatur, quamquam etiam nonnullos, & præsertim medicos in hoc valetudinis quoque rationem spectasse opinor, quando in nocte melius, quam interdiu, cibi conficiuntur, tuncque perspicuum est plus edendum, quando plus coquitur. Hæc sunt quæ de accubitus & cenæ antiquorum origine mihi παρέργως dicenda volui.

a *Lib. 7. c. 26.* b *6. de tuend. valetud.* c *Lib. 1. Serm. Sat. 6.*


APPENDIX

Ad caput antecedens ubi iterum de accubitu, triclinio, & de MARIÆ MAGDALENÆ *historia tractatur.*

IN antecedente capite dum accubitus veterum rationem afferre multis seculis ante ignotam tentassem, ex ejusque notitia significassem intelligi posse Mariæ Magdalenæ factum illud a Luca Evangelista fideliter narratum, quando illa *discumbentem Christum apud Pharisæum reperit, illiusque pedes lachrymis lavit, capillis tersit, & unguento precioso unxit*, complures meis rationibus incitati eam mulieres actionem repræsentare, & sine coloribus, & cum coloribus sunt conati, quo factum est, ut ejusmodi figura tam solis typis, quam etiam coloribus expressa in varios orbis locos sit divulgata; & quamvis plerisque ejusmodi repræsentatio tamquam verbis Evangelii mirum in modum consona, maxime vero pictoribus, qui hactenus sese fefellisse agnoverint apprime arriserit, attamen non defuerunt, quibus illud nunquam probari potuerit, tum quia ejusmodi accu-



bitus sibi valde indecorus, atque a Christi vita & D moribus alienus, simulque edendo & bibendo non parum incommodus videretur, tum quia a cunctis præsertim antiquioribus Evangelii interpretibus sit penitus ignoratus, aut saltem omissus, minimeque consideratus, tum quia a pictoribus nunquam ne somnio quidem aut cogitatus, aut ullo modo expressus invenitur, quasi vero haud sit verisimile potuisse tanto tempore, totque peritos artifices, atque doctissimos interpretes latere rem non ita exigui ad percipiendam Evangelii veritatem momenti. Petrus Ciacconius, & Fulvius Ursi-



nus rerum antiquarum peritiſſimi, quique multis
annis poſt meam gymnaſticam de triclinio ſcripſe-
runt, proculdubio ad veritatem accubitus acceſ-
ſerunt, atque ſi æquus lector noſtras cogitationes
illorum ſcriptis comparare velit, certe ſtatim ani-
madvertet, fere quicquid hac de re boni dixerunt,
e noſtro libro accepiſſe, præterita tamen memo-
ria, ſecus quam fecit eruditiſſimus Galliæ ocellus
Petrus Faber, qui non modo ſumma ingenuitate
in libris ſuis agoniſticis incredibili doctrina refertis,
non erubuit profiteri ſeſe magnopere ex libris de
re gymnaſtica noſtris profeciſſe, verum etiam ſe-
getem, quam ego primus illius pene obliteratæ
artis renovavi, ita ſingulari ſtudio & ubertate pro-
pagavit, exornavitque, ut ab omnibus pro tanto
beneficio ſibi gratias immortales agi mereatur. Ita-
que ut omnem ex animis dubitantium eximam
ſcrupulum, & aliquid majoris lucis tantæ rei ob-
ſcuritati afferam, a compluribus quoque rogatus,
nonnulla hoc in loco tam de ipſo accumbendi ri-
tu, quam de ipſius Magdalenæ ſitu, & operandi
modo adjicere deliberavi, ratus me hoc labore id
effecturum, ut gentes tandem, re ipſa melius
conſiderata, paullatim incipiant vetuſtum erro-
rem exuere, atque ſimplicibus animis pictura ve-
ram ejus facti hiſtoriam piis & veritatis amantibus
repræſentare. Quod itaque veteres tam Græci,
quam Latini, atque Hebræi epulantes accumbe-
rent, nomen ipſum apud haſce cunctas gentes re-
ceptiſſimum facile perſuadere poteſt, quemadmo-
dum a paucis dubitatum invenio, quin triclinio
pro commode & faciliter edendo atque bibendo,
paſſim aliquot ſeculis uſi ſint. Quid autem proprie
antiquis eſſet triclinium non ita ab omnibus con-
feſſum habetur. Etenim qui nuper ad Athenæum
eruditiſſimas animadverſiones haud ſine magna
laude in lucem miſit Caſaubonus, monſtraſſe ſibi
perſuaſit, triclinium interdum fuiſſe acceptum
pro ipſo habitaculo, ubi lecti ſternebantur, pro-
ptereaque πεντάκλινον, δεκατρίκλινον, δωδεκα-

A τρίκλινον inveniri nominata, prout pauciores plu-
reſve lectos capiebat, neque ipſe id abnuo apud
aliquos fuiſſe ſic appellatum, ſed quia in illo A-
thenæi convivio unuſquiſque in medium id pro-
ponere conabatur, quod infrequentius erat, at-
que aliquam ſcitu dignam raritatem habebat, ic-
circo exiſtimandum eſt illud perquam rarum exti-
tiſſe, & ſicuti quæ gentes Romanis ſerviebant,
ceteros ipſorum mores imitabantur, ita credere
oportet, & in nominando, & in utendo tricli-
nio eundem eſſe ſenſum ſecutos, quem & regina
urbium Roma ſequebatur. Atque de boc ipſo
cum loqueretur antiquus & gravis ſcriptor Ser-
B vius in Comment. ad primum Virgilianæ Ænei-
dos, dixit veteres ſtibadia non habuiſſe, ſed ſtra-
tis tribus lectis epulaſſe (unde triclinium ſterni di-
ctum) atque eos errare, qui vocant triclinium ip-
ſam baſilicam, vel cenationem, Neque minus fal-
luntur, qui putarunt tripodas illos, de quibus
mentio eſt apud Athenæum ex Eubolo comico, &
in quibus duo vel tres edentes repræſentantur in
marmoribus vetuſtis fuiſſe triclinia, quandoqui-
dem nulla ibi trium lectorum imago, neque accu-
bitus conſpicitur, ſed ſunt dumtaxat ſepulchra-
lium cenarum effigies, de quibus tractant, qui
C ſepulchrales veterum ritus deſcribere ſunt aggreſ-
ſi. Et Ulpianus, qui apud Athenæum ejus vocis
inſolentia offenſus eſt, tamquam indignum men-
ſæ nomine reputavit. Neque vero alia forma tri-
cliniorum & accubitus eſt quærenda ab ea, quam
ex antiquiſſimo Ramnuſiano marmore nos primi
in gymnaſtica dedimus, & in qua præter lectos
tres, veſtigia ſatis manifeſta conſpiciuntur ejus
menſæ, quæ quod quattuor pedes haberet, uſus
obtinuit apud Græcos, ut vocaretur τράπεζα. Hu-
juſmodi autem triclinii & menſæ, tametſi non a-
deo frequentes figuræ inveniantur in marmoribus,
arbitrandum eſt id eveniſſe, quod de pleriſque ma-
jorum noſtrorum rebus, quæ quod populares &
vulgatiſſimæ eſſent, eas ad poſteros conſignare mo-

numentis neglexerunt, sicut locupletissime in libello *de rebus deperditis* docuit nuper Guidus Pancirolus. Neque vero simile prædicto marmore quicquam aliud fictum, vel falsum repræsentari, quam ipsummet triclinium, atque accumbendi seu discumbendi morem tunc usitatissimum, ut plenius in primo de gymnastica ostendimus. Verum etsi hæc satis comprobata videantur, illud tamen a plerisque in controversia ponitur circa Mariæ factum, scilicet utrum Christus ita jaceret, sicuti pictura declarat, an potius sederet, sicut hactenus pictores omnes finxerunt. Pro qua lite dirimenda, (quæ aliquid facit pro intelligentia textus sancti Evangelistæ) duo sunt constituenda; unum est, haud potuisse aliter Christum fuisse collocatum, si quod Lucas capite septimo scripsit, verum esse debet; alterum est, utrum Hierosolymis tunc in usu esset more Romano discumbentes epulari, an potius sedentes. Quod spectat ad primum propositum, tria Evangelista dicit maxime ad rem nostram facientia: quorum primum est, Mariam audivisse Christum discubuisse apud Pharisæum, atque statim ingressam ad eum fuisse; secundum est, illam stantem sese penes illius pedes posuisse retro; tertium est, ita stantem lachrymis ejus pedes lavisse, capillis tersisse, atque unguento, quod secum attulerat, unxisse. Jam vero circa hæc omnia declaranda cæcutisse omnes hactenus loci interpretes facile unusquisque comprehendere poterit, qui illorum commentaria perlegere volet: excipio tamen duos gravissimos juxtaque doctissimos Jesuitarum familiæ viros, Franciscum Toledum Cardinalem, necnon Joannem Maldonatum, qui cum rei difficultatem gustassent, veritati proximius accedere nova quadam industria contenderunt, haudquaquam veriti adversus imbibitam tenaciter pictorum falsitatem palam decertare, qui, cum contra Evangelistæ ipsius verba Christum sedentem, Mariamque ipsam non retro, sed ante, neque stantem, sed genibus humi procumbentem usque ad hæc tempora depinxerunt, & seipsos, & alios (si ita loqui licet) deceperunt, præterquam enim quod vix imaginari potest hujusmodi omnia perfici a muliere potuisse; certum est etiam, neque a ministrantibus illud permissum iri debuisse, simulque indecorum valde futurum fuisse, si mulier subtus mensam genibus sese humi pro abluendis & exiccandis Christi pedibus stravisset; quæ omnia incommoda cum evitentur triclinio & accubitu nostro, haud intelligere possum, cur debeant a quoquam ingenio & gustu prædito repudiari, eo maxime quod nulla turpitudinis species in iis spectatur, quæ debeat ab ea re credenda quempiam pium deterrere, quinimo si accurate ingressus mulieris expendatur, ministros & accumbentes latere potuit: haud secus, atque ubi sese in exteriore triclinii parte juxta pedes Christi locavit; quod si aliquid in illo accumbendi modo non ita laudabile forte apparebat, quisque sibi illud persuadere debet, etiam quæ indecora sunt ob populi consuetudinem sæpe omnem fœditatem amittere, nam mulierum aliquibus non citra notam sponte convivii publici locum adire, ibique audere viro adhærere, cumque contrectare & ungere proculdubio turpe & indignum castitate Christi potuisset videri, nisi mos prope omnium Orientalium eam invitasset. Certe Maldonatus intelligere non potuit, quomodo dicatur stetisse mulier erecta, quasi non essent lecti super quos discumbebant ita alti, ut ipsi licuerit sic stare, & pedes ejus lachrymis lavare, interpretans stare pro consistere. Sed hujusmodi oscitantiam commisit ob veri triclinii ignorantiam, quod pedes altos habuisse non est dubitandum, ut facile ex ipsa

A pictura elucet, & Virgilius de Ænea loquens accumbente dixit initio secundi libri:

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Atqui Toledus Cardinalis ob longam, quam Romæ traxit, moram, videndi, audiendi rerum vetustarum peritos uberem occasionem habuit, forsanque nostram sententiam & picturam compertam habuit, quod eam jampridem cum doctissimis Jesuitis, quorum consuetudine delector magnopere, communicassem, priusquam publicarem: unde facile consentit toros tricliniorum ita altos B extitisse, ut mulier nullo labore posset stans retro pedes epulantis contrectare, lachrymisque abluere: & certe licet vir doctissimus non explicate docuerit discumbendi modum, attamen ex ejus verbis veritatem sibi maxime omnium innotuisse patet. Itaque hoc jam constitutum sit triclinium dictum esse, quod tres lecti sternerentur, in quibus ita jacerent, ut versus mensam cubitis sinistris innixi dextera manu uterentur, pedesque in exteriorem partem protenderent, ubi ministri erant, & ubi stetit erecta Maria, quemadmodum diserte satis & copiose alibi ex variis scriptoribus declaravimus, & sicut ex imagine antepoſita clarissime e- C lucet. Supra quid vero sternerentur lecti, non est ita proditum, attamen licet conjicere sæpius supra tabulata altiuscula esse extensos, quæ nonnumquam etiam apud Hebræos ex argento aurove conflata fuisse colligitur ex primo capite Hester, in illius magnifici convivii descriptione, quod pariter a Romanis factum testatur præ ceteris Plinius libro XXXIII. cap. undecimo, fuisse vero facta lectisternia primum lignea conjicere licet ab eo quod narrat ex Seneca Agellius libro duodecimo, capite secundo, nempe Soterichum lignarium fabrum extitisse, qui lectos tricliniares ligneos fa- D ciebat, ob idque data est occasio adagii, ut cum vellent rem exigui pretii, nec multi artificii significare, Soterichi lectis assimilarent. Nunc vero secundum propositum aggredior, scilicet apud Hebræos, quo tempore Christus affuit cenæ Pharisæi, mos fuerit discumbendi in tricliniis, quemadmodum Romæ, qua de re cum consuluerim Vitalem Medicæum Florentiæ, artem medicam sancte ac feliciter exercentem, rerumque Hebraicarum longe peritissimum, is mihi adeo docte & diserte respondit, ut in hujusmodi gravi disceptatione vix quicquam doctius & elimatius desiderari queat: quia tamen ab sententia nostra nonnihil E discessisse visus est, pro mea confirmanda necesse puto aliquid in medium afferre. Etenim dubitare minime oportet, quin apud vetustissimos Hebræos varius convivia agendi mos fuerit, siquidem libro Geneseos in celebri illo convivio, quod Josephus fratribus, aliisque magnifice dedit, omnes sedisse memorantur, similis quoque moris libro Judith, libro primo Regum, atque alibi sæpius mentio clarissima habetur: atque si Tobiæ, qui vixit ante captivitatem Babyloniæ liber legatur, ibi accubitus non obscuram mentionem fieri cognoscetur, quamquam fortasse dicere liceret tunc illum apud Assyrios vixisse, apud quos in usu erat cenantes F accumbere. Jam vero de Trojanis atque Tyriis similiter existimare debemus, cum apud Virgilium primo & secundo libro discumbendi consuetudinis commemoratio fiat, sicuti libro septimo non dubia memoria reperitur sedendi ad mensas usus sub illis verbis:

Hæ sacris sedes epulis; hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Ubi

Ubi quamquam in aliquibus contextibus legatur loco (*considere*) accumbere, attamen Servius eum locum interpretans dixit, *majores epulari consuevisse sedentes, atque illum habuisse morem a Laconibus & Cretensibus, ut Varro docuit in libris de gente populi Romani, in quibus dixit quid a quaque traxerint gente per imitationem*. Hæc autem sedendi ad mensas consuetudo Romanis certe illis vetustissimis diu, & in aliquibus occasionibus usurpata fuit, sicut etiam monumentis relatum invenitur Alexandrum Magnum aliquando sexcentos, ut ait Athenæus, vel sex mille, ut est apud Eustathium, duces convivio excepisse, eosque omnes sedilibus argenteis sedere fecisse. Atqui posterioribus temporibus, tam florentis Reipublicæ, quam Imperatorum, non est dubium nobiliores saltem accumbere consuevisse, idque præter innumeros Latinæ linguæ auctores marmora quoque testantur, ut locupletissime alias demonstravi, atque alii quoque docuerunt. Græcos pariter constat eundem accumbendi morem esse sectatos, & quod turpius est, narrat Athenæus *matulas pro excipiendo a vesica exeunte vino gestare consuevisse in triclinia, quas sæpe, ubi vino incaluerant, ad capita frangebant*, introducto hoc more a Sybariticis populis sordibus omnigenis olim deditissimis. Verum de Hebræis dubitatur an similiter illi ad Romanorum imitationem accumbere potius, quam sedere soliti fuerint, ut hac ratione liceat existimare Christum ita fuisse locatum, ac propterea Magdalenam potuisse stantem retro pedes illius lavare, exiccare, & ungere. Jam vero complura sunt, quæ ex scriptoribus constat eos a Romanis fuisse mutuatos, & Josephus in libro antiquit. narrat Hebræos semper esse secutos ritus Romanorum, postquam sub eorum ditionem devenerunt, modo non contrariarentur patriis legibus, & ut dicebam antea, manifestum est ex sacris libris ante captivitatem Babyloniæ eam gentem in conviviis tam publicis quam privatis semper sedisse. Verum postquam in Babyloniam ducti fuerunt captivi utroque modo edere consueverunt, senes scilicet sedentes, juvenes vero accumbentes, ut mos erat Babyloniæ, veluti Rabbini tradiderunt, apud quos etiam legitur accubitum fieri solitum, vel stragulis supra terram extensis, vel tapetibus preciosis, & pulvinaribus, ita ut cubitis innixi firmum corpus universum servarent; facta autem fuit deinde lex, ut tempore Paschatis in duræ sub Pharaone servitutis, liberationisque commemorationem quisque accumbendo epularetur, ceteris vero diebus liceret unicuique prout liberet sedendo, vel accumbendo cenare: ex quo patet apud Judæos pariter accubitum gloriosum quandoque fuisse habitum. Porro modus, quo Hierosolymis in secunda domo, scilicet post liberationem ab Ægypto, atque potissimum tempore Christi convivia fierent, non ita compertus est; illud vero constat, & in Urbe semper quinque linguarum extitisse usum Hebrææ, Chaldææ, Syriacæ, Græcæ, & Latinæ, quarum Syriaca in frequentiori usu erat. Hebræa vero non nisi a doctis, & in disciplinis comparandis usurpata, sicuti olim Romæ Græca, & nunc passim Latina. Fuit autem in Judæam Syriaca lingua introducta, quando decem tribubus a Salmazaro Assyriorum rege captis, in earum locum missæ sunt in Samariam, partesque ei circumvicinas Assyriorum coloniæ, ut legitur XVII. cap. quarti libri Reg. qui ob ib ab Hebræis deinde semper sunt Samaritani vocati, atque ideo aversati, quod Idololatræ essent, Mosaicosque ritus minime, ut par erat, observarent, etiamsi a sacerdote illuc in id

A missso instructi fuissent. Hunc ergo in modum Syriaca lingua apud Hebræos inducta, propagata, & conservata est, quemadmodum Chaldæam Syriacæ valde similem ipsimet Judæi ex Babylonia, ubi illa usurpabatur, sponte transtulerunt. Post hoc vero Græcis rerum potitis, Rabbini doctiores ipsorum linguam ita apprehenderunt, ejusque copia & suavitate sunt delectati, ut Hebraicæ ipsam æquarent. Unde pariter successit, ut plerique eruditiores non solum Græce loquerentur, sed etiam satis eleganter scriberent, quales fuerunt Paullus, Josephus, Philo, atque alii plurimi. Romani postremo cum Judæam subjugassent, neB cesse fuit ut ille populus ipsorum linguam Latinam addisceret, eaque pro negociis agendis uteretur; quæ etiam fuit ratio, quamobrem titulus crucis Christi Hebraice, Græce, atque Latine scriptus fuerit: illud tamen de hisce linguis, & potissimum de Syriaca vere constat ipsam fuisse omnium Hierosolymis usurpatissimam, atque multis Græcorum vocibus permixtam, sive id fuerit ob Græce delectationem, qua Judæi afficiebantur, sive alia de causa: solent enim qui peregrinis linguis gaudent, sæpe illarum vocabula propriis commiscere. Ergo hisce constitutis, cum Judæi lingua Romanorum, Græcorum & Assyriorum, aC pud quos in usu erat accubitus, uterentur, verisimile est quoque eosdem accumbendi morem ab iis accepisse, quod forsan a pervicacibus negari potuisset, nisi complures Evangelii loci, ubi discubitus & accubitus fit mentio, aperte testarentur. Utrum autem accumbendi modus Hierosolymis esset, qualis apud Romanos in triclinio, scilicet lectis tribus altioribus circa mensam stratis, vel ligneis, vel argenteis, aut aureis, quales habuisse aliquos narrant Plinius, Athenæus, & alii, haud ita clarum est. Sed ut omittam Judæos veteres, apud quod forsan vox triclinii usitata in sacris liD bris cubiculum dumtaxat, in quo cenabatur, significare potest, de quo Vitruvius lib. Architecturæ quarto tractavit, certe cum in Evangelio nominetur Architriclinus, negari nequit Judæos imitatos esse Romanos & Græcos, in quorum conviviis erant συσιάρχαι, id est, *convivii principes*. Ceterum doctissimi viri, qui accubitum quidem in conviviis Pharisæorum concesserunt, sed more Hebræorum statis supra terram lectis, non autem alte locatis, more Romano, in eam devenerunt sententiam potissimum, quod contextus sacrorum librorum Syriacus ubi de architriclinio & triclinio legitur, simpliciter accubitum, non E autem modum significet, & quod Pharisæi juxta præceptum Levitici cap. XVIII. conarentur in cunctis sese a ritibus quibusvis peregrinorum alienare, maxime Romanorum, quos quotidie intuebantur idolis servire, usque adeo a lege damnatis. Quantum vero ad Magdalenæ actum, animadvertens quam difficile sit eam secundum Lucæ litteram accommodare, si lecti supra terram dumtaxat statuantur, ad evitandum eum scopulum imaginati sunt, primum ingressam Magdalenam rectam aliquo tempore illachrymantem stetisse, demum sese inclinasse genuflexam, sicque laF visse Christi pedes, tersisse, atque unxisse. Verum pace horum, cogor ab hujusmodi placito longe dissentire, simulque ostendere figuram triclinii, & accubitus Christi non aliam potuisse esse, quam a nobis descriptam, atque tunc temporis passim a Romanis usitatam. Quis enim ignorat eam semper viguisse consuetudinem, ut populi principum mores, quantum fieri potest, imitentur? maxime viri nobiles, & in existimatione habiti, quales erant Pharisæi; quos si non ob

aliud, saltem ut Herodi & Pilato, tunc pro Imperatore Tiberio gubernantibus, simulque Romanorum mores, ut ait Josephus, introducere satagentibus, rem gratam faceret, verosimile est conatos in accubitu, qui nil legi repugnabat, sicut & in multis aliis, forsan minoris momenti, Romanos imitari, quod Christi tempore omnes Orientis nationes faciebant. Quod porro Hebræi in aliis plerisque Romanorum sequerentur ritus, absque multo labore indicabo; tum id quod imaginantur de Maria haud quaquam consistere posse monstrabo. Itaque non est negandum post redactam a Pompejo in Romanorum potestatem Judæam, & post Archelaum jussu Augusti in exilium expulsum eam nationem per procuratores fuisse gubernatam, qua occasione Hierosolymis, atque in omni Judæa innumeri milites, cives, atque equites Romani omni tempore habitabant, quos æquum est existimare secundum Urbis ritus vixisse, atque ipsis Judæis, ut contingere ubique solet, eos communicasse, neque id Hebræos potuisse aspernari, ne multo magis odium principis sibi adsciscerent. Et si recte expendantur quæ de Romanorum moribus in conviviis scripserunt Varro, Cicero, Seneca, Plinius, Plutarchus, Suetonius, Galenus, Athenæus & alii, proculdubio intelligere concedetur fere omnes eos tempore Salvatoris nostri fuisse a Judæis observatos, veluti ex variis Evangelii locis colligere licet. Nam ut antea dictum est, triclinii conclavis, & cenaculi nomina clara habentur in Evangelio; haud secus atque a prophanis rerum Romanarum scriptoribus memorata reperiuntur. Habebant Romani, sicuti recitant Plinius & Martialis, in more patinas grandes adeo usurpare interdum, ut possent ex unis eis convivæ accipere, quod similiter fecisse Christum in cena discipulorum memoriæ mandatum est: quod etiam dixi in primo de gymnastica, Romanos fere semper lavari, soccosque reponere solitos, prius quam mensæ accumberent, idem factitasse Salvatorem nemo inficias ire valet. Jam de unguendi usu post balneum & ante cenam copiosissime scripsit præter Clementem Alexandrinum Athenæus quintodecimo libro Deipnosophist. apud quem proprium, & odoratum unguentum singulis corporis partibus dicatum legitur, ut od id Maria quoque Romano & Græco more utens, voluerit & caput & pedes Christi, tam viventis quam mortui ungere, qui quasi increpans Pharisæum quod similiter non fecisset, certum indicium attulit, sibi placuisse Romanorum & Græcorum ungendi consuetudinem observari. Et quod dixit Christus de illo, qui accedens ad convivium nuptiale, lacerna adhuc indutus vestem nuptialem non induisset, dubio procul ex ritibus Romanis totum fuit captum. De loci nobilitate tum in pontificali, tum in civili, tum in consulari convivio habebant Romani, ut narrat Plutarchus in Symposiacis, atque Macrobius, non exiguum discrimen, ut interdum medius medii lecti, interdum imus ejusdem, atque primi nobiliores reputarentur, cujus rei illustre exemplum est id, quod dixit Christus adversus illos, qui primos accubitus ambiebant, in quo accubitu ita locabantur, ut posset facile quisque reclinare sese, & recumbere in sinu proximioris, quemadmodum fecisse Joannem ipsemet in suo Evangelio testatur, qui cum carus esset magistro, non est mirum si penes ipsum accubuit, veluti Romanis usitatum erat in privatis & publicis conviviis uxores, filios, aliasque personas chariores juxta sese collocare. Cum igitur ex his, ac pluribus aliis certo conjiciatur Judæos fuisse Romanorum mores in conviviis maxime sectatos, cur non etiam in tricliniis construendis, atque altioribus faciendis eosdem non sint imitati, caussam nullam video. Neque moveor ab hac sententia, quod Syriacus Evangelii contextus ambiguus videatur, potiusque vetustum Hebræorum super terram accubitum, quam in altis toris insinuare videatur, quandoquidem in miraculo quinque panum, & duorum piscium ita facile est accipere, pro quo faciendo jussit, ut turbæ super fœnum discumberent; at in convivio nobili coram ipsis Romanis idem facere dedecus plane non exiguum attulisset; Præterea si Judæi interdum Christum murmurarunt, quasi discipuli ejus non lavarent manus, antequam mensæ accumberent, multo magis fuisset immurmurandum, si accubuissent lectis & cervicalibus super terram constratis, non autem alte positis. Qui vero Syriace Evangelium scripsit, vel transumpsit, cum forsan nomen sibi haud suppeteret proprium, quo explicare posset verum Romanorum triclinium, maluit quod habebat usurpare, quam rem penitus indeclaratam relinquere. At nihil hoc est, præ ipsa Magdalena ingrediente, & stante retro secus pedes ejus, quæ omnia uti accommodari nullo pacto queunt, si supra terram sint immediate positi lecti, sic triclinio nostro judicandum unicuique permitto, quam apte congruant. Neque enim credibile est, si sese mulier genibus in terram inclinasset, fuisse id Evangelistam taciturum, postquam minime silendum putavit, quod staret retro & secus pedes, lachrymisque eos rigaret: nam qui tanta diligentia retulit, quæcumque ibi contigerunt, non debebat etiam genuflexionem omittere, & multominus postquam jam dixerat ipsam stetisse. Quare jam satis monstratum arbitror Christo accumbente eum ita alte fuisse locatum, ut Maria, quæ nec parvæ staturæ erat, potuerit stans erecta rigare ipsius pedes lachrymis, nec non manibus contrectare, & capillis siccare, demumque ungere. Quod totum luculentissime exprimi in antepostia triclinii nostri figura, neminem negaturum confido. Cum hucusque oratione pervenissem, jamque ea ad prælum missionem acceleraret, oblata est occasio Alphonsi Salmeronis olim Jesuitæ doctissimi prolegomena in Sacrosanctam Evangelicam historiam singulari eruditione referta legere: atque inter legendum cum mihi canon quadragesimus sextus prolegomeni undecimi occurrisset, ubi disertissime de universa accubitus ratione, deque Magdalenæ in lavandis atque ungendis Christi pedibus situ, nec non de Joannis in ejusdem Christi sinum recubitu disputat, incredibilem quandam lætitiam simul & admirationem peperit, etenim lætatus sum, quod meas cogitationes, quas semper novas, & forsan a nemine alio propositas existimavi, a viro sapientissimo, & rara doctrina prædito, ita clare confirmatas, quasique inconcussas redditas invenerim. Admirationem vero cœpi non exiguam quomodo fieri potuerit, ut in re usque adeo obscura & vetusta simul nos convenire, ac in nulla re discrepare licuerit; Etsi enim quo tempore gymnastica mea in lucem exivit, is adhuc viveret, quippe quem sæpius concionantem Romæ auscultaverim, ubi eos libros dum Cardinalis Farnesii medicum agebam, & composui, & in lucem edidi, attamen utrum eos viderit haudquaquam affirmare audeo. Neque vero credibile est me ab ejus scriptis, quæ disserui de accubitu accepisse, cum ea hactenus latuerint, neque ipsum eadem de re ita diligenter scripsisse, ne somniare quidem valuerim. Unde quæ solet esse veritatis ingens vis, puto eodem spiritu ambos nos ad ea scribenda fuisse impulsos, & pro-

pterea quicquid ea de re dictum fuit, pro vero & irrefutabili habendum esse; ea namque est gens *Jesuitarum*, ut in qualibet disciplina, immo in tota rerum tam divinarum quam humanarum natura, nihil ita rarum, excultum, & reconditum habeatur, quin ab aliquo ipsorum sit perfectissime elaboratum, & felicissime posteris ipsis traditum.

CAP. XII.

De Auctoribus Gymnasticæ, & Gymnasiorum ministris.

QUemadmodum ceteræ artes proprios auctores habuerunt, qui earum facultates, regulas, atque usum scriptis mandarunt: similiter gymnasticam illis nequaquam caruisse constat, qui & ipsam voluminibus illustrarint, & ab oblivione vindicarint; sed factum est, ut quam jacturam plurimæ res hominum subierunt, isti quoque auctores fecerint, quandoquidem hisce temporibus neminem eorum habemus, quos Galenum, atque alios antiquiores vidisse, ac lectitasse certo scimus. Quis etenim ætate nostra Hippocratis, Dioclis, Praxagoræ, Philotimi, Erasistrati, Herophili, & Asclepiadis de hac re scripta, a Græcis atque Latinis auctoribus citata vidit? quorum præclarissima commentaria nisi hodie desiderarentur, forsan hæc ars, quæ jam dudum pene abolita est, non minus ceteris dignitatis atque splendoris haberet; neque nos hunc laborem ad lucem eam revocandi assumeremus: præterea Theonis de hac eadem libros, Diotimi gymnastæ de exercitationibus & sudoribus, a Theophrasto celebrata commentaria: quibus dum nos carere considero, non magnopere commoveri nequeo, atque interdum etiam ab incepta opera valde deterreri, sed hæc dimittentes jam gymnasiorum ministros declaremus, inter quos primum locum tenebat *gymnasiarchus*, cujus munus erat toti gymnasio præesse, & veluti princeps quidam omnia moderari, tempus & horas præscribere, ordinem ponere, & alia denique, quæ ad artium & locorum publicorum principes spectant, sedulo curare: huc Lydus pædagogus apud Plautum gymnasii præfectum vocavit his verbis:

Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes.

Ex quo loco gymnasiarchum colligitur in adolescentes, si quid peccassent, animadvertere magno imperio consuevisse: ut etiam clarius in amatorio Plutarchus docuit; de hoc & Cicero in sexta Verrinarum: *Demoliendum curavit Demetrius gymnasiarchus, quod is loco illi præerat.* Secundum locum habebat *xystarcha*, hic ambobus xystis, stadio, & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat, ut scriptum reliquit Tertullianus in libro ad Martyres, ut ex inscriptione conjicitur, quæ Romæ in foro Trajani in basi statuæ Græcis litteris notata a nobis sic Latine reddita est.

DEMETRIVM. HERMAPOLITAM. ALEXANDRINVM. PANCRATIASTEM. PERIODI. VICTOREM. PALAESTRITAM. ADMIRABILEM. ALIPTAM. PONTIFICEM. TOTIVS. XYSTI PERPETVVM. XYSTARCHAM. BALNEIS. AVGVSTI. PRAEFECTVM. PATREM.

M. AVREL. ASCLEPIADES. QVI. ET. HERMODORVS. ALEXANDRINVS. HERMOPOLITA. MAGNI. SERAPIDIS. AEDITVVS. PANCRATIASTES. PERIODI. VICTOR. ALIPTA. QVEM. NEMO. DETRVDERE. POTERAT. INCVLPATVS. XYSTARCHA. FILIVS. PONTIFEX. TOTIVS. XYSTI. PERPETVVS. XYSTARCHA. ET BALNEIS. AVGVSTI. PRAEFECTVS.

Ab hoc, sententia mea, diversus fuit præfectus luctæ a Galeno *ἐπιστάτης παλαίσματος* vocatus, qui perinde ac pædotriba quidam luctantium dumtaxat magister erat, cum xystarchus plurium exercitationum moderator, victorumque, & omnium præmiorum decernendorum judex foret: nominatur & ab (*a*) Hippocrate *παλαιστροφύλαξ*, nos custodem palæstræ dicere possumus; quod non solum ipse luctaretur, verum etiam palæstræ curam haberet. Agonistarcham vero eum fuisse puto, qui certaminum publicorum præfectus esset, quive & in amphitheatris, & in gymnasiis, ubi athletæ, in publicos ludos prodituri, prius exercebantur, munus suum obibat: ejus habetur mentio in hac vetusta inscriptione a Ligorio mihi communicata.

APOLLINI. INVICTO.
SACRVM
M. AVRELIVS. M. AVG.
LIB. APOLLONIVS
AGONISTARCHA. COM.
MODIANVS.

Post hos aderat *gymnastes*, quem Galenus secundo de tuend. valetud. capit. 11. voluit magistrum omnium exercitationum extitisse, qui eorum vires ac potentias ad sanitatem conducentes callens, quomodo fieri deberent, quam diu, & quæ quibus convenirent, tam athletas, quam ceteros omnes exercitatores edocebat: eo quod vel medicus esset, vel medico in multis par, ut ex Platone XI. de legibus colligitur: ubi si quis servum ægrum medico, aut gymnastæ vendat, non esse redhibendum vult, quasi uterque languentes a sanis dignoscere scire debeat, immo Basilius homil. in Hexameron XI. de hominis natura æque gymnastem ac medicum speculari, & quærere solitum docet: hunc Xenophon, ut refert Julius Pollux, *progymnastem* appellavit, Plato vero *pædotribam*, referente (*b*) Galeno, vocare maluit: is enim in tertio de republica Herodicum medicum, qui primus gymnasticam medicinæ junxit, pædotribam nominavit, & in Protagora ita scriptum reliquit: *Ἔτι τοίνυν πρὸς τούτοις εἰς παιδοτρίβας πέμπουσιν, ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῇ οὔσῃ*: id est: ***Præter hæc adhuc ad pædotribas mittunt, ut corpora meliora habentes menti bonæ existenti inserviant.*** Galenus tamen in consilio pro puero epileptico pædotribas rudes & bardos, ac ex ignaris hominibus electos fuisse tempore suo tradit. ***Protogymnasios*** videtur Seneca epist. LXXXIII.

a *6. Epidem. sect. 7. prope finem.* b *In libr. ad Thras.*

eos vocasse qui simul exercentur, vocabulo (quod equidem sciam) nulli alteri usurpato, quamquam Muretus progymnastas legendum maluerit in suis ad eum locum notis. Ἀλείπτην quoque ab Aristotele II. Ethic. capit. VI. a Paulo (*a*) Ægineta ἰατραλείπτην, & a Latinis *aliptam* hunc eundem vocatum reperio; siquidem (*b*) Celsus, ubi dixit *sanum hominem nullis sese legibus obligare debere, neque medico, neque alipta egere*; nullum nisi gymnastam intelligere voluit; sicuti etiam Cicero in epistola IX. ad Lentulum, in qua hæc scripta reperiuntur: *Sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam, ut aliptæ, virium, & coloris rationem habere voluissent*. Ex quo Clemens Alexandrinus VI. Strom. dixit, sanitatem per medicinam, bonam vero corporis habitudinem per alipticam comparari, quamquam etiam aliquando pro unctore ipso, vel pro unctorum magistro aliptam accipi sciam: ut apud Plutarchum in libro de tuenda valetudine, & Cælium Aurelianum sæpius videre est; quo in casu (*c*) Hippocratem ἐξαλείπτην potius dicere voluisse notat Galenus in linguarum explanatione. Post gymnastem erat *pædotriba*, qui licet secundum Platonem ab eo differre non videretur, Galenus tamen eos valde diversos fuisse scribit, dum gymnastam medico & imperatori, pædotribam militi & coquo assimilat, merumque gymnastæ ministrum nuncupat: nam sicuti miles nihil eorum, quæ ad bellicam scientiam pertinent, & coquus eorum, quæ ad medicinam novit, sed alter medici dumtaxat mandata exequitur, pariter pædotriba exercitationum omnium facultatem ignorabat, gymnastæque præcepta solum faciebat, utpote qui & usum, & differentias, & modum exercitationum experientia quadam calleret, sed ob ignorantiam sæpenumero aberraret, ut innuere voluit Galenus in libello de puero epileptico, ubi dixit, difficile fuisse prudentem pædotribam invenire. Hanc gymnastæ & pædotribæ differentiam Aristoteles quoque philosophus cognovisse videtur, dum VIII. Politicorum concludit, adolescentes gymnasticæ atque pædotribicæ tradendos fore: quarum altera qualem quendam facit corporis habitum, altera operationes; & quarto (*d*) Politic. loco antea citato, dicit: *Μηδὲν ἧττον τῷ παιδοτρίβῃ καὶ τῷ γυμναστικῷ παρασκευάσαι τε, καὶ ταύτην ἐστὶ τὴν δύναμιν*. Gymnastes itaque erat præfectus exercitationum, pædotriba minister, & panifici, coquo, ac ædificatori proportione respondens, facere panes, obsonia, ædes scientibus quidem, minime tamen, quid in ipsis optimum sit, quid non optimum, intelligentibus, quamve facultatem ipsorum unumquodque ad sanitatem haberet, non dignoscentibus. Hæc duo nomina apud Homerum non existere narrat Galenus: quod, ut antea declaravimus, semina dumtaxat artis gymnasticæ tunc temporis apparebant, neque ars ad regulas ac formam redacta, & proinde neque artifex & minister erant. Aderat & *sphæristicus*, eorum, qui pila ludebant, institutor, ac veluti pædotriba, quive secundum (*e*) Galenum, omnem pilæ jactum, exceptum, repulsumve callebat, minime tamen, quem corpori affectum parerent hi, noscebat. Aderant servi fricandis corporibus destinati, qui ad præscriptum gymnastæ, aut pædotribæ, modo nudis manibus, modo unctis, modo cum linteis alias duris, alias mollibus, alias mediocribus, vario ac diverso modo, prout opus erat, corpora fricabant. Post hoc erant & *reunctores*, ita a Plinio ac Celso nuncupati, quod corpora jam exercitata ungerent, reungerentve: hos, fuere qui crediderint, a Paulo Ægineta ἰατραλείπτας vocatos: sed decepti sunt, cum alium fuisse ab his ἰατραλείπτην ostenderimus. *Mediastini* quoque gymnasiis ministrabant, pavimenta everrentes, necnon multa alia pro servitiis gymnasiorum obeuntes. Pyrrhus Ligorius inter alia antiquitatis ejus præclarissima monumenta hanc inscriptionem habet, in qua mediastinorum fit mentio.

DIIS. MANIBVS. S.
TITO. FLAVIO. OLENO
SERVO. ET. PROCVRAT
BALNEI. T. FLAVI AVG
VCT. MEDIASTINO
VIX. ANN. XC. MEN
VII D. VIIII.
T. FLAVIVS. T. L.
POLYMNESTVS
MEDIASTINVS
AVG. N. FAC. CVR.

Aderant *servi balneares*, lotos in balneis primo cum spongiis, modo purpura tinctis, ut refert Plinius, modo candefactis, deinde cum linteis exiccantes: hos quoque arbitror ego consuevisse strigilibus corpora exercitatorum distringere, atque a strigmentis depurare. Aderant *pilicrepi*, qui sphæris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur: quidquid alii dicant, qui pro pilicrepis lusores pilæ, utpote obstrepentes, intelligendos putant, male sententias Martialis & Statii, de quibus nos locis suis loquemur, interpretantes. *Alipili*, qui (ut refert (*a*) Seneca) ad vellendos ab aliquibus corporis partibus, & præsertim alis pilos adhibebantur: nisi velimus, ut docti viri censuerunt, *pedicrepos*, & *alipedos* apud Senecam legere, quasi in gymnasiis essent, qui a pediculis homines purgarent, & inter occidendum ipsos magna voce singulos enumerarent, ita ut Seneca ab hujuscemodi vocibus offenderetur: quorum tamen sententiam non probo, quod (*b*) Juvenalis certo testatum faciat, fuisse in thermis, qui ab alis pilos avellerent, ubi servos suos describens Persico ait:

Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas.

Atque hos modo volsellis ad id obeundum usos esse, nunc resina, (hanc enim in evellendis virorum corporibus pilis maximum honorem obtinuisse confitetur (*c*) Plinius) nunc psilothris, opinor, quando narrat Suidas in collectaneis, ephoros, morum apud Lacedæmonas censores, coactos aliquando fuisse lege & edicto cavere, ne in balnea inferretur pix, utque omnes depilatores exploderentur. *Ianitores* quoque gymnasiorum unumquodque habuit; *Fornacatores*, de quibus supra locuti sumus. Ministrabant præterea gymnasiis *variorum rerum venditores*, ut possent illi, qui in ipsis versabantur, & cupiditatibus, & necessitatibus satisfacere: inter quos adnumerantur a (*d*) Seneca *libarii*, hoc est, ut prudenter notat Rhodiginus, liba vendentes, *botularii*, *crustularii*, &, quoniam inter exercendum sæpe vulnera, contusiones, contorsiones, luxationes, multaque alia fieri solent, ob id gymnasia medicos similiter habuisse opinor, qui mane & vespere hujusmodi casibus occurrendi, atque medendi gratia præsto adessent, quemadmodum & in ludis, seu publicis spectaculis: quod eo magis verum puto, cum

a *lib. 3. cap. 47.* b *lib. 1. cap. 1.* c *Cap. 3.* d *lib. 2. de tuend. valetud.*

a *Epist. 56.* b *Sat. 11. vers. 156.* c *Lib. 14. c. 20.* d *Epist. 56.*

Romæ inventæ sint hæ duæ antiquæ marmoreæ inscriptiones, quibus *medici ludi matutini*, & *ludi magni* explicata habetur mentio.

DIS. MANIBVS
M. CALPVRNIO. M. F. MEN
VOSENNIO
VIX. ANN. XXX. M. IIX
M. CALPVRNIVS. M. F. MEN
HILARIVS. MEDICVS
LVDI. MAGNI
FRATRI. PIISSIMO FEC

EVTYCHVS. AVG. LIB. NERONIANVS. MEDICVS. LVDI MATVTINI. FECIT. SIBI. ET. IRENE. LIB. CONIVGI CARISSIMAE. BENEMERITAE. ET. LIBERTIS LIBETABVS. Q. POSTERIS. Q. EORVM

Qui autem essent ludi matutini & magni, ita proditum invenio, quod spectacula, quæ ad populum fiebant, partim mane, partim post prandium, quod in urbe publice dabatur populo, edebantur. Mane belluarum inter se, & hominum cum belluis certamina proponebantur, ut ex Seneca epist. VII. necnon in fine tertii libri de Ira cuivis perspectum esse potest. Post prandium hominum inter se pugnæ committebantur: quod genus gladiatorium munus apud historicos sæpe nominatum invenitur: de quo etiam meminit idem Seneca epist. VII. Illos qui adversus bestias certabant, *bestiarios*; gladiatores autem *meridianos* a Suetonio in Claudio vocatos, facile est intelligere. Cur autem meridianum spectaculum sit vocatus ludus magnus, existimo causam; quia major pars spectatorum confluebant ad videnda hominum, quam bestiarum certamina; ut jure omnes, & præsertim Seneca hanc populi in spectandis homicidiis delectationem sint insectati. Non est tamen illud ignorandum, scholas quasdam Romæ magnos & matutinos ludos esse vocatas, forte quod in illis meridie, in his mane homines exercerentur. Concludo igitur gymnasia hos omnes habuisse ministros, *gymnasiarcham* loci principem, *xystarchum*, athletarum magistratum, *gymnastam* omnibus exercitiis præfectum, atque non ignobilem, cum eorum facultates pro sanitate, modum, & tempus utendi ac alia dignosceret. Subjecti gymnastæ multi erant ministri, *pædotriba*, qui palæstræ ministrabat, *exercitationibus luctæ præfectus*, *spæristericus*, *fricator*, *reunctor* & *mediastinus*, *pilicrepus*, *alipilus*, *janitor*, *fornacator*. Utrum autem temporibus luctus gymnasia aperirentur Romæ non mihi constat. Athenis scribit Laertius in morte Socratis fuisse clausa publica gymnasia, causa quod Athenienses pœnituisset eum occidisse. Atque hæc de gymnasiis antiquorum a nobis dicta sint.

CAP. XIII.

De trium Gymnasticæ specierum differentiis, bellica, legitima, *sive* medica, *&* vitiosa *seu* athletica.

QUicumque artem, aut rem aliquam sibi exacte tractandam proponunt, operæ pretium est, ut non modo illius naturam, atque singulas conditiones explicent, verum etiam illam ab aliis, quæ similem naturam perinde ac nomen obtinere videntur, ita distinguant, ne lectores æquivocatione decepti, vel circa res ipsas insigniter decipiantur. & ideo cum nos gymnasticam veram tractare proposuerimus, quæ medicinæ pars esse definita jam a nobis fuit, aliæque sint gymnasticæ circa eadem fere versantes, necessum arbitror de his ipsis sermonem facere, quo habito possit diversitas omnium facillime internosci. repetentes igitur quæ superius diximus, tres statuimus gymnasticæ totius species, gymnasticam *veram* seu *legitimam* (ut Galeni more loquar) *bellicam*, tertiam *vitiosam* a Galeno nuncupatam: hæ omnes licet circa easdem fere humani corporis exercitationes tractationem operationemque habeant, nihilominus finibus, quorum gratia singulæ institutæ sunt, magnopere, sicut etiam supra monstravimus, differunt. Nam gymnastica simplex & medicinæ pars id solum curat, ut homines exercitationum moderatarum ope, & sanitatem acquirant, tueanturve; & bonum habitum adipiscantur; ὁμολογῶ (dicebat (a) Plato) μὴ τὰ πολλὰ, ἀλλὰ τὰ μέτρια γυμνάσια τὴν εὐεξίαν ἐμποιεῖν τοῖς ἀνθρώποις, id est, *Fateor haud multas, sed moderatas exercitationes hominibus bonum habitum inserere*. Hoc ita esse quoniam Galenus tum in libello ad Thrasybulum, tum in libris de tuenda valetudine non minus copiose, quam luculentur demonstravit, & nos quoque superius aliqua ad hanc speciem pertinentia declaravimus, haud amplius in ea celebranda verbis immorabor, sed ad bellicam transibo: cujus unum studium erat homines, pueros, atque etiam apud nonnullos mulieres earundem exercitationum adjumento ita disponere, atque aptare, ut in libello sese fortiter gerere, & hostes propulsare, & patrias tueri, & omnem denique militarem peritiam tenere valerent. quamvis enim hæc quoque sicut & superior bonum corporis habitum compararet, & sanitatem quodammodo tueretur, quia tamen proprius illius finis erat homines bellis gerendis idoneos atque fortes efficere, propterea eandem non esse satis aperte constat. quod vero bellica gymnastica nullam aliam naturam habeat, præter a me explicatam, locupletissimum testem Platonem in medium afferam, qui in septimo de legibus (postquam declaravit juvenum & puerorum educationem majorem partem in rebus publicis obtinere) decernit publicos magistros habendos, qui gymnasticam pueros atque puellas & virgines edoceant, quod ad assequendam militarem peritiam, nil melius palæstrica & saltatoria gymnasticæ partibus inveniatur, id quod etiam elegantissime in tertio de Republica & alibi sæpe prosecutus fuit. Post Platonem Aristoteles similiter gymnasticam bellicam in octavo Politicorum expresse indicavit, ubi tam eas, quæ athletarum habitudinibus corpora juvenum deformare, & eorum augmentationem impedire student civitates, quam Lacones efferatos laboribus adolescentes efficientes reprehendit, eamque pueris gymnasticam tradendam consulit, quæ mitioribus laboribus, & magis mansuetis exercitationibus illos robustos, & in bellicis negotiis vere fortes reddere queat. de hac gymnastica clare locutum Galenum non reperio, nisi velimus ipsum dum legitimam celebrat sub ea istam comprehendere, quod & ipsa bono habitui comparando incumbat, licet ad bellicam peritiam & aptitudinem cuncta sua studia dirigat; atque illi qui medicinæ gymnasticæ operam navant, etiam dum oportet, bellica uti valeant. Vegetius inter Latinos quantopere conferret hæc gymnastica militiæ, quomodoque addiscenda, atque exercenda sit, in suis de re militari libris luculenter edocuit: ut non sit ulli dubitandum, quin hujuscemodi ars apud Græcas & Latinas nationes in pretio habita fuerit. Præter has duas est etiam gymnastica alia vitiosa,

a *In lib. de Philosoph.*

& athletica a Galeno nuncupata, quæ hominibus robuſtis efficiendis (talis enim fuit Milo Crotoniata, & athleta ille, quem Olympiodorus quarto meteorolog. cap. de duro & molli τὰ βώλια comminuere ſolitum ſcripſit) quo in certaminibus vincere, & præmia, ac coronas mereri poſſent, operam navabat, quamve pluribus nominibus apud auctores vocatam invenio. Nam Græci modo ἀγωνιστικὴν, modo ἱερὰς ἀγῶνας, modo ἀθλητικὴν, modo γυμνικὴν appellant. Latini alias *gymnica certamina*, alias *ſacra*, alias *ludos*, alias *gymnicos ludos*, alias *athleticam artem* dicunt. Prout hujuſcemodi certamina in honorem alicujus Deorum celebrabantur, vel *ſacra certamina*, vel ἱεροὶ ἀγῶνες dicebantur: eorumque exercitatores aliquando *ſacrorum certaminum athletas* vocatos invenio, ut apud Xenophontem in libro de dictis, & factis Socratis: ὥσπερ οἱ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἀθληταὶ ῥαδίως πρωτεύσαντες ἀμελοῦσι τῆς ἀσκήσεως, id eſt, *Quemadmodum gymnicorum certaminum athletæ facile primas tenentes, exercitationem contemnunt*; aliis vero nominibus vocabantur, quando aut in amphitheatris & circis ad oblectandum populum peragebantur; aut in gymnaſiis, vel aliis publicis locis exercitationis gratia dumtaxat fiebant, nomen hoc tamen omnes ſecundum (*a*) Julii Pollucis ſententiam, hujuſcemodi certatores commune habuiſſe reperiuntur, quod athletæ utplurimum vocati ſunt ſimplici nomine vel a fine, qui ἆθλον, ſive præmium erat, cui operam navabant, vel ἀπὸ τοῦ ἄθλου, id eſt, a *certamine*, niſi potius (quod maluit (*b*) Galenus) dicamus nomen illud ἀπὸ τῆς ἀθλίας, ſive ἀπὸ τῆς ἀθλιότητος deductum, ad ſignificandam hujuſce generis hominum incredibilem miſeriam, quod tamen non eſt neceſſe credere. Dixi quoſcumque exercitatores tales gratia præmii certantes ſimplici nomine athletas appellatos, quoniam Plato etiam in gymnaſticæ bellicæ profeſſoribus interdum eo nomine, ſed non ſimplici utitur, immo fere ſemper aliquid apponit, ſicuti in III. de Republ. ubi athletas veros a bellicis diſtinguens ita inquit: Κομψοτέρας δέ τινος ἦν δ' ἐγὼ ἀσκήσεως δεῖ τοῖς πολεμικοῖς ἀθληταῖς, οὕς γε ὥσπερ κύνας ἀγρύπνους τε ἀνάγκη εἶναι, id eſt, *Elegantiore quadam exercitatione, inquam ego, athletis bellicis opus eſt, quos tanquam vigiles canes eſſe neceſſarium eſt.* & rurſum ſeptimo de Republ. τὸ ἅμα δ' ἐννοῶ λέγων, οὐκ ἀθλητὰς μέντοι πολέμου ἔφαμεν τούτους ἀναγκαῖον εἶναι νέους ὄντας; *hoc autem inter dicendum mihi in mentem venit. Nonne belli athletas juvenes eſſe debere diximus?* Atque alibi ſimiliter. Ex quibus omnibus apparet, quod ubi Plato athletas appellat gymnaſticæ bellicæ exercitatores, ſemper apponit, πολεμικοῖς, vel πολέμου, vel aliud, ut in fine ſeptimi de Legibus, τοῖς παρ' ἡμῖν ἀθληταῖς, non ob aliam rationem, niſi ut eos ab athletis veris diſtinguat. Quare concludens dico, primæ & ſecundæ gymnaſticæ profeſſores nunquam proprie athletas vocari, ſed tantum profeſſores tertiæ, quo nomine vere proprie palæſtritas, pugiles, pancratiaſtas cæteros, gratia præmii certantes, minus proprie vocatos fuiſſe confitetur Galenus primo de alimentorum facultatibus libro, qui palæſtritæ, & reliqui, cum id ſolum propoſitum haberent, ut ad certamina ſe compararent, in quibus interdum totum diem, aut luctari, aut παγκρατιάζειν cogebantur, ideirco cibo indigebant corruptu & evaporatu difficili, cujuſmodi eſt cibus ex ſuillis carnibus, quibus ſoli veri athletæ veſcebantur, atque tales erant, qui in ludis, in amphitheatris, & etiam in aliis locis ob præmium & gloriam certabant, in hoc a cæteris

a *Lib.* II. b *In ſuas ad bon. ar.*

A diverſi, quod ſolum vincere, & coronam aſſequi ſtuderent, cum alii vel bono habitui corporis acquirendo, & ſanitati tuendæ; vel militari fortitudini & peritiæ acquirendæ intenderent, quos ſimpliciter gymnaſticos & exercitatos, vel athletas bellicos nuncupari invenio, ex quo colligitur alium eſſe ſimpliciter athletam, alium ſimpliciter gymnaſticum, necnon tres fuiſſe artes in exercitationibus verſantes, communi nomine *gymnaſticæ* vocatas, quarum medica omnibus magis proprie ita dicta fuit, altera nempe bellica (apud medicos loquor, quod alii forſan hanc primariam effecerint) minus, tertia omnium minime, nimirum,
B quæ a prædictis degenerans, vitioſa appellata ſit: quæve robori, non ſanitati operam daret: robur enim diverſum habitum a ſanitate exigere, teſtis eſt Ariſtoteles VIII. ſect. problem. VI. quo in loco *pinguem habitum robori, ſanitati vero rarum convenire ſcribit*.

CAP. XIV.

De vitioſa Gymnaſtica, ſive Athletica.

POſtquam de bellica gymnaſtica, atque etiam de gymnaſtica ſimplici, quantum ad præſens negotium ſpectabat, ſatis diſſeruimus, jam opportunum erit de athletica ſermonem habere. quæ
C quoniam temporibus (*a*) Galeni atque etiam ſuperioribus maximam auctoritatem ſibi vindicaverat; ideo ei opus fuit, ut eam longiſſima oratione, atque impuriſſimis contumelioſiſſimiſque verbis inſectaretur. quod quam ſapienter ſimul ac juſte fecerit, ex his, quæ de illius profeſſorum moribus, aliiſque conditionibus dicturus ſum, faciliime clarum futurum ſpero. & ut a principio exordiar, (*b*) Plin. auctor eſt *gymnaſticos ludos a Lycaone, athleticam ab Hercule olympiæ* inventam fuiſſe: ut tota
D hæc ars duos parentes habuerit, qui tametſi inſignes fuerint, atque artem illuſtrem, & admiratione dignam primo condiderint, illa tamen longo poſtea temporis intervallo, atque pravis hominum moribus ita corrupta, ac adulterata eſt, ut verius κακοτεχνίας quam artis nomen ei conveniſſe dixerit (*c*) Galenus, ſiquidem illius exercitatores dum ſpe victoriæ & præmii (quorum gratia qui certabant omnes, athletas vocatos proprie docuimus) corpori incraſſando, roborique comparando nimium incumbebant, mentem etiam craſſam, ſenſuſque omnes hebetes, torpidos ac ſegnes reddebant. unde non immerito (*d*) Plato athletas
E ſomnolentos, ſegnes, ignavos, deſides, vertigino ſos, tandemque morboſos nuncupavit: (*e*) Hippocratem medicum ſecutus, qui habitus athletarum veluti periculoſos, maximiſque ægritudinibus obnoxios ubique deteſtatus eſt, ſicut & (*f*) Plutarchus eos ſaxis, atque gymnaſiorum columnis ſimiles effecit, alias item confeſſus quod Græcis nihil aliud mollitiem, atque ſervitutem invexerit, niſi hæc gymnaſtica vitioſa, cujus opera torpentes atque relangueſcentes ab armis delapſi ſunt, contenti pro ſtrenuis atque fortibus militibus ſeipſos bonos palæſtritas & athletas vici. Caſſiodorus lib V. variarum cap. XLII. loquens de ſolemnibus ludis, qui ab athletis exercebantur eos ab
F Athenienſibus in honorem Dianæ primum inductos tradit. ubi etiam longa ſatis oratione, ut fierent, & qua arte, quibuſque inſtrumentis adverſus immaniſſimas feras decertarent, morteque præmia conſequerentur diſerte docet. Porro hanc rem ita eſſe nemo ſane dubitavit, ſi totam ejus na-

a *In ſuaſ. ad bon. ar. c.* 6. b *l.* 7. *c.* 56. c *In l. ad Thraſyb.* d *Tertio de Republ.* e I. *Aphor. lib.* f *In lib. de tuen. val.*

turam breviſſima oratione ab (*a*) Ariſtotele explicatam perpenderit: is enim in primo Rhetoricorum lib. de agoniſtica (ſic etiam athleticam appellatam ſuperius diximus) hæc ſcripta reliquit; Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν, ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη, καὶ ῥίπτειν πως, καὶ κινεῖν ταχὺ καὶ πόρρω, δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν, καὶ κατέχειν, παλαιστικός, ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ πυκτικός, ὁ δὲ ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός. ὁ δὲ πᾶσι τούτοις πένταθλος. id eſt: *Agoniſtica autem corporis virtus ex magnitudine, & robore, & celeritate componitur; nam & celer fortis eſt: qui enim quodammodo crura projicere, & velociter ac longe movere poteſt*, curſor; *qui vero comprimere & continere*, luctator; *qui percuſſione impellere*, pugil; *qui autem utriſque bis*, pancratiaſtes; *qui vero omnibus bis*, quinquertio *eſt*. utrum autem vox (τάχους) in Ariſtot. ſit retinenda, an vero (τέχνης) ſcribendum dubitari poſſet ob verba ſequentia, quibus innuit robur eſſe ſuapte natura conjunctum cum pernicitate; verumtamen, ut non inficior etiam vocem τέχνης id eſt, *artis*, quadrare, cum ars maxime valeat in athletica, in qua eam robori & magnitudini primum omnium addidiſſe Theſeum teſtatur Pauſanias in Acticis, ſic non video cur a robore quoque celeritas ſeparari nequeat, cum res ipſa doceat pleroſque viribus magnopere valere, qui tamen in agendo tardi potius, quam celeres ſunt. Sed utcumque ſit clare patet athletarum omnium inſtitutionem, atque diſciplinam huc tantum ſpectaſſe, ut corporis magnitudinem, robur, atque celeritatem compararent, quibus ſoli cæteros antagoniſtas ſuperare, & præmio honoreque potiri valerent. id quod licet pluribus certaminum generibus contenderent, quinque tamen præcipua erant, in quibus vel ſemper, vel plerumque tam in ſacris certaminibus, quam in ludis, amphitheatris, & publicis ſpectaculis, ſed præſertim in ſtadio, quod fere ſolis athletis proprie deſtinatum erat, certabant, *lucta*, *pugilatus*, *curſus*, *ſaltus*, & *diſcus*. unde *luctatores*, *pugiles*, *curſores*, *ſaltatores*, *diſcoboli* nuncupabantur, qui ſeparatim in ſingulis pollerent, ſicuti *pancratiaſta* dicebatur, qui in lucta & pugilatu valebat. qui vero in cunctis quinque, *pentathlus*, & vocabulo Romano *quinquertius* vocabatur, ut docet Feſtus; etſi quinquertiones apud Livium Andronicum athletas ſignificare ſcribat idem Feſtus, apud quem etiam periodon viciſſe dicebatur is, qui Pythia, Iſthmia, Nemea, Olympia viciſſet, nomine a circuitu eorum ſpectaculorum accepto. narrat Laertius Democritum philoſophum eſſe vocatum pentathlum, forſan quod in juventute viciſſet. Erant poſtmodum *halteres*, *jacula*, atque nonnulla alia, quorum quoque certamina athletæ obibant, at in publicis ludorum & ſacrorum certaminum celebrationibus raro illa peragebantur, una excepta monomachia, quam Græcos ſacerdotes æſtatis tempore in Pergamo exercere conſueviſſe memoriæ prodidit (*b*) Galenus. Quanquam monomachos, ſive gladiatores apud veteres ab athletis diverſos fuiſſe ſciam, quod M. Cicero teſtatum fecit Epiſt. fam. lib. VII. Epiſt. I. his verbis: *Nam quid ego te athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris?* Niſi dicamus quod memoriæ proditum habetur a Dionyſio Halicarnaſſæo antiq. Rom. lib. VII. *athletas alios fuiſſe leviorum, alios graviorum certaminum, atque hos poſteriores fuiſſe gladiatores*. De iis in *leg.* VII. *§.* IV. *ff. ad leg. Aquil.* ab Ulpiano ſcriptum reperio. *Si quis in colluctatione vel in pancratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit, ceſſat Aquilia, quia gloriæ cauſa & virtutis, non injuriæ videtur damnum datum.* unde patere arbitror apud majores hanc athleticam in maxima exiſtimatione habitam. cujus ea erat ratio, homines ſemper illas res extollere, ac honore dignas efficere ſolent, a quibus voluptates ac delectationes obtinere ſtudent. ob quod cum athletica in publicis ludis cæteriſque ſpectaculis maximas voluptates publice afferret, in honore habita, atque a multis expetita fuerit: quando athletis *ludos ingredientibus*, ut refert (*a*) Plinius, *omnes aſſurgebant, etiam ſenatus, iique ſenatui proxime ſedebant, necnon cum patribus, avis paternis, a quibuſvis muneribus vacabant, & victores in patrias triumphantes invebebantur*, immo athletis ingenuos cædere atque occidere, quod aliis vetabant leges, non modo licuiſſe, verum etiam honorificum fuiſſe auctor eſt in III. hypot. Pyrrhon. Sextus Empiricus. Ne dicam, quod Euſebius in V. de Præparatione Evangelica multo ſermone damnat veteres, ſcilicet eo ſuperſtitionis atque inſaniæ interdum deveniſſe, ut pugiles atque athletas in Deorum numerum referrent. Quibus omnibus rationibus ſatis clarum eſſe poteſt, athleticam antiquitus magnæ auctoritatis fuiſſe: & propterea non temere illam Galenum inſectatum eſſe, dum animadverteret, quantum damni ex ea artis athleticæ reputatione humano generi accederet; ſiquidem non modo cuncta animi, verum etiam corporis bona ita corrumpebantur, ut nihil inveniri poſſet, quod majus hominibus, qui gloriæ & præmiorum ratione illam undique ambiebant, detrimentum afferret, quemadmodum Euripides quoque elegantiſſime teſtatus fuit ſub hiſce verbis. (*b*)

Κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα,
Οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους.
Οἳ πρῶτον οἰκεῖν οὐδὲ μανθάνουσιν εὖ,
Οὔτ' ἂν δύναιντο. πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
Γνάθου τε δοῦλος, νηδύος θ' ἡττημένος,
Κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;
Οὐδ' αὖ πένεσθαι, κἀξυπηρετεῖν τύχαις.
Ἔθη γὰρ ἄνδρες οὐκ ἐθισθέντες καλὰ,
Σκληρῶς μεταλλάσσουσιν εἰς ἀμήχανα.

Id eſt;

Cum mala innumera per Græciam ſerpant,
Nullum deterius athletarum genere eſt,
Qui primum bene incolere haud diſcunt,
Neque poſſunt etiam; quo etenim modo
Quis quis eſt gulæ deditus, ventrique indulget,
Divitias parabit, ut alat familiam?
Neque item egeni eſſe, & fortunis inſervire
Sciunt: nam in malis diu verſati
Moribus, non facile mutantur in melius.

Quibus nihil eſt, meo judicio, quod magis athleticæ ſtatum prodat. Neque tamen defuerunt, qui hanc pernicioſam artem commentariis celebrare niterentur, quales fuerunt Tryphon, ac Theon Alexandrinus, qui ab athletica, in qua excellebat, cognita ejus pravitate ad gymnaſticam tandem deſcivit. Ne taceam Platonem, quem (*c*) Servius, & (*d*) Laertius prodiderunt athletam fuiſſe, & ea dimiſſa ad philoſophiam ſe contuliſſe. Sed quia athletas præmii gratia certare, atque vitam mille necis generibus exponere conſueviſſe non ſemel dixi, id hoc in loco nequaquam prætermittere volo, athletis non eadem quocumque tempo-

a *Cap.* 5. *circa finem*. b 3. *de ar.* 13.

a *lib.* 16. *c.* 4. b *Gal. in ſua. ab. bo. ar.* c *Æneid.* d *In vita Plat.*

re fuisse præmiorum genera proposita, verum, ut Clemens Alexandrinus II. Pædag. cap. VIII. memoriæ prodidit, primo fuit δόσις seu *donum*, secundo *plausus*, tertio *filiorum conjectio*, postremo *corona*. δόσιν autem apud Clementem, nisi aliquid in ejus vulgato codice desideretur, puto nil aliud quam congiarium significare, quo pacto apud Herodianum quoque ea vox usurpata invenitur. nisi potius leve aliquod munusculum designet, quod posterioribus omnibus vilius extiterit, quamquam non abnuo posse quoque legi ἀθλωδόσιν, id est, *præmiorum largitionem*, ut doctissimus Suetonii interpres proposuit. Atqui de plausu, cujus vox Græca est Clementi ἀπεργεμὸν varias criticorum doctissimorum invenio sententias, cum aliqui eam interpretentur exercitationem, aliqui scribendum velint ἐπαγερμὸν, quem dicunt fuisse morem athletarum colligendi munuscula a singulis spectatoribus.

CAP. XV.

De vivendi athletarum ratione.

QUoniam de athletica pravitate quamplurima egregie simul ac eloquenter ab Hippocrate, Platone atque Galeno disputata sunt, nosque etiam illos imitati nonnulla diximus, jam athletarum eorum, qui proprie vocati sunt *palæstritæ*, vivendi rationem in medium proponere decrevimus, qua perspecta, facile cuivis erit judicare, quod genus hominum, quæve illorum ars foret, & quam sapienter illi fecerint, qui ipsam explodere, & contumeliosa oratione improbare conati sunt. sed, quoniam *tota vivendi ratio in sex rebus*, quas non naturales appellare medici voluerunt, *collocata* est, videlicet *cibo*, & *potu*, *somno* & *vigilia*, *quiete* & *motu*, *aere*, *animi affectionibus*, atque *excrementorum evacuationibus*, quomodo in unoquoque horum genere sese gererent, explicabo. Primum itaque in cibo ac potu quadrupliciter errasse conspiciuntur, qualitate, quantitate, ordine, ac tempore. Quod ad qualitatem pertinet, variis cibis athletas usos diversis temporibus invenio. siquidem primis illis antiquioribus vesci caricis præscriptum scribunt (*a*) Plinius, atque Oribasius; quod, ut pinguescerent, factitasse existimo. Quis vero primus carnes eis concesserit, auctores inter se dissentiunt: Plinius exercitatorem quendam Pythagoram athletis primum carnem comedendam exhibuisse scribit, Oribasius Pergamenus Gotam caricarum usum, & antiquam vivendi illorum consuetudinem sustulisse, primumque Euprameni Samio carnes apposuisse, atque talem vivendi rationem in posteros emanasse tradit. utcumque sit, ante Hippocratis ætatem athletæ carnibus vescebantur, & præsertim suillis, ut ipse de Biante pugile refert in v. Epid. § 70. Cæterum neque carnium genere semper illi victitarunt, quoniam interdum caprinis vescebantur, quemadmodum Thebanus quidam athleta, quem Clitomachus Carthaginensis, novæ academiæ sectator præclarus, reliquos sui temporis athletas viribus superasse refert, quod caprinas carnes manducaret. Apri glandulas etiam athletis pro cibo fuisse innuit (*b*) Martialis in libro tertio, ubi Zoili cujusdam procacitatem, & obscœnos mores describens ait:

Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis.

Attamen illos in frequentiore usu habuisse carnes tum bubulas, tum suillas, satis constat ex Galeno, qui ex illis & pane cum caseo sine fermento confecto, quod *coliphium* vocatum est, victitasse scribit, ut duritie, ac alimentorum crassitie, non modo uberius nutrirentur, sed etiam diutius saturi permanerent, quo genere victus cum Biantes pugil πολύβορρος immodice uteretur, eos morbos incurrebat, quos refert in quinto Epid. Hippocrates. Scribit Plinius (*a*) Valerianus *nullum athletarum cibum absque anetho extitisse*, forsan quod crederent ab eo nutrimentum solidum produci, aut quo hujuscemodi herbæ odore alii cibi condirentur, sicque magis ipsis saperent, aut quo somnus illis major provocaretur pro conficiendis cibis duris; anethum enim somnum provocare sciunt medici. Quantitas cibi athletarum quam fuerit cæteris hominum mensuris superior, sciri potest ex iis, quæ scriptis mandavit Galenus secundo de dign. pulsuum, videlicet *carnis minas duas paucum cibum athletis fuisse*, ut aliqua ex parte fabuloso illi fidem adhibere valeamus, quod de athleta Milone Crotoniata, & Heraclide pugile celebratur: quorum alterum carnium minas viginti deglutisse, & panis totidem, vini choas persiccasse tres, ac aliquando taurum, quem per stadium retento anhelitu gestarat, solum absumpsisse; alterum prope infiniti cibi ac potus capacem, nullique parem extitisse ferunt; atque hinc perspicuum fit, quam vere (*b*) Aristoteles IV. de gen. animalium dixerit, *sæpenumero athletis membra variis formis affici, cum ob multam edacitatem natura haud valet æque in toto corpore omnes cibi partes conficere, & confectas æqualiter distribuere*, sicut octavo Polit. cibum eorum, qui exercebantur athletice, modo βίαιον τροφὴν, modo ἀναγκοφαγίαν vocavit, ut (*c*) Galenus III. de tuen. val. ἐδωδὴν πρὸς ἀνάγκην quasi plus, quam ferre (quanquam scio non defuisse, qui aliter eam vocem apud Aristotelem sint interpretati,) possent, edere cogerentur: qua etiam utitur Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagog. c. I. Ex hoc autem loco corrigendus est Themistii locus in orat. (*quæ sit principalissima virtutum*,) ubi pro ἀναγκοφαγίας perperam legitur ἐιαγκοφάσεος. Tertullianus etiam lib. IV. de pallio meminit siccæ saginationis athletarum, quæ ut fieret ab aliquibus dubitatur, ego vero semper putavi xerophagiam illam apud Cælium & Joannem Cassianum commemoratam, qua scilicet ficus aridas, nuces, & nil coctum, nil humidum sumebant, non placentas, ut ait Arrianus in Epicteto, non frigidum potum, & de qua (*d*) Plautus in Mostellaria, ubi adolescens quidam ita loquitur:

Quo neque industrior de juventute erat
Arte gymnastica, disco, hastis, pila,
Cursu, armis, equo: victitabam volupe:
Parsimonia & duritia.

Ordinem similiter nullum, aut perpusillum athletas in comedendo servasse, ut & temporis nullam rationem habuisse, satis ex superioribus clarum esse potest, nisi quod refert Galenus eos non æque mane ac vespere cibos validissimos accipere consuevisse, sed duntaxat in cena, non modo ratione, verumetiam experientia docti cibos in somno, quando calor magis viget intus, facilius confici, alioqui concoctu difficillimos ipsis, cum ob qualitatem eorum valde calori resistentem, tum ob immensam quantitatem: quamvis secus videatur sensisse (*e*) Plinius, qui scribit *athletas maluisse semper*

a *Lib.* 23. *cap.* 7. b *Lib.* 1. *collect. cap.* 40. c *Epigr.* 82.

a 4. *de reme. c.* 27. b *Cap.* 3. c 7. *method.* d *Actu.* 1. *scena* 2. e *lib.* 11. *c.* 53.

cibos

cibos ambulatione, quam somno perficere, ratos somnum ad corpulentiam, quam ad firmitatem magis conferre. quod si (*a*) Plutarchus IV. Symposiacorum *eosdem simplicissimis cibis victitasse, omnemque varietatem prorsus effugisse* tradit, ejus sententiam ita accipere debemus, ut voluerit athletas uno solum carnis & panis genere, quodcumque & quantumcumque fuerit, usos. quod neque nos negamus, qui supra diximus frequentissimos eorum cibos fuisse solas bubulas, aut potius suillas carnes. Atqui somno & vigilia qualem moderationem cæteris vitæ eorum partibus respondentem athletæ adhibuerint, clarissime demonstravit Plato, eos ubique somnolentos appellans. In motu quoque & quiete nullam mensuram servare solitos athletas testatur Galenus, qui eos modo tota die laborare, quando scilicet exercitium, *τέλειον*, sive *κατασκευὴν* apud Galenum tertio de tuend. val. II. vocatum inibant, modo nocte, modo a cibo, modo ante consuevisse narrat. quasi propositum in omnibus tenuerint Hippocratis præcepta hæc de sanitate universa contemnere, (*labores, cibi, potiones, somni, venus, omnia moderata*) illudque unum sibi proposuerint, immoderate semper, & nulla habita regula elaborare. quod cum (*b*) Aristoteles intelligeret caussam quærens, quare mediocriter insudantes statim ab exercitatione colore amœno hilarentur, athletæ vero pallidi longe evadant, dixit ideo evenire, *quia athletæ prorsus nimium laborant, nimius vero labor colorem cum sudore & spiritu extrudit, palloremque inducit, sicuti mediocri calore in summa corporis retento leviter colorem provocat, & ad corporis superficiem invitat, ut calefactis, aut pudefactis accidere solet*. Qui igitur sine mensura semper laborabant, athletas minime mirum est (*c*) Galenum dixisse quinque annis ad summum *ἰσοσθενεῖς* perdurasse. Jam quoque aeris ipsos nullum discrimen effecisse credere possumus, quod sub ardenti sole exercerentur, nec ventorum, aut aliorum boni aeris condicionum ullam rationem haberent. quamvis, dum se ad futura certamina exercerent, antiqui curarint, ut illud in salubri aere factitarent, sicuti manifestum est e xystis, quas ideo fabricatas in gymnasiis scribit (*d*) Vitruvius, quo athletæ in hyeme ad vitandas aeris injurias inibi in salubriori aere commodius exerceri valerent, quo tempore multas plagas, ut tradit (*e*) Basilius Magnus, perferebant, ex pædotribis, nec non victum haud jucundum, sed a magistris exercitationum præscriptum sequebantur. Ita etiam apud (*f*) Strabonem legimus, *veteres consuevisse athletas Ravennam mittere, ut ibi in salubriori aere commodius exercerentur*. Ab animi affectionibus athletas vehementius, quam par sit, affectos fuisse nemo negabit, qui consideret quam levi ex caussa certatores omnes excandescant, quantopere victi tristentur, quantum victores exultent, & denique quo semper animo vivant illi, qui tum immodice saturi, tum jejuni, quales athletæ excruciantur. lib. II. de ira cap. XIV. Seneca *Pyrrhum maximum certaminis gymnici præceptorem solitum* ait, *iis, quos exercebat, præcipere, ne irascerentur, quod ira perturbet artem*, id quod etiam apud Cassianum cap. VII. lib. VI. legitur. De excrementorum exinanitionibus (quod erat sextum & ultimum) pauca dicenda forent, quod forsan in his errarent minus, quam in cæteris: at quoniam venus inter necessarias sanitati inanitiones a medicis reponitur, quo modo sese gererent in illa, videamus. Dum enim & Hippocrates & Galenus venerem moderatam esse debere præceperunt, tam eos, qui immodice, quam eos qui nimium parce illa uterentur, coarguisse ab omnibus in re medica, vel mediocriter eruditis judicantur. unde magnopere in hac athletæ peccasse conspiciuntur, qui perpetuo seipsos coitu interdicebant, cum cæteris forsan ob nimiam alimenti & sanguinis copiam magis necesse haberent, de his namque Galenus VI. de loc. affe. cap. V. loquebatur, quando multos calidæ & humidæ naturæ *ὑπὸ ἀσκήσεως*, id est *ob exercitationem* (non præ pudore, aut sobrietate, ut interpretes plerique transferunt) a veneris usu abstinentes torpidos atque pigros effectos sese vidisse scripsit. Quod porro a venere prorsus athletæ abstinuerint, præter (*a*) Platonem, qui Astylum, Diopompum Crissonem, Iceum, Tarentinum tales extitisse memoriæ prodidit. (*b*) Galenus quoque testatum fecit, & post Galenum Basilius Magnus, qui in homilia LII. scripsit, *pædotribas considerantes ex veneris voluptatibus corpus imbecillius, & ad necessariorum operationes pigrum atque debile reddi, temperantiæ legem promulgasse, quæ adolescentum corpora a voluptatibus tuta conservaret, & decertantibus ipsis ne aspicere quidem venustas formas permitteret*. Id etiam significavit (*c*) Martialis, qui de Blatara quodam athleta sermonem habens, ita scriptum reliquit:

Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelida virgine? ne futuat.

Et (*d*) Horatius:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit:
Abstinuit venere, & vino; ——

ubi pro puero accipiendum esse adolescentem cum Pausania non dubito, alioquin pueri ante decimumquartum annum non hoc egent, cum ad venerem nondum stimulentur, & constet eos postmodum solitos appellari viros; nam ut plerique alii scriptores testantur, & Plutarchus VI. Sympo. III. docet pueros introduci consuevisse ad luctandum, eosdem quoque consuevisse in palæstris exerceri, & præsertim Plato VIII. de legibus, qui tria genera fecit palæstritarum, *pueros, imberbes*, & *viros*. Non modo enim se athletæ ad inhibendam venerem frigida lavabant, verum etiam laminas plumbeas renum & lumborum regionibus ad arcendas nocturnas pollutiones, & libidinis impetus frangendos adhibebant, ut testati sunt (*e*) Plinius, (*f*) Galenus, & Joannes Cassianus lib. VI. c. VII. quam rem etiam intelligere voluisse D. Paulum arbitror, dum dixit, *Qui in stadio currunt, ab omnibus abstinent, & hi quidem ut mortalem coronam, nos vero ut immortalem accipiamus*. Quam sententiam fusius enarrans (*g*) Tertullian. hæc dicebat: *Nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent, continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur*; & D. Chrysost. I. ad Corint. c. IX. atque Ælianus: Idem & Clem. Alexandrinus lib. III. Stromatum, & Simplicius in commentario supra Epictetum intellexit, qui *studio coronæ athletas a venere abstinere* scripsit, & Cæsar VI. de bello Gallico scribit *Sueviis ante vigesimum annum fuisse probibitum veneris usum, ut corpora velociora &*

a *Prob.* I. b 38. *part. probl.* 5. c *In l. de morborum temporibus*. d *Lib.* 5. *c.* II. e *Homil.* 54. f *Geograph. lib.* 5.

a 8. *de legib.* b 6. *de locis affect. in fine.* c *Lib.* II. *in Blataram.* d *Lib. de art. Poet.* e *lib.* 34. *c.* 18. f 6. *de tu. va. cap. ult.* g *Lib. ad martyres.*

proceriora evaderent. & quamvis alibi (*a*) Plinius athletas interdum coitu uti solitos sentire videatur, ubi eos *torpentes restitui, venereisque vocem, cum e candida declinat in fuscam, revocari* dicit, id tamen intelligendum est, ut Eustathius, nimirum toto certaminum tempore congressum venereum athletas evitasse, reliquo tempore usos moderate fuisse. Hoc itaque fuit athletarum vivendi institutum, quod quantum sanitati detrimentum afferret, ut Hippocratem sileam, *affectum athleticum haud secundum naturam esse* dicentem, argumento esse possunt, quæ ipsis quotidie evenire solita recenset (*b*) Galenus, videlicet *repentinæ obmutationes, sensus & motus amissiones, suffocationes, vasorum ruptiones.* ut non sine maxima ratione D. (*c*) Hieronymus *athletas nequaquam diu vivere* potuisse scripserit, Hippocratis & Galeni auctoritate usus. Igitur non satis mirari possum, qua ratione ductus Cornelius (*d*) Celsus Medicus alioqui & eruditissimus, & eloquentissimus in laterum inveterato dolore *victu athletico utendum* consulat: nisi pro valido & firmandis viribus accommodato ciborum genere, ut Budæus, interpretemur. Sed de athletarum professione, quoniam ad institutum nostrum plura dicere non pertinet, hæc sufficient, si unum addidero, quod (*a*) Clemens Alexandrinus quasi ludens memoriæ mandavit, *athletas hanc unam honestatis imaginem habuisse, ut nunquam in publicum ad certandum sine subligaculis prodirent*, quem morem ab Hercule primum invectum, sicut a Palæstra Mercurii filia pudendos locos obtegendi consuetudinem inter mulieres, quæ cursu & aliis exercebantur, introductam esse memoriæ mandatum est. Quamquam (*b*) Dionysius Halicarnassæus scribat ex Homero colligi, *apud priscos illos turpe habitum esse nudos certare, primum autem omnium Olympiade quintadecima Neanthum Lacedæmonium Olympiaco stadio decurrentem totum corpus denudasse, pudendis tantum subligaribus campestribus obtectis.*

a *lib.* 28. *c.* 6. b *In suas. ad bo. ar. & in Lib. & Thras.* c *Lib.* 2. *adver. Jovin.* d *Lib.* 4. *cap.* 6. *in fine.*

a 3 *lib. pædagogi. cap.* 5. b *lib.* 7. *antiq. Roman.*

F I N I S.



HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quid sit exercitatio, & quomodo differat a labore, & motu.



Postquam de gymnastica, quid sit, ejus originem, nec non veræ, & non veræ differentiam satis explicavimus, consequens est, ut, cæteris non prorsus omissis, illam præcipue oratione nostra prosequamur, quæ ad medicinam facit, & de qua tractationem habere polliciti sumus. Quoniam vero, dum gymnasticæ definitionem in medio proponeremus, eam esse *artem quandam facultates omnium exercitationum noscentem, earumque varietates opere ipso gratia sanitatis edocentem* indicavimus: recta doctrinæ ratio postulare videtur, ut, quid sit exercitatio, prius cognoscatur, deinde in proprias species dividatur, atque illarum unaquæque singulatim explanetur. hoc etenim facto, *cum ars* (dicebat (*a*) Aristoteles,) *sit recta operandi oratio*, videbimus, quæ sit in obeundis exercitationibus hæc recta ratio, quomodo illarum unaquæque, vel ad parandum bonum habitum, vel sanitatem defendendam conferat. Exercitationem itaque definivit Galenus, secundo de tuen. val. & ipsum secutus Aetius, *esse motum vehementem, anhelitum alterantem;* ubi γυμνάσιον, κίνησιν, & πόνον, sive exercitationem, motum, atque laborem inter se differre demonstrat: propterea quod motus est res quædam magis communis, atque pluribus conveniens, quam exercitatio, cum sæpe multi moveantur, neque exerceri dicantur, exercitatio vero non sit, nisi vehemens motus: similiter labor licet sit vehemens motus, tamen non omnis labor proprie vocatur exercitatio, siquidem fodientes, atque metentes laborare, sed non proprie exerceri dicuntur; tametsi etiam aliquando communi quadam appellatione labor, exercitatio vocatur: quemadmodum (*b*) Galenus ab (*c*) Hippocrate vocatum esse censet, quando is dixit, *labores cibum præcedant, & ubi fames, laborandum non est*, ibi enim vocem hanc πόνος, quæ dolorem & laborem, sive damnum, ut (*d*) Erotiano placuit, & exercitationem significare solet, pro exercitatione dumtaxat accipi debere judicat: ergo exercitatio nihil aliud erit ex sententia (*e*) Galeni, & (*f*) Aetii nisi motus vehemens anhelitum alterans, γυμνάσιον a Græcis appellatum, quod plerumque nudi, aut saltem cum paucioribus vestibus exercerentur; quemadmodum etiam locum, ubi fiebat γυμνάσιον appellatum superiore libro abunde monstravimus.

a 6. *Ethic.* b 6. *de morb. vulg. com.* 4. *tex.* 31. c 2. *Aph.* 16. d *In onomastico.* e 2. *de tuend. valet. c.* 2. f *lib.* 3. *c.* 2.

A Sed quoniam posset aliquis etiam in gymnasiis ab altero per vim vehementer moveri, qui tamen nullo pacto exerceri diceretur, iccirco hæc Galenica exercitationis (pace ejus dicam) definitio haudquaquam integra est. & proinde (*a*) Avicenna, Arabum omnium doctissimus, cum animadvertisset haud plene exercitationem a Galeno definitam fuisse, aliam definitionem in medium attulit, videlicet quod *exercitatio est motus voluntarius, propter quem anhelitus magnus & frequens est necessarius*. Quo in loco eos quoque merito damnat, qui levem quamlibet ambulationem exercitii nomine compellant: non enim apposuit (*vehemens*) B quod, ubi magnus & frequens sit anhelitus, semper necessario sequitur motum illum vehementem existere; sed neque hæc definitio Avicennæ mihi plene satisfacit, quoniam, etsi conveniat omnibus triplicis gymnasticæ exercitationibus, eas tamen proprie non complectitur: de quibus ad medicum tractare spectat, & nos etiam loqui instituimus: siquidem omnia quatuor caussarum genera haudquaquam complectitur, cum neque materialis explicetur, neque caussa cujus gratia. Accedit item illud, quod multi voluntarie vehementer & cum anhelitu aucto moventur, qui nullo C pacto dicentur proprie exerceri, sicuti servi cum celeritate dominorum mandata exequentes, & sicuti illi, qui vel inimicorum impetum, vel quid aliud triste effugientes, & vehementer moventur, & frequenter ac magnopere anhelant: ex quo (*b*) Avicennæ definitio haud perfecte totam exercitationis naturam complectitur; sicut neque illa Averrois, qua dixit in libro collectaneorum, *exercitationem esse membrorum motum, aliqua voluntate factum*. Ideo nos aliter definientes dicamus, quod *exercitatio*, de qua medici interest tractare, proprie *est motus corporis humani vehemens, voluntarius, cum anhelitu alterato vel sanitatis* D *tuendæ, vel habitus boni comparandi gratia factus*: ita namque definitio omnes caussas comprehendit, atque soli definito convenit: verum enimvero posset aliquis merito a me sciscitari, numquid motus equitando, vel navigando peractus exercitationis nomen mereatur, eo quod non libere a voluntate hominis, sed ab alio dependere videatur? cui respondeo, non minus equitantes & navigantes aliis exerceri dici debere, si non proprie, saltem communiter, dummodo gratia sanitatis, vel etiam militaris studii illud efficiant: quandoquidem proprie exerceri dicuntur, qui exercitationem nuper a nobis definitam suscipiunt: quibus E vero aliqua ex conditionibus necessariis deest, illi potius communiter, quam proprie exerceri dicentur, sive a seipsis sive ab aliis moveantur, quemadmodum equitans, qui voluntarie ideo movetur, quoniam motus equi, ratione cujus ipse movetur, ab equitantis appetitu, & dirigitur, & peragitur; id quod de aliis quoque similibus a nobis semper

a *Lib.* 1. *fen.* 3. *doc.* 2. *cap.* 1. b 6. *coll. cap.* 2.

erit intelligendum: atque hanc fuiſſe Galeni ipſius ſententiam, ejus verba in ſecundo de tuend. val. c. II. ſcripta indicant: ubi ait eos, *qui fodiunt, & qui equitant, non laborare modo, ſed etiam exercitari*, communi ſaltem exercitationis appellatione, quemadmodum claris adhuc adſtruit quinto de tuend. val. cap. II. ubi omnem motum communiter exercitationem vocat, proprie vero motum vehementem, ut etiam videtur appellaſſe Ægineta lib. I. cap. XVII. ubi exercitationem a geſtationibus, ambulationibus, & vociferationibus diſtinguit. Præterea, quoniam dixi exercitationem a Græcis γυμνάσιον vocatam fuiſſe, haud ſecus ac locum, in quo fiebat, ambigeret fortaſſe aliquis num exercitationes, quæ extra gymnaſia peragebantur proprie tales eſſent, an non? cui reſponſum eſſe volo, definitione exercitationis cum non ſit appoſitus peculiaris locus, indicari eum haudquaquam exercitationi neceſſarium fore, & propterea motum voluntarium vehementem cum anhelitu alterato, gratia ſanitatis tuendæ, vel optimi habitus comparandi factum, ubicumque locorum ageretur, nihilo ſecius exercitationem vocari debuiſſe, atque debere, quam in gymnaſiis actum. nam ambulationes per vias, pilæ luſus, jaculationes, & ſimilia, quis ſanæ mentis non vocet exercitationes? etiamſi ruri & in vicis efficiantur, dummodo cæteris conditionibus minime careant? qua re ita ſeſe habente, etiam ad gymnaſticam facultatem de exercitationibus omnibus ſive in gymnaſiis fiant, ſive extra, tractationem ſpectare dicendum erit, eo magis, quod Galenus, alioqui verborum proprietatis obſervantiſſimus, etiam in aquis γυμναστικὰς παιδιας a pueris tempore ſuo exerceri ſolitas fuiſſe in 4. de loc. affect. libro ſcriptum reliquit.

CAP. II.

De Gymnaſticæ medicinæ diviſione.

TRactaturi medicinæ gymnaſticam, quid ſit exercitatio, declarare coacti fuimus; ordini autem nunc nobis propoſito valde conſentaneum eſt, gymnaſticam ipſam partiri; ex qua diviſione ſeſe clarum offeret iter, quo ad inveniendas exercitationum omnium ſingulas antiquis uſitatas ſpecies incedamus. Quod enim hujuſce gymnaſticæ verum atque præcipuum principium a natura acceptum ſit, animantia bruta fidem facere merito ſcripſerunt & (a) Plato & (b) Galenus: ſiquidem illa ſtatim ac in mundanam hanc lucem veniunt, ſeſe movere, ac ſaltare conſpiciuntur: veluti quoque pueri factitant, qui tametſi in hoc brutis imbecilliores ad fruendum hac vita exeant, nihilominus & ipſi, quantum conceditur, ſeſe movere nituntur; atque ex motibus non parum voluptatis accipiunt. qui motus poſtmodum creſcentibus annis, dum conditiones ſupra deſcriptas recipiunt, nil aliud plane ſunt, niſi ipſiſſima facultatis gymnaſticæ opera: ut omnino dicere cogamur ipſam, ſi non a natura factam, ſaltem ſecundum naturæ propenſionem eſſe. Hujuſce facultatis cum Plato duas primarias atque univerſales partes effecerit; proinde allatam ab ipſo gymnaſticæ diviſionem in medium proponemus, non quod ſub ipſa omnium exercitationum ſpecies appoſite contineantur, ſed quod a nullo alio artem hanc melius diviſam hucuſque videre contigerit. neque nos quiſquam reprehendere debet, quod in pluribus Platonis, quem medicum nemo ſanus reputat, auctoritatem in tractanda re medica tanti faciamus: quando Galenus ille, cui non minus medici, quam Pythagoræ ejus diſcipuli credere tenentur, ſcriptum reliquit, *Platonem Hippocratis imitatorem fuiſſe*, nec uſquam ab illius placitis receſſiſſe: nam Galenum hoc in loco ſequi non poſſumus, quoniam, ubi ſimilem diviſionem aggreſſus eſt, exercitationum potius, quam ipſius artis partitionem inſtituiſſe videtur. Plato igitur libro de legibus VII. cum demonſtraſſet ſiniſtras manus a natura nihilo dexteris imbecilliores effici, atque earum apparentem debilitatem potius conſuetudini, exercitationique, quam naturali defectui adſcribendam fore, tradit ad eos pertinere, qui pueris alendis ac educandis præficiuntur, ut eos ſiniſtris etiam exercendis aſſuefaciant. poſtea docens quæ ſint illæ diſciplinæ, ductu quarum pueri excoli debeant, alteram muſicam ex iis eſſe, alteram gymnaſticam ſcribit: gymnaſticæ rurſus duo membra facit, unam τὴν πάλην, alteram τὴν ὄρχησιν appellat: atque ὀρχήσεως alteram eſſe dicit eorum, qui res turpes moribus imitantur, alteram eorum, qui bonæ corporis habitudini, agilitati, membrorumque pulchritudini operam navant. Quo in loco tametſi Plato de gymnaſtica bellica dumtaxat ſermonem habere videatur, nihilominus eadem fere eſt ac medicinæ gymnaſtica, fine ſolum differens, nec prorſus fine, eo quod Plato quoque bonum corporis habitum parare, valetudinemque conſervare intendit, ſicut medicus, ſed alium finem addit, nempe ut ejus exercitationis ope ad bella gerenda aptiores homines evadant. Nos itaque dicamus ſecundum Platonem gymnaſticam dividi in *ſaltatoriam*, atque *palæſtricam*, ſub nomine palæſtricæ intelligentes univerſam illam exercitationum ſeriem, quæ vel in palæſtra gymnaſiorum, vel in loco palæſtræ vicem gerente peragebantur. Cum enim gymnaſtica facultas quædam exiſtat, ut ſæpius diximus, quæ & naturam qualitateſque exercitationum noſcit, & eis utendi modos, ac regulas ſanitatis, aut boni habitus gratia præſcribit; cunctæ fere exercitationes cum arte factæ, quæ nil aliud ſunt, quam motus quidam humanorum corporum, aut a ſaltatoria, aut a palæſtrica deſcribuntur, præfiniunturque; id quod forſan Galenus innuere voluit, quando in ſecundo libro de muſculorum motu ſcriptum reliquit: ὀρχηστικοὺς καὶ παλαιστικοὺς *ſolos facile crura flectere*: neque enim ſum neſcius (ut paullo ante dixi) minime hanc gymnaſticæ diviſionem perfectam exiſtere, neque ab illa ſingulas exercitationum ſpecies comprehendi poſſe, quoniam ambulatio, equitatio, & ſimilia gymnaſticæ exercitationes ſunt, nihilominus ſaltatoriæ aut palæſtricæ nequaquam ſubſunt. Attamen hanc etiam veluti antiquam, & a graviſſimo auctore traditam aliqua ex parte ſequemur. quod ſi nos etiam eam magis illuſtrantes dixerimus gymnaſticam duplicem eſſe, alteram, quæ motus hominum a ſeipſis factos ſolum, alteram, quæ motus ab aliis factos contemplatur, atque primam tum in palæſtricam, tum in ſaltatoriam dividi, non modo cum Platone ſentiemus, verumetiam ipſius rei veritatem fortaſſe aſſequemur; ſiquidem nullam exercitationem poterit quis cogitare, quam ſub aliqua prædictarum ſpecie contineri non oſtendamus. Nec quidquam ſententiæ noſtræ obſtabit, quod Galenus in libro qui ἰατρός, (ſi is eſt Galeni genuinus, aut potius, quod alii credunt, Herodoti medici) ſub alio artis genere palæſtricam & orcheſticam, ſub alio medicinam, cujus partem gymnaſticam effecerunt veteres, collocarit; quia ibi loquitur de ſaltatoria, quæ erat hiſtrionicæ

a 2. de leg. b de tu valetud.

ſpecies, ut inferius declarabimus, & non de qua nos loquimur, ſimiliter & de palæſtrica vitioſa, quam athleticam nos vocamus, & omnino a medicina alienam cum Galeno ſtatuimus; non autem de palæſtrica, neque de ſaltatoria a Platone, & a nobis intellectis.

CAP. III.

De Saltatoria.

CUm itaque gymnaſtica tota in eam dividatur, quæ motus hominum a ſeipſis, & quæ ab aliis factos ſpeculatur, atque prima adhuc in *ſaltatoriam* & *palæſtricam* partiatur, ne confuſa evadat tractatio noſtra, primo ſaltatoriam, deinde palæſtricam omnes in palæſtra, vel loco ſimili actas exercitationes complectentem explicabimus, poſtremo eam, quæ circa motus ab aliis factos verſatur, gymnaſticam adnectemus, quibus tractatis univerſa gymnaſtica nota fiet. *Saltatoriæ* igitur, ſive ὀρχήσεως *tres ſpecies* Homerum noviſſe, qui ejus libros lectitarunt, intelligere facile poſſunt. Prima eſt *cubiſtica*, quam Xenophon atque Suidas ſcribunt fuiſſe *artem quandam, qua homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput ſaltabant*, quomodo etiam tempeſtate noſtra circulatores nonnulli faciunt, qui lucri gratia homines decipientes, varias urbes comœdiis recitandis pererrant; hanc κυβίστημα vocavit Lucianus, & in gloſſario habetur *cernulat*, quam vocem etiam uſurpavit Seneca Epiſt. VIII. etſi *cernuat* plures codices habeant. Secunda ſpecies eſt *ſphæriſtica*, ſive pilæ ludus: nam quo ludentes pila ſaltarent, præter Homeri teſtimonium, qui ſexto Odyſſeæ de Nauſicaa hæc tradit;

Σφαίρῃ τε ταὶ δ᾽ ἔπαιζον ἀπὸ κρήδεμνα βαλοῦσαι,
Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς.

Id eſt:

Ludebant pila, vittis velliſque remotis,
Atque his Nauſicaa ob niveas ſpectabilis ulnas
Principium ludo dabat. ——

teſtatur quoque Athenæus ex auctoritate Demoxeni, ſicuti inferius indicabimus. Tertia ſpecies eſt ὄρχησις ſimpliciter dicta, nos ſimpliciter *ſaltationem* dicere poſſumus. Tota hæc orcheſtica quamvis majores noſtri ut plurimum ad voluptates ac laſciviam potius, quam ad aliud uterentur, qui mos etiam uſque ad hæc tempora perdurat; nihilominus gymnaſticam bellicam, athleticam, atque medicam illa quoque prorſus non caruiſſe conſtat, ſicut nec ceteras exercitationes ab ulla fere harum trium omiſſas fuiſſe demonſtrabo, ubi in ſingulis exercitationum ſpeciebus declarandis, quo modo unaquæque gymnaſticæ illis ſeparatim uſa ſit, indicare conabor. Bellicam enim abſque ſaltatoria non fuiſſe locupletiſſimum teſtem Platonem habemus, qui in ſeptimo de legibus ſaltationem in tres diviſit, *militarem, paci aptam*, atque *mediam*; militaremque vocavit eorum, qui modo exilitionibus in altum, modo depreſſionibus, modo inclinationibus hoſtilium incurſuum, invaſiones evitationeſque imitabantur; quique figuris variis jaculatores & percuſſores ſimulabant; atque hanc tanti fecit, ut voluerit in republica magiſtros haberi, qui mercede publica conducti viros ſimul ac mulieres hanc edocerent, arbitratus hac una non parum adjumenti acceſſurum ad adipiſcendam militarem peritiam: & nobilis author Quintilianus lib. I. inſtit. cap. II. teſtatur Lacedæmonios ſaltationem quandam tanquam ad bella utilem inter exercitationes recepiſſe. Quod vero athletica gymnaſtica inter ceteras exercitationes habuerit aliquando ſaltationes, comprobari poteſt ex (*a*) Plinio, qui *Stephanionem togatæ ſaltationis primum inventorem utriſque ſecularibus ludis, & D. Auguſti, & Claudii Cæſaris ſaltaſſe* memoriæ prodidit: quemadmodum & Plato loco nuper citato ſaltationem a nobis mediam, ab ipſo ἀμφισβητουμένην nuncupatam, in ſacrificiis atque expiationibus fieri ſolitam, quam a Mantinenſibus & Arcadibus coram Cyro factam refert (*b*) Xenophon, tradens, aperte inſinuare videtur, athleticam, cujus & ludos & ſacrificiorum celebritates eſſe jam decrevimus, ſaltatoriam habuiſſe. Galenus porro nec medicinæ gymnaſticam ſaltationes a ſe reſpuiſſe tamquam ſanitati & bono habitui inutiles plane confitetur, quandoquidem in (*c*) ſecundo περὶ ὑγιεινῶν multos imbecilles valetudini reſtitutos a ſe luctis, pancratiis, ſaltationibus, atque aliis hujuſcemodi exercitationibus refert: id quod (*d*) Antyllus pariter teſtatum fecit, ubi inter ceteras exercitationes hominibus ad ſanitatem conferentes hanc ponit, mediamque inter choream & umbratilem pugnam naturam retinere, & ob id pueris, mulieribus, atque ſenibus, quorum corpus mirum in modum imbecillum & gracile eſt, conducere ſcribit. An vero hæc ea ſit ſaltatio, quam Plato εἰρηνικὴν, ſive paci aptam nuncupavit, quamque animi in proſperitatibus, & in moderatis voluptatibus temperati exiſtere ſcripſit, haud tuto affirmare audeo, ſat ſit nobis hactenus oſtendiſſe nullum gymnaſticæ genus hac ſaltatione caruiſſe, in quam & in palæſtricam exercitationum artem a Platone diviſam eſſe jam diximus.

CAP. IV.

De Sphæriſtica.

SAltationem in cubiſticam, ſphæriſticam, & orcheſticam, ſive communi nomine vocatam ſaltationem diviſimus, quarum unaquæque jam nobis fuſius declaranda foret. Sed quoniam de cubiſtica ab auctoribus pauca admodum tradita reperiuntur, omiſſa illa, reliquas duas proſequemur. Atque primo ſphæriſtica ſeſe offert, quæ tametſi Homeri temporibus ſimplicior eſſet, attamen poſterioribus ſeculis miram varietatem acquiſivit, ita ut & ipſa in gymnaſiis tam locum σφαιριστήριον, quam præfectum σφαιριστικὸν vocatum habere meruerit. Quis vero primus ſphæriſticam hanc, ſive pilæ ludum invenerit, ſcriptores diverſa ſentiunt. (*e*) Plinius inter Latinos Pytho cuidam hunc acceptum refert. Agalis Corcyrea grammatica Nauſicaam ludi pilæ inventricem, ſed ignoro qua ratione, apud Athenæum facit: Hippaſius Lacedæmoniis, Dicæarchus Sicyoniis inventum iſtud attribuerunt. Ex quo fit, ut certi quidquam ſentire nequeamus, & eo magis quod Timocratis Laconis, aliorumque de hoc ludo commentaria non habemus, quibus fortaſſis & tantæ varietatis rationem intelligere, & incognita prope ludendi pila genera certius cognoſcere poſſemus: in quibus explicandis cum huc uſque ſcriptores non parum confuſi fuerint, atque interdum a veritate longe receſſerint, nos, quantum fieri poterit, tractationem hanc clariorem, minuſque antiquorum ſcriptis repugnantem efficere ſtudebimus. Pila itaque ludendi genera quatuor duntaxat apud Græcos extitiſſe reperio, μεγάλην

a *lib. 7. c. 48.* b *lib. 6. de Cyri Exped.* c *cap. ultim.*
d *Oribaſ. 6. Collect. cap. 30.* e *lib. 7. c. 56.*

σφαῖραν, μικρὰν σφαῖραν, κενὴν σφαῖραν, καὶ κώρυκον, sive *parvam pilam*, *magnam*, atque *pilam inanem*, & *corycum*, repono corycum inter pilæ genera, quod licet Galenus, Oribaſius, & Paullus ab illis ſecreverint, inſtrumentum illud, ut demonſtrabimus, vel pila erat, vel pilæ aſſimile. *Parvæ* luſus ſecundum Antyllum *tres ſpecies* diverſas habuit: prima erat, *pila valde parva*, in qua qui exercebantur, corpore maxime elato ludebant, & colludentes manus manibus proxime admovebant: ſecunda erat *pila majuſcula*, qua cubitos cubitis ludendo immiſcebant, nec corporibus mutuo hærebant, nec annuebant, ſed variis modis movebantur, & propter varios pilæ jactus huc atque illuc digrediebantur: tertia erat *pila adhuc major ſecunda*, in qua homines inter ſe diſtantes ludebant, & in qua cum ſtataria, ac motoria pars eſſet, qui manebant, pilam emittebant cum vehementia & concinnitate: inter has ſpecies adnumerari debere genus illud judico, quod penes (*a*) Athenæum ἁρπαστὸν & φενίνδα vocatur, tum quia a Galeno in libello de parvæ pilæ ludo ſimul cum aliis id quoque explicatum habetur, tum quia (*b*) Clemens Alexandrinus, ſcriptor graviſſimus, uti demonſtraret ludum parvæ pilæ, & præſertim φένιδα, exercitationem eſſe viris valde accommodatam, eam parvæ pilæ ſpeciem fuiſſe hac oratione clarum facit: Οἶδα καὶ σφαίρῃ τῇ μικρᾷ παιζόντων τὴν φενίνδα, παιδιὰν ἐν ἡλίῳ μάλιστα. Id eſt: *Alii autem parva quoque pila ludunt eo ludo quem dicunt* Pheninden, *maxime in ſole*: quod & a Polluce confirmatum invenitur, ubi etiam harpaſtum vocatum innuit: hujus etenim inventorem extitiſſe Phanæſtrium pædotribam, ſcripſit Jubas Maurusius, cujus item deſcriptionem Antiph. in hunc modum attulit: Σφαῖραν λαβών, τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε τὸν δ' ἔφυγ' ἅμα, τὸν δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησε πάλιν κλαγκταῖσι φωναῖς. Vocavit autem Antiphanes ludum iſtum Φενίνδα, ἀπὸ τοῦ ἀφιέναι τῶν σφαιριζόντων, quaſi ſic ludentes ſibi ipſis pilam mutuo mandarent: niſi ἐφετίνδα legatur, ut nonnullis placuit ex Euſtathio corrigendum, vel ſic vocata eſt a Phennido primo inventore, aut ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, id eſt, *a decipiendo*, quoniam alio ſimulantes in aliam partem mittunt, decipientes credulum, ſicuti memoriæ prodidit Pollux, apud quem legitur, *epiſcyrum* luſum fieri ſolitum, ubi paribus *ad pares in duas turmas diſpoſitis, media lineæ ducebatur, quam* ſcyrum *vocabant, cuique pilam impoſitam quiſque contendebat, ut intra alias duas lineas poſt utrorumque ordinem deſcriptas adverſariorum, metas ſcilicet, immitteret, nimirum quibus contactis a pila victoria haberetur*: nam luſores dum pilam capiebant, atque alteri mittebant, alterum fugiebant, alterum expellebant, alterum magnis vocibus elevabant, ſive evertebant, veriſimile ſit ſpectatores, atque etiam ſeipſos magna delectatione affeciſſe, eo magis, quod interdum motuum concinnitati operam dabant: unde (*c*) Demoxeni concinnitatem lætitiamque ex tali ludo partam apud eundem explicaturus hæc prodidit:

Νεανίας τις ἐσφαίριζεν ὢν ἐτῶν
Ἴσως ἑπτακαίδεκα,
Κῷος· θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ νῆσος φέρειν.
Ὃς ἐπεί ποτ' ἐμβλέψειε τοῖς καθημένοις,
Ἢ λαμβάνων τὴν σφαῖραν ἢ διδοὺς, ἅμα,
Πάντες ἐβοῶμεν, (ἡ δ' εὐρυθμία,
Τὸ, τ' ἦθος, ἥτε τάξις ὅση,
Ἐν τῷ τι λέγειν, ἢ πράττειν ἐφαίνετο)

(Πέρας ἔτι) κάλλους ἄνδρες· οὔτ' ἀκήκοα
Ἔμπροσθεν, οὔθ' ἑώρακα τοιαύτην χάριν.
Κακὸν ἄν τί μ' εἴλαβεν, εἰ πλείω χρόνον
Ἔμεινα, καὶ νῦν δ' οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκῶ.

Id eſt:

—— Juvenis quidam
Ludebat pila annorum forte ſeptemdecim,
Cous: videtur ferre deos hæc inſula:
Qui quoties aſſidentes non conſpicaretur,
Pilam vel ſumens, vel dans, continuo
Acclamabamus omnes: tanta erat concinnitas,
Tantus ingenii lepos, tam venuſtus geſtus,
Sive quid loqueretur, ſive quid etiam faceret.
Tam abſolutam pulchritudinem ego antea
Non videram: tantum gratiæ non audiveram.
Mali quidpiam certe amplius eveniſſet, diutius
Illic ſi ſubſtitiſſem, mentis ne nunc quidem ſat compos
Ut arbitror ſum. ——

Ex quibus Demoxeni verbis pilæ luſores compte & concinniter ludere ſolitos perſpicuum efficitur. Hæ itaque ſunt pilæ parvæ ſpecies, de quibus a Græcis mentionem habitam ſcio, & in quibus Epigenes philoſophus, nec non Cteſibius Chalcidenſis philoſophus, quo cum multi ex Antigoni regis familiaribus ludendi gratia exuebantur, multum excelluiſſe dicuntur. Atqui Pollux alia pilæ parvæ ludorum genera proponit, *Aporraxim*, & *Uraniam*, in quo ſcilicet ſeſe reclinantes pilam in cælum projiciebant, & antequam terram attingeret, excipiebant. Ceterum pilam magnam duos quoque ludendi modos non ſolum ex ipſius pilæ magnitudine, verum etiam ex manuum figura a ſuperioribus diverſos effeciſſe, (*a*) Oribaſius ex Antyllo teſtatur, quorum unus erat ludentium magna, alius majore, hoc tamen ambo commune poſſidebant, ut ſicuti in ceteris prædictis luſores ſummas manus ſemper humeris humiliores, ita in hac ſemper capite altiores tenerent, quandoque etiam ſummis pedibus ambulabant, ut manus altius extollerent, quandoque ſaltabant, cum ſcilicet pila ſuper eos ferebatur, in qua projicienda vehementer brachia agitabant. Inanis porro, ſive vacua, quod tertium pilæ genus fecimus, qualis fuerit, haud ſatis explicatum habetur: ſi quid tamen conjectura ex Antylli verbis aſſequi licet, credo hanc pilam, quemadmodum & ceteras, ex corio conſutam fuiſſe, in hoc ab aliis differentem, quod illæ vel pluma, vel alia materia; hæc ſolo vento, ſive aere plena foret, atque tantæ magnitudinis, ut ipſa difficulter luderetur. Corycus vero quis eſſet, quomodove ludus ille perageretur, cum Antyllus apud Oribaſium clariſſime expreſſerit, ejus orationem huc traducere ſtatui, quæ ita in Vaticano codice ſe habet. Κώρυκος ἐπὶ μὲν τῶν ἀσθενεστέρων ἐμπίπλαται κεγχραμίδων, ἢ ἀλεύρων, ἐπὶ δὲ τῶν ἰσχυροτέρων, ψάμμου· τὸ δὲ μέγεθος αὐτοῦ πρός τε δύναμιν, καὶ ἡλικίαν συναρμοζέσθω, κρεμάννυται ἐν τοῖς γυμνασίοις ἄνωθεν ἐξ ὀροφῆς ἀπέχων τῆς γῆς τοσοῦτον, ὥστε τὸν πυθμένα κατὰ τὸν ὀμφαλὸν εἶναι τοῦ γυμναζομένου, τοῦτον διὰ χειρῶν ἔχοντες ἀμφοτέραις αἰωροῦσι, τὴν μὲν πρώτην ἡσύχως, ἔπειτα σφοδρότερον, ὥστε ἐπεμβαίνειν ἀποχωροῦντι αὐτῷ, καὶ πάλιν προσιόντος ὑπείκειν ἐξωθουμένους ὑπὸ τῆς βίας· τὸ δὲ τελευταῖον ἀφίασιν αὐτὸν ἔξω τῶν χειρῶν ἀπωσαντες, ὥστε ὑποστρέψαντα σφοδρότερον ἐμπίπτειν σώματι ἐκ τῆς προσελεύσεως· τὰ δὲ ὕστατα ἐπὶ πλεῖστον οἰκίσαντες αὐτὸν ἀποπέμπουσιν, ὥστε ἐκ τῆς προσόδου, εἰ μὴ σφόδρα προσέχοιτο, ἀποστρέφεσθαι. ποτὲ

a *Deipnoſ. lib.* 1. *cap.* 11. b 3. *pædag. cap.* 10. c *Athen.* 1. *Deipnoſoph. ſtrum cap* 11.

a *Lib. collect. med. cap.* 32.

μὲν ἐν ταῖς χερσὶν ἀντιβαίνουσιν αὐτῷ προσιόντι, ποτὲ δὲ τῷ στέρνῳ τὰς χεῖρας ἀναπετάσαντες, ἄλλοτε ἀποστρέφοντες κατὰ μετάφρενον. Id eſt, *Corycus in corporibus imbecillioribus granoficulneo, aut farina, in robuſtioribus arena impletur: ejus vero magnitudo ad vires corporis, & ad ætatem accommodatur, ſuſpenditur autem in gymnaſiis ſuperne e culmine, tantumque a terra diſtat, ut fundum ad ejus qui exercetur umbilicum pertineat, hunc utriſque manibus tenentes qui exercentur, primum quidem quiete, poſtea vero vehementius geſtant, ita ut ipſum recedentem conſequantur, & iterum redeunti cedant violentia compulſi, poſtremo vero cum e manibus rejicientes emittunt, ut cum revertitur, vehementius corpori adventu ſuo occurrat, ad extremum vero in ſedem ſuam ſæpiſſime reſtituendo dimittunt, ut ex congreſſu ſi non valde advertant, retrocedat, ex quo fit, ut quandoque manibus occurrant, dum propinquat, quandoque vero pectore manibus paſſis, quandoque vero iis ad terga revolutis.* Hactenus Antyllus, qui tametſi figuram Coryci, utpote omnibus tunc temporis notam, non exprimat, conjectura tamen aſſequi poſſumus, & ipſum ſphæricum, aut ſaltem rotundum ex materia coriacea extitiſſe, alioqui ſi angulare fuiſſet in occurſu, & manus & pectus non ſine læſione percuſſiſſet. Hæc autem ſi vidiſſet Fuchſius, ſane intellexiſſet, Valeriolam non ſine ratione adverſus ipſum contendiſſe, follem & corycum paullo minus, quam cælum & terram diſtaſſe. Neque etiam ſatis mirari ſoleo antiquiſſimum ſcriptorem Cælium Aurelianum, qui libro v. tard. paſſ. cap. ult. dicit variam volutationem in palæſtra eſſe vocatam a Græcis *celadian*, atque *coricomachian*, niſi ſit in codice depravatiſſimo error, ut puto. De hoc intelligendum eſt adagium illud, πρὸς κόρυκον γυμνάζεσθαι. quo genere certaminis Apulejo in Theſſalia certatum eſt. De hac quoque exercitatione verba fecit Hippocrates, ſive Polybus, ubi κορυκομαχίαν, falſo a Cornario *follem* interpretatam, ad attenuandum corpus probavit: quemadmodum & eandem intellexit Aretæus, ubi pro elephanticorum exercitationibus κορυκοβολίας probavit, quas bonus ille interpres, neſcio quo ſpiritu, *peræ*, aut *ſacculi jactus*, inepte ſatis tranſtulit. Eandem quoque intellexiſſe Cælium Aurelianum exiſtimo, cum ad polyſarciam diminuendam corycomachiam (ſic enim legendum eſt) commendavit, iiſdem prope remediis uſus, quæ ab Hippocrate loco citato propoſita ſunt: unde argumentatus ſum auctorem ſicuti cetera, ita & corycomachiam ab Hippocrate mutuatum eſſe: quamvis textus judicio meo depravatus ſit. Locum ubi ludebatur, *coryceum* apud Vitruvium appellari, cenſuerunt aliqui: quorum ſententiam poſtquam in ſuperioribus refutavimus, nil aliud dicendum eſt. Atque hæc de *quatuor pilæ ludi Græcorum* generibus, videlicet *pila parva, pila magna, pila inani*, & *coryco*: quæ omnia diverſa inter ſe extitiſſe, non modo ex deſcriptionibus nuper allatis manifeſto conſtat, verum etiam ex Galeni verbis in ſecundo de tuenda valetudine ſcriptis: ubi inter ceteras gymnaſiorum exercitationes corycum, pilam parvam, & pilam magnam, ſeparatim recenſet, ſicut & Paulus Æginetа ipſum imitatus: quod profecto non feciſſent, niſi quædam inter ſe diverſa extitiſſent pilarum genera, & diverſæ etiam cum iis factæ exercitationes. Quæ numquid omnes in Græcorum gymnaſiis exercerentur, parum ſcire refert, ſat ſit intelligere, medicam gymnaſticam atque bellicam, & præſertim pueris edocendis incumbentem pilarum exercitationes uſurpaſſe, neque ad valetudinem ac agilitatem comparandam augendamve eas ceteris inferiores exiſtimaſſe: atque ad hoc id maxime facit quod Euſtathius ſcripſit ad x. Odyſ. Herophilo medico poſitam fuiſſe ſtatuam, ac prope eam inter alia gymnaſticæ inſtrumenta etiam pilam. Admirari autem nemo debet, ſi nos in ſuperioribus ludos inter athleticas exercitationes repoſuimus, & ſubinde multas quoque bellicas medicaſque exercitationes ludos vocamus, ut nuperrime de pila dictum eſt a nobis: quoniam & veterum & recentiorum tam Græcorum, quam Latinorum loquendi mos obtinuit, ut multas exercitationes παιδιὰς, & ludos vocarent, aut quod a pueris qui παῖδες Græce dicuntur, ut plurimum fierent, aut quod illi, qui exercentur, non ſerio, ſed joco agere videantur, ſive gratia ſanitatis, ſive alterius rei id efficiant: ludi vero, quos athleticæ eſſe nos dicimus, ita proprie vocabantur, quoniam ſolatii, & voluptatis ſolius gratia in otiis feſtivis agebantur.

CAP. V.

De Pilæ ludo ſecundum Latinos.

Poſtquam pila ludendi Græcis uſitata genera ſatis explanavimus, ſupereſt & ea quæ a Latinis & in uſu habita, & ſcriptis tradita repeririuntur, explicare: unde, in quibus ambo convenerint, & in quibus diverſi fuerunt, perſpicuum futurum ſpero. *Quatuor* igitur fuiſſe *pilæ genera* etiam *apud Latinos*, quibus ludebant, invenio, *follem*, *trigonalem*, *paganicam*, & *harpaſtum*, quæ omnia ſub nomine Italicæ ſphæræ a Cælio Aureliano medico complexa nonnulli credunt. *Follis erat pila magna ex aluta confecta, ſoloque vento repleta*, quæ ſi major erat, brachiis impellebatur, & ſimpliciter pila interdum nuncupabatur, ut apud Nonium ex Varrone, *purgatum ſcito, quoniam videbis Romæ in foro ante januas pueros pila expulſim ludere*; & apud Propertium lib. III. Elegia XII.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

interdum quoque pila velox, ut apud Horatium Serm. lib. II. Satyr. II.

—— Seu pila velox
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit. ——

Hujuſmodi etenim pilæ exercitationem licet videre in Gordiani tertii Imperatoris Romani nummis, quos hic depictos adpoſuimus, & ex quibus conjicere licet, unumquemque luſorum propriam pilam habuiſſe, atque eum ludum in ſacrificiis Pythiis apud Apolloniatas adhibitum eſſe, ut tum ex voce ΠΥΘΙΑ, tum ex palma, atque ſacrificatoriis vaſis colligere non eſt difficile.

Si vero minor erat, pugnis ejiciebatur, atque *pugillaris follis*, ut apud (a) Plautum in Rud. *extemplo hercle ego te follem pugillatorium faciam*; vocabatur. Interdum quoque hanc eandem pilam *folliculum* appellatam credo, ſicuti a Suetonio in vita Auguſti, quem hoc pilæ ludo valde delectatum narrat. Quomodo vero (b) Martialis lib. IV. dixerit:

Plumea, ſeu laxi partiris pondera follis.

cum ex corio vento repleto pila hæc conſueretur, & non pluma, ut omnes fere Latini auctores uno

a *Actu.* 3. *ſcena* 4. b *De Endromide.*

ore fatentur, quidquid alii respondeant, opinor A ego ob levitatem follis pondera plumea dixisse: cujus levitatis gratia neque pueri, neque senes, alioqui imbecilles, inter ludendum vel nimium quid defatigabantur, & propterea idem (a) Martialis alibi scriptum reliquit.

a *Lib.* 14. *Epigr.* 45.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Nam ut hoc genere ludi corpora imbecilliora exerceri valerent, non modo levis pila efficiebatur, verum etiam dicatus lusui locus nullis lapidibus aut lateribus sternebatur, ne laberentur pedibus ludentes, &, si forte lapsi essent, ex casu dam-



num non paterentur; & propterea, cum solum B minime pavimentatum foret, ex continuo terræ attritu pulvis excitabatur: quanquam etiam fieri potest, ut pavimento luderent, sed pulvere humili & exiguo illud adspergeretur, ita ut pilam resilire non impediretur, atque ludentium pedes magis firmarentur. Nam in pulverulento solo fieri hanc exercitationem consuevisse, innuit (a) Martialis lib. XII. ubi Menogenem quendam ex thermis ob delectationem exire nescientem in hunc modum carpit.

Effugere e thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis,
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem, C
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas,
Colliget, & referet lapsum de pulvere follem,
Et si jam lotus, jam soleatus erit.

Numquid autem ludus iste fuerit unus ex iis, quos superius secundum Græcos auctores enarravimus, variæ sententiæ fuerunt. Alii enim crediderunt pilam magnam Græcorum, & follem Latinorum idem fuisse, inter quos fuit Thomas Linacer, qui cum in II. de tuend. val. corycum follem traduxisset, in sexto postmodum libro magnam pilam iterum follem transtulit, quasi corycus & pila magna non differret apud (a) Galenum, qui expresse & pilam parvam, & magnam, & corycum distinxit. Alii maluerunt corycum Græcorum, follem Latinorum fuisse: atque hanc opinionem major pars recentiorum scriptorum habuit, inter quos fuere quidam, qui apud Oribasium caput Coryci, de folle pugillatorio inscribendum judicarunt: sed hi omnes magnopere hallucinantur: & primo, qui crediderunt follem & magnam pilam idem fuisse, duabus rationibus redarguuntur, quarum altera est, quod ludentes magna pila semper summas manus capite altiores tenebant, quandoque etiam summis pedibus ambulabant, ut manus altiores tenerent: altera est, quod Oribasius ludum pilæ magnæ non modo ægrotis, sed etiam convalescentibus, atque bene valentibus inutilem judicavit, quorum neutrum habuisse follem, facile est ex superioribus judicare. Qui vero follem corycum fuisse existimarunt, multis rationibus & ipsi errasse deprehenduntur. Primo, quoniam corycus e culmine gymnasiorum suspende-

a *Epig.* 82.

a 2. *de tuend. valetud.*

batur,

batur, follis libere emittebatur. Secundo, corycus ficulneo grano, aut farina, aut arena implebatur, follis solo vento. Tertio follis in pulvere exercebatur, corycus vero non. Fuerunt item qui follem pilam inanem superius a nobis ex Antyllo descriptam fuisse crediderunt: quibus ego libenter assentirem, nisi Martialis dixisset, follem mitiori ætati convenire, & Antyllus pilæ inanis exercitationem non admodum facilem, neque aptam, & ideo omittendam esse censuisset. Colligo igitur ex his omnibus, quod cum follis, neque inanis pila Græcorum, neque magna eorundem, neque corycus fuerit, eum illos ignorasse: nemo enim est qui parvam pilam follem reputaverit. Porro trigonalis pila, qua ludebatur, parva erat, ita nuncupata vel a loco, ut voluerunt nonnulli, ubi ea exercebantur, qui locus triangularis erat; vel potius a ludentium (quod magis credibile est) numero, figura, & situ: hanc esse aliquando pilam simplici nomine appellatam invenio, ut apud Martialem lib. VII. ad Atticum.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Vana nec injecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta vagus pulverulenta rapis.

Si enim sola quatuor pilæ genera facimus, necessario cum ceteræ nominentur, trigonalis sub pila simplici complectetur: de hac similiter locutum credo Celsum, quando dixit, *ab alvo citata vexatis pilam, & reliqua superiores partes exercentia convenire*, quoniam in hujuscemodi ludo partes inferiores fere semper firmæ manebant, superiores perpetuo agitabantur. Quomodo vero peragereter exercitatio ista, facile conjicere possumus ex Martialis verbis, in quibus demonstrat, lusores ita triangulari situs figura colludere solitos, ut manibus utrisque modo sinistra, modo dextra pilam vicissim expellere, & excipere valerent, ne unquam caderet: in quo summam ludentium laudem fuisse verisimile fit, sicut in lib. VII. ubi Polybum quendam laudat ob agilitatem sinistræ manus in jacienda excipiendaque pila.

Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras:

& lib. XII.

Captabit tepidum dextra, lævaque trigonem.

& lib. XIV.
Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua, si nescis, rustice, redde pilam.

Ex his mehercle patet consuevisse trigone ludentes a se invicem modo mittere, modo excipere pilam, modo sinistris, modo dexteris, eo prope modo, quo nostrates pila parva supra funiculum ludunt, & quo etiam Antyllus tertium parvæ pilæ lusum descripsit. Cur vero Martialis *tepidum trigona* dixerit tum loco supra citato, tum lib. IV. epigr. XIX.

Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona.

haud satis mihi constat: attamen, si quid divinare conceditur, dicerem propterea trigona tepidum dixisse, vel quod homines ludendo, ob vehementem utriusque manus laborem, & assiduo motus pilæ tenore magis incalescerent: vel quod locus, ubi ludebatur, tepidario in gymnasiis vicinus foret, & propterea ludentes tam loci, quam pilæ

A teporem quendam perciperent: ita vero fuisse, verisimile videri potest, cum supra tum ex Galeni, tum ex Martialis sententia demonstraverimus, post pilæ ludum statim consuevisse balnea calida ingredi. Nisi malimus dicere, poetam trigona tepidum dixisse, quia ex continuo motu pilæ in manibus ipsa tepida evadebat, eo modo, quo Propertius lib. I. in elegia januæ conquerentis, dixit *tepidum limen*, quod ex continuo supra ipsum statu tepesceret.

Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
B *Cur nunquam reserata meos admittis amores*
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Turpis & in tepido limine somnus erit?

Exemplum trigonalis pilæ mihi videtur illud, quod in nummis M. Aurelii Antonini apud Byzantios excussis in modum quo hic exprimi curavimus, apparet. Quem item ludum in sacrificiis Apollinis Pythii Actiaci adhiberi solitum, memoriæ proditum est: de hac pila quæ dicit Seneca II. de Benef. cap. XXXII. esse intelligenda putant aliqui.
C Eundem prope aut similem paganicæ pilæ lusum describi existimo a (*a*) Petronio Arbitro in satyricis, ubi hunc in modum scribit. *Videmus senem calvum tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila. Nec tam pueri nos, quamquam erat operæ pretium, ad spectaculum duxerant, quam ipse paterfamilias, qui soleatus pila sparsiva exercebatur, nec eam amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat servus, sufficiebatque ludentibus. Notavimus etiam res novas. Nam duo spadones in diversa parte circuli stabant, quorum alter matellam tenebat argenteam, alter numerabat pilas, non quidem*
D *eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabant; sed eas, quæ in terram decidebant.*

Succedit *paganica pila*, sic appellata, quod esset vulgaris admodum, & in villis, *pagis* vocatis; vel in pagis urbis ut plurimum in usu haberetur. Nam Dionysius Antiquitatum lib. II. & IV. refert, *Romam in quatuor tribus olim partitam fuisse, quæ & pagi, sicut earum habitatores pagani, nominabantur*: sive igitur ab istis pagis, sive a villis paganica pila denominata sit, parum referre credo, sat est, pilam fuisse ex corio pluma repleto, trigonali latiorem, non ita tamen ut est follis, laxam, sed duriorem; siquidem follis, qui vento replebatur,
E etsi quanto durior erat, tanto facilius eo ludebatur, quanto laxior, tanto difficilius, ut etiam tempestate nostra quotidiana experientia comprobat, tamen paganica pila quo etiam durior esset, & pluma replebatur, & non ita replebatur, ut laxa usquam foret, sed undequaque durissima, & propterea difficulter ea ludebatur, quemadmodum venustissime (*b*) Martialis hoc disticho ostendit libro XIV.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

F Sub nomine enim simplicis pilæ intelligi aliquando follem, aliquando trigonalem, paullo ante significavimus. Iterum illud ignorari hoc in loco nolo, etiam in gymnasiis paganicæ pilæ exercitationem in usu extitisse, ut idem (*c*) Martialis lib. VII. testatum reliquit.

Non pila, non follis, non te paganica thermis

a *In cena Trimalcionis*. b *Epigr.* 41. c *Ad Atticum*.



Præparat, aut nudi ſtipltis ictus hebes.

Nam cum ſæpius a nobis indicatum ſit, conſueviſſe fere omnes, qui ſeſe in gymnaſiis pila exercebant, prius pila ludere, & deinceps ſtatim balnea ingredi, Martialis illis verſibus demonſtrat, inter ceteros pilæ ludos in gymnaſiis ſe exercentium ad balnea præparatorios paganicam quoque adnumeratam eſſe. Ultimum & quartum Latinorum pilæ genus *harpaſtum* fecimus, quod ob nominis ſimilitudinem idem prorſus videtur quod ἁρπαςὸν Græcorum: erat enim pila, quam ludentes alter alteri eripiebat; cujus vero magnitudinis, & ex qua materia foret, haudquaquam ab ullo auctore explicatum habemus, niſi quod Athenæus his verbis manifeſtum facit, harpaſtum rotundum fuiſſe: Τὸ δὲ καλούμενον διὰ τ̃ σφαίρας ἁρπαςὸν, φεννίνδα ἐκαλεῖτο, ὃ ἐγὼ πάντων μάλιςα ἀσπάζομαι: Id eſt, *Luſus autem pilæ harpaſtum nuncupatum pheninda vocabatur, quem ego maxime omnium diligo*. Sicut etiam veriſimile ſit, ex corio ſicut ceteras pilas conſtaſſe, quæ omnia, propterea quod tunc temporis nulli ignota erant, auctores ſcribere dimiſerunt. Ceterum ejus magnitudinem omnino explicaſſe Galenus videtur, qui dum in libro de ludo parvæ pilæ harpaſtum appoſitiſſime deſcribit, illud parvam pilam, & non mediam inter parvam & magnam, quemadmodum voluerunt nonnulli, fuiſſe comprobatur: unde & ludus, qui hodie *a calce* nuncupatur, etſi in aliquibus aſſimiletur harpaſto, in hoc tamen ab harpaſto antiquorum differre videtur, quod illud parvum erat; pila autem qua noſtrates calce ludunt, major eſt. Nam & antiquiores in pulverulento ſolo hac pila ludebant, ut teſtatus eſt Martialis libro IV.

Sive harpaſta manu pulverulenta rapis.

& lib. VII.

Non harpaſta vagus pulverulenta rapis.

& lib. XIV.

Hæc rapit Antæi velox in pulvere Draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Quæ omnia argumento eſſe poſſunt, hanc exercitationem perarduam fuiſſe, ſoliſque validioribus hominibus conveniſſe: quod etenim nequaquam mulieres hoc genere ludere valerent, præter (a) Ovidii teſtimonium de ludis virorum ita ſcribentis:

Hos ignava jocos tribuit natura puellis,
Materia ludunt uberiore viri.

a 3. *de arte amandi.*

Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.

ejusdem poetæ versus comprobant, ubi Philænim quandam tribadem exprobrans, quod omnibus fere virorum muniis fungeretur, quasi rem mulieribus præ aliis maxime insuetam ageret, post multa (*a*) dixit:

Harpasto quoque subligata ludit.

Ideo mirari soleo, cur (*b*) Cælius Aurelianus in curanda puerorum epilepsia velit nutrices sphæræ ludo, vel aliqua saltatione exerceri, nisi sit sphæra apud ipsum follis, quem & pueros & senes usurpasse, supra docui. (*c*) Avicenna cujusdam pilæ ligneæ mentionem facit, de qua posterius verba faciam, cum ad præsentem de sphæristica, altera saltatoriæ parte, tractationem minime pertineat, de qua hæc satis.

CAP. VI.

De Orchestica, sive tertia saltatoriæ parte.

TRes saltatoriæ partes, cubisticam, sphæristicam, & quæ nomine generis vocatur simpliciter, saltationem, in superioribus effecimus: quarum duabus jam declaratis tertia modo, quam *scrupulosissimam* vocavit (*d*) Columella, subnectenda venit, de qua hæc a nobis declarabuntur, primo *quid fuerit*, secundo *quot species habuerit*, tertio *cur ea uterentur majores nostri*, quarto & ultimo *in quo loco, & a quibus exerceretur*. Aristoteles itaque in principio suæ poetices, cum dixisset omnia poeseos genera in hoc convenire, quod imitationes sint, imitationes dividit, quarum alias tradens diversis generibus imitari ut vel harmonia, vel rythmo, vel nudo sermone, alias diversas res, ut vel meliores, vel similes, vel deteriores; alias diverso modo, ut vel agentes, vel introducentes, vel narrantes, atque aut alienam personam indutos, aut non mutatos; de saltatione hæc concludit: *Αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας, οἱ τῶν ὀρχηστῶν, καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν, μιμοῦνται, καὶ πάθη, καὶ ἤθη, καὶ πράξεις.* Id est: *Numero vero ipso sine harmonia, imitantur saltatores: isti enim numerosa gesticulationis varietate, mores, passiones, & actiones imitantur.* Ex qua oratione apparet, ὄρχησιν, sive saltationem, nihil aliud fuisse, quam facultatem quandam motibus, ac gestibus corporis, artificio quodam, numero & ratione factis, imitandi hominum mores, affectus, & actiones, qui enim in VIII. (*e*) civilium dixerat, *nihil esse in rerum natura, quod magis exprimat rerum similitudines, quam numerus & cantus*, sapienter etiam scripsit, *saltatores in imitandis actionibus numero uti*. Quomodo hæc per numerosos motus efficeretur imitatio, unus omnium clarissime post Aristotelem expressit (*f*) Plutarchus, qui in IX. Convivalium saltationes tres partes habuisse scripsit, *lationem*, *figuram*, & *indicationem*; eo quia tota ipsa ex motibus, & habitudinibus, & quietibus constaret, perinde ac harmonia ex tonis, atque intervallis: lationem dicit ipse nil aliud fuisse, quam motionem affectus alicujus, vel actionis, vel potentiæ repræsentativam: figuram vero fuisse habitudinem, dispositionemque, in quam motio sive latio terminabatur, nempe quando saltatores quiescentes secundum

a *Martial. lib. 7. ver. 67.* b *lib. 1. ser. 3. tract. 2. c. 2.* c *lib. 1. Fen. 3. doct. 2. c. 2.* d *In proœmio lib. de re rustica.* e *Cap. 4.* f *probl. 15.*

A Apollinis, vel Panis, vel alicujus Bacchæ (ut est apud (*a*) Platonem) figuram dispositi in corporis similibus formis graphice aliquantulum persistebant; indicationem autem fuisse non proprie imitationem, sed alicujus rei, nempe terræ, cæli, vicinorum numerosis, atque ordinatis motibus factam declarationem: quemadmodum namque poetæ, dum imitantur, alias nominibus fictis, alias translatis utuntur; dum vero indicant, propria nomina usurpant: similiter saltatores imitantes, figuris, & habitudinibus; declarantes autem, res ipsas prædictis indicationibus utuntur: adeo ut secundum Platonem, Aristotelem, atque etiam B Plutarchum, tota hæc saltatoria facultas in imitatione; solo motu facta, consisteret: ipsique saltatores nil aliud actitarent, nisi quod sese moventes numero, & ordine gesticulantes, aut lationibus & figuris mores & affectus imitabantur, aut indicationibus declarabant, aut omnibus simul mores, perturbationes, atque actiones hominum repræsentabant: unde non absque summa ratione Simonides poeta saltationem poesim tacentem, sicuti poesim saltationem loquentem vocare solebat: quamquam refert Plutarchus, (*b*) tempestate sua veram saltationem a musica, cui associabaC tur, depravatam fuisse; atque a cælesti illa decidentem in tumultuosis ac indoctis theatris instar tyranni cujusdam imperium tenuisse, idque postmodum usque ad tempora nostra permanasse, in quibus omnis saltatio corrupta est, omnes cordati viri cognoscunt. Quis autem primus hujuscemodi saltationem hominibus demonstraverit, satis compertum non habetur, nisi quod Theophrastus apud Athenæum refert, *Androna Cataneum tibicinem, dum sonaret, motiones atque numeros corpore effecisse*, & ob id apud veteres saltare vocatum fuisse σικελίζειν, id est, *sicelissare*; post quem Cleophantus Thebanus, & Æschylus multas salD tatoriæ figuras invenerunt, quas βαλλισμοὺς Sicula voce appellatas Epicharmi auctoritate insinuat Athenæus: unde & hodie apud multas Italiæ nationes *balli* nomen adhuc perdurat. Fuit porro hæc saltatio tantæ existimationis, atque honoris apud antiquiores, ut Apollinem vocarent, quemadmodum Pindarus:

Ὀρχηστὰ Ἀγλαΐας ἀνάσσων εὐρυφάρετρ' Ἄπολλον;

Id est:


Saltator rex splendoris, pharetrateque Apollo.

E atque illa quandoque ad tibiarum, vel lyræ, vel alterius instrumenti sonitum, vel ad cantum, vel absque alia re peragebatur. Species autem illius innumeras fere recensuerunt Homerus, Plato, Xenophon, Aristoteles, Strabo, Plutarchus, Galenus, Pollux, & Lucianus: quæ illarum præstantiores & illustriores habebantur, vel a regionibus, in quibus in usu erant, aut repertæ & illustratæ fuerant, nomen susceperunt; vel ab inventore, & modo, quo efficiebantur: a regionibus appellatæ sunt *Laconicæ*, *Troezenicæ*, *Epirephyriæ*, *Cretenses*, *Jonicæ*, *Mantiniacæ*, *Ga-*
F *ditanæ*, de quibus sic (*c*) Juvenalis:

Forsitan exspectes ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ:

a *7. de leg.* b *Loc. citat.* c *Satyra 11.*

& hujuſcemodi aliæ. Ab inventore autem & modo vocatæ fuerunt aliæ ***Pyrrhichiæ*** a Pyrrhicho quodam Lacone, ſeu, ut alii malunt, a Pyrrho Achillis filio inventæ, in quibus armati ſaltabant A cum cantu, & ſine cantu: ut videre licet ex icone ab antiquis lapidibus excepto, quem hic ponendum curavimus.



Pyrrhichias autem noſtris temporibus æmulantur illa pugnarum genera, quas *Moreſcas* populari vocabulo appellant. Atque hæ varias nominationes obtinuerunt, ut *Orſitis*, & *Epichedios* penes Cretenſes, *Carpæa* apud Ænianenſes & Magnetes, de qua Xenophon v. de exped. Cyri libro, *apochinos* ſive *maċtriſmos*, quam mulieres ſaltabant, & ob id *Martypiæ* vocabantur, & quæ ſtabiliores, & varietate majore præditæ erant, ut *dactyli*, *jambici*, *moloſſica*, *emmelia*, *chordax*, *ſicinnis*, *Perſica*, *Phrygia*, *nicatiſmus*, *Thracius*, *Calabriſmus*, *Teleſias* a quodam viro Teleſio, qui primus eam armatus ſaltavit, ſic vocata, qua utentes Ptolemæi milites Alexandrum Philippi fratrem ſuſtulerunt, aliæ *tornatiles* ſive *verſoriæ*, quo ſe in circum vertentes ſaltarent. Erotianus, qui Andromacho Neronis, quod ſcribit Galenus, archiatro contemporaneus extitit, has ſaltationes δίνως vocatas ſcribit, aliæ inſanæ, ut *caudifer*, *mongas*, *Thermauſtris*, nec non *anthema*, quam ſaltantes obibant, ita dicentes, *ubi mihi roſæ*, *ubi mihi lilia*, *ubi mihi apia*: aliæ ridiculæ, ut *igdis*, *mactriſmus*, *apochinos*, & *ſobas*, *morphaſmus*, *Glaux*, & *leo*: aliæ ſcenicæ, quales *tragica*, *comica*, & *ſatyrica*; aliæ lyricæ, quales *pyrrhichia*, *gymnopædica*, & *hyporchæmatica*. quæ omnes quomodo fierent, non eſt præſentis tractationis declarare: ſatis ſit intelligere, hanc B tertiam ſaltationem tot atque plures adhuc diverſas ſpecies, quibus libellum proprium dicavit Lucianus, habuiſſe; ſicut etiam diverſis motibus tam pedum, quam manuum utebatur. cum enim motus omnis, ex ſententia Ariſtotelis, ex impulſu atque tractu componatur, ſaltantes aut impellebant corpus, aut trahebant; & hoc ſurſum, vel deorſum, vel prorſum, vel retrorſum, vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum: a quibus poſtea motibus componebatur ſimplex ambulatio, flexus, procurſus, ſaltus, divaricatio, claudicatio, ingeniculatio, elatio, jactatio pedum, permutatio: quibus tota ſaltatio perficiebatur.

C

CAP. VII.

De fine ſaltationis, & de loco.

CUm antiqui in certaminibus atque venationibus, pedum exercitationibus fere ſemper ſtuderent, manibuſque movendis nullam curam adhiberent, veriſimile ſit, ut prius ſaltatoria, partes inferiores dumtaxat exercens, inventa ſit, deinceps χειρονομία, quæ ordinatas manuum motiones edocebat, ei adjuncta ſit, ut una cæteris prædictis motionibus manuum connexionem, con-

a 7. *Phyſic.*



N·S· T·III· Pag·557· Tab·XXII

sertionem, compectinationem, distentionem, complexum, alternationem saltatores peragerent; A atque ita universa saltatio ex motibus tam manuum, quam pedum ad repræsentandas res formatis conflata sit. quod autem saltantes præcipue brachia moverent, significavit & (*a*) Ovidius ubi dixit:

Si vox est, canta; si mollia brachia, salta:

&

Brachia saltantis, vocem mirare canentis. B

Hujus finis primarius licet (ut diximus) imitatio foret, nihilominus alios etiam fines eam habuisse comperio; nam ad theatra & ad ludos voluptatis gratia, nec non ob religionem quandam ad sacrificia in usu fuisse præter Platonem atque Plutarchum testatur (*b*) Galenus, qui in principio curativæ artis vehementer contra sui temporis homines invehitur, quod saltatoriæ nimis operam darent, quasi solis voluptatibus & ludis dediti bonas artes negligerent. Quod pariter ad quærendam corporis fortitudinem militaremque peritiam eadem saltatione majores nostri uterentur, tametsi C supra ex Platone comprobatum fuerit, tamen addendum est illud, quod omnis armata saltatio, pyrrhichia vocata, non ob aliud inventa fuit, nisi quo virtute illius tam pueri, quam viri & mulieres, modo hostes effugere, modo invadere, aliosque gestus bellis gerendis necessarios perdiscerent: unde apud (*c*) Xenophontem Paphlagones Mimam saltatriculam a Myso pyrrhicham saltare jussam conspicati, admirantes Græcos interrogarunt, numquid mulieribus etiam in pugna uterentur. in hoc quidem saltationis genere cum Phrynicus se excellenter in fabula gessisset, illum sibi Im- D peratorem Athenienses delegerunt. Neque etiam difficile est indicare hanc eandem saltationem & bono habitui comparando, & sanitati conservandæ non parum conduxisse, quandoquidem de manuum gesticulatione, quam χειρονομίαν vocant Græci, scriptum reperitur & ab Hippocrate & ab Aretæo, atque aliis, pro exercendis & sanis & interdum ægris corporibus usurpatam esse. Temporibus vero nostris saltationes alias tempore, ordine, & certo modo factas talem utilitatem præstare nemo negaret, quemadmodum (*d*) Galenus se plurimos sanitati restituisse, aliosque in ea solius saltationis auxilio conservasse con- E fitetur; qui similiter & saltatorum exercitationes inter cætera a medico petita recensuit, dum dixit: Ορχηστῶν αἱ σύντονοι κινήσεις ἐν αἷς ἅλλονται μέγιστα, καὶ περιδινοῦνται στρεφόμενοι τάχιστα, καὶ ἐκλάσαντες ἐξανίσανται, καὶ προσύρουσι, καὶ διαχίζουσιν ἐπὶ πλεῖστον τὰ σκέλη. Id est, *saltatorum vehementes motus, in quibus maxime saltant, & velocissime volutati circum circa vertuntur, nec non genua flectentes sursum exsurgunt, atque crura plurimum attrahunt, divaricantque.* ut dubitare nemo debeat, quin orchesticam in gymnastica medicinæ jure collocaverimus; præcipue quod Socrates in F convivio Xenophontis se saltatoriam tum ad valetudinem efficiendam, conservandamque, tum ad corporis robur comparandum exercuisse palam profitetur, cujus quoque gratia eum sibi amplam domum optasse ferunt. Qui vero hanc orchesticam exercerent, varios fuisse reperio. Cinædos maxime omnium saltandi arti operam navasse significavit (*a*) Plautus: apud quem Periplectomenes senex sic ait:

Tum ad saltandum, non cinædus magis aptus est, quam ego.

quamquam Non. Marcellus Lucilii testimonio, atque etiam Plauti, vult cinædos dictos a veteribus saltatores ipsos, atque pantomimos, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα. Poetæ similiter omnes non modo histriones motus figuratos edocebant, verum & ipsi quoque interdum saltabant; nam Thespias, Pratinas, Cratinus, Phrynicus poetæ omnes iccirco saltatores nuncupabantur, quia non modo propria drammata inter saltantes choros repræsentabant, verum etiam extra propria poemata, volentes omnes saltare edocebant. pueri quoque & mulieres omnium frequentissime in saltationibus versabantur, post quos etiam saltationi operam navabant quibuscumque valetudinis & roboris gratia vel a medicis, vel a gymnastis illud agere præceptum erat. Loca autem in quibus saltationes peragerentur, primo, dum nondum excultæ forent, fuerunt vici, & plateæ publicæ; deinde, cum majorem dignitatem atque ornamentum recepissent, ad theatrorum partes quasdam translatæ fuerunt, quæ & ab Aristotele, & a Polluce ob id *orchestræ* vocatæ fuerunt, unde etiam *chorea*, nomen saltationis perelegans, emanavit. a theatris ad palæstras, sive gymnasia illas traductas fuisse auctor est (*b*) Athenæus, cui assentiri videtur (*c*) Plutarchus in nono symposiacon, ubi mentionem cujusdam facit, qui pyrrhicam adeo egregie saltaverat, ut pueros in palæstra gesticulantes excellere visus esset. quo etiam in loco Meniscum pædotribam saltationis judicem efficit, ut inde plane conjectari valeamus pædotribas, gymnasiorum ministros, orchesticæ non parvam cognitionem habuisse. In conviviis item saltationem exerceri solitam fuisse testatum clarissime reliquit in Symposio suo Xenophon, sicuti Plutarchus & Plin. nec theatra eandem respuisse memoriæ prodiderunt. Concludo itaque saltationem a gymnastica omni acceptam esse, sicuti sphæristicam, quæ orchesticæ partes, in quam, & in palæstricam universam gymnasticam divisimus: atque hæc satis de ipsa.

CAP. VIII.

De Luctatoria.

Declarata jam satis, quantum ad hanc tractationem spectabat, saltatoria, modo palæstricam, quæ erat altera gymnasticæ pars, ut aggrediamur, operæpretium est, cui postmodum & reliquas exercitationes tam in gymnasiis, quam extra factas subjungemus. Palæstram multas sub se exercitationes habuisse demonstratum superius fuit, inter quas continuo primum locum obtinuit *lucta*, a Græcis communi nomine πάλη, quandoque καταβλητικὴ sive dejectoria a Laconibus nuncupata. quæ illa ipsa fuit, quam habuisse Jacob cum Angelo, ac inde fuisse pede læsum narrant (*d*) sacri libri, qui quod ajunt contigisse Jacob & Esau in ventre matris, id etiam contigit Epeo equi Trojani fabro, quem Eustathius ex Lycophrone narrat in ventre matris cum gemello luctasse, & veluti vincitorem prius sibi viam ad exitum parasse. Hæc nihil aliud fuit, nisi *exercitatio quædam in loco gymnasii peculiari, nempe palæstra, sive porticu tecta, quæ xystus vocabatur,*

a 1. & 2. *de arte amandi.* b *loc. citatis.* c *Lib. 6. de Cyr. expedit.* d *2. de diæta. 1. de cur. chr. cap. 2.*

a *In milite glorioso act. 3. scen. 1.* b *Lib. 14. Deip. cap. 7.* c *Probl. 5.* d *Genes. 32.*

A *[illegible]ita, in qua [illegible] nudi, uncti oleo, & pulvere aspersi sese brachiis complicantes, invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebant, ad quod peragendum* embolæ, parembolæ, paratheses, & systases *necessario requirebantur, illudque præ cæteris quærebatur, ut pedes primo comprehenderentur*, quod (*a*) Pseudolus ebrius apud Plautum significavit, de vino dicens:

Captat pedes primum, luctator dolosus est.

Sed antequam certamen inirent, musculos prius B calefaciebant, perfrictionibusque ac lenibus motibus explanabant. quod si aliquando hæc agere intermisissent, iis quædam partes rumpebantur, convellebanturque, sicuti tradit (*b*) Galenus IV. de locis affectis: qui etiam alibi scriptum reliquit, hunc gymnasticis in luctis observatum esse ordinem, ut numquam vehementes inirent, nisi prius faciles & simplices essent edocti, neque has aggredi solitos antequam fricarentur, neque fricari, priusquam ungerentur. Dixi binos, quoniam etsi plures possent uno tempore eodem in loco lucta contendere, tamen semper unus uni dumtaxat complicabatur, & apud nonnullos non solum viro vir C concertabat, sed puellæ quoque juvenibus contendebant, quemadmodum apud Lacones, & sicuti de Chiis refert Athenæus. Luctam, quam non temere gymnasticæ artis minimam partem credidit (*c*) Galenus, non defuerunt inter antiquos, qui omnibus aliis exercitationibus vetustiorem extitisse autumarint, nominis illius qualitate ducti, quippe cum (πάλαι) apud Græcos nil aliud, quam vetustatem indicare videatur: nam & locum exercitationum palæstram nuncupatum πάλην primo nominatum constat. quamquam etiam non defuerint, ut refert (*d*) Plutarchus, D qui non palæstræ nomen ἀπὸ τῆς πάλης quasi antiquissima res sit lucta, deductum esse voluerint, sed potius quod solum hæc exercitatio πηλοῦ, id est luti, pulveris, & ceromatis egeret; atque ad id magis impugnandum aliam quoque rationem addebant, videlicet haudquaquam verisimile videri, ut lucta, (*vide Tab.* XXII. *Fig.* 2.) quæ omnium exercitationum artificiosissima & astutissima existit, omnium etiam vetustissima fuerit, cum manifeste appareat, primo in usum ea vocari, quæ simplicia sine ulla arte, & via magis quam methodo consistunt: unde Sosicles πάλην ἀπὸ τοῦ παλαίειν, quod est *dolo & insidiis dejicere*, fuisse derivatum maluit. Plinius autem ἀπὸ τοῦ παλαιστοῦ, id est *a con-* E *junctis, simulque connexis quatuor digitis*, quia luctatores hac manuum parte præcipue operantur, quasi ita ipsa appellata sit, perinde ac pugillatoria a pugnis, quam sententiam aperte refellere videtur Julius Pollux, ubi nomen illud solam quatuor digitorum mensuram significare scribit, a qua mensura deduci postmodum exercitationis nomen valde longinquum est, & proinde melius sensisse videntur illi, qui ἀπὸ τοῦ παλῦναι natam & dictam πάλην, credunt, sive ἀπὸ τοῦ πάλλειν καὶ πάλλεσθαι, quorum alterum apud poetas, *dejicere*, & *projicere* & *spargere*, quod postremum ab Homero quo- F que ac Hippocrate usurpatum testatur Erotianus; alterum apud Platonem in Cratylo a *terra* vel *in manibus elevare*, quæ omnia a luctatoribus intenduntur, significare constat: nisi quoque velimus, ut alii, ita dictam ἀπὸ τοῦ πλησιάζειν, καὶ γίνεσθαι πέλας, hoc est *appropinquari & vicinos fieri*: quandoquidem cursores semper distabant, nec unquam appropinquabantur, pugillatores pariter a designatoribus umquam complicari permittebantur, sed soli luctatores hoc agebant: ut omnia melius in Syracusanorum nummis recognoscere possumus, in quibus sic luctatores varios repræsentari, indicavit nobis Ligorius. Et ad hoc propositum (*a*) Tertullianus in lib. de Spectaculis ita locutus est: *Palæstrica diaboli negotium est. Primos homines diabolus elisit: ipse gestus colubrina vis est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum*: Quamquam non defuerint qui absque hisce gestibus, sed tantum stando & manus extendendo colluctatores vincerent, qualem fuisse Melancomam quendam a Tito Imperatore vehementer adamatum narrat Themistius in orat. x. de pace.

Tota hæc facultas in gymnasiis tres fines habuit, temporeque Galeni mirum in modum ejus peritia crevit, nempe quando refert ipse primo de art. XXIII. luctandi magistros varias ac multiformes membrorum distorsiones, circumnexionesque invenisse: primum, ut athletæ in illis exercerentur, quo in ludos, sacrificia, & amphitheatra exeuntes, victoriam adipisci possent: atque hujus luctatoriæ auctores fuisse Antheum, & Cercionem scribit (*b*) Plato: Secundum, ut ad bella homines exercerentur, quod exercitationis genus, primo in usu positum alii a Theseo Atheniensium principe; alii a Phorbante Thesei pædotriba referunt. Tertium, ut homines & pueri luctantes optimum corporis habitum acquirerent, sicque sanitatem curarent; in quo usque adeo elaborabant, & totis viribus contendebant, ut non raro sic luctantibus ossa aliqua frangerentur & luxarentur, quæ illis palæstrico quodam pacto ab aliis diverso se remittere consuevisse testatur (*c*) Galenus. Hoc tamen animadvertendum esse duco, Galenum non modo luctam athleticam, quam respublicas bene institutas odisse scribit, improbasse, verum & sanitati studentem interdum parce laudasse, utpote qua robur quidem augetur, at luxationis ac fractionis ossium, necnon suffocationis periculum immineat. Similiter & Clemens Alexandrinus qui tempore Galeni Romæ floruit, in III. Pædagog. libro cap. x. ubi exercitationum tractationem habet, luctas omnes improbat, eam tamen honestiorem, & magis viro dignam facit, quæ μετ' ἀξιώσεως & gratia bonæ ac utilis valetudinis efficitur. Præterea, quoniam Plutarchus solummodo luctam & pancratium volutatorium in palæstra exerceri solitum scribit, duo consideranda sunt. Alterum, quod palæstra aliquando significat totum gymnasium, ut supra declaravimus, aliquando locum in gymnasio, ubi tot exercitationes a nobis in primo libro enumeratæ peragebantur, aliquando locum, in quo soli luctatores & (*vide Tab.* XXII. *Fig.* 4.) pancratiastæ volutatorii exercebantur, quorum certamina gravia apud Galenum lib. III. de tuen. valet. cap. II. appellantur. quemadmodum hic innuit Plutarchus, atque etiam innuere visus est Galenus in fine libri de ludo parvæ pilæ. Alterum quod duplex erat pancratium, primum, de quo agemus infra, ex *lucta* & *pugilatu* compositum. Secundum, quod *volutatorium* nuncupabatur, speciesque luctæ erat, nam in lucta certantes sese dejicere studebant, rectique manebant; in pancratio autem volutatorio humi prosternebantur; atque ibi invicem, seque mutuo convolventes, alter alterum sibi supponere nitebantur: quemadmodum clarissime monstrant depicti hic nummi cujusdam Salustii Auctoris, qui sub Valentiniani & Placidiæ Augustæ principatu

a *Act.* 5. *scen.* 2. b *Cap.* 8. c 2. *de diff. pulsuum.* d [illegible]

a *Cap.* 18. b 7. *de leg.* c *lib. de machinamen.*

Africæ regno vi occupato, ludos similes atque alios ob victoriam edidit.

De hac exercitatione verisimile mihi fit, (*a*) Aristotelem verba fecisse, ubi nullum erectum & stantem continenter & tuto incedere posse demonstrat, quia perinde se moveret ut palæstritæ, qui per pulverem in genua subsidentes procurrunt. De hoc item alicui probabile videretur, locutum esse (*b*) Martialem, ubi dixit:

Non amo qui vincit, sed qui succumbere novit
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

nisi potius exponendum esset *ἀνακλινοπάλην*, *reflexionem*, qua palæstrita reducto pectore adversarium retrahebat, ac ictum illius devitabat, aut potius (ut erat poeta semper obscœnitatum amator) eam lecti luctam interpretemur, quam *κλινοπάλην* Domitianum vocasse tradit Suetonius. & quam a spurcissimis tam viris, quam fœminis exerceri consuesse narrant Spartianus, Lampridius & Capitolinus. De eodem item loquebatur Antyllus apud (*c*) Oribasium dum duplicem luctam effecit, alteram erectam, alteram super pavimento; pro lucta super pavimento nil aliud intelligens, nisi pancratium volutatorium, quod tamen valde diversum erat ab altera volutatione, ab (*d*) Hippocrate *ἀλινδήσιος* nomine significata, qua homines in palæstra humi prostrati vel soli, vel cum aliis circumvolvebantur, & de qua (*e*) Cælius Aurelianus verba fecit, ubi volutationem in palæstra pro diminuenda carne laudavit; siquidem in ea nec certabant, neque complicabantur, sed solum celeriter supra pavimentum nitidum, aut pulvere conspersum sese rotabant. unde (*f*) Galenus eam inter celeres motus non sine ratione posuit.

CAP. IX.

De Pugilatu, & Pancratio, & Cestibus.

Pugilatoriam *πυγμικὴν* a Græcis vocatam ante Trojanorum tempora in usu fuisse, testati sunt Plinius, & ante Plinium Homerus, quem etiam (*g*) Plutarchus in II. Symposiacon observavit, continuo pugilatum luctæ & cursui iccirco præponere, quoniam hoc exercitationis genus prius illis originem accepit, sicuti quoque (*h*) Lucretius hoc versu innuere videtur.

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt.


Quid vero esset hæc exercitatio, quomodoque perageretur, pauci (quod ego sciam) diligenter explicarunt, & minus cæteris hanc rem intellexerunt illi, qui pugnam cestuum, & pugilatum idem penitus extitisse voluerunt. ex auctorum tamen scriptis conjectura consequi possumus, in hac exercitatione homines nudos concertare consuevisse, pugnisque strictis vel nudis vel ænea, vel lapidea sphæra plenis, unde *σφαιρομαχεῖν*, vel loris, laminave circumsepti sese invicem percutere, modo caput, modo dorsum, modo brachia petentes, neque unquam sese mutuo complicantes; in qua pugna superabat qui vel adversarium pugnorum ictibus in terram prosternebat, vel gravius & damnosius feriebat; quamquam non desunt qui etiam calcibus hujusmodi pugnam factitatam tradant, ob idque apud Senecam epistola LXXX. non *σφαιρομαχίαν* sed *σφυρομαχίαν* legendum putant. Quod etiam victoriæ signum esset ipsius adversarii confessio, vel manu, vel aliquo alio gestu facta, qui negaret plane expers rerum esset. Tyrrhenos ad tibiam *πυκτεύειν* id est *pugillatu contendere* solitos fuisse, ex sententia Eratosthenis refert Athenæus IV. Deipnosoph. Hoc certamen (*a*) Plutarchus quidem exercendo corpori inserviisse, testatum reliquit; ego vero ita sentio, pugilatum inter exercitationes a Galeno in II. de tuend. valetud. adnumerari, sed pro sanitate tuenda, proque bono corporis habitu comparando parum in usu in gymnasiis fuisse: ad quod credendum duabus potissimum rationibus adducor, quarum prima est, quod Galenus bis, vel ter solummodo pugilatum nominavit; & Antyllus, qui hanc rem diligentissime tractavit, nullum poetæ verbum de hac exercitatione habuit, sicuti nec ullus alius fide dignus medicus excepto Aretæo, qui in vertiginosis pugilatum commendare videtur: nisi (quod ego suspicor) sit Græcus contextus depravatus. Quod si pugilatus medicæ gymnasticæ exercitationis genus extitisset, æquum certe erat, non adeo ab omnibus silentio præteriri. Altera ratio est, quod, si naturam pugilatus exacte spectemus, cum percussiones & evitationes bellum gerentibus necessarias æmuletur, ut dicebat Plutarchus, edoceatque, quin militarem peritiam magnopere adjuvet, inficiari non possumus; at cum solum brachia, atque pugnos exerceat, interdumque potius plagis ac gravibus percussionibus corpus offendat, quomodo valetudinis conservationi, bonique habitus acquisitioni conferre possit, non video: ut tuto dicendum sit, pugilatum in gymnastica medica exiguum usum habuisse, in militari vero multum, in athletica plurimum: cujus principes & auctores fuisse Amycum atque Epeum, prodiderunt Plato & Galenus; nec non in qua adeo Glaucus Carystius excelluit, ut quinta & vigesima Olympiade coronatus *pictæ*, id est, *pugilatoris* nomine per excellentiam meruerit vocari. Pugilatores istos pinguedini comparandæ operam dedisse legitur apud (*b*) Terentium; quod agebant, ut gravius percutere valerent, & plagas ipsis illatas minus sentirent: est enim experientia & ratione comprobatum, obesos minus ex carnibus injurias sentire. Cur autem Tesprio ille Plautinus ab Epidico interrogatus, quomodo herilis filius valeret, respondeat, *pugilice atque athletice*, non est admodum difficile conjectura consequi. quod etiam (*c*) Galenus scriptum reliquit, luctatores potissimum athletas veros esse vocatos, sed paullo ante ipsius tempora etiam eodem nomine appellatos fuisse pugiles, & pancratiastes. qua de re fieri potest ut (*d*) Plauti ætate pugiles ab athletis diversi essent, utrique tamen robori & corporis crassitiei studerent, & iccirco servus ille merito pugilatum & athleticam separaverit, herumque suum robustum & pingui ventre esse significarit. Ex lucta & pugilatu tertium quoddam exercitationis genus componebatur, quod *pancratium* communiter gymnastici omnes appellabant, in hoc (ut testatur (*e*) Aristoteles primo Rhetoricorum) qui exercebantur, adversarios, & pugnis ferire, & comprimere, & continere, & dejicere studebant: nam pugiles solis pugnis contendebant, nec unquam complicabantur; ut commendanda sit urbanitas Horatii, qui III. Satyr. lib. II. venuste admodum phreniticos, quod pugnis ministros & adstantes ferirent pugiles vocavit. luctatores complicaban-

a *Lib. de communi animalium gressu.* b *Lib. 14. de Palæstrita.* c *6. collect. cap. 27.* d *lib. de diæta.* e *lib. 2. de diæt. circa finem.* f *2. de tuend. valetud.* g *Probl. 5.* h *Lib. 3.*

a *2. Sympos. Probl. 5.* b *In Eun. act. 2. scen. 3.* c *3. de alim. fac. cap. 2.* d *Plaut. in Epidico.* e *Cap. 5.*

A tur, & comprimebant, ut dejicerent, sed pugnis minime percutiebant, pancratiastæ tum utroque utebantur, & tum etiam quacumque alia ratione, ut dentibus, genibus, calcibus, talitris, denique toto corpore (ut dixit (*a*) Pausanias) adversarium vincere contendebant, atque in eo a pugilibus differebant, quod illi pugnis strictis, hi digitis solummodo inflexis certabant, atque hoc significare voluit (*b*) Galenus ubi scripsit: *Εἰ δὲ ἕκαστος τῶν δακτύλων καμφθῇ, τὸ σχῆμα τῆς χειρὸς γένοιτο μάλιστα τοῖς ἐν παγκρατίῳ προτετακόσιν αὐτὴν ὅμοιον*, hoc est, *sin autem unusquisque digitus flectatur, manus figura iis maxime similis evadet, qui ipsam in pancratio protenderint.* B talis etenim manuum figura prehensandis adversariis, cui maxime studebant pancratiastæ, ut nomen quoque significare videtur, valde accommodata erat, his de causis exercitatio hæc *παμμάχιον* vocata est quandoque, sicuti Plato Euthydemum *πάμμαχον* dixit, necnon ambobus difficilius certamen habebatur, ob quod Galenus in VI. Epid. ubi renibus affectis exercitationem commendat Hippocrates, sub tali exercitatione non debere pancratium ob magnitudinem laboris intelligi credit, qua item ratione permotum opinor Platonem, dum VIII. de legibus sua illa parum ab aliquibus approbata feminas exercendi ratione ductus, mulieres solummodo post nubilem ætatem pancratio exerceri consulit. de Pancratii specie quapiam loquebatur mea sententia Galenus, quando in commentariis super libellum de salubri diæta dixit, gymnastas fere, quos impinguare volebant, constituisse, inter exercendum *προσάπτεσθαι, καὶ σωματολαχεῖν*, (erant enim quædam exercitationum genera) ut scilicet jungerentur, & toto corpore certarent, sed nudi, ac sine complexu. Panætius quoque apud Gellium lib. XIII. cap. XXVII. pancratiastarum gestus & lusus hunc in modum pinxit. *Ut sunt Athletarum qui pancratiæ* (melius pancratiastæ) *vocantur, nam sicuti illi ad certandum vocati projectis alte brachis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis, quasi vallo præ-*

a *lib. 5. Æliacorum.* b *de motu muscul.*





maniunt;

A *muniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad evitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata*, &c. Hanc exercitationem ex his fuisse, quæ in gymnasiis peragebantur, perspicue significavit (*a*) Propertius, ubi palæstrarum Lacedæmoniorum exercitationes decantans dixit:

Et patitur duro vulnera pancratio.

Neque tamen ob id colligere decet, pancratium apud medicos multum in sanitatis usum venisse, quoniam, si pugilatus & lucta rarius ab iis corpori exercendo probabantur, tanto minus pancratium ex pugilatu & lucta constans sanitati multum ex B usu esse potuisse credendum est. quod si (*b*) Galen. aliquando scripsit, se plurimos pancratio sanitati restituisse, aut in ipsa conservasse, illud effecit in iis, qui exercitationibus hujuscemodi solis dediti erant, atque tunc magna prudentia & dexteritate adhibitis: ut nequaquam inferendum sit, pancratium in gymnastica medicinæ locum aliquem præcipuum habuisse; quamvis secus plurimum ejus auctoritas in athletica valuerit, atque etiam in bellica; quandoquidem in ludis & certaminibus usque adeo pancratiastarum spectaculum oblectabat atque reputabatur, ut etiam nobiles illud exercere non recusarent, qualis fuit Phrynon A- C thenienfium dux pancratiastes clarissimus, quem Pittacus Mitylenæus singulari contendens certamine reste sub clypeo latente involvit, atque hoc modo superavit: qualis item fuit Autolicus, cui ob gloriam pancratii in Prytaneo loco Athenis dignissimo statua erecta fuit. Invenio etiam quoddam pugnæ genus apud veteres pancratium nominatum, sed adversus bestias tantummodo id committebatur, ut videre licet apud Cassianum lib. collat. v. c. xiv. Simile profecto pugilatui vel potius ejus quedam species erat certamen illud, quod *cestibus* peragebatur. ii autem erant laminæ æneæ manibus alligatæ, quibus autem alligabantur, erant D lora quædam punctis interstincta, quæ manibus & brachiis circumcirca alligabantur, ut non modo pondere aliquo & crassitie, verum etiam soliditate cestibus certantes seipsos ferirent. unde patet hos aliqua ex parte diversos fuisse a pugilibus proprie vocatis, nempe qui solis manibus in pugnos conjunctis inter se dimicabant: quamvis etiam ita certantes nonnunquam pugiles vocari scio, ut apud M. Tullium II. Tusculanarum quæstionum libro. Cestiphoros in gymnasiis quoque exerceri solitos testatum fecit (*c*) Propertius, qui lib. III. in palæstris Spartanorum puellas etiam cum cestibus exerceri consuevisse, in hunc modum scribit. E

Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris.

Quod vero hujuscemodi certamen potius athletæ, quam sanitatis studiosi exercerent, ex iis, quæ supra de pugilatu scripsimus, facile cognosci potest: quandoquidem tanto deterius percussiones cestibus impactæ corpora hominum, quam pugnis afficiunt, quanto pugni expansis manibus. quare non est credibile sanitatis studiosos hoc exercitationis genus adamasse, & qui se verberibus, plagis, & ictibus pugnisque exponeret, sanitati ad- F modum consuluisse: sicut ex adverso athletas non parum eo delectatos, hinc conjicere possumus, tum quia maxima populum hujuscemodi pugna delectatione afficiebat, tum quia gloriam & præmia ex ea populi voluptate in amphitheatris & sacrificiis comparabant. Cestibus enim clarum fuisse Amycum Bebryciorum regem, Neptuni filium a Polluce occisum, scripsit Valer. Flacc. IV. Argonaut.

a *Lib.* 3. *Eleg.* 12. b 2. *de val. c. ult.* c *Lib.* 3. *elegia* 12.

Sparta terapnæa pugilem cum Gymnade pinguem
Stratum Bebryciis Amicum suspexit arenis.

similiter (*a*) Virgilius Entellum ac Daretem, & (*b*) Ovidius Brotheam ac Ammonem cestibus valuisse scripserunt. itaque inter pugilatum, pancratium, & cestus, unum pancratium in medicina gymnastica frequentius, cæteros duos rarius usurpatos esse jam liquet. Narrat Plutarchus Lycurgum ea certaminum genera sustulisse, in quibus χεὶρ ἀνατείνεται *manus ad feriendum attollitur*, quod hujusmodi exercitia frangant & debilitent potius, quam foveant corpora. (*vide Tab.* XXII. *Fig.* 3.) Pugilum autem, qui cestibus certabant, nec non cestuum ipsorum varias picturas hic dedimus, ut ipsas vel ex sepulchrorum, vel ex gemmarum antiquarum sculpturis captas nobis dedit Pyrrhus Ligorius, in veterum monumentis renovandis peritissimus.

CAP. X.

De Cursu.

INter cætera, quæ ob vitæ conservationem animalibus a natura tributa fuerunt, currendi potestatem præcipuam esse, omnes qui eorum statum considerare volent, sine labore intelligent; siquidem cætera quæque, quibus se ipsa tuentur, vel non statim connascuntur, vel non perfecte corpora defendere valent, quin ab insidiantibus aliqua ex parte lædantur; at cursus cunctis fere ab ortus principio donatur, atque ita corpora ab insidiatorum, & omnium offendere valentium injuriis tuetur, ut nullam læsionem ea sustinere patiatur. quo magis homini valde conquerendum esset, cum multo tempore ad currendum ineptus degat; nisi & ipse, cui crura ambulationis & cursus gratia a natura in eam figuram fabricata (*c*) Aristoteles & (*d*) Galenus prodiderunt, hanc jacturam custodia parentum, sub qua tunc vivit, facile emendaret, qui etiam naturæ donis non modo ad vitam conservandam, verum etiam ad eam jucunde simul atque sane traducendam vel solus, vel omnium animalium maxime uti novit, sicuti in cursu videre possumus, qui cum vitæ dumtaxat conservandæ caussa homini tributus foret, eo tamen ad gloriam, ad voluptatem, ad sanitatem consequendam uti non ægre tulit. Quis nescit majores nostros inter alias exercitationes, ut disputat Plut. II. Symp. v. ad spectacula, ad militares exercitationes, ad sanos habitus acquirendos institutas, cursum quoque habuisse? cui locum peculiarem in gymnasiis assignatum nullum videre licet, quod hæc exercitatio in viis ipsorum communibus, dum ab aliis non occuparentur, fieri posset, atque etiam quandoque in loco, ubi altus pulvis stratus erat, si credimus (*e*) Luciano, ageretur. neque enim peridromidas ad cursum, etsi nomen innuat, sed ad deambulationis usum institutas scimus ex superioribus. Athletæ, qui ludorum & certaminum gymnicorum celebritates repræsentabant, usque adeo currendi vim interdum æstimabant, (ut quod refert (*f*) Plinius) lienem sibi ipsis inurendum curarent, quominus ille currendi celebritatem, sicuti solet, impediret. Hujusce cursus certamen, sicut & luctæ primos Eleos sine ullo veteris memoriæ exemplo instituisse auctor est (*g*) Pausan. apud quem similiter legitur, Endymionem filiis de im-

a 5. *Æneid.* b 5. *Metamorph.* c *Lib. de communi animal. gref.* d *Lib.* 15. *de usu partium.* e *in dialogo de gymnasiis.* f *lib.* 11. *c.* 37. g 5. *&* 6. *Elia corum.*

perio tale certamen in Olympia proposuisse; necnon currendi morem, Nemiacis & Isthmicis intermissum, ab Hadriano restitutum esse. Ex quo loco scire possumus & servos & ingenuos antiquitus in cursus certaminibus contendisse: eo magis quod tradit Lampridius, Alexandrum Severum *nunquam cursorem nisi servum voluisse*, quod diceret, ingenuum non nisi in sacro certamine currere debere. Et Laconicos, unaque Cynicum Diogenem cursum tanquam militibus futuris inutilem damnasse constat, quod quoque in libro ad Thrasybulum confirmavit Galenus; illud tamen puto verissimum, non omnes servos, nec in omnibus agonibus contendisse, sed tantum in ignobilioribus, a quibus arcebantur ingenui sacris dumtaxat addicti: sicut etiam liberti, præsertim imperatorum, quos singularibus privilegiis eos donasse historici plerique referunt. Et Aristoteles, qui III. Politic. III. scribit *apud Cretenses ad certamina servos non fuisse admissos*, innuere videtur apud alias gentes servis quoque esse concessum. Ex altera parte (*a*) Plato ad bellicas exercitationes ita cursum commendavit, ut non modo viros & juvenes, verum etiam virgines, pueros, eos qui grandiores erant, & mulieres, omnesque tam nudos, quam armatos ad currendum exerceri voluerit, non in stadio solum, sed & in dolicho, in diaulo, & in ephippio, ut jure disputetur apud (*b*) Plutarchum, II. symp. antiquiorne fuerit in bellico & concertatorio usu lucta & pugilatus, an cursus. Platonis sententiam secutus (*c*) Vegetius in commentario de militari exercitatione scriptum reliquit, *ad cursum præcipue juvenes*, qui militari disciplinæ incumbunt, *assuefaciendos esse*, *ut majore impetu in hostem currant*, *ut loca opportuna celeriter*, *cum usus venerit*, *occupent*, *vel adversariis idem facere volentibus præoccupent: ut ad explorandum alacriter pergant*, *alacrius redeant: ut fugientium facilius terga comprehendant*. Refert Sallustius de Magni Pompeii exercitatione eum *cum agilibus*, *saltu*; *cum velocibus*, *cursu*; *cum validis*, *vecte certasse*; *neque aliter Sertorio æquandum umquam fuisse*, *nisi se*, *& suos milites hujusmodi frequentibus exercitiis ad bella præparasset*. Ex quibus colligitur, cursum hunc in gymnastica bellica maximi momenti fuisse, & quemadmodum athleticum quatuor præcipuas habuisse species, *stadium* de quo D. (*d*) Paulus loquebatur, quando dixit *currentes in stadio ob corruptibilem coronam certare*; *dolichum*, *diaulum*, & *armatum*, in quorum postremo bis Callicratem vicisse scribit (*e*) Pausanias, unde σαδιοδρόμοι, δολιχοδρόμοι, διαυλοδρόμοι ὁπλιτοδρόμοι, dicti sunt horum exercitatores. Qui præterea Aristotelem I. lib. mag. moral. & Galenum medicum in II. & in VI. de tuend. valet. libro non oscitanter vidit, intelligere facile potest, cursum inter exercitationes sanitati, ac bono corporum habitui conferentes non exiguam partem habuisse, quando etiam (*f*) Seneca inter exercitationes corporis, quarum rationem habendam censuit, primum locum cursui dedit, etsi non admodum percipio, quid epistola LXXXIII. indicare voluerit *dum se* hieran *fecisse*, *quod raro evenit cursoribus*, ait: nam si (ut eruditissimus Muretus putat) pro hiera mediam stadii lineam concipiamus, quomodo cursores eam raro facere dicat, non satis assequor. Hujus tres tantum species effecisse Antyllum reperio, alteram in anteriora currendi, alteram in posteriora, alteram in orbem. quamvis item apud (*g*) Galenum, & dolichum, & diaulum reperiri sciam, quorum alterum refert ipse, Græcis continuatum diu cursum significare, quem tamen major pars auctorum duplicis stadii spatium extitisse censet, alterum vero definiunt fere omnes fuisse cursum, quo stadium semel currebant, & recurrebant. Itaque stadium erat cursus, unius tantum stadii, dolichus duplex uno cursu stadium; diaulus duplex & ipse stadium, sed reflexo cursu; ut fieri posse credam, perystilii interioris ambitum, quem diaulum, ob duorum stadiorum mensuram vocatum tradit (*a*) Vitruvius, hujuscemodi cursui inservisse. Quapropter falsum illud esse deprehenditur, quod apud Suidam legitur, *stadiodromos longiorem tractum metiri cursu dolichodromis*, cum hujus contrarium manifesto intelligatur ex Parmenonis epigrammate:

Φημὶ πολυστιχίην γραμματος ὀυ κτ̃ Μέσας
Εἶναι μὴ ζήτει ἐν σαδίῳ δόλιχον.
Πολλ ἀνακυκλεῖται δολίχε δρόμος ἐν σαδίῳ ἧ
Οξὺς ἐλαυνόμενος πνεύματός ἐσι τόνος.

Idem ex proverbio *μὴ ζήτει ἐν σαδίῳ δόλιχον* Polluce libro III. citato magis adhuc confirmatur, quo significatur, in re minori non esse quærendam majorem. Ad hæc habuit cursus multas species a locorum varietate desumptas, quoniam si quando extra gymnasia cursitabant, prout necessitas commoditasve postulabant, aut per plana loca, aut per aspera, aut per æqualia, aut per inæqualia, aut per prata, aut per montes cursum agebant. Neque hic mirari debet quisquam, quod valetudini studentes extra gymnasia quoque currerent; propterea quod loca similia cum haudquaquam omnes formas exercitationibus quibusvis aptas habere possent, cogebantur interdum homines, prout valetudinis ratio exigebat, extra gymnasia prodire, ubi perinde ac in illis modo induti, modo nudi currebant. de quibus omnibus extat (*b*) Aristotelis sententia, quod *currentes nudi vestitis coloratiores redduntur*, ut omnes qui loca libera & aspiratiora incolunt, melius colorantur, quam qui impedita & silentia tenent.

CAP. XI.

De Saltu.

Cursui saltus, ἅλμα a Græcis gymnasticis vocatus, non parum assimilatur, nempe qui, sicut cursus est continuatus saltus, ita ipse fit intercisus cursus; hunc a saltatione, de qua superius sermonem habuimus, longe differre, nullus ambigit, cum opus alterius ὀρχεῖσθαι, alterius ἅλλεσθαι, & a Platone, & a Galeno, & a reliquis probatis auctoribus dicatur. Hujus exercitationis nullum fere ad bellicam exercitationem effatu dignum, aut non saltem necessarium, aut non admodum crebrum usum extitisse, inde conjicerem, quod Plato inter alias nullam prorsus de illo mentionem fecerit, sed unius (*c*) Vegetii in hac re non contemnendi auctoris testimonium me secus sentire cogit, ubi scribit *juvenes*, *qui militiæ operam navant*, *ad saltum præcipue exercendos esse*, *quo vel fossæ transiliuntur*, *vel impediens aliqua altitudo superatur*, *ut*, *cum ejusmodi difficultates evenerint*, *possint sine labore transire*. In athletica vero facultate saltum locum habuisse, præter Pindaricos interpretes, qui inter ludos in pentathlo contentos, saltum primum hoc versiculo fecerunt:

a 8. *de legib.* b *Probl.* 5. c *Lib.* 1. *c.* 9. d 1. *Corinth. cap.* 9. e *Lib.* 6. *Eliac.* f *Epist.* 15. g 2. *de tuend. valetud. cap.* 11.

a *Lib.* 5. *cap.* 11. b 2. *partic. probl.* 30. *&* *partic.* 38. c *lib.* 1. *de re milit. cap.* 9.


Αλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος καὶ πάλη,
Id est,
Saltus, tum discus, tum lucta, & jacula, cursus,

testatur abunde Aristoteles, qui in libro de communi animalium gressu scriptum reliquit, pentathlos athletas halteribus utraque manu comprehensis majorem & concitatiorem saltum edere, quam non comprehensis, quod item post ipsum Theophrastus in libro *περὶ κόπων* plane confirmavit. Porro gymnasticam medicinæ saltu nec ipsam caruisse, satis comprobavit Galenus, dum eum inter cæteras palæstrarum exercitationes sæpius recensuit: sed Antyllus penes Oribasium diligentius omnibus, & saltum exercitationem sanitati idoneam esse, & quid sit, demonstravit, ubi hanc sententiam habuit: quod exilire & saltare inte se differunt, quoniam *πηδᾶν*, sive *exilire*, est motus quidam cursui similis, quando scil. eodem in loco corpus manet poplites inflectendo & circumvehendo, saltus sive *ἅλμα* est motus ferme continuus in sublime, vel tamquam medium, vel tamquam metam, nullis certis legibus, neq; imitationibus terminatus, ob quod a saltatione differre apparet, nempe quam legibus, numeris, & imitationibus uti ostendimus. Has saltus species (*a*) Senecam intellexisse existimo, dum pro exercendo corpore saltum commendabat, vel qui corpus in altum levat, vel qui in longum mittit, vel qui *saliaris*, aut *fulo-*

a *Epist.* 5.

A *nius* dicebatur. Exilitione olim utebantur Lacænæ mulieres, ad nates saltando, quæ retroflexis cruribus ita saltabant, ut calcibus nates attingerent, quandoq; cruribus alternatim inflexis, quandoque vero utrisque uno & eodem tempore. Has mulieres postmodum æreis statuis repræsentasse Callimachum statuarium, ob nimiam diligentiam *Cacirotechum* nuncupatum, auctor est (*a*) Plinius. quem autem proprie saltum, Antylli auctoritate, vocamus, in gymnasiis duplici modo usurpatum invenio; altero, quando saltantes vacuis manibus seipsos in sublime agebant: de quo verba faciens (*b*) Aristoteles scripsit, arduum & difficile esse
B saltu continentem agere motum, argumentum afferens equorum illorum, quos pompæ gratia sessores sustinere, nec progredi sinere solent, & qui ita sese moventes cito lassantur, & fatigationem sentiunt; altero quando manibus ponduscula capiebant, ut illis firmati vehementius saltarent, quæ ponduscula tametsi ab Aristot. & Theoph. *ἀλτῆρας* nuncupari sciam, tamen *ἀλτῆρας* aliud exercitationis genus extitisse, inferius demonstrabo. Interim lapsum Cornarii adnotare placet, qui in commentariis in secundum Galeni de composit. medicament. sec. loc. librum, hujusce rei gnarus, damnandum putavit Budæum, qui dixerit, *certantes sal-*
C *tu halteribus usos esse*; nam ut illi fortasse donem, quæ ait de halterum & halcterum diversitate; nihilominus Aristoteles, v. probl. VIII. & Theo-

a *Lib.* 34. *c.* 38. *circa fin* b *Lib. de communi animal. gress.*



phrastus libro de lassit. ajunt, (quod ipse negat) Quinquertiones, & alios melius saltare, si lapidem, vel halteres manu gestent, quam si brachio inani jactentur. id quod etiam a Themistio in quarta oratione confirmatum reperitur. Unde fortasse & apud Galenum 11. de tuend. valet. & apud Artedimorum legendum non ἀλκτῆρες & ἀλκτήρια, sed ἁλτῆρες & ἁλτήρια: quando scilicet apud nullum alium auctorem hanc vocem ἀλκτῆρες usurpatam invenire mihi contigit. Quomodo vero saltatio ista tam ab athletis, quam ab aliis perageretur, hæc equidem conjicio, videlicet quod interdum per plana loca continuatis saltibus saltabant, atque tunc limitem, unde principium saltandi capiebant, βατῆρα appellatum, & mensuram κανόνα dictum habebant, quemadmodum quoque & terminum, quem attingere, magnam; præterire, maximam laudem fuisse verisimile est, σκάμμα, seu forsan, ut est in Glossario antiquo, ἐσκαμμένα interdum vocatum puto. Etsi quoque scamma & ἐσκαμμένα significasse scio aggeres, & terminos illos qui constituebantur decertantibus, perinde ac hodie lusoribus & monomachis constituuntur funes, vel ligna, quæ nec attingere, nedum transilire licet, unde factum est adagium in eos, qui metam transiliunt, πηδᾶν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, aliquando ex humili loco in altum saltabant, aliquando ex alto in humilem, inter quos majorem laborem afferebat, qui ex humili in altum efficiebatur, cum simpliciter adscendere, quam descendere continuo laboriosius prædicaverint (*a*) Aristoteles & (*b*) Theophrastus. Neque solum manibus ponduscula saltantes, ut melius exercerentur, habuisse invenio, immo & vero & graviora pondera interdum supra caput, nonnunquam supra humeros, aliquando in pedibus gestasse, quemadmodum videre est ex vetustæ tabulæ pictura, in qua saltantes appositissime repræsentantur: quamque ut antiquam & veram a Ligorio accepimus,

An ea pondera dumtaxat ad majorem exercitationem faciendam inservirent, ita existimo, iis, qui gratia valetudinis exercebantur, hunc finem habuisse. At alii ad gloriam quandam inanem potius tendebant quod scilicet, qui majoribus ponderibus onerati longius & altius saltarent, ii majoribus præmiis atque honoribus decorarentur. Erant quoque qui supra utres oleo unctos & vino plenos pedibus saltarent; inter quos victores ii censebantur, qui ita sese dextere gerebant, ut præ lubricitate humi non caderent. atque hi pro victo-

a *v. Sect. prob.* b *lib. de lassi.*



riæ præmio utrem cum vino ferebant: qui vero terram natibus percutiebant, non sine magna voluptate spectatoribus risum movebant. Id autem antiquitus observatum in ludis Baccho dicatis, quos ἀσκώλια vocabant, proditur, in quibus utres caprinis pellibus conflati saltibus calcabantur in caprarum contemptum, quæ adeo vitibus infestæ creduntur. De hoc Aristophanes in Pluto Ἀσκωλίαζ' ἐνταῦθα πρὸς τὴν αἰθρίαν. id est, *hic sub dio supra utrem salta*, & Eubulus apud Aristophanis interpretem Καὶ πρός γε τούτῳ ἀσκὸν εἰς μέσον καταθέντες εἰσάλλεσθε, καὶ καγχάζετε ἐπὶ τοῖς καταρρέουσι id est, *Quare utrem in medio collocantes supra ipsum saltate, & eos qui humi ceciderint, cachinno prosequimini*. De his etiam Virgilius 11. Georgicorum:

—— atque inter pocula læti,
Mollibus in pratis unctos saliere per utres.

Sed illud non ignorandum, quod scriptum est apud Julium Pollucem ἀσκωλιάζειν, tam de his, quam de uno sublevato pede, altero solo saltantibus, dictum esse apud veteres.

CAP. XII.

De Disco & Halteribus.

Disci jactum inter exercitationes gymnasiorum haudquaquam infimum locum habuisse, non modo (*a*) Galenus clarissimis verbis affirmavit, (*b*) Propertius prædixit, verum etiam (*c*) Vitruvius elegantissima quadam historia aperte insinuare visus est, apud quem legitur, quod *cum Apaturius Alabandeus Trallibus scenam excellentissime finxisset, adspectusque ejus propter asperitatem eblandiretur omnium visus, & jam id opus probare fuissent parati, tum Licinius mathematicus prodiit, & ait, Alabandeos satis acutos ad omnes res civiles haberi, sed propter non magnum vitium indecentiæ insipientes eos esse judicatos, quod in gymnasio eorum quæ sunt statuæ, omnes sunt caussas agentes, in foro autem discos tenentes, aut currentes, seu pila ludentes:* notavit enim mathematicus, quod, sicuti statuæ caussas agentes fori sunt propriæ, ita discum tenentes gymnasii, & ob id indecentem inter locorum proprietates statum signorum publicæ civitati vitium existimationis adjecisse dixit. Erat

a *2. de tuend. valetud.* b *Lib. 3. Eleg. 12.* c *Lib. 7. c. 5.*

itaque antiquis illis discus gymnasii exercitatio, quam an bellicæ peritiæ studiosi inter ceteras exercerent, non admodum mihi constat, nisi Plato inter jaculationes illas varias, quas magnopere futuris optimis militibus commendat, disci quoque jaculationem subintelligi voluerit, quemadmodum Homerus quoque 11. Iliad. significavit, ubi finxit Achillem Agamemnoni iratum Myrmidonas suos a pugnando removisse, atque illos ipsos ne torpescerent in maris littore sese discis atque jaculis, tamquam militibus aptis, exercuisse: quasi non lædendis hostibus, saltem variæ agilitati ipsorum comparandæ hujusmodi exercitatio accommodata esset. Athletas vero in eo se exercuisse, necnon in publicis certaminibus contendisse, manifestum facere potest communis auctorum sententia, qui inter athletarum certamina discum omnes uno ore adnumerant, & præter hos (*vide Tab. XXII Fig. I.*) pictura quam hic damus: sicut etiam Galenus, Ætius, Paullus, & Avicenna inter exercitationes sanitati & bono corporis habitui conferentes discum recensent. Sed, priusquam longius progrediar, rationi consentaneum puto admonere, discum penes scriptores varia significasse, nam testatur Suidas, discum fuisse instrumentum quoddam rotundum, quod aliquando adeo grave erat, ut vix ab uno homine elevari posset; veluti a D. Hieronymo de seipso scriptum est. De hoc equidem locutum opinor Solonem apud Lucianum, ubi interrogans Anacharsin, nunquid *in gymnasio globum quendam jacentem æneum, atque teretem, in parvi scuti figuram formatum, neque lorum, neque balteum habentem* vidisset, *qui gravis, & comprehensu difficilis* erat, *eum manu sursum extortum in aerem aliquos jaculari consuevisse* subjungit: Aliquando etiam invenio, instrumentum illud figuram solis corpori similem habuisse, quod ab Alexandro in 11. problem. (sive is Aphrodisiensis, sive Trallianus, quod magis suspicor, extiterit) solis corpus *δίσκος* vocetur. Vocatus similiter fuit discus quadra rotunda, qua epulæ in mensas ferebantur. Unde *δισκοφόροι* appellati sunt, qui quadris ferendis destinantur. Sic legimus caput D. Joannis Baptistæ saltatrici in disco oblatum esse. Postremo discum instrumenti, de quo nos loquimur, genus designasse reperitur. Quale porro instrumentum is esset, ita proditum invenio. Interpres Homeri Eustathius exponens verba illa 11. Iliados:

Δίσκοισιν τέρποντο, id est, *ludebant discis*.

inquit, *δίσκος ἐστὶ βαρὺς λίθος, ὃν ἐρρίπτουν οἱ γυμναζόμενοι, τὸν δὲ σιδηροῦν, σόλον προσαγορεύουσι*. Unde secundum hujus sententiam patere potest, *discum fuisse lapidem gravem, quem exercentes se projiciebant*, & cum ferreus erat, *massam* voca-



bant. Huic atteſtari viſus eſt (*a*) Martialis his verſibus:

Splendida cum volitant Spartani pondera diſci,
Eſte procul pueri, ſit ſemel ille nocens.

Alii, quibus ego aſſentior, crediderunt diſcum fuiſſe laminam quandam trium vel quatuor digitorum craſſitudine, longiorem paullo plus pede, alias lapideam, alias ferream (æneam quoque ex ſepulcro Marci Mannii Philopatris Athletæ in via Salaria poſito ſe vidiſſe teſtatus eſt nobis peritiſſimus Ligorius) cujuſmodi majorem partem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, fuiſſe, puto, planam, quaſi lentis ſpeciem referentem, quam in aerem projiciebant, ſed modo a jaculorum miſſione diverſo, ſiquidem in mittendis jaculis brachia pandebant, mox prorſum impellebant, contra in diſco manu ad pectus adducta, atque extrorſum & deorſum reducta, rotationis inſtar illum in aerem ejaculabantur, ut perbelle explicavit (*a*) Propertius hoc verſiculo:


Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Quod enim diſcus figuram, quam diximus, lenti ſimilem habuerit, præter Dioſcoridem lenticulam Δίσκος nuncupantem, expreſſa hic comprobat Diſcoboli marmorea ſtatua, quæ hodie Romæ in ædibus Joannis Baptiſtæ Victorii ſervatur, in cujus manu diſcum figura a nobis expreſſa poſitum videre licet.

Quod item oſtendit alterius diſcoboli brachium lapideum hodie in magni Tuſciæ Ducis ædibus *Pittis* vocatis ſervatum, ex quibus ſimiliter diſcum ejaculandi modum intelligere licet, ut prudenter nos monuit doctiſſimus Petrus Victorius, ætatis noſtræ ornamentum, qui brachii figuram ad nos

a *Lib. 14. de Diſco*

a *Lib. 3. Elegia 12.*



miſit. Harum ſtatuarum ſimiles alias duas diſcobolorum fuiſſe veriſimile eſt: quarum unam ex ære Myronem præclariſſimum ſtatuarium finxiſſe, a Quinctiliano celebratam, aliam Tauriſcum pictorem illuſtrem excellentem pinxiſſe refert (*a*) Plinius. Hanc formam diſci una cum prædictis teſtimoniis ſi vidiſſet, ac mature examinaſſet Gulielmus ille Choulus, nunquam certe affirmare auſus eſſet, *diſcum pilam rotundam in medio perforatam fuiſſe*; niſi bonus ille vir nomine pilæ quamlibet rem orbiculatam præter Latinæ linguæ uſum intellexerit. Atque hoc dico, quoniam D. Cyprianus in libro de ſpectaculis diſcum vocat *orbem æneum*, & in Marci Aurelii Imperatoris nummis quibuſdam Apolloniæ Illirii excuſſis, quorum exemplar ſupra poſitum eſt, hujuſmodi diſcobolorum luſus repræſentatur, in quo diſcum quadram quandam orbiculatam, & in medio perforatam fuiſſe apparet. Ut hinc conjiciam, non unam diſcorum formam extitiſſe, qua ſive in ſacrificiis, ſive in gymnaſiis uterentur. Illud attamen prætereundum non eſt, in diſco jaculando artem quandam, ut Pindari interpres oſtendit, neceſſariam extitiſſe; alioqui jaculatores laude fruſtrati deridebantur, & ſæpe damna inſignia ſpectatoribus afferebant; quod a Phœbo actum fuit, quem diſco Hyacinthum interfeciſſe fabulantur. Diſco ſimile erat alterum exercitationis genus ἁλτῆρες a Græcis appellatum, quod in palæſtra actitari ſolitum ſcribit Galenus, hoc ab halteribus ſupra nominatis, quos ſaltatores, ut vehementius ſaltarent, manibus comprehendere conſueviſſe, demonſtravimus, diverſum fuiſſe aperte declaravit Antyllus, cujus verba apud Oribaſium ita ſcripta reperiuntur in capite περὶ ἁλτηροβολίας: id eſt, *de halteris jaculatione*. Διαφορὰ δὲ ἐστιν αὐτῶν τῶν ἁλτήρων, ἢ γὰρ βάλλονται παρὰ μέρος τῶν χειρῶν ἐκτεινομένων τε, καὶ συγκαμπτομένων, ἢ κρατοῦνται μόνον ἐν προτάσει τῶν χειρῶν ἡσυχαζῶν ὡς τὰ πολλὰ βραχεῖάν τε κίνησιν κινουμένων αὐτῶν τε τῶν γυμναζομένων ἐμβαινόντων, καὶ ἀνασειόντων τοῖς πύκταις ὁμοίως, ἢ κατὰ σύνδεσιν τῆς ῥάχεως ταῖς χερσὶ παρακαμπτόντων τῶν γυμναζομένων. Id eſt: *Differentia autem eſt halterum ipſorum, aut enim projiciuntur manibus extenſis, & viciſſim inflexis, aut in manuum protenſione, quæ quieſcunt, & ut plurimum brevi motu moventur, ſolum continentur; ipſi vero, qui exercebantur, non ſecus ac pugiles introibant, & concutiebant, vel qui ſe exercebant, ſecundum dorſi aſſenſum manibus viciſſim ſe flectebant*. Ex quibus

a *Lib. 35. cap. 11.*

verbis plane indicari videtur, quod, licet halteres hujuscemodi ex eadem materia, atque eadem forma, qua saltatorum pondera esse possent, nihilominus ab illis differebant, quod non modo manibus, ut saltatores, tenerentur, verum etiam variis modis emitterentur, perinde ac temporibus nostris apud multos in usu habetur, qui sese exercent, aut lapidem vel ferreum, vel plum- A beum manibus ac brachiis extensis, & circumactis in altum mittentes, de quibus locutus fuit Aretæus, auctor non minus probatus, quam antiquus; ubi in dolore capitis τῶν ἁλτήρων βολὴν commendavit. Et ut possit certior formæ hujusce exercitationis notitia haberi, adponendas curavimus halteristarum imagines, quas ex gemmis antiquis sculptis acceptas ad nos misit Pyrrhus Ligorius.



Et ne quis a nominum æquivocatione errandi occasionem aliquando capiat, illud animadverti volumus, ab ἁλτῆρος ἀλτῆρα non parum differre: quandoquidem ἁλτὴρ exercitationis genus jam a nobis descriptum, nec non pondera a saltatoribus manibus apprehendi solita significat, ἀλτῆρα vero genus fuisse orchesticæ, sive saltationis apud Sycionios usitatum refert Athenæus: quo nomine Ithacenses quoque unam exercebant, quam non sine Ulyssis fortuna atque ærumnis constitisse arbitror; siquidem ἀλήτης ex Homeri versibus, ex Hippocratis usu, atque Galeni interpretatione mendicum atque erroneum significat. Quales porro fuerint hujusmodi halteres, nihil aliud explicatum reperio, nisi id quod (*a*) Pausanias in v. Eliacorum scripsit in hunc modum: οἱ δὲ ἁλτῆρες οὗτοι παρέχοντο σχῆμα τοιόνδε κύκλου παραμηκεστέρου, καὶ οὐκ ἐς τὸ ἀκριβέστατον περιφερεῖς εἰσιν ἥμισυ, πεποίηνται δὲ ὡς καὶ τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν διϊέναι, καθάπερ διʼ ὀχάνου ἀσπίδος. Id est, *Hi autem halte-* B *res circuli oblongioris figuram habent, neque dimidio ad exactissimam rotunditatem perveniunt. Ita vero facta eorum est figura, ut manuum digiti tamquam per clypei ansam immittantur*: a quo paullo diversius sensisse videtur (*a*) Cælius Aurelianus medicus inter Latinos antiquos methodicus non infimus, ubi scribit, *arthriticis convenire ceram digitis emolliendam dare, vel manipulos tenendos, quos palæstritæ halteras appellant, tum movendos cereos, vel ligneos, primo cum parvo plumbo interfuso, tum pro modo profectus graviores*. Ex quibus verbis elicitur halteres fuisse massulas quasdam C sive manipulos ex variis materiis modo levibus, modo gravioribus confectos, ea magnitudine, ut manu quilibet caperetur: qui mea sententia nedum solis manibus, verum etiam funiculis halteribus ipsis circumfusis, deinde inter projiciendum explicatis, emittebatur, perinde ac faciunt hisce temporibus multi, qui sic aut rotulas ferreas, aut caseos, aut quid aliud simile projiciendo certant.

a *circa finem*.

a *lib. 4. chro. cap. 2*.

An vero ἁλτῆρες a Platone inter ceteras ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas exercitationes nominentur, nihil certe explicatum habetur: opinor tamen ego ipsum, ubi VIII. de legibus hæc de mulierum propriis exercitationibus scribit, καὶ λίθοις ἐκ χειρός τε, καὶ σφενδόναις ἁμιλλομένων, nil aliud animo concepisse, nisi quod illæ tum lapidibus a manibus, tum a fundis emissis inter se certare deberent: nam & ἁλτῆρες aliquando lapides erant, quos a manibus exercitatores ejicere consuevisse indicavimus: unde sub nomine lapidis a manibus emissi ἁλτῆρα Platonem intellexisse non est prorsus rationi dissentaneum: veluti certum est, fundam, ab halteribus diversam, funiculum quendam fuisse, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum ansula ne exiret, altero fine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto valide funiculo, & ab uno capite demisso, vehementer projiciebant funditores: quam projectionis formam duabus de caussis a Phœnicibus, quos (*a*) Plinius fundæ inventores fecit, repertam credo; altera ut minus manibus ex lapidum asperorum attrectatione nocumentum accederet, altera, ut longinquius & majore impetu lapides projicerentur: unde Davidem ad prosternendum Goliatem funda uti voluisse existimo, quoniam adversus robustissimum Gigantem maximo armorum impetu opus esse cognoverat. Hoc genus certaminis apud (*b*) Balearium insularum populos usque adeo celebrabatur, ut matres filios suos aliis avibus vesci non paterentur, nisi quas funda sibi ipsis comparassent.

Et ideo (*c*) Virgilius fundam cognomine *Balearem* hoc versu appellavit.

Stuppea torquentem Balearis *verbera fundæ*.

& Statius libro primo:

Roboraque & gravidas fundæ Balearis *habenas*.

Ovidius libro II. Metamorph.

Non secus exarsit, quam cum Balearica *plumbum*
Funda jacit: volat illud, & incandescit eundo.

Quod vero bellica gymnastica hujusmodi exercitationem in usu haberet, faciliter ex (*d*) Vegetii commentariis unusquisque cognoscere potest.

CAP. XIII.

De Jaculatione.

QUamvis τ πάσης ῥίψεως sive jaculationis omnis nomine apud (*e*) Platonem quandoque omnem sive lapidis, sive jaculi, sive alicujus alterius projectionem nosse valeamus, nihilominus duas præcipuas illius species effecisse VIII. de legibus dialogo videtur, alteram τοξικὴν, alteram ἀκοντισμα vocans, quarum duarum Apollinem atque Æsculapium præsides extitisse tradit Galenus; nos primam *sagittationem*, secundam *jaculationem*, cunctos fere Latinos secuti, nuncupabimus, sagittationem tribus præcipuis modis fieri solitam invenio, tum solis amentis de quibus Silius lib. XIV.

—— hasta juvatur amento.

tum arcubus, tum balistis, quibus sagittas subtiles, exilesque infigentes, ac primo tendentes, deinde remittentes illas ejaculabantur, atque hi communi appellatione τοξόται, vel τοξόται vocabantur; unde venenum quoddam τοξικὸν nominari scribit Paullus (*a*) Ægineta medicus, quod Barbari sagittas ad feriendum lethalius illo inficerent: Jaculatio vero non modo sine amento, arcu, balistave efficiebatur, verum etiam grandiores sagittas, crassioresque virgas, & plerumque graves palos requirebat; quinimmo sagittarii solis brachiis sese movebant, ἀκοντίζοντες autem, sive jaculatores in jactu brachia contorquebant, extendebantque, & præterea dorsum, necnon femora pedibus immotis flectebant, agitabantque; quemadmodum temporibus nostris, quos jaculatores appellant, factitare conspicimus: utrique tamen in hujusmodi exercitationibus obeundis non paucis viribus indigebant, unde non sine ratione (*b*) Hippocrates *multos ex Scythis præ impotentia humiditatis humerum, neque arcum intendere, neque telum contorquere potuisse* memoriæ mandavit, qui pariter in initio libri de fracturis dicebat brachii figuram aliam esse ἐν ἀκοντισμῷ κατὰ φύσιν, ἄλλο δὲ ἐν σφενδόνησιν, ἄλλο δὲ ἐν λιθοβολίησιν: Id est, *in jaculatione fundarum, & lapidum emissione, nec non pugilatu*. Habebant vero, qui sic exercebantur, terminos & scopos sibi propositos, quos modo præterire, modo attingere, victoriæ gratia quisque conabatur: quod explicavit Horatius hoc versu:

—— sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?

Ceterum hoc in loco id præterire nolo, quod balista fuit tormenti quoque genus, quo secundum (*d*) Vegetium lapides & sagittæ ejaculabantur; & quod similiter sagittas catapultis & scorpionibus antiquos ejicere consuesse scripsit (*e*) Vitruvius, de quibus tractare ad institutum nostrum minime pertinet: quas vero nos sagittationes & jaculationes tractamus, illæ sunt, quas gymnastica facultas tamquam proprias sibi exercitationes complectitur. Quod enim medicinæ gymnastica jaculationes atque sagittationes pro sanitatis adminiculis in usu habuerit, (licet apud auctores raro scriptum inveniatur) inde tamen conjicere possumus, quod antiqui, referente (*f*) Galeno, eosdem medicinæ & sagittationis jaculationisve Deos, Apollinem nempe atque Æsculapium effecerunt. At jaculationis utriusque tam cum arcu, quam sine, præcipuum in bellica gymnastica usum apud priscos fuisse, locupletissimum testem Platonem habemus, qui mulieres & viros futuros bellis aptos hisce in primis exercendos curavit, id quod mulieres Scytharum antea facere solitas sciebat, quas (*g*) Hippocrates & pedibus, & ex equis arcubus uti, & sagittas ejaculari consuevisse, scriptum reliquit; ut sileam Homerum, qui Myrmidonas Achillis milites, dum a bello vacarent, sese jaculando exercere, ne peritiam militarem amitterent, finxit: quam peritiam quantopere jaculandi & sagittandi exercitatio adjuvet, quantumque eadem roboris lacertis afferat, clare indi-

a *Lib. 7. c. 56.* b *Vegetius de re militari 1. cap. 6.* c *lib. 4. cap. 22.* c *7. de leg.*

a *Lib. 5. c. 53.* b *lib. de aere, aquis, & locis.* c *Lib. 1. car. ode 8.* d *lib. 4. de re milit. cap. 22.* e *lib. 10. cap. 15.* f *In suas. ad bonas artes.* g *Loco citat.*

cavit

cavit Vegetius in I. de exercitatione militari lib. XIV. Athleticam neque jaculandi exercitatione caruisse, Hercules illius auctor fidem facere potest, quem sagittandi peritissimum ea facultate centaurum Nessum quamvis remotum, & cervam æripedem transfixisse, harpyasque volucres in medio aere confecisse, tradit Seneca, atque cum eo alii. Ad hæc etiam diversæ illæ, atque multiplices belluæ, quas in publicis spectaculis, ac ludis athletæ modo sagittis, modo aliis armis interimebant, clarissimum argumentum præbent, certatores illos athleticos jaculationem quoque exercuisse, nec modo ignobiles, verum etiam maxime illustres viros, atque etiam imperatores ipsos, inter quos duo adnumerantur, Commodus videlicet Faustinæ Pii & prioris Faustinæ filiæ, & Marci principis filius; nec non Domitianus, quorum hunc *centenas varii generis feras in Albano secessu sagittis plerumque multis videntibus confodisse*, scribit (a) Tranquillus; illum *centum ictibus in arena totidem feras stravisse, tam validis viribus, ut multas uno conficeret ictu*, tradit (b) Herodianus: qui similiter scribit *adeo illi certam manum fuisse, ut, quidquid oculo destinasset, jaculo & sagitta contingeret*. Ergo jaculationem & in bellica, & in athletica, & in medicinæ gymnastica locum habuisse, compertum est; cujus quidem jaculationis duo potissimum instrumenta fuisse diximus, *arcum* & *sagittas*, quos alii (a) *Scythem Jovis filium*, alii *Persen Persei filium* invenisse dicunt. Jam vero sagittarum multas species fecimus, alias subtiles & exiles, quæ arcubus & balistis ejaculabantur, quasque plumbatas fuisse existimamus: quamplurimorum, & præsertim Pacuvii in Paullo ita loquentis, *sagittis, plumbo & saxis grandinat, nivit*: nec non Aristotelis auctoritate ducti, qui in II. de cælo scripsit, sagittas per aerem latas ipsum ignire, atque ipsum ita ignitum plumbum postmodum, quod in eis continetur liquefacere, alias crassiores, jacula a Latinis vocatas, a Græcis ἀκόντια, quarum inventorem Ætolum Martis filium, credit Plinius: alias adhuc crassiores & graviores *palos* nostri vocant.

a *cap.* 19. b *Lib.* I. *cap.* 15.

a *Plinius lib.* 7. *cap.* 56.

F I N I S.



HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De agendis, & de ratione præsentis tractationis.



MUltas exercitationum species ab antiquis in usu habitas superiori libro, qua potuimus perspicuitate enarravimus; multæ adhuc restant non minus fortasse scitu dignæ, quam illæ, quarum major pars tametsi haudquaquam in gymnasiis præcipue peragеretur, neque item ad saltatoriam pertineret, in quam, & palæstricam visi sumus superiori libro universam gymnasticam distribuere, cuncta tamen tractari oportere duximus, quia illa etiamsi non proprie, saltem communiter exercitationes vocari merentur, & propterea nullo pacto a gymnastica excludi debent. Amplius eadem ad bonum habitum corporis, atque valetudinem conferre omnes medici fatentur: unde, cum studium nostrum in hoc præcipue versetur, ut eas omnes corporis exercitationes tradamus, quæ & valetudinem juvare, & optimum corpori habitum parere judicatæ sunt, de hisque singulis gymnasticam considerare statuerimus, vel unum aliquod intractatum relinquere præter ordinem, & præter institutum nostrum foret. Neque vero nobis illud vitio objici debet, quod de medicinæ gymnastica sola sermonem habere in animo habentes, multa de athletica, plurima de bellica immiscuerimus, atque adhuc in sequentibus idem facturi simus: propterea quod primum atque præcipuum consilium nobis fuit de medicinæ gymnastica verba facere: at postea tribus de caussis reliqua adjunximus, tum ut aliarum duarum conditionibus breviter cognitis, tota tertiæ illius natura magis perspecta foret, tum, ut quæ confuse de singulis simul, vel indistincte saltem ab auctoribus tam Græcis, quam Latinis tradita fuerunt, ex distinctionibus nostris perfecte discerni possent, neque ulla lectoribus errandi occasio relinqueretur, tum, quia eædem exercitationes ab athletis, a militiæ studiosis, & denique a sanitatis professoribus usitatæ reperiuntur: quod si de medicinæ dumtaxat gymnastica sermonem habuissemus, necessario pene secuturum erat, ut vel hanc unam extitisse crederent lectores, vel saltem alias ab hac una & normas, & originem suscepisse: quod quantos in auctoribus legendis errores peperisset, nemo vel mediocriter in bonis artibus versatus videre non potest, præterquam quod si quæ de gymnastica medica scripsimus, quæque uberius in sequentibus dicturi sumus, iis, quæ de ceteris duabus a nobis dicta fuerunt, alicui comparare placuerit, cognoscet profecto illa minimam partem obtinuisse, & proinde nunquam jure inficiabitur, quin manifeste appareat nos de gymnastica arte, medicinæ subjecta, & non de ulla alia tractare voluisse: hæc est enim illa, quæ tametsi corporis uni curæ operam navare videatur, ita tamen & illius, & animæ simul exercitationis, quod in Timæo admonebat Plato, curam gerit, ut non sinat ita corpus præ robore, atque crassitie insolenter ferocire, quin animi motionibus secundum rationem sese domandum, castigandum, atque dirigendum subjiciat: id quod athleticam non effecisse, & iccirco ab omnibus recte institutis rebus publicis summopere damnatam, atque ignominiose explosam fuisse, Galenus sæpius prædicavit: ut etiam hac ratione merito excusari debeamus, si plura quam par aliquis judicasset, de ea locuti sumus, quod ob id facere potuimus, ut ejus natura *ex ungue* (ut ajunt) æstimata, & exercitationum, & in vivendo, ac conversando athleticorum morum pravitatem cognoscere, cognitam detestari, atque evitare liceret.

CAP. II.

De ambulatione.

QUantum commodi humanæ huic vitæ deambulatio præstet, satis aperte sapientissima natura demonstravit, quæ mirifico quodam artificio, singularique, & prope divina providentia nobis pedes non ob aliud fabricavit, nisi ut deambulare, atque deambulantes actiones illas, ad quas nati sumus, perficere valeremus: quod cum prædo ille circa Coracisium Pamphiliæ animadvertisset, ne homines, qui in eum incidebant, ambulare amplius, & reliqua vitæ munia plene honesteque obire valerent, pedes illis, sicut refert (*a*) Galenus, memorabili quodam crudelitatis exemplo amputabat. Deambulatio ergo, quam veluti necessariam, atque in primis commodam sive natura, sive Deus nobis tribuerunt, quanto studio custodienda, atque adjuvanda sit, nullus non videt; eo præsertim, quod si ullæ exercitationes corporis inveniuntur, quæ valetudinem conservare, imbecillitatem a morbo contractam pellere, & bonum corpori habitum comparare valeant, quæque apud omnes homines, omnesque nationes in frequentiori usu sint, una profecto existit deambulatio, quam non modo medici præcipuam eorum gymnasticæ partem effecerunt, verum etiam antiqui omnes usque adeo æstimarunt, ut inter cetera privatis exercitationibus destinata, & in gymnasiis, & extra loca, nullius majorem curam gessisse, nullique magis studuisse videantur, quam ut accommodata omni tempore deambulantibus loca exædificarent. Nam (ut ceteros auctores fide dignissimos omittam) (*b*) Vitruvius quantopere in deambulacris fabricandis

a 3. *de usu partium cap.* 5. b *lib.* 5. *c.* 9.

invigilandum censuerit, unusquisque ex ejus scriptis facile comprehendit: ego certe ante, & post Vitruvii tempora innumera in urbibus deambulationibus loca magnifice extructa scio: quæ omnia apud me tribus generibus complectuntur, quia vel *porticus* erant, vel *subdiales* loci, vel *subterranei*. Porticus enim quandoque theatris, quandoque templis, & illustrium virorum domibus adjungebatur, ante balnea similiter fuisse porticus ambulationi dicatas, scribit (*a*) Galenus, quandoque solæ, & separatæ extruebantur, quales plurimæ Romæ olim fuerunt, quarum vestigia nunc admirationem spectatoribus pariunt, & qualis fuit Pompejana, de qua & Ovidius:

Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.

& Propertius libro II. Elegia XXXII.

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis,
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

& lib. IV.

Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.

Martial. lib. XI. epigr. XLVIII.

Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra.

Ex quibus trium poetarum verbis clare patet, Pompejanam porticum ad deambulationes exædificatam fuisse, quemadmodum & quamplures alias in id constructas esse, apud Ciceronem tertio de oratore libro disputatur. Quod porro subdiales quoque locos ad deambulantium tam commoditatem, quam jucunditatem majores nostri extruerent, atque illos modo arboribus consererent, modo nudos relinquerent, præter Vitruvium, qui eos in gymnasiis & extra gymnasia quomodo fieri deberent, copiosissime edocuit, argumento quoque sunt xysta illa a nobis superius declarata, & præcipue deambulatorium illud Atheniensium in Academia, quod pulcherrimis platanis consitum ad id fuisse scribit (*b*) Plinius, & ad cujus imitationem Alexandrum Severum *nemora in publicis thermis, atque in suis aluisse* existimo. Subterraneos vero locos quosdam ambulationibus destinatos fuisse, quos ob id *hypogæos* Hegesippus & Petronius vocarent, haud vero dissimile videtur: quoniam temporibus, quibus mirum in modum luxus creverat, fieri potest, ut una cum innumeris aliis blandimentis excogitati sint ad vitandas æstivi caloris molestias: nisi eos potius credamus fuisse crypto porticus undique parietibus tectas, iccirco in eam formam fabricatas, ne ambulantes a ventis & a reliquis aeris injuriis læderentur, qualis hodie Romæ in viridario Vaticano visitur, & quales fuisse illos verisimile est, quos se inter ruinas villarum Luculli tam in agro Tusculano, quam in monte Pausilippo vidisse, testatus est nobis Ligorius; quosve (*c*) Plinius Cæcilius in villæ suæ Laurentini, & Tuscorum descriptionibus pluribus verbis depinxit. De his Varro apud Nonium. *Non vides in magnis peristylis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete, aut Euripis, ubi ambulare possint?* Qui enim ambulationibus sese exercebant, omnes fere sanitatis gratia illud agebant, ut necessario cogerentur secundum temporum mutationes varios locos habere, qui-

a 5. *de tuend. val. cap.* II. b *Lib.* 22. *cap.* I. c *Lib.* 2. *Epist.* 17. *& lib.* 5. *Epist.* 6.

A bus citra valetudinis offensionem ambulationes perficerent. Sostratum Gnidium architectum celebratissimum *ambulationem etiam pensilem primum omnium Gnidi fecisse*, refert Plinius libro XXXVI. cap. XII. Nam athletas ambulationibus nunquam uti solitos ex eo credere debemus, quod neque in ludis, neque in amphitheatris, neque in sacris certaminibus, quibus omnibus inserviebant, unquam eos ambulando contendisse legitur. Quod si locus in gymnasiis athletarum exercitationibus, & locus ambulationibus destinatus, quem (*a*) Xenophon & (*b*) Vitruvius *xystum* vocatum scribunt, vicini erant, non ideo inferre debemus, athletas deambulando exerceri solitos, sed alios in xystis ambulare, athletas seorsum exerceri consuevisse: nisi dicamus athletas quoque post vehementes exercitationes ambulasse, atque illam ambulationem apud medicos ἀποθεραπείαν vocatam esse, & non proprie exercitationem: quid autem apotherapia foret, inferius declarabimus. Militari similiter peritiæ studentes ambulationem parum curasse credendum esset, postquam nec Plato ullam ejus mentionem fecit, nec in ullo bellorum genere adjumentum effatu dignum præstare videtur, nisi (*c*) Vegetius edocuisset valde militibus futuris ex usu esse, *ut assiduo exercitati ambulare celeriter, & æqualiter discant*, atque ob id veterem consuetudinem permansisse, nec non D. Augusti, atque Hadriani constitutionibus præcautum fuisse, ut in mense tam pedites, quam equites educerentur ambulatum, & non solum in campis, sed etiam in clivosis & arduis locis descendere atque adscendere cogerentur, quo nulla res vel casus pugnantibus accidere posset, quam non ante boni milites assidua exercitatione didicissent. Habuit vero hæc exercitatio multas species tum a natura illius, tum a loco, tum a fine desumptas; a natura quidem, quoniam, cum ambulationem definierit (*d*) Galenus ex crurum motu ac quiete constare, motus ille, & per consequens ambulatio, aut erat magna, vel parva; aut velox, vel tarda; aut vehemens, vel remissa: a loco autem variabantur pariter ambulationum species, quandoquidem modo in urbe fiebant, & in gymnasiis, modo extra urbem, quemadmodum Phædrus & Prodicus apud (*e*) Platonem faciebant, necnon Iscomachus apud Xenophontem, qui dum in agrum pedibus servum suum equum ducentem sequeretur, meliori se exercitatione uti dicebat, quam si in xysto ambulasset; modo in locis planis, modo asperis, modo arenosis, quos pro paralyticis (*f*) Asclepiades, Erasistratus, ac Themison male commendabant, modo æqualibus, modo inæqualibus, modo longis, modo brevibus: de quibus omnibus copiosissime differuit Aristoteles in V. probl. partic. A fine demum accipiebantur deambulationes, nempe quando velut auxilia sanitatis ac boni habitus adhibebantur, vel ad corporis recreationem peragebantur: postquam enim graviores exercitationes confecerant, ne statim ad quietem tanquam a contrario ad contrarium transitus fieret, ambulationes paucas & remissiores adhibebant, sicut & post medicamenta ac vomitiones, atque universum hoc exercitationis genus ἀποθεραπευτικὸν appellabant: quamquam etiam gymnastæ in mediis laboribus, potissimumque in iis, qui graves vocatas exercitationes obiissent, apotherapia interdum utebantur, quod (*g*) Galenus summopere laudandum judicavit. Apud Varronem quoque, ut meminit Nonius,

a *Lib.* 5. *de administrat. domest.* b *Lib.* 5. *c.* II. c *Lib.* I. *de re mil. cap.* 9. *& penult.* d 3. *de usu partium.* e *In Oeconomia.* f *Cælius Aurel. lib. Chron.* 2. *cap.* 3. g 3. *de tuend. val. cap.* 2.

Apud Varronem quoque, ut meminit Nonius, habetur aliquos ad excitandam sitim ambulatione usos esse: nam in lege Mænia ita scriptum erat: *Exercebam ambulando, ut siti capacior ad cœnam veniret guttur.*

CAP. III.

An erectum stare sit exercitatio.

QUi rerum ipsarum naturas leviter perscrutati sunt, nihil ambulationi ipsi, motuique dissimilius esse, quam pedibus erectum stare judicarunt. At quoniam profundius quærentes in hanc sententiam eunt, erectos scilicet pedibus stantes, si non ambulant, saltem aliquo pacto moveri, propptereaque statum hujuscemodi ab exercitationum censu excludi minime debere, ideo etiam de hoc sermonem facere decrevi; eo præsertim, quod multi falsis rationibus ducti hanc opinionem ita animis imbiberunt, ut pertinaciter credant, stantes pedibus nullo modo sese exercere, sententiam suam hunc in modum probantes, videlicet, quod definitum apud omnes auctores reperitur, exercitationem motum existere, cui motui statum plane contrarium esse: præter ceteros (*a*) Plato ubique prædicat, dum inter prima rerum principia statum & motum veluti duo contraria collocat, quos tamen apertissime allucinari facile convincitur; quandoquidem omnes illi, qui pedibus erecti stant, licet moveri sensibiliter nullo modo videantur, attamen ratio ipsa, quod aliquo pacto moveantur, certissime persuadet. Nam & multorum veterum sententia fuit, non quæ moveri videantur, ea moveri sola, sed multa immobilia apparere unum eundem locum obtinentia, quæ nihilominus moveri efficacissimis rationibus, ac fere sensu ipso demonstrantur. Aves etenim non tam quando modo sursum, modo deorsum volitant, in motu esse censentur, quam dum in aere locum unum fere immobiliter occupant: id quod sic probatur, quia si avis quæ stare in aere immobiliter videbatur, in eo ipso instanti moriatur, protinus in terram decidit (ut de apode illa ave manucondiata, quam nisi mortuam in terris videri, & vivam semper in aere manere ferunt) non ob aliam profecto caussam, nisi quoniam corpus illud in sublimi motus alicujus ab anima in corpore facti auxilio consistebat, quo motu postea privatum corpus, atque naturæ suæ dimissum ad centrum declinat, sicuti dum contra naturæ suæ inclinationem sursum sustinetur, haudquaquam cadit, neque item perfecte quiescit, sed quasi duobus motibus contrariis agitatur, altero corporis deorsum a natura acti, altero animæ sursum contra naturam corpus moventis. Idem ferme evenit in hominibus erectis stantibus, quorum corporibus natura ad terram inclinantibus, & anima contra sursum illa sustinere obnitente, motus quidam sensui manifestus suboritur, cujus indicium illud habetur, quod si anima a corpore erecto stante exeat, illico ipsum in terram delabitur, quia motus ille deficit, cujus beneficio anima corpus naturaliter ad terram inclinatum, sursum elevatum continebat: ut his rationibus omnino cuivis persuasum esse debeat, eos, qui pedibus erecti stant, ob continuos & contrarios animæ corporisque obnixus aliquo pacto moveri, atque ipsorum musculos omnes corpus gestantes, & a terra attollentes, erigentesque vehementer intendi:

A cujus intensionis, atque etiam ipsius occulti motus merito postea efficitur, ut stare majorem laborem, ac lassitudinem molestiorem pariat, quam ambulare, sicuti præclarissime a (*a*) Galeno scriptis mandatum est. Neque Plato, ubi inter principia rerum statum perinde ac motui contrarium collocavit, vera prorsus locutus est, cum Aristoteles v. Physicorum libro longa oratione non statum motui, sed motum motui contrarium esse demonstraverit; nisi potius aliquis dicat, Platonem aliud genus motus ac status mystice (ut solet) intellexisse, cum ex ipsis naturas quoque divinas
B constare asserat. Si igitur tot rationibus satis comprobatur, erectos stantes aliquo pacto moveri, atque interdum non modice laborare, consentaneum videtur, ut non ob id status ab exercitationum ordine removendus sit, quod exercitatio definiatur esse motus, & ipse minime motus appellationem mereatur, quinimmo sicuti quamplures motus, qui sanitati & bono habitui conferre judicantur, etsi vere ac proprie exercitationes non sint, communiter tamen esse a nobis supra abunde ostensum fuit, similiter & stare erectum communi notione exercitationem esse censemus. Unde sapientissimus Hippocrates, qui ulcera curan-
C da quiete indigere alias prædicavit, stare & sedere ipsis inimica esse scripsit: quasi innuere voluerit, dum corpus sursum vel sedendo, vel stando detinetur, musculos magnopere contendi, atque etiam motum quendam inter animam & corporis naturam generari, qui ulcera ipsa in cicatricem coalescere minime permittat: atque hoc esse puto, quod a Cælio in epilepsiæ curatione *stans exercitium* vocatur. Num vero antiqui gymnastæ inter alias corporum exercitationes hujusmodi statum receperint, nil certi affirmare audeo. Athletæ enim cum nullum fere usum in stando haberent, nisi quando Milonis imitatores recti stantes
D sese ceteris a loco dimovendos ostentandi roboris gratia præbebant, vel statu non per se, sed ob alium utebantur: ideo haudquaquam seipsos in hoc genere exercuisse mihi verisimile redditur. Quod quæso certamen in stando solum effectum cerni poterat, quod aut spectatoribus delectationem afferret, aut sacrificiis, vel alio modo amphitheatris, aut stadiis inserviret, ut horum gratia athletas sese exercere, vel certare stantes solitos dicamus? stabant tamen qui athletas certantes spectabant, sed non ob aliud, nisi ut amphitheatra illa lignea majorem hominum multitudinem
E capere valerent, quandoquidem antiquitus subsellia quisque sibi ferebat, quibus ad commode, & citra molestiam spectandum, nec non aliquando pro telis, dum pugnabant de loco, utebantur, isque usus primum M. Messalla & Cassio Cos. crevit, mox P. Scipione Nasica censore Senatusconsulto cautum, ne cui in urbe, propiusve mille passuum subsellia posuisse, sedentive ludos spectare licitum esset. Quod porro traditum est antiquis Romanis lege cautum fuisse, ut adorantes starent erecti, stantesque Jovi sacrificarent, quemadmodum Valerius (*b*) Martialis de quodam scribit:

F
Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Æthon, ——

minime ad athletas in sacris certaminibus, vel in celebrandis sacrificiis ludere solitos pertinuisse arbitror, quin potius altiore & æquiore caussa illud factitatum pro certo teneo, ne scilicet seden-

a *In Sophista.*

a *Lib. de tre. & rig.* b *Lib. 12. epigr. 77.*

A tes, ſive jacentes in adorando, ſomno (quod intente ſpeculantibus ſæpenumero contingere conſuevit) caperentur, ſed attente ſimul ac vigilanter diutius in adorationibus perſeverarent: niſi dicamus illud pariter veteres effeciſſe ad præſtandam Diis ipſis reverentiam majorem. Nam multa hujuſcemodi pro majoribus reverentiæ ſignis apud majores noſtros habebantur, quæ hodierna die ſecus reputantur, veluti cooperto capite ſacrificari pro maxima reverentiæ ſignificatione habebatur, ut in Romanis problematibus ſcriptum reliquit Plutarchus, & ut Curculio ille apud (a) Plautum inſinuat dicens: *Quis hic eſt, qui operto capite* B *Æſculapium ſalutat*? cum detecto capite ſemper ambularet. Haud ſecus itaque & erectum adorare pro maxima honoris demonſtratione reputabant, ſicuti nos genuflexum: quamquam & Pythagoras, vel ſecundum Plutarchum Numa adorationes fieri ſedendo voluit, quo ſic vota rata firmaque eſſe debere ſignificaretur. Unde quod erecti ſacrificarent, nequaquam athletas in ſacrificiis ſtatu uti conſueviſſe, argumentum eſt. Bellicæ ſimiliter diſciplinæ amatores parum utilitatis in ſtando conſequi potuiſſe, ut in eo genere exerceri potuerint, mihi valde rationi conſentaneum videtur; ſi quidem ſola excepta tolerantia militibus profecto neceſſaria, quam alteram C militarem virtutem aut efficere, aut adjuvare queat erecta ſtatio, nuſquam video, præterquam quod neque Plato, neque Xenophon, neque Ariſtoteles, neque Vegetius futuros bellatores ſtando ſeſe exercere præceperunt; tametſi Flavium Veſpaſianum patrem dicere ſolitum acceperimus *imperatorem ſtantem mori oportere*. Verum enim vero medicorum gymnaſtas tam ſanos, quam valetudinarios aliquos interdum ſtando exercuiſſe, nunquam negarem; quoniam plurimos uſus tam ad conſervandam ſanitatem, quam ad præſtandum cruribus robur habere conſpicio: dum enim muſculi omnes D contenduntur, & corpori anima obnitens laborat, utrique validiores efficiuntur, interim quoque humores & excrementa promptius ad inferiores ductus feruntur, cibique in ventriculi fundo, ubi perfecta concoctio abſolvitur, honeſtius accommodantur. ex quo conjicio, hoc unum exercitationis genus poſt ſumptos cibos in uſu eſſe potuiſſe, quando non minus ad accommodandum in ſtomacho nutrimentum, quam ad excitandum nativum calorem, ſomnumque prohibendum valet, ſicuti vulgaris illa, & non penitus abſurda opinio, quod *a prandio ſtandum, a cena ambulandum* ſit, comprobare videtur. Illud vero hoc in loco præterire E nolo, differre, quiſne erectus ſub ſole ſtet (ὑλιθερεῖσθαι vocat Galenus) an in umbra, quod in umbra nullam aliam alterationem patiuntur, niſi eam, quam ratione ſtatus oriri demonſtravimus; at illi, qui ſub ſole perſtant præter jam dictam alterationem, non parum a calore ſolis mutantur: nimirum cum (b) Ariſtoteles ſcripſerit, ipſos etiam vehementius incaleſcere, quam illi qui moventur, quod ipſi ea aeris perfrigeratione careant, quam iſtos opera motus obtinere omnes quotidie experiuntur, ne taceam medicos, a quibus febres ex hujuſcemodi ſub ſole ſtatu generari creditur. ex quo minime ſatis mirari ſoleo, quomodo (c) F Plinius Cæcilius memoriæ mandarit, avunculum ſuum Plinium, alioqui in vivendo ſolertiſſimum, *poſt cibum ſæpe, quem interdiu levem & facilem, veterum more, ſumebat, æſtate, ſi quid otii, in ſole jacere* (quod ego ſtare interpretor) conſueviſſe; atque etiam paullo antequam ex Veſuvii concrematione interiret, *ſole uſum, frigidam bibiſſe*. Non eſt præterea ignorandum, erectum ſtare, perinde atque cæteras exercitationes ante cibum quoque prodeſſe, ſententiamque noſtram, qua poſt cibos veteres ſtare conſueſſe judicavimus, ita interpretandam eſſe, ut ſola hæc exercitatio frequentius poſt menſas uſurpata fuerit, non quod in uſu quoque ante cibum non extiterit, cum quiſque apprime cognoſcere valeat, eos, qui cæteris exercitationibus obeundis haudquaquam apti ſunt, ſive ſani, ſive valetudinarii, poſſe aliorum loco, ſi non æque bene, ſaltem paullo minus pro ſanitatis conſervatione in ſtando ſeſe exercere; atque pro ambulatione levi diuturniore ſtatu ante cibos uti, modo reliquæ, quas inferius demonſtrabimus, conditiones obſerventur.

a *Actu* 3. b 5. *partic. prob.* 36. c *Lib.* 3. *epiſt.* 5. & *Lib.* 6. *epiſt.* 16.


CAP. IV.

De pugnarum generibus.

QUamvis pugnæ nomen apud Latinos atque Græcos ſcriptores multa ſignificare comperiatur, ea tamen, de qua nos hic tractare debemus, non aliud fuit, niſi *exercitatio quædam, in qua duo ut plurimum inter ſe dimicabant*, vel ut ad bellicas pugnas ineundas, & fortitudinem & peritiam compararent, vel ut in ludis, * Amphitheatris, atque aliis publicis certaminibus ſpectaculiſque coronas victoriæ conſequerentur, populumque oblectarent: vel ut optimum corporis habitum, atque ſanitatem ipſam acquirerent, tuerenturque. Hos apud Euſeb. VIII. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XVIII. μαχήτας nuncupatos exiſtimo, ut ii, qui *pugiles* eo in loco tranſtulerunt, inepte fefellerint. Quomodo vero efficeretur, quoniam ſatis quiſque ex ſe conjicere valet, in hoc explicando haudquaquam immorabor: illud ſolum præter-

* Hactenus pluribus in locis a Mercuriali noſtro facta eſt mentio Amphitheatrorum, nunc ſpeciali hoc capite diverſa pugnarum & certaminum, quæ in illis committi ſolebant, genera exequitur. Sed enim cum non defuturos arbitremur, quibus volupe ſit, vidiſſe partes & formam Amphitheatorum, omnia breviter & ſuccincte hic adumbrabimus, id tantum monuiſſe contenti, Amphitheatrorum nomine apud Romanos deſignari locum ſpectandis certaminibus & ludicris dicatum. Alii a parte operis interiore concava, loco *Caveæ* nomen indiderunt, alii *Arenæ*: etenim cum in tam frequenti & copioſa ſanguinis effuſione facile fieret, ut lubricum redderetur ſolum, ab arena petitum eſt remedium, quæ, ut naturaliter eſt bibula, & abſorbere effuſum humorem, & renovari per intervalla ludorum facili negotio poterat. His in anteceſſum majoris lucis ergo præmiſſis, en tibi, Lector benevole, Amphitheatri a Veſpaſiano ex Tiburtino lapide in ipſo urbis meditullio extructi, a Tito dedicati, & a Domitiano exornati formam & faciem, cujus rudera ut nos anno MDCLX. Romæ non ſine ſtupore vidimus, ita cunctis ſuperiorum temporum hiſtoriam legentibus documento eſſe poſſunt, quam nihil in rebus humanis perpetuum ſit. Porro orbis illius circuli oblongi, ſeu, ut planius loquar, ovi formam refert, & ſi P. Victori fides, gradus amphitheatri vel graduum pulvilli ſupra octoginta ſeptem ſpectatorum millia capiebant. Quod ſi ambitum ſuperiorem & circumjectas porticuum figuras reſpiciamus, illuſtris viri Juſti Lipſii judicio denis adhuc vel vicenis hominum millibus, ſive ſtantibus, ſive allatis cathedris ſedentibus locus erat. Univerſa machina quatuor conſtabat ordinibus, Dorico, Jonico, Corinthio, & Compoſito, omnibus ita diſpoſitis, ut tardius adventantibus accedendi, & citius abeuntibus recedendi facultas ſine aliorum incommodo daretur. Area Amphitheatri tota libera erat, niſi quod in ea alibi ara cernebatur, Jovi Latiari ſacra, ad quam mactatio ſtata & horrenda unius ex beſtiariis. Sub ipſa area cloacæ ſubterranea, per quas in uſum Naumachiarum occulte & ſubito inductas & eductas eſſe aquas idem, non ſine multa honoris præfatione nominandus, Lipſius exiſtimat. Cæterum ex eorum numero, qui cum beſtiis pugnabant, vel ad beſtias, ut ajunt, damnabantur, Chriſtiani erant, & hoc mortis genere obiiſſe S. Ignatium, fortiſſimum illum Chriſti martyrem, & S. Johannis diſcipulum conſtans fama eſt. Quicquid porro huc ſpectat, ſuis, ut a Lipſio annotatum eſt, numeris hic deſignatur.





1 *Ara*, quæ ſacra Jovi Latiari.

2 *Portulæ*, per quas immiſſæ in Arenam beſtiæ. Eas clauſas januis fuiſſe credimus: non ſolum ad belluas, ne egreſſus pateret jam ſolutis, ſed etiam ad aquas coercendas, cum iis Amphitheatrum impletum. etſi januæ tunc fortaſſe magis compactæ addi pro tempore potuere.

3 *Podium*, cum ſuis columellis: & in medio ſuggeſtus Imperatoris.

4 *Præcinctio*, ſive Diazoma, id eſt, gradus altior & latior: cujus generis tres fuiſſe in theatris Vitruvius docet. Sed in eo numero videtur etiam prima præcinctio collocanda, quæ ad ipſum podium. Itaque ſculptor noſter una amplius A expreſſit. Ambigo etiam, an non aliæ præcinctiones ornatæ collumellis ſuis fuerint, uti podium ipſum.

5 *Vomitoria*, ſive aditus. id eſt, portulæ quædam quadratæ in ipſis gradibus, per quas in ſedilia diffundebantur. Ad eas, minuti illi gradus ſcalares, ut per eos quiſque ad deſtinata ſubſellia ſua iret. Spatium medium inter Scalares binos; *Cuneum* vocamus: quia quodamtenus ea forma eſt, ut in acie inſtruenda Cuneum item vocant.

6 *Foramina*, ad tranſmittendos malos, quæ pauca hic expreſſa; ſed tamen ibant in orbem: & externe a mutulis quibuſdam mali ſuſtinebantur.

A mittere nolo, apud Oribaſium duplicem pugnam in medicinæ gymnaſtica extitiſſe: alteram cum telis ſemper, alteram plerumque ſine telis, quam σκιαμαχίαν Græci, *umbratilem pugnam* vocarunt noſtri. telorum pugna efficiebatur, quando ſinguli inter ſe armis rudibus, vel incidentibus & pungentibus certabant, unde μονομαχίας nomen antiquitus utraque ſortita fuit, & a (*a*) Cælio Aureliano *hoplomachia*, hoc eſt armorum ficta confrixio vocata, nec non ad diminuendam πολυσαρκίαν laudata fuit. At ſciamachiam fuiſſe, quando homo adverſus umbram, & brachiis, & cruribus pugnabat, præter Platonem, qui & in Apolo- B gia, & alibi σκιαμαχεῖν de pugnantibus ſine adverſario dixit, auctor eſt Oribaſius, qui ex Antylli ſententia tradit, ita certantes conſueſſe non ſolum cum umbra manibus atque cruribus pugnare, verum etiam adverſus columnam, & adverſus palum, de quo fecit mentionem (*b*) Juvenalis, aut murum, nec non aliquando ſummis pedibus pugiles imitari, & interdum tanquam ſalientes, interdum, tamquam pedibus cedentes, id quod tunc potiſſimum veteres facere conſueviſſe opinor, quando antimachus, ſive adverſarius deerat, ſive quando ita exercendus adeo delicatus erat, ut non poſ- C ſet minimum quid damni pati, quod accidere ſolet illis, qui armis quibuſvis adverſum alterum contendere ſolent. Primum enim illud innuiſſe videtur (*c*) Plato, ubi dixit: Καὶ ἔτι πάντων, τῶν τε ἐμψύχων, καὶ τῶν ἀψύχων ἀπορήσαντές ποτε, ἐρημίᾳ συγγυμναστῶν, ἆρά γε οὐκ ἐτολμήσαμεν αὐτοὶ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ὄντως σκιαμαχεῖν: hoc eſt, *Si omnibus animatis & inanimis careamus, nunquid nos ob eorum, qui nobiſcum exerceantur, inopiam adverſus noſmetipſos vere umbratili pugna certare audebimus*, & poſt ipſum (*d*) Plutarch. in VII. Probl. convivalium· Ἀλλ' ὁρῶ, εἶπεν, ὑμᾶς οἷους τε ὄντας ἤδη σκιαμαχεῖν πρὸς τὰ εἴδωλα: id eſt, *Sed video, ait, vos jam umbratili pugna adverſus idola certare paratos*. Neque vero admirari quis debet, quod antiquos cum umbris pugnaſſe (quaſi id ridiculum ſit) affirmarim; quoniam etiam hiſce temporibus non pauci reperiuntur, qui ex ſeipſis, ut exerceantur adverſus aerem pugnis, brachiis, armiſque certant, vel quando adverſarius abeſt, vel quando a nemine videri amant. De hac (*a*) Paulus Apoſtolus loquens dixit: Οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, id eſt, *Ita pugnis certo, quaſi aerem non cædens*. Jam vero non minus telis, quam pugnis & brachiis nudis hujuſcemodi exercitationem uſurpatam eſſe rationi eſt conſentaneum. Hæ itaque fuerunt duæ pugnæ ſpecies, quas majores noſtros exercitationum loco in uſu habuiſſe reperitur: ita ut nulla gymnaſtica extaret, quæ inter alias exercitationes hanc non receperit. quod enim athletica vetuſtiſſimis uſque temporibus pugnandi armis incidentibus exercitatione uteretur, locupletiſſimum teſtem (*b*) Plutarchum habemus, qui in v. Sympoſ. ſcriptum reliquit, antiquitus monomachiam, aut ſingulare certamen in Piſa civitate, & in Elide Peloponneſi regione juxta Alphæum fluvium, circa quam quinto quolibet anno, hoc eſt, ut Pindari interpres teſtatur, alternis olympiadibus, ſive menſibus quadraginta octo, aut quinquaginta certamina olympica Jovi ſacra celebrabantur, uſque ad mortem deviEtorum, cadentiumque jugulationem procedere conſueviſſe. Præterea narrat Galenus, ſacerdotes in Pergamo priſcum morem retinuiſſe, ut æſtatis tempore monomachias vocatas exercerent, quas ne quis credat ſoli Græcorum nationi proprias extitiſſe, adeundus eſt (*c*) Athenæus, qui in IV. Deipnoſophiſt auctoritate Nicolai Damaſceni philoſophi peripatetici refert, *Romanos monomachorum ſpectaculo non modo in feſtis atque amphitheatris, verum etiam in conviviis a Tyrrhenis conſuetudinem mutuatos*

a 5.*chro pa.c.ult.* b *Sat.6. v.246.* c 7.*de leg.* d *Prob.*10

a 1.*Corinth. c.9.* b 2.*Probl.* c *Cap.*13.



adhibuisse; quamvis Romani non monomachos, sed gladiatores hos nuncupare maluerint, *quos Julii Cæsaris ætate in foro novissime pugnasse, quosque pugnantes Smaragdo Neronem spectasse scribit* (*a*) Plinius. Hi quoniam artem plurimis absurdis plenam exercebant, ut a cæteris pugnantium exercitationibus integre dignosci possint, nonnulla de ipsis breviter exponam. Nam illud primum detestandum plane habebant, quod certantes quam gravius poterant, sese ferire studebant, & non solum (quod scripsit (*b*) Scribonius Largus, qui Tiberii Cæsaris, & Messalinæ ætate medicinam Romæ exercuit) contusiones in luctationibus patiebantur; sed etiam non raro usque ad alterius, vel etiam amborum pugnantium interitum certamen protendebatur: quemadmodum, præter Athenæum, atque Plutarchum, Galenus quoque testatur, qui se gladiatores graviter vulneratos curasse, & ob id a suæ civitatis pontifice in eorum medicum cooptatum fuisse scribit. Quin auctor est (*a*) Gellius, *gladiatori composito ad pugnandum pugnæ hanc propositam sortem fuisse, aut occidere si occupavisset, aut occumbere, si cessasset*: ut id verum putare debeamus, quod Marc. Tullius II. Tusculanarum quæstionum memoriæ mandavit, *athletas etiam vulneribus confectos ad dominos mittere solitos, qui quærerent, quid vellent, si satisfactum iis esset, se velle decumbere.* nam usque adeo mortem ac vulnera intrepide obibant, ut nec ingemiscerent, nec vultum mutarent, hujusmodi vero nefandas hominum cædes cum sustinere oculis non posset optimus Imperator Antoninus, narrat Dion eum edicto cavisse, ut gladiatores non acuto ferro, sed obtusis gladiis, & teretibus dimicarent, quod hodie factitant, qui pugnandi arti discendæ operam navant. Secunda turpitudinis

a *Lib.* 15. *cap.* 18. & *lib.* 37. *c.* 5. b *Composit. med.* 101.

a *Lib.* 7. *cap.*



species, qua monomachiæ hujus professio notabatur, fuit ciborum genus, siquidem (*a*) Plinius memoriæ prodidit gladiatores *hordearios* vocatos, quia antiquitus hordeo victitabant, sicut post Plinium (*b*) Galenus eosdem & faba & ptisana vesci solitos scriptum prodidit. Tertium gladiatorum abominandum institutum erat, in ipso certamine sanguinem ex vulnere adversarii bibere, tanquam iis ad confirmandum animum, & vires efficaciter conferret, necnon post pugnam cinerem pro medela potare, quod retulit (*c*) Plinius. Itaque de his præclare admodum sic a (*d*) Cypriano declamatum est. *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis [illegible] corpus, & a ruinæ toris [illegible] pinguescit, ut saginatus in pœnam [illegible] pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem; & ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est; scelus non tantum geritur, sed docetur: quid potest inhumanius, quid acerbius dici? disciplina est, ut perimere quis possit, & gloria est, quod peremit. Quid illud, oro te, quale est, ubi se feris objiciunt, quos nemo damnavit, ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa viventes in ultroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur, pugnant ad bestias non crimine, sed furore: spectant filios suos patres, frater in cavea, & soror præsto est, & spectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, ut mœroribus suis mater intersit: hoc, proh dolor! mater & redimit, & in tam impiis spectaculis, tamque diris esse se non putant oculis parricidas.* Hactenus vir ille Christianus, cujus orationem hic exscribere placuit, quod ad gladiatoriæ exercitationis pravitatem ostendendam, nil luculentius haberi possit. Qua tamen prativate illud mihi valde turpius

a *l.* 18. *c.* 7. b *[illegible] de alim. fac. c.* 19. c *l.* 28. *c.* 1. d *l.* 2. *ep.*

pius existimare in mentem venit, quod & reipublicæ, libertatis, & imperatorum temporibus rari fuerint sive nobiles, sive ignobiles, sive consulares, sive imperatores, qui spectacula adeo inhumana, ac omni flagitio & sævitia plena libenter, atque maxima cum voluptate non intuerentur. Numquid autem cujusvis generis homines, an ignobilissimi dumtaxat gladiatoriam exercerent, anceps valde sum. quod enim Lentulus Capuæ, ut ferunt, gladiatores aleret, quod C. Terentius Lucanus, auctore (*a*) Plinio, *gladiatorum triginta paria in foro per triduum avo suo, a quo adoptatus fuerat*, dederit, quod venales essent, & tria illa nefanda a nobis prædicta profiterentur, mihi certe persuadent ex omnium hominum ignobilissimo simul ac impurissimo genere, veluti servis extitisse. Ex altera parte cum (*b*) Galenus referat, sacerdotes monomachiam exercere solitos, cum Athenæus scribat illustres viros, atque duces monomachiam exercuisse, cum (*c*) Herodianus, atque Julius Capitolinus Commodum imperatorem gladiatorem eximium fuisse, & in publicis theatris, spreta imperatoria dignitate, gladiatoris partes adimplesse scribant, cum tradant (*d*) alii imperatores ad bellum profecturos munus gladiatorium ac venationes edere consuevisse, ut civium sanguine sic effuso pugnæ quadam imagine Nemesis se, id est Fortunæ vis quædam expleret, vel ut insuescerent milites vulnera, atque cædes inspectare. qua item ratione Solon apud (*e*) Lucianum narrat legem Athieniensibus fuisse, *ut juvenes coturnicibus sive qualeis, ac gallis pugnantibus spectandis studium impenderent*, quo illi, volucres usque ad extremam virium defectionem rostris certantes intuentes, ad fortiter subeunda pericula, & contemnenda vulnera, ne avibus ingenerosiores apparerent, inflammarentur; cujus studii mentionem quoq; fecit Æschines contra Timarchum, & Columella libri octavi capite secundo. Cum inquam hæc omnia mente contemplor, quasi credere cogor, tum nobiles aliquando, tum ignobiles ut plurimum athleticam hanc atque gladiatoriam pugnandi speciem exercuisse: quando etiam apud (*f*) Athenæum reperio, nonnullos testamento cavisse, uti pulcherrimæ etiam puellæ monomachorum instar decertarent, aut qui in deliciis fuissent impuberes. Sed gratiæ Deo Immortali sunt habendæ qui ad abolendum hujusmodi nefandum morem quoque principes impulerit, quod primum ab Honorio imperatore factum esse perhibet Theodoret. c. XXVI. lib. quinti historiæ ecclesiasticæ. Atque ex his clare patet, armorum acutorum pugnam inter athletarum exercitationes adnumerandam esse. quos sciamachiam quoque interdum, sive umbratilem pugnam exercuisse, inde satis conjicere possumus, quod Glaucus Carystius athleta strenuus non minus ob pugilatoriam, quam in umbra pugnandi excellentiam celebratus sit, eique statua habitu, formaque in umbra pugnantis erecta, ut (*g*) Pausanias narrat, tradatur: nisi certius comprobarent illud hæc (*h*) Dionysii in libro de divinis nominibus verba: Ὅπερ ὁ σοφὸς ἐκ ἐν οντας μιμῆται τὰς τ̃ ἀθλητῶν ἀπειροτέρας, οἳ πολλάκις, ἀσθενεῖς εἶναι τὰς ἀνταγωνιστὰς ὑποθέμενοι, κατὰ τὸ δοκεῖν ἑαυτοῖς καὶ πρὸς ἀπόντας, αὐτὰς ἀνδρείως σκιαμαχᾶντες, οἴονται τ̃ ἀντιπάλων αὐτῶν κεκρατηκέναι: Id est. *Quod sapiens minime intelligens inexpertos vincendi athletas imitatur, qui sæpe antagonistas imbecillos esse supponentes, prout ipsis videtur, necnon adversus eos absentes fortiter umbratili pugna certantes adversarios ipsos vicisse putant*. Habuit & atheletarum gymnastica pugnæ adversos palum exercitationem: cum (*a*) Vegetius scribat, *palorum usum non tantum militibus, sed etiam gladiatoribus plurimum profuisse, nec umquam aut arenam, aut campum victores ullos declarasse, nisi qui diligenter ad palum fuissent exercitati*. Hujus meminit quoque Plato VII. de Legib. Aristoteles in Polit. & Juvenalis Sat. VI.

—— Aut quis non vidit vulnera pali,
Quem cavet assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros.

Ad hæc bellicam gymnasticam pugnarum armatarum utrarumque exercitationibus minime caruisse, abunde demonstratum est & a (*b*) Platone, & ab Aristotele, qui in libris Politicorum semina quædam hujusce exercitationis monstravit, ac fortasse in illis perfecit, quos ab eo scriptos a nobis desiderari omnes docti sciunt. quamvis credibile est, dum ad perdiscendum exercerentur, rudia tela plerumque in usum venisse. Quod enim hujuscemodi concertationes maximam ad belli peritiam utilitatem præstarent, nemo qui hisce temporibus eorum professores spectaverit, negaret, quando similiter Plato tanti eas facit, ut cæteris exercitationum generibus pro offensione simul & defensione præposuerit, in ipsisque mulieres & viros elaborare voluerit. Hanc rudibus armis factam militarem monomachiam illam fuisse, quam (*c*) Hermippus Mantinæos invenisse & Cyrenæos æmulatos esse scribit, ego ferme credo: sicuti similiter existimo, quam *scrimiam* vulgus dicit, eam ipsam, & non umbratilem pugnam, ut Budæus in Comment. ad Pandectas, Gulielmus Choulus & alii nonnulli falso autumarunt, esse, de qua locutus Plato mea sententia videtur, quando in Lachete scripsit, juvenibus conducere, ut armis pugnare discant, quoniam sic habitus corporis robustus acquiritur, nec ulla exercitatione inferior hæc est, aut minus laboriosa. In hac haudquaquam certatores quemadmodum gladiatores se usque ad necem feriebant, sed rudibus telis quasi sese petere invicem imulantes, quandoque etiam re vera ferientes, & plagarum inflictiones, & aversiones ediscebant. Aliquando tamen cum umbra armis etiam pugnabant: quod Celtas post cenam factitasse, Posidonius auctor est. Jam vero omnium frequentissime pugnam adversus palum exercebant, qui militarem disciplinam comparare optabant, quam exercitationem ita factitatam scribit (*d*) Vegetius, quod *a singulis tyronibus singuli pali defigebantur in terram, ita ut micare non possent, & sex pedibus eminerent: contra illum palum veluti contra adversarium tyro cum crate & clava, tamquam cum gladio se quisque exercebat, & scuto: ut nunc quasi caput aut faciem peteret, nunc a lateribus minaretur, interdum contenderet poplites & crura ferire, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem adversarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret. Exerceamur ad palum*, ait Seneca Epistol. XVIII. Quomodo autem medicinæ gymnastica hoc exercitationis genus receperit, facile cognoscet ille, qui Antylli orationem apud (*e*) Oribasium pensitaverit. Is quidem veteres Græcos haudquaquam armorum pugnam pro valetudinariis in usu habuisse, sed dumtaxat ad efficiendos in bellum paratiores milites, scribit, additque Romanos primos eam, quæ pro sanitate exerceretur, invenisse, quos idoneis quibusvis locis, rudibusque telis primo eam exercuisse, & deinde in gymnasia invexisse verisimile sit, cum Galenus inter alia gymnastæ munera etiam armorum

a *lib. 35. c. 7.* b *3. de frac.* c *Lib. hist. 1.* d *Spartianus in Pupieno, & Albino* e *In Anach.* f *Deipnosoph. 4. cap. 13.* g *Eliacorum 6.* h *cap. περὶ δυνάμεως*

a *lib. 1. de re milit. c. 11.* b *de Legibus.* c *Athenæus lib. 4. cap. 13.* d *lib. 1. de re milit. c. 11.* e *Collectan. med. c. 36.*

exercitationem, tanquam bono corporis habitui conducente m, recenseat. Nam gymnasticos tam armorum, quam umbræ pugnam, proposita sanitate, usurpasse, satis clare monstravit (*a*) Galenus, ubi ad exercenda brachia atque crura sciomachiam commendavit, hoplomachiam vero a Demea inventam multorum membrorum optimo statui conferre tradidit. Quam enim armis peragebant exercitationem, *hoplomachiam* vocatam fuisse, præter nominis ipsius rationem, non modo Galenus testatum reliquit, verum etiam Cælius Aurelianus, ut paullo ante demonstravimus, necnon (*b*) Martialis, qui medicum quendam hoplomachiam prave exercentem, sive potius adversarium graviter, & præsertim in oculis ferientem, hisce versibus carpit.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante;
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Quamobrem ex his omnibus perspicuum cuivis esse potest, pugnam tum armorum utramque, tum umbræ in omni gymnasticæ specie locum habuisse. Jam ad alias, quæ restant enarrandæ, antiquorum exercitationes, transeamus.

a 2.de tuend.sa.c.11.& 12. b Lib.8. in malum medicum.

CAP. V.

De nonnullis aliis exercitationum speciebus.

PRæter exercitationes, quas jam perspicue quantum in tanta licuit rei obscuritate, explicavimus, multæ aliæ extitere, quæ licet ubique locorum, prout temporum & hominum variæ occasiones postulabant, agerentur, præcipue tamen in gymnasiis effici consuevisse, Galenus sentire videtur. Eæ vero sunt τὸ διὰ χοινίυ ἀναρριχᾶσθαι τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, τὸ ἐκπμεθρίζειν, τὸ πυτιλίζειν, id est, *per funem adscendere*, *manibus colluctari*, ac *plethrissare*, & *pytilissare*. Quomodo sese per funes adscendendo exercerent, sine labore cognosci potest ex hac, quæ in sculptis gemmis veterum spectatur, descriptione. Unde jure




similem exercitationem inter vehementes Galenum [illegible] *ba-nobatas* a Juvenale Satyra III. vocatos, qui hoc tempore lucri gratia per orbem vagantur, etiam veteres ad populum oblectandum adhibuisse, non modo ex prædicta icone recognoscitur, verumetiam (*a*) Terentii in Hecyra locupletissimo hoc testimonio confirmatur:

a In prologo primo.

Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. ——

Funambulis non admodum dissimile fuit genus id ludi, quod apud Hesychium & Pollucem σκαπέρδα vocatum invenitur, *in eo enim trabs solo depacta erigebatur, in cujus summo foramen erat, per quod funis trajiciebatur ex una parte funiculi, alter aversus circum ligabatur, alter ab altera trahebat, sique trahens socium, usque ad summum traxerat, protinus victor denunciabatur, sin alter resistens minime se trahi sinebat, penes ipsum victoria judicabatur.* ἀκροχειρίζεσθαι non defuerunt, qui luctæ partem quandam fuisse putarint, quando scilicet luctatores, primoribus tantum digitis insertis, A periculum roboris faciebant. Sed hos male sentire unus Galenus fidem facit, qui in 11. de tuend. valet c. VIII. statim luctam ab acrochirismo disjungit. *Erat* igitur *acrochirismus colluctatio quædam summis tantum manibus facta, in qua nulla reliqui corporis pars ab ipsis digitis tangebatur, donec adversarius deficeret*, perdurans. Hac athletæ perraro in publicis spectaculis contendebant, aliquando tamen eam ad usum revocabant, siquidem apud (*a*) Pausaniam legimus, Sostratum cognomine *Pancratiastem* in hujuscemodi certamine maximam laudem consecutum, & ob id ἀκροχειριστὴν

a 6. *Eliacor.*



quasi per excellentiam nominatum, cum adversariorum summas manus tam fortiter apprehenderet, ut non prius eos dimitteret, quam elisis digitis dolore confectos intelligeret. Quicumque pariter militari gloriæ invigilabant, interdum ἀκροχειρίζεσθαι solebant, nimirum qui & brachia fortiora & agiliora simili ratione effici sibi ipsis persuaderent. De Celtis refert Posidonius quod in armis exercitati inter se acrochirismo certabant. Porro valetudinis studiosos huic exercitationi operam navasse, & (*a*) Galenus & Paulus (*b*) Ægineta concorditer afferunt; Hippocratem, sive Polybum secuti, qui in libris de diæta acrochirismum variis F corporis affectionibus commendavit. Quid autem fuerit τὸ ἐκπλεθρίζειν, tam (*a*) Galenus, quam (*b*) Avicenna Arabum omnium doctissimus explanavit, dum uterque verbis plane iisdem scripsit, *ecplethrissare*, fuisse, *cum in plectro, id est in sexta parte stadii, quis prorsum, retrorsumque vicissim, idque sæpe in utramque partem sine flexu cursitans, unoquoque cursu breve quiddam de spatio demebat, quoad denique in unico gressu constitisset*, vel, ut dixit clarius Avicenna, *donec in fine illius in medio stetisset.* Cæterum πιτυλίζειν idem fuisse quod *gesticulari*, & crebro motu manus ciere, opinatus fuit (*c*) Politian. quem alioquin eru-

a 2. *tuend. valet. c.* 11. b *Lib.* 2.

a 2. *de tu. val. c.* 10. b *Lib.* 1 *Fen.* 3. *doc.* 2. *c.* 2. c *In Misc.*

ditissimum, toto cælo aberrasse, facillime ex Galeni ac Avicennæ oratione convincitur, a quibus pitylissare definitur fuisse, *si quando summis pedibus quis ingrediens, vel stans*, ut sentit Avicenna, *tensas in sublime manus hanc antrorsum, illam retrorsum celerrime movisset*. qua exercitatione maxime ante parietem stantes uti solebant, quo si interdum aberrassent facile pariete apprehenso erigerentur. De hoc sermonem habuisse potest (*a*) Plutarchus, cum dixit, Lycurgum olim proposito decreto illas exercitationes, quæ manibus in altum sublatis efficiebantur, vetuisse, ne quis laborando consuesceret defatigari. de hoc item locutum esse (*b*) Juvenalem arbitratus Scaliger legebat.

Qui Lacedæmonium pitylismate lubricat orbem.

Sed nos aliter (*c*) superius legendum demonstravimus. Præter hæc enumerantur aliæ exercitationes a (*d*) Galeno, veluti *si cuipiam alter jussisset, ut se violenter detraheret inflecteretque, dum ipse non manibus modo, verumetiam cruribus spinaque constans, & non flexus resistebat: quo genere Milonem ipsum exercuisse se ferunt, dum alios convellere se movereque e disco inuncto, super quem erectus manebat*, (ut ex præmissa pictura apparet) mandabat, inter quas etiam reponi potest id, quod de eodem Milone narrant (*e*) Galenus & (*f*) Ælianus, quem referunt *manu punicum malum adeo arcte tenere solitum, ut illud a nullo præterquam ab ipsius amasia eripi posset*, nempe quæ ea in decertatione sæpius cum ipso esse exercuisset; quamvis enim hæc potius ad roboris ostensionem efficerentur, nihilominus ad bonum corporis habitum firmandum conferre credebatur; quemadmodum item, *cum alterum quis medium complexus, aut etiam ipse medio comprehensus manibus digitisque pectinatim junctis, aut quem complectebatur absolvere sese jubebat, aut ipse se a complectente solvebat*. Ita quoque *si quis alterum, qui ipsum versus se inclinabat, a latere aggressus ilia manibus complexus, ceu onus aliquod sublatum invicem protendebat, reducebatque*, ac magis, *si dum gestabat ipse, nutu renutuque corporis usus esset*, exercitationem agere dicebatur, perinde ac illi, qui a cervicibus pendentes deorsum trahebant, ac alii multi ab Avicenna relati, quos enarrare nolo; quoniam omnes similes motus potius luctatorum variæ roboris jactationes, quam exercitationes per se separatæ erant. Quales item erant illæ quæ a Socrate in Platonis Theæteto significantur sub his verbis: Κατὰ σμικρὸν γὰρ προϊόντες λελήθαμεν ἀμφοτέρων εἰς τὸ μέσον πεπτωκότες, καὶ ἂν μή πῃ ἀμυνόμενοι διαφύγωμεν, δίκην δώσομεν ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς παλαίστραις διὰ γραμμῆς παίζοντες, ὅταν ἐπ' ἀμφοτέρων ληφθέντες ἕλκωνται εἰς τὰ ἐναντία. Id est: *Paullatim enim procedentes in medium amborum ignoranter cecidimus, & nisi aliquo modo nosmetipsos defendentes evadamus, pœnas luemus, perinde atque illi, qui in palæstris in linea ludunt, quando ab utrisque capti, in contraria distrahuntur*. De his enim loquitur Julius Pollux, quando describens ludum distractorum hæc verba habet: Ἡ δὲ Διελκυστίνδα παίζεται μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν ταῖς παλαίστραις, ἤ μὲν ἀλλὰ καὶ ἀλλαχόθι. Δύο δὲ μοῖραι παίδων εἰσὶν ἕλκουσαι τοὺς ἑτέρους οἱ ἕτεροι, ἔστ' ἂν καθ' ἓν μεταστήσονται, παρ' αὐτοῖς οἱ κρατοῦντες. hoc est: *Dielcystinda autem plerumque in palæstris luditur, verumtamen etiam alibi. Duæ autem sunt puerorum partes, alii trahentes alios, sive ad illam partem transmigraverint, penes illam victoria est.*

a *In vita Lycurgi*. b *Sat. 11. v. 173*. c *Lib. 1. cap. 10.* d *2. de tuend. valet. c. 9.* e *Loco cit.* f *2. var. hist. c. 24.*

CAP. VI.

De Spiritus cohibitione.

Spiritus etiam *cohibitionem* inter exercitationes, & præsertim apotherapeuticas ab optimis gymnasticis repositas fuisse memoriæ tradidit (*a*) Galenus III. de tuend. valet. libro, & ante ipsum Cælius Aurelianus inter medicos non infimus. Hanc vero tunc effici omnes docti sciunt, *quando cuncti thoracis musculi, qui circa costas habentur, usque adeo intenduntur, coguntur que, ut expiratio vocata perfici nequeat*: nam duæ sunt, quæ universam spirationem complent, *inspiratio* scilicet, & *exspiratio*. Inspiratio ea est, *quando aer ad temperandum cordis fervorem, spiritusque generandos, in pectoris spatia trahitur*. At expiratio tunc agitur, *cum fuligines in corde genitæ per cava ipsius pectoris extra educuntur*. unde cum per musculos thorax, cæteraque spirationi deservientia instrumenta coarctantur, ita ut nec aer intus ingredi, nec fuliginosa recrementa exire queant, respirationem intercipi sive cohiberi dicimus. qua cohibitione tum gymnastæ medicorum in primis, tum athletæ exercitationis & auxilii loco non raro utebantur. Medici quidem vel medicorum gymnastæ duplicem spirationis cohibitionem in usu habebant, alteram, in qua universi thoracis musculi tendebantur, remissis, qui sunt in septo transverso atque abdomine, ut facilius excrementa deorsum truderentur; alteram, in qua abdominis quoque musculi tenduntur, quo videlicet ea, quæ sub septo sunt, viscera, exercitationis fructum sentirent. in ambabus vero fascias quasdam adhibebant, quibus thoracem atque costas, nec non ventrem cingentes, felicius propositum assequebantur. Propositum autem habebant hujuscemodi exercitatione, modo calorem in exercitationibus acquisitum, sive ipsum nativum auctum confirmare, modo spiritualia membra juvare, modo excrementa pectoris expurgare; siquidem spiritus in tali inhibitione undique compulsus, dum in angustos se meatus recipere cogitur, eosque, si amplius trusus propulsusque fuerit, etiam penitus pertransire, extenuati jam excrementi secum nonnihil arripit; quinimo, quanto is ulterius per vim coactus impellitur, tanto magis ab ipso quædam impelluntur quidem, quæ ante occurrunt, attrahuntur, quæ ad latus sunt posita, impetu ipso motus utraque coacta: ut nemo his rationibus perspectis mirari debeat, quod Erysimachus medicus in convivio Platonis ad curandum Aristophanis singultum, spiritus cohibitionem in primis commendarit, quam postea (*b*) Aristoteles non solum ob antedictas causas singultum extinguere, verumetiam partes corporis interiores calefacere, pluribus verbis probavit; quod idem (*c*) Galenus, & asseveravit, & clarissima oratione confirmavit. In hunc igitur modum, atque his de caussis a gymnasticis institutam spiritus cohibitionem, legitur, quos, ut melius res ipsis succederet, etiam hanc regulam observasse arbitror, nempe ut primo leviter ac breviter, deinceps vehementius & diutius spirationem inflatis buccis contineri, imperarent, demum relaxari juberent, ita namque secundum præceptum illud Hippocraticum omnia ἐκ προσαγωγῆς agenda, antiquos medicos voluisse reperio. Athletæ autem quamvis hoc exercitationis genere forsan non uterentur, nimirum quod nullibi ad gloriam, sive spectatorum oblectationem assequendam ipsi deserviret, nihilominus eos inter cæteras obeundas exercitationes, spiritus quoq; reten-

a *Circa fin.* b *33. part. prob. 5.* c *3. de Sympto. caussis.*

tione duabus de caussis usos credo, tum ut a lassitudine recrearentur, perspirabileque simul & purum ad subsequentes labores corpus redderetur, quemadmodum (*a*) Galenus significasse videtur; tum (quod rationi magis consentit) ut majus robur in impulsionibus, compressionibus, saltibus, atque similibus ex spiritu retento compararent: in his enim omnibus agendis majores quodammodo vires effici, si spiritus detineatur, quotidie declarant onera gestantes, necnon ceteri omnes graviores operarii, quos, ut maximos labores facilius sustinere queant, spirationem cohibere cernimus, quasi ex tali retentione spiritus intus aucti, & robur crescere faciant, & impetus efficaciores reddant. Accedit his, quod, sicuti dicebat (*b*) Aristoteles, *retentus spiritus venas implet*, itaque humores exire, difflarive non patitur: unde postea retentis illis, neque laborantes sudoribus diffluunt, delassanturve, neq; vis, quam in humoribus, spiritibus, & membris solidis consistere medici omnes fatentur, ulla ex parte flaccessere, aut dimi-

a 3. *de tuend. val. cap.* 2. b 2. *partic. prob.* 1.

A nui solet. Scribit Plutarchus in libro de præceptis sanitatis, consuevisse aliptas, dum athletas fricabant, ipsis jubere, ut spiritum interciperent, sicque fricationibus contra niterentur, quasi ita partes corporis inunctas & contrectatas distenderent: quo in loco apud Græcos cum legatur πρῶντας, legendum esse τείνοντας omnis ratio persuadet: etsi bonus Erasmus, diligens nimis interpres, hoc non viderit: Ex quibus omnibus clarum efficitur, athleticam gymnasticam non parum ex spiritus retentione adjumenti capere consuevisse, quemadmodum medicinæ gymnasticos eandem quamplurimum æstimasse (ni fallor) abunde probatum est.

B Immo vero etiam athletas ostentationis, & spectatorum voluptatis gratia in spiritus retentione se quandoque exercuisse, inde conjicere licet, quod Milonem illum capite, & præsertim fronte, ac etiam costis & pectore robustis vittis ligato, tamdiu spiritum retinuisse legimus, quousque præ impetu intumescentes venæ ligamina illa discinderent: id quod satis confirmare possunt imagines, quas Ligorius inter ænea Illustrissimi



Ferrariæ Principis summi bonorum patroni signa se invenisse, atque ab eis hasce sequentes propria manu expressisse nobis significavit. In ipsis namque videre licet fascias pectori, & costis, ut meminit Galenus, circumvolutas, tum ventres atque scrota (sicut fit in validis spiritus retentionibus) magnopere inflata: cur vero sint raso capi-

C te, solis quibusdam in summo vertice capillis apparentibus, simulque halterem e brachio sinistro pendentem gerant, puto quod & servi essent, & halteribus quoque valerent, qui veluti in spiritu retinendo celebres ab artifice repræsentati fuerunt: etenim servos apud multas nationes caput rasisse legimus, quemadmodum & Dacas servitiis

nobiles, toto capite raso, atque cirro tantum in summo vertice relicto, incedere consuevisse, memoriæ proditum est.

CAP. VII.

De Vociferatione, & Risu.

INter ceteros, quos plurimos atque necessarios in humana vita usus habet spiratio, non infimum locum obtinuit *vociferatio*: quæ cum nil aliud sit, quam aeris vehemens percussio, tam materiam, quam effectorem, & formam, vel a respiratione sola, vel saltem non absque ipsa suppeditari, Aristoteles & Galenus præclarissimis in editis commentariis probarunt: & iccirco non ab re futurum esse duxi, si, postquam de spiritus retentione verba feci, statim vociferationis tractationem subjungerem. Neque enim ab hac me removere debuit, quod Galenus medicorum princeps aut nulla, aut quam paucissima de vociferatione scriptis tradiderit, quasique eam inter exercitationes numerari debere non censuerit: quandoquidem Antyllus apud Oribasium medicus celebratissimus non modo eam exercitationem esse voluit, verumetiam cum ad morborum diversorum curationem, tum ad vocis ipsius cultum valde æstimatam fuisse scripsit: quemadmodum item (*a*) Ætius Amidenus, & (*b*) Avicenna Arabs uno ore posterioribus seculis comprobarunt. Nunquid vero athleticæ professores, aut militaris disciplinæ studiosi hoc exercitationis genus in usu haberent, etsi apud nullum auctorem notatum adverterim: persuasum tamen mihi est, neutros horum vociferationem tanquam propriæ ipsorum professioni aut convenientem aut saltem necessariam exercuisse. Quod si dicat quis, & athletas in certaminibus, & milites in pugnis conferendis clamoribus non sine utilitate usos, quando (*c*) Cæsar haud frustra antiquitus institutum fuisse scribit, ut in bello committendo signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus, & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt: propter hoc minime sequitur, vociferationis exercitationem, de qua nos agimus, militari disciplinæ addiscendæ conferre. Duo solum hominum genera vocis exercitationi sedulo operam dedisse reperio, histrionicæ videlicet professores, & medicorum gymnasticos. Histrionicam enim profitentes, sub quibus præcones, choristas, tragœdiarum & aliarum fabularum similium recitatores, necnon vocibus certantes colloco, vociferationibus exerceri solitos, locupletissimus testis est Plato in Ione, & (*d*) Aristoteles in problematum libris, in quibus legitur, Phrynici, nec non etiam antiquioribus temporibus tragœdias, comœdias, dithyrambos, atque leges ipsas cantu recitari consuevisse: ob quod vocis exercitatio tantæ existimationis fuit, ut, sicuti de athletica monstravimus, publicæ vociferationis certamina a (*e*) Cælio Aureliano sub modulationis agonisticæ nomine intellecta, propositis victori præmiis, instituerentur: quem morem usque ad Galeni tempora perdurasse, ex eo conjicere possumus, quod VII. de medicamentorum composit. secundum locos libro multa medicamenta recenset, quibus antiqui medici in iis, qui voce contendere debebant, tum ante, tum post certamen utebantur, ubi similiter narrat, tempore suo phonascos omnes, citharœdos, scilicet præcones, nec non tragœdiam ac comœdiam personatos repræsentantes, qui magno vocis exercitio utebantur, si quando vocem contendendo oblæsissent, balneis multis, & cibis levibus, atque laxantibus uti solitos. Ex quibus verbis cuivis intelligere licet, non modo histrionicæ professores voce & cantu (quod dixit (*a*) Plato) simpliciter in recitandis drammatibus, rhapsodiis, aliisve imitationibus suis, verumetiam alta voce usos, atque iis interdum uniformibus, interdum variis & mutatis, veluti in tragœdia ad mœroris calamitatisque magnitudinem augendam factum olim, scribit (*b*) Aristoteles. Quare mirari debet nemo, quod (*c*) Cornelius Celsus memoriæ prodiderit, apud nonnullos morem fuisse, vocis gratia adolescentulos infibulare, quandoquidem illi, qui histrionicæ operam navare sibi proposuerant, cum opus magna voce haberent, ad evitandam venerem, a qua summopere illa labefactatur, infibulatione non parum juvabantur, & ideo ipsa in tam frequenti usu recepta erat, ut omnes fere comœdi, aliive histriones infibularentur: quemadmodum (*d*) Martialis attestari videtur his versibus, in quibus de duobus histrionibus verba facit.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.

& paullo post:

Dum ludit media populo spectante palæstra,
Heu cecidit misero fibula, verpus erat.

& quemadmodum (*e*) Juvenalis insinuat, ubi scribit:

Solvitur his magno comœdi fibula.

(*f*) &

Si gaudet cantu, nullius fibula durat,
Vocem vendentis prætoribus.

Satis itaque constat, vociferationis exercitium majorum nostrorum temporibus in usu extitisse histrionibus, magistrosque phonascos, sicuti artem phonasciam a Theophrasto fuisse appellatam. Sed ubinam locorum perageretur, & cur institutum foret, quid apud probatos auctores legerim, in medium afferam. De loco certum est, tam Græcos, quam Romanos locum secundum (*g*) Pausaniam imagine theatri constructum habuisse, in quem deferebantur poemata priusquam in theatro agerentur, & ex quo certamina musica spectabantur, ᾠδεῖον a Græcis, a Latinis ipsis *odeum* vocatum, in hoc vocis exercitationes, atque certamina prædicta effici consuevisse existimo, quando (*h*) Suetonius Tranquillus Neronem, musicum certamen instituisse, Domitianumque odeum, ubi præter citharœdos, chorocitharistæ, atque psallocitharistæ certarent, excitavisse scribit: quamquam alibi quoque, & præsertim in gymnasiorum exedris, in quibus philosophos & rethores disputare solitos accepimus, veteres vociferationibus certasse, se ipsosque exercuisse suspicor, cum ad formandas excolendasque voces alios in concavis locis, alios prope maris littora, ut de Demosthene fertur, vociferari, legere, cantare consuevisse legamus; quem Demosthenem cum lingua ob spiritus imbecillitatem hæsitaret, *Neoptolemo histrioni decem millia drachmarum*

a *Lib. 1. ser. 3. c. 5.* b *lib. 1. fen. 3. doc. 2. c. 2.* c *3. de bello civili.* d *11. & 19. partic.* e *lib. 5. chro. cap. ult.*

a *In Ion.* b *19. partic. prob. 6.* c *lib. 7. c. 25.* b *lib. 7. epigr. 82.* e *Sat. 6. vers. 7[illegible].* f *Ibid. vers. 377.* g *In Atticis.* h *In ejus vita cap. 12.*

A *numeraſſe, ut eum uno ſpiritu verſuum periodos proferre faceret;* auctor eſt Plutarchus in decem oratoribus. Porro finis, cujus gratia hujuſcemodi exercitationes veteres in uſum provexerint, multiplex fuit, ſicut a(*a*) Platone, (*b*) Ariſtotele, ac(*c*) Plutarcho intelligere poſſumus: nam vociferationibus exercebantur, vel ut in choris, in Sophiſtarum ac aliorum ad hoc inſtitutis certaminibus, in dithyrambis τὰς ἀντιςρόφας ſive adverſarios ſuperarent, vel ut in ſcena & theatro quiſque munere ſuo cum laude fungeretur. Ceterum an eodem tempore vociferationis exercitatio, & ad hiſtrionicum, & ad medicum uſum tracta B fuerit, haudquaquam certo ſcio: ſed cum animadverterim, (*d*) Cornelium Celſum inter exercitationes imbecilli ſtomacho conferentes, claram lectionem commendaſſe, ſimiliter & (*e*) Cælium Aurelianum antiquum inter Latinos medicum in dolore capitis vocis exercitium, *anaphoneſin* a Græcis vocatum, probaſſe, nec non in vocis amputatione, & aliis morbis exercitium idem adhibito præceptore adminiſtrandum conſuluiſſe, ad credendum adducor, ætate illa vocis exercitationem in medicorum gymnaſtica locum habuiſſe, atque ipſos gymnaſtas vocem exercendi, modos, tempora, & regulas calluiſſe: tametſi poſtea Plutarchi C atque Antylli temporibus ipſa majus incrementum ſuſceperit: nempe quando pluribus jam experimentis comprobatum erat, exercitationem vocis rite initam non modo ad vocis conſervationem, & ad aliquorum morborum curationem, ſed etiam (quod ait (*f*) Plutarchus) ad tuendam bonam valetudinem, & ad corporis robur verum efficaciſſimam eſſe, utpote quæ thoracem ac vocalia inſtrumenta perbelle exerceat, naturalem calorem excitet, partibuſque maxime vitalibus, & principaliſſimis vim internam, vigoremque firmum & genuinum inferat: ob quæ fortaſſe refert D (*g*) Galenus Theſſallum illum, ætate Neronis, ut ſcribit (*h*) Plinius, magna exiſtimatione habitum & a ſe ipſo *jatronicem* appellatum, eam etiam curandis malignis ulceribus adhibuiſſe. Modus autem quo hujuſcemodi exercitatio peragebatur, talis a Cælio Aureliano in capite de furore proditur, *quod principia leni voce promebantur, narratio vero & demonſtrationes extenta, atque majore*, tum *epilogus demiſſa & indulgenti*; quem vero Antyllus indicavit, erat quod, *cum alvum dejecerat, primo leniter fricabantur, ac præcipue inferiores partes facieſque ſpongia aut madefiebat, aut abluebatur, deinde prius ſenſim, ac per intervalla mediocria loqui incipiebant, nonnunquam prius deambulabant, poſt vero ad vocifera*E*tionem accedebant, in qua doctrinæ expertes ea dicebant, quorum meminerant, quæve clara & multas habere lenitatis & aſperitatis mutationes habere videbantur: ſin autem verſus ſciebant, jambicos dicebant, & tertius locus Elegiæ dabatur, quartus modulis & numeris, atque in his omnibus præſtantius judicabatur memoria recitare, quam legere*, & ut admonuit (*i*) Plutarchus, *mediocribus potius, quam nimis commotis vociferationibus & jurgioſis clamoribus uti: in primis vociferabantur, vocem quam graviſſimis fieri ſonis poterat,* F *producendo, tum ad acutiſſimos eam redigendo: deinde cum non multum in acuto ſono permanſum foret, retro viciſſim reflectebant, paullatim vocem diminuendo, donec ad graviſſimam, a qua ductum initium erat reverterentur*: atque hunc in modum tota vocis exercitatio abſolvebatur, adhibita interim ratione virium, alacritatis, conſuetudinis, & denique aliorum, de quibus Plutarchus in libro, quem de conſervanda valetudine inſcripſit, copioſe diſſeruit: ea autem omnia agebant tam accumbentes, quam ſedentes, aut ſtantes: ut hac ratione loca ampla hujuſcemodi exercitationi minime neceſſaria judicaverit Socrates. Ad hoc pertinet & illud, quod a Plinio lib. XXXIV. cap. XVIII. relatum eſt, *Neronem principem lamina pectori impoſita ſub ea cantica exclamantem alendis vocibus demonſtraſſe rationem*. Et quoniam diximus, in hoc exercitationis genere, quartum locum numeros & modulos obtinuiſſe, merito quis a nobis ſciſcitari poſſet, qua ratione illud factum credamus, cum Plato compluribus in locis diverſam & pene contrariam gymnaſticæ muſicam effecerit, quod altera animum, altera corpus reſpiciat. Cui reſpondendum eſſe judico, muſicam prout ex rythmis, melodiis harmoniiſque compoſita eſt, omnino a gymnaſtica ſeparari, quia ſic animorum ſolatio atque jucunditati ſolummodo ſtudet, moreſque hominum aliquo pacto componere apta eſt: ob quod eam Plato & Ariſtoteles in optimis rebuſpublicis pueris addiſcendam ſtatuerunt. Quatenus vero muſica ipſa voce utitur, & modo graves, modo acutos, modo medios ſonos, qui non ſine aliquo corporis labore eduntur, admittit, in gymnaſtica eam locum obtinere perſpicuum ſit: cujus rei illa aſſignari ratio poteſt, quod muſica tota ordinatis vocis motibus plena exiſtit, qui ſecundum (*a*) Ariſtotelis ſententiam, naturam, vireſque noſtras & augent, & ſervant: ut hac de cauſa nemo inficiari debeat, quin muſica, perinde ac vociferatio gymnaſticæ, medicorum exercitatio quædam reputetur, quando id (*b*) Cælius Aurelianus medicus ſæpe teſtatum fecit, & præcipue dum in furore, atque in catarrho, vocisve abſciſſione curandis modo vocis exercitium muſico monitore compoſitum, modo anaphoneſin adhibito præceptore, & temporum ordine ſervato, modo eandem ſub magiſterio aliptæ, vel muſici præcipientis iucundam præcipit. Ad hæc gemitus quoque inter gymnaſticas vocis exercitationes recenſeri debere cenſeo, nempe qui ultra clamores, atque ululatus, quos fere ſemper ſibi aſſociatos gerunt, lacrymas quoque eliciendo, excrementa capitis aliarum multarum exercitationum inſtar exinanire poſſunt. Et iccirco (*c*) Ariſtoteles jure eos improbandos eſſe voluit, qui pueris lege ploratus prohibent: ita enim ab ipſo ſcriptum invenitur: *Τὰς δὲ διατάσεις τῶν παίδων καὶ κλαυθμοὺς, οὐκ ὀρθῶς ἀπαγορεύουσιν οἱ κωλύοντες ἐν τοῖς νόμοις. συμφέρουσι γὰρ πρὸς αὔξησιν. γίνεται γὰρ τρόπον τινὰ γυμνασία τοῖς σώμασιν, ἡ γὰρ τοῦ πνεύματος κάθεξις, ποιεῖ τὴν ἰσχὺν τοῖς πονοῦσιν, ὃ συμβαίνει καὶ τοῖς παιδίοις διατεινομένοις*: id eſt: ***Puerorum vero diſtenſiones atque ploratus, qui in legibus probibent, baud recte faciunt, conferunt enim ad incrementum, cum ſint quodammodo exercitationes corporum, ſpiritus namque cobibitio laborantibus robur parit, quod etiam pueris inter plorandum diſtenſis contingit***. Ex quibus plane patet Ariſtotelem plorum & exercitationem, & utilem exercitationem cenſere. Nam & (*c*) Cicero *athletas inter exercendum ingemiſcere conſueviſſe* memoriæ mandavit, quaſi illud ad augendas actionum vires non parum adjuvaret. Riſum pariter ſi quis inter vocis exercitationes adnumeret, minime judicio meo hallucinabitur, quod (ſive is titillatio præcordiorum exiſtat, quemadmodum

a *In Protag.* b *19. partic. problemat.* c *In lib. de ſan. tuenda.* d *Lib. 1. c. 8.* e *Lib. 1. chro. c. 1. & lib. 2. cap. 6.* f *In lib. de tuend. valet.* g *4. Method.* h *Lib. 29. cap. 1.* i *In lib. de tuend. valet.*

a *19. partic. Prob. 38.* b *lib. chron. c. 5. & lib. 2. cap. 6. & 13.* c *5. Polit. cap. ult.* d *2. Tuſc. quæſt.*

(*a*) Aristoteles sensit, sive, ut est apud (*b*) Meletium, motio, quæ in facie existentes musculos distendat, sive muscularis dilatamenti motus, qui a spiritus agitatione ab intimis visceribus impellitur, sive quid aliud sensum atque intellectum humanum latens) proculdubio illum corpora nostra agitare, & non parum exercere apparet. Quis enim non videt hominibus, dum rident, tota viscera commoveri, ignescere faciem, caput & pectus concuti? innumerisque fere affectionibus eorum statum affici, quæ sicuti nonnullis aliquando magna detrimenta, aliquando mortem attulerunt, ita quoque alios non parum juverunt: ut falsum dixisse apud (*c*) Xenophontem Aglaitadem illum ferme constet, qui risum moventes neque ridentium animis, neque corporibus prodesse credidit.

CAP. VIII.

De Cricilasia, Trocho, Petauro, & Pilamalleo.

SI ea omnia, quæ antiquis temporibus usitata, ac, ut sic dicam, pervulgata erant, aut ad nos per manus tradita, sicut de anatomica arte narrat (*d*) Galenus, pervenissent, aut ab auctoribus scriptis mandata non interiissent, multos profecto labores, quos homines quotidie in obscuris, ac antiquatis rebus ad lucem revocandis sustinent, citra ullam jacturam effugissent: sed quoniam alia temporis diuturnitate asperitateque obsoluerunt, alia difficili obscuritate depravata sunt, alia scriptorum interitu defecerunt, alia communi quadam seculorum negligentia nunquam proprium nitorem recuperarunt, hinc factum est, ut in dies cogantur homines obsoleta renovare, depravata reformare, abolita reficere, tandemque neglectis & deturpatis splendorem restituere, nec non in tanta obscuritate coacti, somniantes quandoque a veritate procul aberrare: inter quos cum ego quoque similem provinciam susceperim, qui artem gymnasticam olim in magno pretio habitam, nunc penitus obscuratam & emortuam ad lucem reducere studeo, mihi tanto majore excusatione dignus videor, quanto pauciores, aut fere nulli scriptores supersunt, a quibus institutum meum dirigi queat, ne sileam plurima exercitationum genera, quæ quod temporibus nostris desueverint, veterumque peragendis eas ratio non habeatur, quomodo fierent, qualesve essent, divinandum est potius, quam certi quidquam affirmandum. Quemadmodum de cricilasia atque trocho contingit. Nam κρικηλασίας, quæ *circuli impulsum* latine sonat, modum atque figuram tametsi (*e*) Oribasius ex Antyllo explicasse videatur, tamen res ipsa usque adeo tenebris involuta est, ut perarduum omnino cuivis erudito fiat, talis exercitationis formam & conditiones dignoscere. Sed ne quis nos vel crassæ ignorantiæ, vel temeritatis, vel timiditatis, vel arrogantiæ crimine juste notare queat, ipsius Oribasii verba Græca ex Vaticano codice descripta in medium adducam, quæ ita in libro (*f*) Collectaneorum VI. ad Julianum leguntur: Ἐλλάσσονα δὲ ἐχέτω ὁ κρίκος τὴν διάμετρον τοῦ μήκους τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε τὸ ὕψος αὐτοῦ μέχρι τῶν μαστῶν ἐξικνεῖσθαι, ἐλαύνεσθαι δὲ μὴ κατὰ μῆκος, ἀλλὰ κατὰ πεπλαγιασμένον, ἔστω δὲ ὁ ἐλατὴρ σιδηροῦς ξύλινον ἔχων τὴν λαβήν, τοὺς μέντοι λεπτοὺς κρίκους τοὺς περικειμένους τῷ τροχῷ ᾠήθησαν τινὲς εἶναι περιττοὺς, τὸ δὲ οὐχ οὕτως, ἔχει ἀλλ' ὁ ψόφος ὁ γινόμενος ἐξ αὐτῶν διάχυσιν ἐργάζεται, καὶ ἡδονὴν τῇ ψυχῇ, Id est, *Habeat vero circulus diametrum hominis longitudine minorem, ita ut ipsius altitudo usque ad mammas pertingat, neque secundum longitudinem, sed in transversum impellatur, sit autem impulsor ferreus ligneam ansam habens. Nonnulli tenues annulos rotæ circumpositos supervacaneos esse putarunt: at hoc minime ita se habet, quinimmo sonus ab ipsis genitus relaxationem, atque voluptatem animo parit.* Ex quibus verbis clare patet, in hac exercitatione homines circulum quendam magnum, cujus circumferentiæ annuli parvi infixi erant, quadam ferrea virga ansam habente in transversum latus impellere consuevisse, a quo ducta metaphora M. Cicero II. epistolar. ad Atticum IX. scripsit: *Festive, mihi crede, & minore sonitu quam putaram orbis hic in republica est conversus*, sed cum hac ætate in usu non habeatur, possumus sane aliquid divinare, at ejus formam & conditiones penitus cognoscere minime licet: quod enim trochus Græcus fuerit, de quo Horatius lib. III. carminum. Ode XXIV.

Seu Græco jubeas trocho.

fieri quidem potest, at ob hoc nil amplius certi habebitur, cum & ille æque sit nobis ignotus. Quod item *petaurum* fuerit, aliquis fortasse in animum induxerit suum; verumtamen rem secus se habere facillime perspiciet, dum scire velit, id *machinam quandam ligneam fuisse, qua homines rotis quibusdam in aerem jactabantur*, ut, præter nominis illud indicantis vim, testatus est tum Lucilius, cum dixit, *Sicuti mechanici cum alto exiluere petauro*, tum etiam Juvenalis Sat. XIV. hoc versu:

An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quique solent rectum descendere funem.

& Martialis lib. XI. epigr. XXII.

Quam rota transmisso toties impacta petauro:

unde genus hoc exercitationis delectabilis minime cricilasiæ assimilari patet: quamquam credo petauro valde similem esse jactationem illam, quæ hodie apud multas puellas & pueros efficitur, assere funibus quatuor ad laquearia suspenso, & ibi sedentibus pueris, aut puellis veluti per aerem jactatis: quod genus sub oscellarum appellatione a veteribus significatum puto: atque id forsan est, cujus meminit Avicennas prima quarti tract. II. cap XIII. ubi ad coercendum sudorem laudat, ut æger ponatur super instrumentum, quo pueri, vel juvenes solent in aere concuti: etenim Ælius Stilo apud Festum ait, *petauristas* dici proprie Græce, quod ii πρὸς ἀέρα, vel πρὸς αὔρας πέτονται, sive, quod *ad aerem*, vel *ad auras* volent: quod exercitationis genus etiam in ludis gymnicis usurpatum fuisse apud Thracas, Ægyptios, aliosque populos ex historiis unicuique perspectum esse potest. Nec minus istud indicant Augusti, atque Tiberii Cæsarum nummi, in quibus hunc in modum oscellarum ludus repræsentatur. Qui licet ab hodiernis oscellis diversus sit, quo ad modum, nihilominus re ipsa nequaquam distare facile perspicitur: quod in aere videatur non secus lusores quassari solitos fuisse, atque nunc agunt, qui

a 2. *de part. animalium, & 35. par. probl. 6.* b *In lib. de* [illegible] c *In* [illegible] *Cyri.* [illegible] d 2. [illegible] *adm.* [illegible] *princ.* e *Lib. collect. 6. cap. 16.* f *cap. 26.*

qui similiter exercentur. Sago pariter consuevisse jactare sese in aera, præter (*a*) Martialem id hoc versu testantem,

Ibis ab excusso missus in astra sago.

est etiam testimonium Salviani & Suetonii in Othone, qui eo motu ipsum fuisse delectatum scribit libro VI. de vero jud. cap. IV. V. *ut sago in sublime jacularetur.*

Neque forsan prorsus absonum est raptorium illud machinamentum a (*b*) Cælio Aureliano *macron sparton* vocatum, vel ipsummet petaurum, vel saltem non ei dissimile fuisse. Jam vero si quid apud Latinos auctores legitur, quod cricilasiæ æquiparari queat, id profecto est trochus, quem (*c*) Martialis ita pluribus in locis descripsit.

a *Lib.* 1, *epigr.* 3. b 5. *chron. c. ult.* c *Lib.* 14. *epigr.* 68.

A

Inducenda rota est, das nobis utile munus,
Iste trochus pueris, at mihi cantus erit.

(*a*) &

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat at argutis obvia turba trochis.

(*b*) &

Lydia tam laxa est, equitis quam culus aheni,
Quam celer arguto qui sonat ære trochus.

B in trocho namque primo erat circulus, & in circulo annulus, qui sono spectatoribus voluptatem afferebat; aderat & impulsor cum ansa, a (*c*) Propertio *clavis* vocatus, ubi dixit:
Increpat & versi clavis adunca trochi.

a *Ibidem.* b *Lib.* 11. *epigr.* 22. c *Lib.* 3. *Elegia* 12.



quæ omnia Antyllus in cricilasia sua appositissime depinxit, nisi quod Antyllus circulo tenues annulos, non annulum circumpositos tradit, præterea cricilasiam virorum exercitationem effecit. Martialis autem puerilem quendam ludum trochum fuisse significavit, quinimmo apud Xenophontem in Convivio de muliere psaltria narratur, quod *in saltando missos plures trochos exciperet, simulque saltans eos projiceret in altum, &*

C *rursum concinne exciperet*, quanquam dubitari potest, ne is trochus valde ab hoc nostro discreparet. His ergo duabus postremis rationibus adductus in eam sententiam venio, quod cricilasia exercitatio aliquo pacto diversa a trocho Latinorum extiterit; propter hoc tamen quid trochus foret, minime quidquam affirmare audeo, licet certo teneam, illud genus turbinis, quem loro baculo alligato emissum pueri in orbem rotare fa-

ciunt, & deinde plagis rotatum impellunt certatim, quemve Græci *βέμβικα* nuncupant, ut ex hoc antiquo epigrammate;

Οἱ δ' ἄρ ὑπὸ σκυτάλαισι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.

Id est;

At pueri scytalis ludentes turbine acuto
Vertebant lato quisque suum in trivio.

Et quem appositissime descripsit (*a*) Virgilius his versibus;

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubisque manus mirata volubile buxum
Dant animos plagæ, ——

minime trochum esse, ut voluerunt nonnulli, sicuti & exercitatio illa, quæ hodie supra ligneas tabulas pannis contectas una cum ligneis pileis efficitur, & *truchus* nuncupatur, trochi antiquorum apud me similitudinem parvam gerit. Nam trochus primo in publicis gymnasiis, aliisve locis peragebatur. Secundo is annulum seu annulos habebat strepitum edentes, ut homines per viam ambulantes sonitu audito longius ab incursu trochi caverent. Postremo ex ære conflabatur, atque clavem aduncam habebat: quæ omnia nec separatim, nec simul in turbine, seu trucho nostris reperiri sensus ipse docet: ut merito credere debeamus, ab his longe diversum antiquorum trochum extitisse, quem (ut ego puto) apprime repræsentat hæc figura



a Ligorio ad nos missa, quam se ex forma in vetustissimo atque amplissimo cujusdam Comici vel Satyrici poetæ monumento expressa in via Tiburtina prope Romam accepisse retulit: nisi quod præter annulos dentes quosdam circulo infixos, & mobiles monstrat: quos ad strepitum majorem edendum appositos fuisse vero consonat. Trochum autem cum Horatius inter exercitationes connumeret in arte (*b*) poetica.

Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

Cumque Propertius inter gymnasiorum exercitationes recenseat: proculdubio ad gymnasticam a-

a 7. *Æneid.* b *Paullo ante finem.*

A liquam pertinuisse, consentaneum rationi videtur: & ob id cum neque militari, neque athleticæ jure attribui queat, superest medicinæ gymnasticæ exercitationem fuisse, & illius præsertim, quæ pueris exercendis operam navabat. Posset tamen existimari etiam ad militarem aliquo pacto pertinuisse; quod referat Ammianus Marcellinus lib. XXI. Julianum Cæsarem *apud Parisios variis sese exercuisse motibus in campo, & inter alios quodam, quem dum faceret, axiculis queis orbis erat compaginatus in vanum excussis, ansam remansisse illam, quam retinens valida manu stringebat:* ex quo loco Turnebus summi judicii & eruditio-
B nis jure censuit ejusmodi exercitationem fuisse trochum. His dissimilem formam habet exercitationis illud genus, quod, non multis ab hinc annis in Regno Neapolitano inventum, hodieque in universa fere Europa usitatum, apud Italos *pilam & malleum* vocant: in hoc etenim primo brachia & dorsum exercentur, quando malleis ligneis pilam ligneam longe pellere coguntur: demum ex ambulatione, quæ tali exercitationi perpetuo associatur, ea commoda fere trahuntur, quæ ambulantes homines percipiunt: ut his rationibus, licet antiquum non sit, minime contemni merea-
C tur: quamquam aliquis antiquos etiam hac exercitatione non caruisse forsan contendat, cum apud (*a*) Avicennam inter ceteras exercitationes unum nominetur, quod virgis retortis dictis *alfulegian* cum pila magna, aut parva lignea efficiebatur, quæ conditiones apprime nostra pilamalleo convenire unusquisque videt, nisi alias tacuerit Avicenna, quod suo tempore notissimæ essent.

CAP. IX.

De Equitatione.

D Hactenus eas exercitationes prosecuti sumus, quas homines a seipsis citra alterius rei adjumentum obibant. Superest de iis modo sermonem habere, in quibus homines quidem sponte, & quodammodo libere movebantur, at eorum motus alterius moventis ope perficiebantur: quod enim (*b*) Galenus istis duobus addidit genus exercitationis a medicamentis factum, minime ad institutum nostrum pertinet: ideo illud semper dimissum hac ratione intelligatur. Inter hæc postrema primum locum jure sibi vindicat *equitatio*, a Græcis medicis *ἱππασία* vocata, nempe quæ ceteris dignior sit, & liberum hominem,
E ut scripsit in Lachete Plato, maxime deceat, nec non utriusque exercitationis naturam, illius scilicet, quæ a nobis ipsis, & illius, quæ ab aliis in nobis peragitur, secundum Galeni sententiam sapiat. Equitationis primum inventorem Bellerophontem extitisse, auctor est (*c*) Plinius: post Bellorophontem Thessali, ob id Centauri nuncupati, equitatione in bellis uti cœperunt, quæ paulatim usque adeo crevit, ut (*d*) Hippocratis tempore omnes fere Scythæ equis veherentur: qui cum ob assiduas equitationes coxarum doloribus cruciarentur, per venarum post aures incisionem
F ab illis curati, ad coitum valde impotentes evadebant; quamquam multi erant infœcunditatem eam a Diis proficisci suspicantes, quos Hippocrates redarguit, quod divites semper diis amici, pauperes vero minime sint, (ut etiam (*e*) Aristoteles id ab Hippocrate mutuatus confirmavit) & propterea æquum fuisse potius inopes, quam opulentos eo vitio corripi, cujus ta-

a *loc. citatis.* b *3. de tuend. valet. cap. 11.* c *lib. 7. c. 56.* d *Lib. de aere, aquis, & locis.* e *1. Rheto.*

tamen contrarium eveniebat. Post Hippocratis tempora equitatio semper quemadmodum in Hippia a Platone traditur, in maxima existimatione habita fuit, & idcirco omnes gymnasticæ species eam inter reliquas suas exercitationes receperunt. Nam quod in circis & ludis majores nostri equitationis certamina adhiberent, præter Olympicos ludos, in quos vicesima quinta Olympiade equorum cursus certamen inductum tradunt; testatum facere possunt quatuor illæ Romanæ factiones, *albati* scilicet, *russati*, *veneti*, & *prasini*, quæ tum in circis, tum in ludis, ac aliis equestribus certaminibus adhibitis equis, sive ad equitationem, sive aurigationem semper certabant, tantumque studium equis optimis eligendis ac parandis exhibebant, ut (*a*) Galenus dixerit, venetæ, ac prasinæ factionis homines etiam stercora equorum odorare solitos, quo ex illis animalium habitus, atque temperaturas internoscere, & cognitis inde melioribus uti valerent, siquidem harum factionum contentiones potiundi victoriæ caussa tales erant, quæ nec ullis sumptibus, nec ullis laboribus ac studiis parcere quemquam permitterent: eo magis quod tota urbs quasi quadripartita erat, aliis uni, aliis alteri factioni faventibus, nec ulla pars civitatis reperiebatur, aut ullus hominum conventus, in quibus certaminum tempore de hujuscemodi factionibus aut studiosissime non disceptaretur, aut saltem sermo non haberetur, quemadmodum ex Plinii sexta noni libri Epistola, atque his (*b*) Martialis versibus quisque conjectura assequi potest.

Sæpius ad palmam prasinus post fata Neronis
Pervenit, & victor præmia plura refert.
I nunc, livor edax, dic te cessisse Neroni,
Vicit nimirum non Nero, sed prasinus.

& Lib. 10. epigr. 48.

De prasino conviva meus, venetoque loquatur.
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

quamquam (*c*) Juvenalis majorem Romanæ civitatis partem prasinæ factioni favisse tempore suo, quando Martialis quoque floruit, testari videatur his versibus.

Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mœstam, attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus, ——

Has vero in favendo diversis factionibus hominum acerrimas contentiones inde ortas semper existimavi, quoniam Romanorum quorumlibet vestimenta quatuor duntaxat coloribus texebantur, vel rubeo, vel albo, vel veneto, sed præcipue rubeo magis fusco, ut (*d*) Martialis hisce versibus indicat, de Canusina lana rubea fusca sermonem habens:

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibusque color.

& ob hoc quicumque ei factioni favere cogebantur, quæ sibi similem colorem profitebatur. Etsi A huic sententiæ reclamare videantur ea (*a*) Ovidii verba.

Cujus equi venient, facito studiose requiras,
Nec mora: quisquis erit, cui favet illa, fave.

Sed de equitatione ludorum & spectaculorum, quam & athleticam vocare licet, plura non dicam: quoniam eruditissimus Panvinus luculentissime simul & copiosissime in libris de ludis, quos jam edere parat, universam hanc materiam pertractavit. Ad bellicam gymnasticam accedo, quam ad acquirendam equestrem pro bellis disciplinam equitationis exercitio usam fuisse, locupletissime testatus est (*b*) Plato: ubi non modo viros equis armatos, B atque inermes exerceri statuit, verum puellis quoque tales exercitationes inire concessit, easque inter ceteras bellicæ gymnasticæ species, sive partes evidenter collocavit, sicuti (*c*) Xenophon pariter sentire videtur, apud quem Ischomachus vitæ suæ rationem Socrati exponens sic loquitur: Μετὰ δὲ ταῦτα ὡς τὰ πολλὰ ἀναβὰς ἐπὶ τὸν ἵππον ἱππασάμην ἱππασίαν, ὡς ἂν ἐγὼ δύνωμαι ὁμοιοτάτην ταῖς ἐν τῷ πολέμῳ ἀναγκαίαις ἱππασίαις, οὔτε πλαγίου, οὔτε κατάντους, οὔτε τάφρου, οὔτε ὀχετοῦ ἀπεχόμενος, ὡς μέντοι δυνατὸν ταῦτα ποιοῦντα, ἐπιμέλομαι μὴ ἀποχωλεῦσαι τὸν ἵππον: id est. *Post hæc autem equum adscendens ut plurimum, equitationem il-* C *lis, quæ fiunt in bello necessariis equitationibus, quam per me fieri potest simillimam exerceo, modo per transversum, modo per declive, modo supra fossas, modo supra aquæ rivos illum agens, atque hæc facientem equum, ne claudum reddam valde studeo.* Quæ verba, postquam multis aliis ejus vivendi rationem declarantibus addidisset Ischomachus, ei tandem Socrates ita responsum dedit: Νὴ τὴν Ἥραν ὦ Ἰσχόμαχε ἀρεσκόντως γέ μοι ταῦτα ποιεῖς, τὸ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ συνεσκευασμένως χρῆσθαι τοῖς τε πρὸς τὴν ὑγιείαν καὶ πρὸς τὴν ῥώμην παρασκευάσμασι, καὶ τοῖς εἰς τὸν πόλεμον ἀσκήμασι, D καὶ ταῖς τοῦ πλούτου ἐπιμελείαις, ταῦτα πάντα ἀγαθά μοι δοκεῖ εἶναι. Hoc est. *Per Junonem o Ischomache sic agendo mihi places, quandoquidem uno tempore collectim sanitati atque robori acquirendo operam navas, necnon ad bella te exerces, divitiisque accumulandis invigilas, quæ omnia admiratione digna mihi plane videntur.* Ex his enim & Ischomachi, & Socratis sermonibus clarissimum argumentum elicitur, antiquos ad bellicas disciplinas comparandas equitationibus usos. Quod vero medicorum gymnastæ equitationes ad sanitatem recuperandam tuendamve, necnon ad optimum corporibus habitum ingenerandum adhibe- E rent, præter Socratis modo citatam orationem, unum (*d*) Galeni testimonium sufficere deberet: qui inter reliquas gymnasticæ exercitationes minime infimum locum eam obtinere, cum nedum corpus, sed etiam sensus exerceat, scribit: nisi quoque Antylli, Ætii, & postremo (*e*) Avicennæ comprobatio accederet, qui tam equis, quam camelis vectari inter opportunas exercitationes reposuit: nam & Germanicum Tiberii Imperatoris nepotem, cum crurum tenuitate deturparetur, equitatione a medicis imperata illam curasse memoriæ prodidit Suetonius: ut hoc exemplo persua- F si credere debeamus, equitationem tanquam utilissimam a medicis semper magnopere existimatam fuisse; quamvis & apud ipsos valde referret, numquid mulo, an equo veherentur, & illis an gradariis, an asturconibus, an succussatariis, an concurrentibus: quorum omnium diversas operationes suo loco explanabimus.

a 7. *Metho.* b *lib.* 14. *epigr.* 34. c *Sat.* 11. *vers.* 195. d *Lib.* 14. *epigr.* 27.

a 1. *de arte am ndi.* b 8. *de leg.* c *In Oecon.* d 2. *de tuend. val. cap.* 11. e *loc. cit.*

CAP. X.

De Curuli vectatione.

DIximus duo eſſe exercitationum genera, alterum in quo homines a ſe ipſis ſolum moventur, alterum ab aliis, ſive, ut Ariſtotelis more loquar, alterum in quo ſuapte natura, alterum in quo alio movente ſeſe exercentes moventur. De primo ſuperius tractavimus, de altero quod *geſtatio* a Cælio Aureliano & Plinio communi nomine, ab Antyllo, Herodoto, Galeno, aliiſque antiquioribus medicis Græcis αἰώρα vocatur, in ſequentibus verba facere polliciti ſumus: atque jam de equitatione, quam (*a*) Galenus mixtum motum fecit, ſermonem explicavimus: ad alia igitur tranſeuntibus prima ſeſe offert *in curribus vectatio*, quam antiquiſſimam fuiſſe, nemo inficiatur, ſiquidem, ut Arati vetuſtus interpres teſtatur, primus, qui equos curribus junxerit fuit (*b*) Erichthonius, quem ob id inter cælitum imagines relatum ſcribit Manilius primo aſtronomicorum. Porro forma & modus curruum diverſus extitit. Nam (*c*) Plinius materiam curribus faciundis idoneam abietem probat, rotarum vero axibus ilicem, fraxinum, atque ulmum. Unde elicitur veteres ex hujuſcemodi lignis currus fabricaſſe, qui prioribus illis ſeculis duabus tantum rotis conſtruebantur, alias duas auctore (*d*) Plinio addiderunt Phryges. Scythas poſtea etiam ſex rotis currus conſtruxiſſe memoriæ tradidit vetuſtiſſimus (*e*) auctor Hippocrates: quæ rotæ Homeri temporibus ſtanno ornabantur, ac poſterioribus ſeculis non modo rotas, ſed tota vehicula ebore ornata fuiſſe, legimus apud Plautum in Aularia, ſicuti (*f*) Plinii tempeſtate tota eſſeda atque vehicula auro ac argento inſignita conſpiciebantur. Variis præterea rebus cooperta fuiſſe veriſimile videtur, plerumque autem pellibus, quemadmodum in probl. Romanis ſcriptum reliquit Plutarchus: ſicuti aliquando equis, aliquando mulis, aliquando bobus, interdum viris agi ſolita legitur. Quin (*g*) Heliogabalum non modo varia & monſtruoſa animalia, ſed etiam *mulieres nudas* curribus junxiſſe, iiſque ipſum vectum eſſe, tradunt. Hæc porro geſtatio in curribus facta olim Romæ inter mulieres in maximis deliciis habebatur: ad tantumque luxum aliquando pervenit, ut eas ipſa uti ſenatusconſulto vetare coacti ſint Romani: cujus rei gratia cum mulieres ira percitæ inter ſeſe conſpiraſſent, ne qua eorum conciperet, neve pareret, atque ita viros ulciſcerentur, Romanos mutaſſe ſententiam, atque iterum illis curribus uti permiſiſſe, ſcriptis mandavit Plutarchus. In quibus deinceps ne ſederent, neve equis per urbes veherentur, M. Aurelius Antoninus philoſophus, matronarum conſulens modeſtiæ, denuo prohibuit. Neque minus apud gymnaſticos hæc ipſa geſtatio æſtimata reperitur: quando, ſive ludos & ſacra certamina ſpectes, ſive medicorum libros perſcruteris, in omnibus ea uſitata apparebit. Quis quæſo neſcit nona & nonageſima Olympiade curruum certamen in Olympicos ludos invectum. Quis ignorat Synoridas, quibus animas noſtras Plato in Phædro elegantiſſime aſſimilavit, necnon bigas quadrigaſve curruum genera in publicis ſacris frequenter certaſſe? quod poſtea ſtudium ita apud Romanos excultum atque auctum fuit, ut pauca, vel nulla fere publica ſpectacula ederentur, quin curruum certaminibus A honorifica præmia propoſita ſpectarentur. Ob quæ refert (*a*) Plinius *in quadrigarum certamine, quod Latinarum feriis in Capitolio celebrabatur, pro præmio victorem abſinthium bibere conſueviſſe, quaſi ſanitatem in præmium dari valde honorificum arbitrarentur majores*. An vero gratia bellicæ diſciplinæ adipiſcendæ vectatione in curribus uterentur veteres, nil certi affirmare audeo. Exiſtimo tamen, cum ab Homeri ætate uſque ad (*b*) Xenophontis tempora, atque etiam poſterioribus ſeculis perduraverit mos, ut in bellis e curribus quoque dimicarent, quemadmodum in equitatione exercebantur, quo fierent bellis gerendis aptiores: B ſimiliter & in curribus ſe exercere veteres conſueviſſe, ne, cum pugnandum erat, tanquam inexercitati, & diverſorum agendi currus modorum expertes ſuperarentur. Ceterum quod medici gymnaſtici ſimilem vectationem tam pro ſanis conſervandis, quam pro aliquibus ægris curandis in uſum receperint, clariſſime teſtati ſunt Galenus, (*c*) Antyllus, Herodotus, atque Avicenna: qui non modo eam inter gymnaſticæ veræ exercitationes reponendam voluerunt, immo & febricitantibus (quod pauciſſimis exercitationibus attributum invenitur) tanquam maxime commodam celebrarunt: C hujus etenim quaſi duo genera effeciſſe videtur (*d*) Galenus, alterum, in quo homines vecti ſedebant, alterum in quo jacebant: atque utraque hæc raro in urbe, frequentiſſime per vias, & extra urbem peragebantur: iccirco ſcriptum eſt a (*e*) Plutarcho, Romanos coactos fuiſſe in Septimontii feſto prohibere, *ne ea die vehiculo uti liceret*, ut urbs, & feſti celebratio non relinqueretur. Nunquid autem ſani ſimul & valetudinarii in iiſdem vehiculis exercerentur, indicaſſe mihi videtur Herodotus, apud quem legitur, febricitantes curribus, qui manu ducuntur, nec non bigis geſtari ſolitos, atque illos a principio D per triginta ſtadia moveri, deinde ea conduplicare; hos a ſtadiis triginta, aut quadraginta initium ducere, & uſque ad ſpatium altero tanto majus progredi conſueviſſe. Sanos vero omnibus curribus, & tectis, & apertis ſine ullo diſcrimine uſos eſſe, veriſimile fit: etſi fortaſſe principes tectis potius, quam detectis vectos credere poſſumus, quando refert Dion hiſtoricus, Claudium Cæſarem dum proſpera valetudine uteretur, caputque tremulum & manus ac linguam titubantes haberet, primum omnium Romanorum vehiculo undique obtecto geſtatum eſſe, ſicuti (*f*) Plinius junior ob oculorum infirmitatem ſe aliquando uſum E illo teſtatur Epiſtolarum libro VII. ita ſcribens ad Cornutum ſuum: *Pareo collega clariſſime, & infirmitati oculorum, ut jubes, conſulo. Nam & huc, tecto vehiculo undique occluſus, quaſi in cubiculo perveni*. Ex his igitur omnibus cuique cognoſcere licet, talem exercitationem non minus ceteris gymnaſticis probatam fuiſſe, quippe quos, & non aurigas motuum omnium ex hac geſtatione contingentium facultates, & conditiones probe intellexiſſe ſcribit (*g*) Galenus: quaſi hæc exercitatio, quemadmodum & aliæ, proprios præfectos nimirum aurigas poſſideret; inſuperque F communi totius artis magiſtro ſubjiceretur, qui & modum & menſuram, & qualitatem, & tempus in ſimili exercitatione obſervanda diligenter præfiniret. Habuerunt veteres multa curruum, aut vehiculorum genera, ut *plauſtrum*, *eſſeda*, *petoritum*, *arcirnam*, *birotum*, *cantherinum*, *carrucam*, *carpentum*, *thenſam*, *ciſium*, *covinum*, *rhedam*, *pilentum*, *burdones*: quæ

a 2. *de tuend. val. c.* 11. b *Plin. l.* 7. *c.* 56. c *Lib.* 16. *c.* 42. d *Lib.* 7. *c.* 56. e *Lib. de aere aquis & locis*. f *Lib.* 34. *cap.* 17. g *Lampridius in vita Heliogab. cap.* 29.

a *Lib.* 27. *c.* 7. b *In pædia Cyri lib.* 6. c *Oribaſius lib. c.* 25. d *de tuend. valet. c.* 11. e *In probl. Romanis*. f *Epiſt.* 21. g 2. *de tuend. valet. cap.* 11.

omnia quod rotis agerentur in hoc erant similia, distabant vero modo forma, modo materia, modo magnitudine, modo aliis. At de his non est quod loquamur, cum vectatio omnium fere eadem esset, & idcirco medici cuncta sub uno currus genere sint complexi.

CAP. XI.

De gestatione in Lectica & Sella.

Lecticam atque sellam ob commoditatem potius eorum, qui vel senectute, vel morbo impediti ambulare pedibus non poterant, vel ob delicias, quibus semper homines studuerunt, inventam fuisse, quam ob aliud, non desunt qui opinentur: nec forsan sine ratione; quandoquidem nulla apparet probabilior caussa, qua inducti veteres hujuscemodi instrumenta excogitaverint, quam quod equitare, & pedibus ire nequeuntes, aliquam rem optaverint, qua domo exire, per urbes vagari, iter facere quam commode valerent: nisi dicamus, imperatores, reges, atque principes ne in faciendis itineribus a sole, a vento, pluvia, tempestate, atque similibus offenderentur, lecticas & sellas, undique obtegi & retegi aptas, invenisse, quas alii postea divites luxus ac voluptatis, sive commoditatis gratia, & postremo medici gymnastæque ad usum hominum sibi ipsis concreditorum traduxerint. utcumque sit, constat, quos nuperrime dixi medicos atque gymnastas illas ad exercenda sæpe valetudinariorum, rarius sanorum quoque corpora usurpasse. Seneca enim Epistola LV. ita de gestatione loquitur. *A gestatione cum maxime venio non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi: labor est enim & diu ferri, ac nescio, an eo major, quia contra naturam est; quæ pedes dedit ut per nos ambularemus, oculos, ut per eos videremus. Debilitatem nobis indixere deliciæ, & quod diu noluimus, posse desivimus, mihi tamen necessarium erat concutere corpus, ut sive bilis insederat faucibus discuteretur, sive ipse ex aliqua caussa spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio, quam profuisse mihi sensi.* Quæ vero tam lecticæ, quam sellæ forma fuerit, nil ita certum habetur, quin dubitare cuivis liceat, attamen verisimile est, in ea pulvinar & lectulum stratum fuisse, quod & jacere, & sedere, & prout libebat, qui gestarentur, possent: an in cæteris fuerit nostræ dissimilis, vel potius similis; credo non admodum dissimilem extitisse, nisi quod nostra a mulis, vel equis fere semper gestatur, illa antiquorum utplurimum a servis sex portabatur, atque ob id *hexaphoros* nuncupabatur, uti ex his versibus (*a*) Martialis perspicuum fit, in quibus Afrum quendam pauperem & juvenem deridet, quod lectica gestari vellet.

Cum sis tam pauper quam nec miserabilis Irus;
Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro,
Non aliter monstratur Atlas cum compare mulo,
Quæque vehit similem bellua nigra Lybin,
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro:

similiter & ubi Zoilum (*b*) carpit, quod lecticam

a *Lib. 6. epigr. 77.* b *Lib. 2. epigr. 81.*

A sandapilæ sive feretro mortuorum similem haberet.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Nam ex his liquido intelligere quisque potest lecticam fere semper a sex servis esse gestatam. (In quem usum Cappadoces Martialis, Germanos Tertullianus adhibitos scribunt) sique interdum aliquis lecticariorum numerum augere voluisset, protinus fuisse notatum, quemadmodum idem (*a*)
B Martialis indicavit, ubi Philippum quendam insanum vocat, quod ab octo servis lectica ejus ob quandam divitiarum inanem ostentationem per urbem gestaretur.

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Cum itaque lectica antiquorum ita se haberet, non modo pro sede commoda, verum etiam conciliando somno, dum claudebatur inserviebat, ut (*b*) Juvenalis testatur his verbis:

C *Namque facit somnum clausa lectica fenestra.*

tamque frequens illius erat usus, ut castra lecticariorum, qui solum gerendis lecticis, vel etiam matronis in eis deponendis ac gestandis, ut est apud Jureconsultos mentio, destinabantur, pluribus in locis haberentur, in quibus & jura ipsis dabantur, & alia in castris fieri solita agebantur, quamquam libertis omnibus lectica per urbem gestari vetitum credam, Suetonii auctoritate inductus, qui Claudium imperatorem *Harpocrati liberto lectica per urbem vehendi spectaculaque publice edendi jus tribuisse* scribit. Atqui sellam
D duplicem fuisse tradidit Antyllus, sive potius ejus interpres; alteram, in qua sedebant, quæ vel cooperiebatur, vel aperta sinebatur, & a nonnullis, veluti a (*c*) Celio Aureliano, *portatoria sella*, ac *fertorium* dicebatur, alteram in qua jacebant, primam quoque temporibus nostris videre licet, cum podagrici, divites, atque alii principes, deliciis nimis dediti, illa quotidie vehantur, qua item viros magistratum gerentes olim gestari consuevisse, atque inde *curulis sellæ*; in qua tantum sedebatur, nomen emanasse arbitror: secundam, in qua jacebant, non habemus, quod ego sciam, nisi dicamus lecticam nostram illius vicem gerere, at-
E que ipsis eandem rem significasse lecticam, & sellam, jacendo sedendove idoneam. Cui sententiæ plane subscripsisse videtur (*d*) Ætius Amidenus, qui inter gestationes, sellas omittens, solum lecticæ duplicis mentionem fecit, ejus scilicet, in qua vecti sedebant, & ejus in qua jacebant. Fuerunt igitur tum lectica, tum sella instrumenta quædam, quibus divites, senes, & qui ambulare non poterant per urbes, & in itineribus a servis vehebantur, quibusque medici gymnastici ad exercendos valetudinis gratia tam sanos, quam infirmos non raro utebantur. narrat enim (*e*) Ga-
F lenus, *Antiochum medicum jam octuagenarium, & in vivendo solertissimum, si quando longius ire vellet, modo sella, modo vehiculo gestari solitum.* Narrat similiter (*f*) Plinius Cæcilius, *avunculum suum Romæ sella vehi solitum, ne cæli asperitas ullum studii tempus eriperet.* Unde judicari potest, senes tam in exercendis seipsis, quam in obeundis privatis actionibus gestationes in sellis in usu ha-

a *Lib. 6. epigr. 84.* b *Sat. 3. v. 242.* c *Lib. 1. Chron. c. 1.* d *Lib. 3. c. 6.* e *5. de tuend. val. c. 4.* f *Lib. 3. Epist. 5.*

buiſſe, perinde etiam ac in languentibus medici eaſdem uſurpaſſe animadvertuntur; in quibus is modus ſecundum (*a*) Herodotum obſervabatur, *ut neque minus quinque ſtadiis, neque plus quam hujus duplum ſimiles geſtationes producerentur, atque ita ſequenti die obſervarentur; tertio vero die quinque ſtadia ſingulis diebus uſque ad triginta ſtadia addebant*. Et, ne quis forſan ſuſpicetur, ſellam atque lecticam idem extitiſſe, præ cæteris unum (*b*) Martialem adducere poſſumus, apud quem obſcurum eſſe nequaquam poteſt, illas diverſas fuiſſe, cum ait:

Lecticam, ſellamve ſequar? nec ferre recuſo
Per medium pugnas, ſed prior ire, lutum.

quod ſimiliter his Tertulliani verbis in libro de pallio confirmatur, *ipſas quoque jam lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſtice, ac ſecrete habebantur, ejeravere*. Jam vero ſellarum alias fuiſſe *pelliceas*, alias *oſſeas*, nonnullas *eboratas*, aliquas *argentatas*, ex Lampridio in Heliogabalo certo ſciri poteſt.

CAP. XII.

De agitatione per Lectos Penſiles, & per Cunas facta, & de Scimpodio.

QUod agitationem per cunas, & lectulos penſiles, quos duos ſub *κλίνης* vocabulo a Græcis complexos ſentio, factam inter gymnaſticæ exercitationes recenſere velim, forſan aliquis mirabitur, cum hac tempeſtate cunæ ſolis pueris eblandiendis inſerviant, pauciſſimique ſint, quibus medici penſiles lectulos parari jubeant: verumtamen is mirari deſinet, ſi Galenum, Herodotum medicum, Ætium, & Avicennam diligenter legere placuerit: qui cum hujuſcemodi agitationes inter alias corporum humanorum exercitationes adnumerarint, cur a me ſilentio præteriri debeant, non video. Nam cunas ob pueros potius, quam adultos excogitatas fuiſſe non equidem diffiteor, ſed puto talem motionem interdum viris cum ad leniendos dolores, tum ad conciliandum ſomnum non parum adjumenti præſtare poſſe, ut præclare ſcriptum eſt ab (*c*) Antyllo, & Ætio, apud quos *lectus fulcra mobilia, juxta angulares pedes habens* nil aliud mea ſententia ſignificat, quam cunas ipſas, quas etiam intellexit (*d*) Celſus, ubi dixit, *ſi ne id quidem eſt, uni lecti pedi certe funiculus ſubjiciendus eſt, atque ita lectus huc & illuc impellendus*. etſi Oribaſii interpres nomen *κλίνης* pro lectica transferre maluerit, & iccirco omnes illos prorſus falli credo, qui in gymnaſtica medicorum eas nullum uſum habere cenſeant. Quibus ſimilis quoque eſt exercitatio illa puerorum, dum in ulnis a nutricibus geſtantur, quæ & a medicis, & a (*e*) Platone pro ipſorum valetudine mirum in modum probatur. Eadem prope eſt tam lectulorum, quam balneorum penſilium ratio. quæ omnia quoniam ab Aſclepiade Pruſienſe frequenter uſurpata apud (*f*) Plinium traduntur, ut is infirmorum voluptatibus, ac jucunditatibus inſerviens, penes homines auctoritatem adipiſceretur, ſicuti inventori ſuo gloriam, atque exiſtimationem incredibilem pepererunt, ita quoque utentibus multam utilitatem ſimul atque delectationem attuliſſe rationi conſentaneum videtur: atque inde emanaſſe, ut poſteriores medici ſimilem motum ad exercendos homines comprobarint. quamquam pauci, vel nulli (quod ego ſciam) talium inſtrumentorum formam, ac utendi modum tradiderunt, a quibus certo admoneamur frequentem illorum uſum aliquo tempore extitiſſe. niſi credamus antiquos ſcriptores propterea hujuſcemodi res ſcribere neglexiſſe, quia vulgatæ, & omnibus manifeſtæ eſſent. Quæ temporibus noſtris cum a pleriſque ignorentur, operæ pretium me facturum ſpero, ſi breviter quid ſentio, in medio afferam. Nam de lectulis penſilibus, quos primum ab Aſclepiade excogitatos tradit (*a*) Plinius, opinor eos fuiſſe lectos quoſdam parvos, modo ex lignis, modo ex ære modo ex argento (majores noſtros etiam argenteos lectos habuiſſe ſcripſit (*b*) Plinius) conſtructos, qui quatuor angulis funibus ad cubilium laquearia alligabantur, ita ut a terra ſublati aliquantulum, quaſi in aere, pendere viderentur. Balnea ſimiliter penſilia a Sergio Orata, teſte (*c*) Plinio, primum inventa, non quæ ſupra tecta fiebant, aut concamerata loca, ut voluerunt aliqui, ſed nulla alia fuiſſe credo, quam *labra illa vel marmorea, vel ænea, vel lignea ad lectulorum imitationem laquearibus appenſa, quo minimo quolibet manuum impulſu, alias leniter, alias vehementius agitari valerent*, quod (*d*) Seneca ad Lucillum ſcribens nobis manifeſtavit his verbis. *Balnearum ſuſpenſura inventa eſt: ne quid ad lautitiam deeſſet*. His igitur motibus quoſcunque exerceri medici præcipiebant, huic uni potiſſimum ſtudebant, ut motum citra laborem, laſſitudinemve ullam afferrent: deinceps curabant, ne in exercitatione illa jucunditas deſideraretur, quæ profecto magna in lectulis, at maxima in balneis reperiebatur, nempe quæ præter ſuaviſſimum illum motum, aquæ delectationem addebant, dum ea molliſſime, blandaque titillatione quadam ſingula corporis membra tangebant. ſi namque balnea penſilia ea fuiſſe intelligantur, quæ ſupra tecta fierent, quomodo in illis major illa voluptas, ob quam ſecundum Senecam & Plinium excogitata fuerunt, reperiretur, quam in aliis, non video. De penſili lecto dixit Herodotus, *geſtationem in illo tamdiu faciendam eſſe, quamdiu quiſpiam in ſella geſtatus quadraginta ſtadiorum iter conficiebat*. alteri tamen ejuſdem auctoris ſententiæ libentius acquieſco, videlicet hujuſcemodi exercitationem, quanta eſſe debeat, facile numero definiri non poſſe. quod non tantum in his, ſed & in omnibus aliis ſentio ob varias ac diverſas ægrotantium affectiones, quibus non eadem ullo modo convenire poſſe, omnes vel mediocriter in medica arte periti uno ore prædicant. Lectulo penſili ſimile aliud inſtrumentum veteres habuiſſe invenio, quod *σκιμπόδιον* Græci, *ſcimpodium* Latini eodem vocabulo appellarunt. hoc licet nuſquam appenderent, erat tamen vel lectus parvus, vel quid in formam lecti penſilis conſtructum: atque ipſo per urbes, & per vias tam viri, quam mulieres geſtabantur, ut Dion hiſtoricus demonſtrat, ſcribens, primo *Auguſtum ac Tyberium in ſcimpodiis quandoque vehi ſolitos, cujuſmodi mulieres tempore ſuo geſtabantur*, ſecundo quod *Severus, dum Britanniam obiret, ſcimpodio undique obtecto ferebatur*. Cæterum qualis hujus inſtrumenti figura extiterit, haud ſatis conſtat: putandum eſt tamen ſellam fuiſſe ita fabricatam, ut lectum plumeum parvum caperet, ita vinctum, ut pendere videretur, in quo ſi non penitus ſaltem ex aliqua parte, qui ferebantur, jacebant, & undique, ne ab aeris injuriis læderentur, cooperiri poterant.

a *Oribaſ. collect. med. 6. c. 25.* b *Lib. 10. epigr. 10.* c *Oribaſ. l. 6. collect. c. 25.* d *Lib. 2. c. 15.* e *7. de Repub.* f *Lib. 26. c. 3.*

a *lib. 26. cap. 3.* b *lib. 33. cap. 11.* c *lib. 9. cap. 54.* d *Epiſt. 90.*

hoc intellexisse meo judicio videtur (*a*) Juvenalis, Cum Crispinum quendam mordens dicebat.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus pulmis, atque illinc despiciat nos.

a *Satyr.* 1. *verf.* 158.

A de eodem interpretanda est hæc inscriptio, quam mihi dedit Aldus Manutius, Paulli doctissimi & eloquentissimi filius eruditissimus, quamque Parma ad Andream Naugerium olim allatam retulit.

D. M.
L. AEMILI. VICTORI. QVI. PRIDIE. NATALEM. SVVM
VICESIMVM. ET. SECVNDVM. PRVNA. IN. PENSILI
POSITA. VRGENTE. FATO. SANVM. IPSE. NECAVIT. SE. L. AEMILIVS. VICTOR. PRINCIPALIS. ET
AELIA. VENERIA. FILIO. PIENTISSIMO
ET. SIBI

neque aliud significavit (*a*) Galenus, quando balnea ingrediendi modum hecticis præscribens hæc scriptis mandavit: Ἀῤῥωστῶντα βέλομαι κομίζεσθαι μοι ἐπὶ τῆ σκίμποδος εἰς τὸ βαλανεῖον. Id est, *ægrotantem volo portari in scimpodio ad balneum*, neque aliud Libanius rhetor in libro de sua ipsius vita intellexit, dum dixit: *cum domi sum, in lecto jaceo; ubi vero in schola, in scimpodio*, sicut etiam idem intellexit (*b*) Gellius, ubi scribit, *se* C *Frontonem Cornelium pedibus graviter ægrum in scimpodio Græciensi cubantem invenisse*. Patet itaque non modo ob delicias atque voluptates a majoribus nostris lectulos ac balneas pensiles, necnon scimpodia; verumetiam & a medicis gymnasticis ad exercenda valetudinariorum corpora usurpata fuisse. Quale porro fuerit instrumentum illud machinamentum raptorium, & *macron sparton* a (*c*) Cælio Aureliano vocatum, qualisque apud eundem *recussabilis fera Italica* nominata, quibus duobus gestabantur, nondum mihi plene compertum est, cum a nullo alio auctore ipsorum mentionem hucusque factam invenerim. nisi fuerit, ut supra di- D ximus, *petaurum*, vel potius sit Cælii contextus depravatus.

Cap. XIII.

De Navigatione, & Piscatione,

INter gestationis species, quæ plures exercendis corporibus extiterunt, navigationem quoque reposuit Antyllus, quem secutus Ætius, & post eum Avicenna manifeste eam pro exercitatione habitam demonstrat; id quod utrique non tam E ab experientia meo judicio desumpserunt, quam ab antiqua divini (*d*) Hippocratis sententia, qua navigationem & movere corpus & perturbare dixit nisi quod Avicenna navigationem inter debiles exercitationes adnumeravit, Hippocrates vero eam corpus magnopere perturbare asserit, id quod potius vehementis quam remissi motus argumentum videtur. Hac navigationis exercitatione duas præsertim gymnasticas, sed non admodum usas invenio, medicam scilicet, & bellicam. Medici ea utebantur vel ad aliquorum sanorum habitus conservandos, vel ad nonnullorum ægrotantium sanitatem comparandam. Ad sanos utebantur navi- F gatione, quod (ut ab (*e*) Aristotele scriptum est) mare ob placidas aspirationes salubritatem insignem facit, unde navigantes semper coloratiores existunt, quam in paludibus degentes. Ad ægrotos vero, quoniam idem humores putridos ac nocuos tum vomitu, quem frequentissime insuetis præsertim parit, tum ventis ac vaporibus siccis exiccare natum est. quare dicebat (*f*) Avicenna navigationem lepræ, hydropisi, apoplexiæ, stomachi frigiditatibus, nec non inflationibus ejusdem

a 10. *Meth.* b *Lib.* 10. *c.* 10. c *Lib.* 3. *c.* 6. *&* *lib.* 5. *c. ult.* d 4. *Aph.* 14. e 14. *partic. Prob.* 12. f *Edoc.* 2.

magnopere prodesse. (*a*) Plinius vero & phthisicis, & sanguinem excreantibus adjumentum afferre Annæi Gallionis post consulatum ita curati exemplo testatus est. qui item ab hujuscemodi affectis Ægyptum peti non ob terram ipsam, sed propter navigandi longinquitatem censuit, ut etiam ejus (*b*) Nepos Plinius secundus Zosimum libertum sanguinem rejectantem eo se misisse, & confirmatum a valetudine rediisse narrat. quamquam auctor ille nomine Plinii falso inscriptus in libro 1. de re med. senserit phthisicis utilius esse in saltibus morari, ubi pix nascitur, quam in mari navigare, & marina loca visitare: quod etiam traditum est a Marcello medico. Nam & Galen. IX. de simpl. medic. ubi de terra Samia loquitur, memorat, multos pulmone ulceratos Roma ob id in Libyam profectos, annis aliquot inculpatos vixisse, postea vero morbum recruduisse, ubi non pari cura vivebant. Modus in navigatione valetudinariis observatus sic ab Herodoto describitur, *quod a sexaginta stadiis incipiebant, & in duplum horum desinebant*. Porro navigationis plures fuerunt differentiæ, quando aliæ *in mari*, aliæ *in fluminibus*, aliæ *in magnis*, aliæ *in parvis navibus*, aliæ *remis*, aliæ *remulco*, aliæ *vento, aut vehementi, aut placidiore* fiebant. De navigatione per flumina traditum est a (*c*) Plutarcho, *eam minus nauseam producere, quam mare*, quod tam odor, quam timor e maris adspectu proficiscentium corpora perturbant, atque sic vomitum cient, quæ res a fluminibus minime contingit. contra Cælius Aurelianus in inveteratis capitis doloribus cæteris prætulit longam per maria navigationem, *quoniam* (ut ipse inquit) *fluminales, vel portuosæ navigationes, necnon stagnorum, incongruæ judicantur, nimirum quæ caput terrena exhalatione humectantes infrigidant, maritimæ vero latenter, atque sensim corpus aperiunt, & salsæ proprietatis caussa corpus adurunt, atque ejus habitum quadam mutatione reficiunt*. Hic igitur fuit apud gymnasticos medicos navigationis usus, quam pariter bellicæ studiosos amplexos fuisse diximus; quandoquidem naumachiæ illæ, quæ a Romanis in circo, vel aliquo terræ sinu prope Tiberim manu facto tali exercitationi designato repræsentabantur, fuerunt quidem ad populum oblectandum secundum aliquos præcipue institutæ, quales illæ, quas ab impurissimo Heliogabalo *in Euripis vino plenis* interdum exhibitas tradit Lampridius: attamen probabile est quoque apud me, huic summopere illas inservisse, ut in ipsis ad navalium pugnarum disciplinam acquirendam milites exercerentur, atque ad hoc existimandum, ea ratione potissimum adducor, quod Romani, (*d*) Polybio referente, bello Punico Carthaginiensibus mari bellum indicturi milites in navali disciplina exercuerunt. sicuti etiam scribit (*e*) Sueton. Augustum, dum contra Pompejum pugnaturus,

a *Lib.* 31. *c.* 6. b *Lib.* 5. *epist.* 19. c *In lib. de quæst. natura.* d *Lib.* 1. *Hist.* e *Cap.* 16.

esset, *in portu Julio, apud Bajas a se effecto, milites in navali exercitatione tota una hyeme detinuisse*. ut hinc clarum esse possit, Romanos exercendis copiis tam mari, quam terra operam semper dedisse, atque hujus studii gratia * *naumachias* instituisse, & non modo *pontem naumachiarium* ea ratione nuncupatum, *quem concrematum ex larice in Rætia Tiberium refecisse* scribit (*a*) Plin. habuisse, verum etiam locum peculiarem, cujus vestigia adhuc manent, quemque tempore naumachiæ tanta aqua replebant, ut mare quoddam videretur, sicuti venustissime (*b*) Martialis demonstravit, ubi naumachiam a Domitiano Imperatore editam hoc carmine descripsit.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit:
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis: hic modo terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem;
Parva mora est; dices, hic modo pontus erat.

Sed ne frustra in superioribus dixisse videas, gymnasticam medicinam, atque bellicam præcipue navigationis exercitium habuisse, illud unum sciri volo, in ludis quoque, quos athleticæ partem esse ostendimus, aliquando similem exercitationem locum habuisse, at propter ingentem apparatum necessarium raro fieri consuesse. quod enim (*c*) Virg. de Ænea in Anchisæ funere, una cum cæteris ludis naumachiam celebrante finxit, aut verum extitisse, aut non sine veri imitatione credendum est, quandoquidem alios ludos, qui ibi facti a poeta pinguntur, si veri non fuerunt, saltem verorum imitationes fuisse, nemo negabit. Inter navigationis species piscatio non sine navigiis facta similiter ab auctoribus admnumeratur, atque apud (*d*) Plautum exercitationis gymnasticæ vicem subiisse videtur, cum in Rudentis fabula piscatores ita loquantur,

Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum,

pro exercitio gymnastico & palæstrico hoc habemus, quæ tamen piscatio cum a (*e*) Platone improbata sit, quod neque animus, neque corpus in ipsa exerceatur, jure merito eam tanquam nulli utilem omnes fere gymnastici rejecerunt, nisi quod (*f*) Galenus ipsam inter exercitationes, quæ simul opera sunt, reposuisse videtur, sicut & Avicenna ingredientem piscatorias naves debiliter exerceri censuit. quorum sententias duabus de caussis infirmas reputare debemus, tum quia neuter eorum explicate, quid boni afferat piscatio, declaravit, quasi exercitationem hujusmodi non admodum probarent, sed communem potius quandam sermonis consuetudinem sequerentur; tum quia ipsemet (*a*) Galenus piscatorum habitus duros atque aridos esse dixit. cujus ariditatis ratione (*b*) Aristoteles piscatores marinos pilis rufis præditos esse antea scripserat. unde medici, qui bonum habitum corpori exercitationibus acquirere student, quomodo durum & aridum efficere piscatione velint, non video; præterquam quod cunctæ prope piscationes sub sole, & in locis sæpe malo aere plenis peraguntur, una excepta maritima; ut his omnibus credere cogamur, piscationis laborem medicos parvi æstimasse. Neque tamen defuerunt imperatores, qui exercitationis cujusdam gratia interdum piscarentur, ceu de Cæsare Augusto scriptum est a Suetonio, & de Alexandro Severo a Lampridio, de quo ita scribit: *Usus vivendi eidem hic fuit. primum ut, si facultas esset, idest si cum uxore non cubuisset, matutinis horis in larario suo, (in quo & divos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, &, quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujuscemodi deos habebat, ac majorum effigies) sacra faciebat. Si id non poterat pro loci qualitate, vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur.* Hæc Lampridius. Quid autem fuerint piscatorii ludi, qui quotannis mense Junio trans Tyberim a prætore urbano pro piscatoribus Tyberinis, auctore Festo, agebantur, nondum ita certus sum, ut tuto affirmare queam, athleticam gymnasticam, cujus ludos fuisse diximus, piscationis exercitium habuisse.

CAP. XIV.

De Natatione.


MAgna, & fere incredibilis apud veteres fuit semper natationis existimatio, tantumque per plura sæcula illius usus viguit, ut non minus pueri natandi artem, quam prima litterarum elementa edocerentur. quo tempore cum nulla major ignorantiæ nota inuri posset, quam dum aliquis *nec litteras, nec natare scire* dicebatur, factum fuit, ut posteriores illud in proverbium contra bardos & prorsus inertes continuo receperint, adhucque ita loquendi consuetudo permaneat, quando natandi peritia, si non eosdem honores obtinet, quibus anteactis sæculis afficiebatur, saltem nec penitus neglecta, nec inutilis jacet. Ratio enim, qua impulsi majores nostri natandi scientiam tanti fecerunt, hæc una judicio meo extitit, quod primis illis temporibus apud respublicas quascunque viri fortes præ cæteris, ut scribit (*c*) Aristoteles, honorabantur, quasi ab his solis, & civitatum salus, & imperii propagatio penderet: & ob id quisque vel saltem major nobilium, atque etiam aliorum pars comparandæ fortitudini usque a primis incunabulis incumbebat. Quocirca, ut in navalibus quoque pugnis, quæ tunc frequentius committebantur, in transeundis vadis ac fluminibus homines, nandi arti confisi, pericula magis evadere possent, minusve formidarent, (quando sæpenumero milites mare ingredi coacti ob nandi ignorantiam suffocabantur, quemadmodum exercitui Cyri evenisse memoriæ prodidit (*d*) Xenophon) sicque fortiores inter aquarum pericula fierent, natationis peritiam extulerunt; qua etiam ratione *Romani veteres*, ut (*e*) Veget scribit, *quos*

* *Naumachia* ita dicta a prælio navali; ad exercendam enim juventutem Romanam navalio prælio Naumachiæ instruebantur; Harum una a Domitiano extructa fuit, sub colle Hortulorum, loco sane commodo, quod facile in vallem hanc, *Martia* dicebatur, poterant aquæ per aquarum ductus ex locis editioribus deduci. Eruta enim terra undique muro cinxit fossam amplissimam, in quam ex aquæductibus emissa aqua, lacum seu pelagus efficiebat latissimum, ita ut navibus ac triremibus esset locus valde commodus, tali enim artificio nunc inducebatur aqua, nunc educebatur finito prælio, ut ubi modo pelagus, nunc tellus videretur; cum peregre adventantium præsertim stupore atque oblectatione. Adhuc supersunt nonnulla vestigia, ex quibus aliquo modo colligitur, quanta fuerit ejus magnitudo. Non desunt qui volunt ad Tiberim ferme excurrisse: navibus enim hic, triremium instar, navalia, ut dixi, committebantur prælia, non minore spectantium voluptate, quam ea gerentium utilitate. Ex his enim exercitationibus ille fructus promanabat, ut spectantium oculi animique replerentur, & Romana juventus ablegato otio assuefieret præliis, quibus Romanum propagandum & tuendum erat imperium, committendis.

a *Lib.* 16. *c.* 39. b *Lib. de spectac. epigr.* 26. c *Lib.* 5. *Æneid.* d *Actu* 2. *sc.* 1. e *In Sophista.* f *de tuend. valet. c.* 8.

a *6. de comp. med. secundum l.* b *38. partic. prob.* 2. c *Sect.* 17. *Prob.* 5. *&* 2. *Rhe. cap.* 4. d *De Cyri minoris expedit.* e *Lib.* 1. *de re milit. c.* 10.

rot



N S T III Pag 628 Tab XXIII

tot bella & continua pericula militarem disciplinam docuerant, campum Martium Tyberi vicinum delegerunt, in quorum altero armorum exercitationes inirent, in altero sudorem pulveremque diluerent, ac simul natare perdiscerent; ut his rationibus, ac Vegetii auctoritate facile sit judicatu, militarem gymnasticam natandi exercitatione non caruisse. Cæterum posteriori tempore non modo natatio ob dictas rationes usurpata reperitur: verum etiam ob valetudinis conservationem, nonnullarumque affectionum curationem medicis gymnasticis ipsam probatam fuisse Antyllus testatum reliquit. quod item sensisse videtur Galenus in primo ad Glauconem, ubi laborantibus tertiana febre concedit, ut ungantur, balneum ingrediantur, ibique madefiant, & si velint, etiam natent. Quod enim natatio exercitationis loco habita fuerit, præter (*a*) Oribasii auctoritatem de ea inter cæteras exercitationes tractantis, & a lavatione, de qua libro postea decimo fusissime scripsit, separantis, ipsa quoque ratio persuadet, nempe quia in hujuscemodi motione insigniter universum corpus, & movetur, & laborat; ut (*b*) Aristoteles aliquando eam cursui comparare non ineptum duxerit, (*c*) Galenusque pueros temporis sui in aquis γυμναϛικὰς παιδιὰς facere consuevisse scripserit. Quo pacto vero similis exercitatio perageretur, tanquam res vulgatissima silentio præterita fuit fere ab omnibus, uno excepto (*d*) Antyllo, qui nataturos prius moderate unxisse, & frictione corpora præcalfecisse, deinde e vestigio in aquam se projicere debere voluit, quasi omnes sanitatis gratia natantes eas regulas observarent. Quo autem in loco natationis exercitatio ageretur, ita apud auctores observavi, aliquando in ipsis gymnasiis, sive privatis balneis, aliquando extra esse factam. In gymnasiis adhuc duobus modis natabant, vel in piscina, quam in frigidario fuisse superius demonstravimus (tametsi piscinas apud Varronem, & alios Latinæ linguæ auctores proprie loca piscibus alendis & saginandis dicata significare credatur) vel in labris illis amplis, quæ adhuc Romæ visuntur. Quod in piscinis, quæ in frigidario thermarum ædificatæ erant, quasque thasio lapide aliquando circumdatas fuisse tradit Seneca, natarent, omnium clarissime ostendit (*e*) Cæcilius Plinius, qui in epistolarum lib. II. villam suam exactissime depingens, de balneis ejus ita scribit. *Inde balnei cella frigidaria spatiosa & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria veluti ejecta sinuantur, abunde capacia. Si innare in proximo cogites, adjacet unctorium hypocaustum, adjacet propnigeum balinei, mox duæ cellæ magis elegantes quam sumptuosæ.* Sed hoc clarius explicat (*f*) libro quinto, ubi Tuscos suos describens inter cætera hæc habet. *Inde apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum, si natare latius, aut tepidius velis.* Ex quibus omnibus satis apertum est, in gymnasiis sive balneis veteres nare solitos, atque in frigidarii baptisterio, alias *piscina* vocata, de qua mentionem fecit Tertullianus in libro de baptismo, & de qua existimo locutum Galenum dum in VII. Methodi siccitate ventriculi laborantes curandi rationem edocens, magis laudat lotionem in balneo factam ἐν ταῖς κολυμβήθραις. idest, *in piscinis natando institutis*, quam ἐν τοῖς μικροῖς πυέλοις *in parvis alveis*. quamquam etiam piscinam interdum in area gymnasiorum ædificatam credo, ut testatur Plinius loco nunc citato, in quo post dicta verba ait: *In area piscina est*; & ante Plinium (*g*) Martia-

a *Lib. collect. 6. cap. 28.* b *23. partic. Prob. 9.* c *4. De locis affect.* d *Oribasius lib. 6. c. 27.* e *Epist. 17.* f *Epist. 6.*

lis, qui lib. III. Ligurini cujusdam insulsi importunitatem describens dixit,

In thermas fugio, sonas ad aurem;
Piscinam peto, non licet natare.

ni velimus Martialem potius de publica piscina locutum esse, quam fuisse Romæ, ex multis, & maxime ex Regionum fragmento sub porticu Capitolina intelligere possumus, ubi Vici publicæ piscinæ clara mentio habetur, de qua ita Festus Pompejus. *Piscinæ publicæ hodieque nomen manet, ipsa non extat, ad quam & natatum, & exercitationis alioqui caussa veniebat populus*: unde Lucilius ait, *Pro obtuso ore pugil, piscinensis res est*. De hujuscemodi piscinis scriptum est a Dione, *Mæcenatem omnium primum in urbe aquarum calidarum natatoria instituisse*. Quod vero in labris illis similiter natarent, vel saltem natantium instar moverentur, conjicio, cum ex magnitudine labrorum, tum ex verbis Galeni in I. ad Glauconem, quando in tertianæ curatione natationem in aqua commendat; quod de piscinis gymnasiorum nequaquam intelligi debet; tum ex Cælii Aureliani verbis, qui in capitis dolore, atque etiam in arthriticis curandis natationem minime sub dio factam, necnon ferventem, atque etiam frigidam probans, duo demonstrat; primum in locis clausis, & etiam apertis, qualis erat area piscinæ, alterum tam in aqua calida, quam frigida natari solitum, unde elicio natationem ferventem solum in labris factitatam, quod si Plinius in locis paulo ante citatis piscinæ calidæ mentionem fecit, sub hisce verbis, *cohæret piscina calida mirifice, ex qua natantes mare aspiciunt*, de calefacta vi solis, & maritimo situ potius, quam de fervefacta ab igne, ut intelligit Cælius, verba fecisse videtur. Quæ extra gymnasia, sive privata balnea efficiebatur natatio, modo in fontibus latissimis, modo in lacubus, modo in fluminibus, modo in ipso mari agebatur. de quibus sermonem habens (*a*) Aristoteles dixit, *melius in mari, quam in fluvio natari, diutiusque ibi moram trahi*, quoniam veluti mare aquæ suæ corpulentia, crassitieque majora, quam dulces aquæ sustinet onera, ita facilius corpora hominum elevata tenet, & consequenter minus illa penetrare potest, cum dulces aquæ ob tenuitatem suam citius & levius illabantur. Extra balnea quoque apud aliquas nationes loci peculiares nando construebantur, & ideo κολυμβρῆθαι vocabantur, sicuti legitur apud (*b*) Joannem Evangelistam de Jesu Cæco dicente, ὕπαγε, εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ σιλωάμ, καὶ νίψαι ubi *natatoriam Siloe* antiquus interpres transtulit. Itaque natationem arcendis morbis, sanisque corporibus exercendis & conservandis usitatam fuisse, jam satis patet: quando item Aristoteles scripsit natantes in mari salubriter exinaniri, verumtamen illud animadverti volo, plerumque ob delectationem, & ad ardores & siccitates temperandas homines natare consuevisse, cujus gratia in æstate dumtaxat natari solitum fuit.

CAP. XV.

De Venatione.

PRæclarissima extat (*c*) Galeni sententia, *ex omnibus corporum exercitationibus eam proculdubio utilissimam videri, quæ nedum corpus fatigare, verum etiam animam oblectare va-*

a *Epigr. 44.* b *23. partic. prob. 12. & 14.* c *Cap. 9.* d *In lib. de ludo parvæ pilæ, cap. I.*

leat, & iccirco sapientissimos illos haberi debere, qui in venatione eam exercendi corpora formam invenerunt, in qua mirifico quodam modo labores voluptate, quasique laudis cupiditate ita temperantur, ut facile judicari non possit, major ne sit corporis, an animi motus. Accedit huic quod natura ipsa, quæ animalia cuncta hominis caussa produxit, venationem quasi præcipere, & acceptam habere, ut scripsit (*a*) Aristoteles, videtur, quum in ipsa proprias possessiones acquirere conetur, spectaculumque nullo scelere contaminatum exhibeatur, sed simul & corporis robur, & animi vigor augeatur. Ex quo nemo non videt, quam prudenter fecerint medici, qui pro exercendis corporibus iisque validis & sanis conservandis, venationem tantopere æstimarunt, cujus nimirum studio antiqui illi medicinæ parentes Chiron, Machaon, Podalirius, Æsculapius usque adeo, sicut refert (*b*) Xenophon, arserunt, ut non minus in ea laboris, quam in artibus, in quibus valde excellebant sibi impendendum quotidie putarent. Neque vero solam medicinæ gymnasticam hujuscemodi exercitationem, sed bellicam quoque & athleticam recepisse, probasseque credendum est; siquidem vel delectationem & gloriam, quarum gratia athletæ laborabant, vel militarem peritiam & fortitudinem, quibus bellicæ gymnasticæ exercitatores invigilabant, si spectemus, cumulatissime omnes in venationis exercitio reperiuntur, atque in eo præsertim, quod non in avibus decipiendis, sed in terrestribus animalibus sine dolo capiundis laboriose versatur, de quo magis nostram hanc tractationem intelligi debere volumus. Et ne sine illustrium auctorum testimoniis hanc sententiam audacter nimis proferre videar, quomodo unaquæque gymnastica venandi exercitatione usa sit, jam inceptam viam insequens demonstrare conabor. Quod enim illa bellicæ fortitudini assequendæ maximum adjumentum præbere putaretur, locupletissime testatum fecit Plato, qui postquam in Theæteto, & VII. de legibus venandi disciplinam in tres species, *aquatilium* scilicet, *volatilium*, & *terrestrium* animalium distinxisset, improbatis aliis duabus pro juvenum educatione, de terrestrium venatione in fine VII. de legibus ita concludit. *Πεζῶν δὴ μόνον θηρευταῖς τε, καὶ ἄγρα λοιπὴ τοῖς παρ' ἡμῖν ἀθληταῖς, ὧν ἡ μὲν τῶν εὑδόντων αὖ, κατὰ μέρη νυκτερινὴ κληθεῖσα, ἀργῶν ἀνδρῶν, οὐκ ἀξία ἐπαίνου, οὐδ' ἡ τῶν διαναπαύσεις τῶν πόνων ἔχουσα, ἄρκυσί τε, καὶ πάγαις, οὐ φιλοπόνου ψυχῆς νίκῃ χειρουμένων τὸ ἄγριον τῆς θηρίων ῥώμης, μόνη δὴ πᾶσι λοιπὴ καὶ ἀρίστη ἡ τῶν τετραπόδων, ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ τοῖς αὑτῶν σώμασιν, ὧν ἁπάντων κρατοῦσι δρόμοις, καὶ πληγαῖς καὶ βολαῖς αὐτόχειρες θηρεύοντες, ὅσοι ἀνδρείας τῆς θείας ἐπιμελές.* Id est, *Solum itaque terrestrium venatio, capturave, athletis nostris reliqua est, atque harum, quæ dormientia animalia, peculiari vocabulo nocturna vocata, persequitur, segnibus convenit, nullamque meretur laudem, sicuti nec illa, quæ laborum intermissiones habens, retibus & laqueis, non laboriosi animi victoria ferarum robur evincere conatur. unde solam illam optimam esse relinquitur, in qua homines quadrupedia equis, canibus, & propriis corporibus venantur, quos omnes superant illi, qui fortitudinis divinæ possessionem curantes propriis manibus currendo, feriendo, & jaculando venationi operam navant.* Ex quibus verbis clare patet, quantum Plato in comparanda fortitudine bellica, divina ab ipso nuncupata, venationem dixerit exercitoribus militaribus conferre. quos quomodo ipse sub *ἀθλητῶν* nomine comprehendat, superius indicamus. Evidentius, quam Plato, locum hunc explicasse videtur Xenophon, qui de Cyro in ejus pædia ita scriptum reliquit: *Τῆς πολεμικῆς δὲ ἕνεκα ἀσκήσεως ἐπὶ θήραν ἐξῆγεν, οὕσπερ ἀσκεῖν ταῦτα ᾤετο χρῆναι, ταύτην ἡγούμενος καὶ ὅλως ἀρίστην ἄσκησιν πολεμικῶν εἶναι, καὶ ἱππικῆς δὲ ἀληθεστάτην.* Id est, *Exercitationis autem bellicæ gratia eos ad venationem educebat, quos hæc exercere oportere existimabat, hanc ratus & omnino bellicarum exercitationum optimam, & equestris verissimam.* Quo in loco nemo non videt, quam aperte venationem ad exercitationem bellicam omnium maxime conducere censuerit. unde postea in libro de venatione juvenes ad capessendam hanc exercitationem duabus præcipuis rationibus adhortatur; tum quod corporibus bonam valetudinem comparat: tum quod eos ad bellum maxime instituit, strenuosque milites, & cæteris rebus agendis idoneos reddit. At (*a*) Aristoteles non tantum bellicæ exercitationi venandi studium conducere voluit, quinimo illud ipsius partem manifesta oratione fecit: ut nulla amplius dubitatio supersit, quin inter cæteras militari gymnasticæ inservientes exercitationes venatio quoque locum obtinuisse dicatur. Quod vero nec athletica professio hujusce generis exercitio caruerit, venationes in amphitheatris ab imperatoribus sæpenumero repræsentatæ, & apud Latinos scriptores mirum in modum celebratæ demonstrant: quæ licet ab hac nostra multum diversæ fuisse appareant, illius tamen speciem præseferebant, nempe cum bestiarii, atque alii mortis supplicio condemnati eo prorsus modo adversus feras, usque ad alterius interitum (ut refert Suetonius) contenderent, quo venatores contra minus immanes belluas pugnare consueverunt. De medicorum gymnastica, quod scilicet venationem valetudini & bono corporis habitui comparandis tuendisque probarent, nemini constare arbitror, quando, præter Xenophontis sententiam citatam, præter (*b*) Galeni auctoritatem, qui inter exercitationes corporis sanitati inservientes eam reposuit, ludoque parvæ pilæ in hoc solum inferiorem fecit, quod majori apparatu indigeat, propterea nec artificibus, nec civilibus negotiis implicitis conveniat, præter juniorem (*c*) Plinium, qui venatione corpus sanum conservasse insinuat, præter aliorum argumenta, unum (*d*) Razis Arabis medici eruditissimi testimonium sufficere potest, apud quem legitur, *contigisse in quadam peste, ut, dum omnes fere perirent, soli venatores, ob summam valetudinem assiduis exercitationibus partam, incolumes evaserint.* ne silentio prætercam Lacedæmonios, a quibus olim ad cenam Dionysius Syracusanus acceptus, se cibis appositis delectari negavit. cui statim respondit coquus, ideo illud evenisse, quia nec in venatu, nec in cursu laboraverat, & ideo siti & fame carebat, quibus Lacedæmoniorum epulæ condiebantur. Itaque mirari nullo pacto debemus, si Mithridatem, quem usque adeo sanitatis & vitæ studiosum fuisse scimus, venationi ita avide operam dedisse legimus, ut septem annis, neque urbis, neque ruris tecto usus sit. Ergo manifestum cuivis jam esse potest, quantum in exercendis pro valetudine corporibus venatio apud veteres æstimata fuerit. cujus cum multæ essent species, quarum aliæ retibus, aliæ laqueis, visco & aucupiis, aliæ carnivoris & rapacibus avibus, aliæ canibus, sagittis, vel puris, vel tinctis; quas ideo Gallos venatores *belleboro inficere* consuevisse tradit (*e*) Plinius, *quia circumciso vulnere caro te-*

a 1. *Polit.* b *De venat. Xenophont.*

a *Lib. 1. polit. cap. 5.* b *2. de tuend. valetud. cap. 8. & in libro de ludo parvæ pilæ.* c *Lib. 5. epist. 18.* d *In 30. contract. 13. cap. 3.* e *Lib. 25. cap. 5. in fine.*

nerior sentitur: aliæ armis modo in volatilia: modo in terrestres belluas peragebantur: illas venationes aptiores existimatas arbitror, in quibus homines tam pedibus euntes, vel currentes, quam equis vecti feras canibus & armis insectabantur; nempe quas tum corpora magis exercere, tum sensus omnes acuere, tum majorem animis voluptatem afferre nemo negarit. Eam enim venationem, quæ cum accipitribus & asturibus adversus aves hisce temporibus exercetur, an commendarint antiqui medici, affirmare nequeo, quod, licet (*a*) Aristoteles memoriæ prodiderit, in ea Thraciæ parte quæ olim Cedropolis vocabatur, homines *societate accipitrum per paludes aucupari* consuevisse; nihilominus genus illud venationis nostræ valde dissimile fuisse videtur; quandoquidem illi ipsi lignis, quæ manibus tenebant, arundines, & fruteta movebant, unde aves ob strepitum excitatas, evolantesque accipitres desuper insectabantur, quorum metu aves perculsæ terram repetebant, ibique percussæ baculis a venatoribus capiebantur, & earum partes accipitribus distribuebantur; nostrum vero accipitribus atque asturibus edoctis peragitur. quod antiquos ignorasse, & Constantini imperatoris ætate inventum esse, insinuat Julius Firmicus: sicut etiam ignorarunt eam venationem, quæ canibus arte quadam instructis, & retibus adversus qualeas, perdices, & fasianos exercetur. Sed de his satis,

a 7. de hist. animalium. cap. 36.


F I N I S.



HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De ratione agendorum, & de exercitationis usu.



Um gymnasticæ originem, ejusque species, & specierum (ut sic dicam) species ab antiquis traditas, ac in usu habitas, jam claras, quantum conceditur, effecerimus, ad perficiendum tractationis nostræ institutum relinquitur, prius universales communesve exercitationum omnium regulas tradere, quarum ductu non modo singula cognoscere, verumetiam uti unusquisque possit: deinceps ad particularia & magis propria transeundum erit, ut in singulis exercitationibus, quid boni, & quid mali resideat, similiter pernoscere, & cognitum partim amplecti, partim effugere valeamus. Fuisset profecto inanis prope labor, ac vanum studium exercitationes usque adeo veteres celebratas pervestigasse, nisi etiam utilitates, & commoda, quorum gratia totam gymnasticam, & condiderunt, & in quotidianum medicorum usum eduxerunt, perspecta & clara haberent illi, quibus hæc nostra lectitare, iisque ad sanitatis profectum non oscitanter uti placuerit. Atque in hoc ideo magis mihi elaborandum esse censeo, quoniam Galenus, Hippocratis atque Platonis placita secutus, in omnibus quidem artibus, sed præsertim in medicina, universales methodos parum juvare clamat, nisi particularium tractationes, ac individuorum speculationes accesserint, quibus tum res communi methodo inventæ certius confirmentur, tum earum similitudines, unde omnis humana deceptio, ut in Phædro scripsit Plato, principum sumit, probe discernantur. Hanc igitur ab antiquis philosophis, atque medicis laudatam viam incedentes, tractandorum omnium ab ipsius exercitationis natura initium capiemus: quam cum definierimus *motum quendam corporis esse*, atque omnem motum necessario differentiæ nonnullæ sequantur, nimirum vehementia, remissio, celeritas, tarditas, & similia: & propterea in quovis motus localis genere corpus quod movendum est, locus ubi moveri debet, tempus in quo moveatur, ac ipsius motus mensura, atque modus ex necessitate requirantur, confutatis eorum, qui de exercitationibus male senserint, opinionibus, primo *differentias illas exercitationem consequentes declarabimus*: secundo, *quæ sint corpora exercitationibus apta, & quæ inepta, demonstrabimus*: tertio, *qualis esse debeat locus, ubi illi exercitationibus operam navare debent, qui vel confirmandæ, vel conservandæ valetudini student*: quarto, *quodnam tempus exercendis corporibus opportunum habeatur*; sicuti namque corpora omnia non omnem exercitationis speciem perferunt, ita similiter non quivis locus, nec quodlibet tempus cuicunque aptantur. Sed, quia imperfecta hæc tractatio remaneret, nisi mensura exercitationis præscriberetur, ideo quinto subjungam, *quantum exercendum sit*. Addam & sexto *modum, quo exercitatio adiri debeat*, atque sic ad particularium exercitationum qualitates examinandas descendens nihil relinquere conabor, quod in hac materia jure desiderari queat, & quod ab (*a*) Hippocrate, sive Polybo pro laboribus, aut exercitationibus tractandis cognitu necessarium positum fuerit. Sed hoc antequam aggrediar, illud prius hoc in loco præfandum esse judico, ea omnia, quæ in hoc quarto volumine308 traditiuri sumus, tanti in universo exercitationum negotio momenti existere, ut iis vel ignoratis, vel neglectis, exercitationes detrimenta potius, quam commoditates ullas inferant: *innumeræ quandoquidem exercitationes*, ut præclare scriptum est a (*b*) Galeno, *opportune ac prudenter administratæ, errores tum naturæ in corporis temperie factos, tum hominum in victus ratione commissos emendare, prorsusque delere natæ sunt*, veluti M. Tullio contigisse fertur, quem mala stomachi valetudine affectum opportunis, ac moderatis exercitationibus ita corporis sui habitum roborasse scribit (*c*) Plutarchus, ut ad multa magnaque certamina se validum reddiderit. Contra, si eædem temere nullaque opportunitatis ratione fiant, non modo optimas corporis a natura constitutiones tributas corrumpunt, & interdum prorsus destruunt: verumetiam plurima ac sævissima morborum genera latenter inducunt. quo fit, ut, qui exercitationibus moderate & opportune peractis vitam sanam traducere, nullisque medicamentis indigere possent, iidem ob exercendi negligentiam quasi perpetua infirmitate crucientur, assiduisve medicamentis opus habeant.

CAP. II.

Confutatio opinionis eorum, qui exercitationem in sanis damnabant, & de exercendi necessitate, ac commoditate.

Si igitur tales, tantæque exercitationis utilitates existunt, magnopere coarguendi sunt, qui de corporibus exercendis pravas omnino, atque humano generi noxias sententias disseminare non erubuerunt. hos etenim in tres sectas antiquitus partitos esse scribit (*d*) Galenus, quorum alii quascunque exercitationes veluti sanitati potius noxias, quam utiles penitus sustulerunt; Alii neminem exerceri vetandum voluerunt; Alii media quadam via incedentes assuetos solum

a 1. *de ditæ.* b 2. *de tuend. valet. c. 7. & lib. de cibis bon. & mal. suc.* c *In ejus vita.* d 5. *de tuend. val. c. 11.*

exercendos judicarunt, inassuetis exercitationes negarunt. Horum omnium placita, & recensere, & refutare operæ pretium duco, ne, si vel taceamus, gratis eos reprehendere videamur; vel si irrefutata dimittantur, aliquibus arrideant, & tamquam sanitati conducentia interdum accipiantur. Erasistratus itaque, Praxagoræ & Chrysippi in medicina successor, necnon Asclepiades Prusiensis magnæ auctoritatis medicus inter alias absurdas, quas habuere de remediis opiniones, medicamentorum fere, & sanguinis missionis usum in infirmis abrogandum crediderunt, in sanis exercitationes corporis nihil ad bonam valetudinem conferre statuerunt, atque ad hoc postremum afferendum pluribus rationibus adducti fuerunt. Prima erat, quod sanitas in humorum omnium justo temperamento collocatur, humores vero gignuntur, & in moderatione retinentur ex ciborum moderata sumptione & concoctione, concoctio vero quælibet quiete, ut indicat somnus, magis perficitur; a motu, qualis est exercitatio, impeditur, & non raro corrumpitur; unde ipsa depravata necessario humorum harmonia, & ideo ipsa sanitas destruitur. Altera ratio erat, quod omnis exercitatio laborem sibi adnexum obtinet, labor sicuti naturæ quodammodo inimicus apparet, ita quoque jucunditatem & dulcedinem, quibus numquam sanus homo privari debet, e medio tollit, atque sic sanitati potius obest, quam prodest. Tertia ratio erat, per eadem sanitatem præsentem conservari, per quæ amissa recuperatur, unde cum deperdita sanitas per quietem, & non per exercitationem reparetur, per eandem etiam, & non per motum ullum conservatur. Quarta ratio erat, ab exercitatione nimis calorem augeri, & consequenter nativum humidum exhauriri, quæ duo sanitatem corrumpere, & non conservare nemo dubitat, cum ipsa in moderato calore, & in commensurato nativo humido tota consistat, addebant insuper, multos diu in carceribus detentos sanam vitam traducere, qui nullo pacto exercitationibus vacare possunt, atque inde apparere sanitatem absque exercitationibus consistere. Tot igitur rationibus inducti medici exercitationes corporis sanitati nullo pacto conferre & crediderunt, & ceteris persuadere conati sunt: sed eos vehementer aberrasse, omnes plane confitebuntur, si & exercitationis necessitatem, & naturam utilitatemve penitus considerare voluerint. Nam cum a corporibus nostris continuo effluant corpuscula, quæ nisi instaurarentur, vitam facillime perderent, ideo cibo, quoad vivimus, ut effluentes partes regenerentur, semper opus habemus; cibus autem, quantumvis opportunus, & inculpatus eligatur, numquam ita in substantiam membrorum convertitur, quin excrementa inutilia remaneant, quæ nisi continuo foras truderentur, haud difficile foret, aliquo temporis tractu usque adeo accumulari, ut calorem naturalem suffocarent; quod prævidens sagax natura meatus ac vias multas illis expurgandis paravit: quæ procul dubio cunctis exinaniendis cum non sufficiant, exercitatione indigemus, ut ea per motum attrita alias sudoribus, alias sensibilibus, & insensibilibus exspirationibus a nobis separemus: alioqui si ocio & torpore hujuscemodi excrementa retineantur periculum est, ne innumeræ morborum exitialium species generentur: & iccirco præclare Socrates apud Platonem in Theæteto dixit, *habitum corporum ab ocio & quiete destrui, ab exercitationibus vero & motibus conservari*; quod forsan ex eo (*a*) Hippocratis oraculo didicerat, ubi sanæ vitæ traducendæ rationem breviter exponens, ita scripsit: *ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων*, videlicet, quod in hoc sanitatis conservatio collocatur, *ut satietas ciborum vitetur, & exercitationes corporis in frequenti usu habeantur*. Accedit his, quod calor multitudine excrementorum per exercitationem exoneratus robustior efficitur, membra firmitatem majorem acquirunt, omnesque corporis virtutes in propriis perficiendis operationibus expeditiores & fortiores evadunt: ut recte dixerit (*a*) Hippocrates, sive Polybus, *ἄνθρωπος ἐσθίων οὐ δύναται ὑγιαίνειν, ἢν μὴ πονῇ*, quod scilicet *homo, qui comedit, minime sanus vivere potest, nisi laboret*. Sed ne Erasistratum atque Asclepiadem gratis refutare videamur, quales sint eorum rationes, perpendemus: primo concedimus, sanitatem in humorum æqualitate sitam esse, atque hanc æqualitatem ab optima succorum generatione & concoctione conservari; dicimus tamen concoctionem ipsam & a quiete effici, & ab exercitatione opportune ac moderate adhibita non parum adjuvari; quandoquidem si, ut nuper dicebamus, calor naturalis ab onere superfluitatum per exercitationem levatus valentior redditur, magisque excitatur, & sic excitatus concoctiones meliores parat, quomodo exercitationes opportunæ succorum optimam concoctionem non suggerant, simulque sanitatis conservationi non valde conducant, non video: unde si motum intempestivum concoctionem corrumpere fatebantur, & nos quoque illis assentimur; at si motum tempestivum, qualem exercitationem medici antiqui esse definierunt, idem efficere adstruxerunt, in aperta falsitate versari eorum dogmata cuivis perspectum est; eo magis quia exercitatis profundiores somni contingunt, quibus postea meliores concoctiones perficiuntur: ut non sine ratione dixerit Galenus primo de alimentis, neque pravos cibos offendere multum exercitationi deditos, nempe quibus profundi somni a laboribus eveniant, & tales deinde somnos optimæ concoctiones sequantur. Quod porro in secunda ratione afferebant exercitationem laborem adnexum gerere, & proinde voluptatem sanitati conjunctam, ipsamque sanitatem adimere, partim confirmamus, partim negamus; non diffitemur profecto exercitationem, quam vehementem motum anhelitum alterantem esse decrevimus, laboriosam aliqua ex parte fore, & tempore, quo peragitur, jucunditate carere; dicimus tamen, sanitatem interdum cum aliqua molestia posse permanere, dummodo neque illa modum excedat, neque multo tempore perduret, qualis est molestia exercitationi associata, quæ momentanea est, non immoderata, immo majoris & longioris delectationis præparatrix, nempe cum corpus a superfluitatibus liberet, omnisque naturalis exinanitio juxta (*b*) Aristotelis sententiam delectationem afferat. Ad tertiam rationem, qua etiam (*c*) Porphyrius philosophus adductus carnium usum ad sanitatem damnavit, respondemus falsum omnino esse, quod per eadem præsens sanitas conservetur, per quæ absens recuperatur, quoniam etiam ipse Asclepiades & Erasistratus per inediam trium & quatuor dierum, ut (*d*) Celsus & (*e*) Plinius testantur, multos affectus curabant, quam sanitati conservandæ maxime nocere, fatui quoque affirmarent: præterea Hippocrates, ejusque sequaces experimentis infinitis medicamenta sanitatem recuperare, si opportune sint adhibita,

a *Epid. sect. 4. aphor. 20.*

a *1. de diæta.* b *Probl. sect. 12.* c *2. de abst. ab animal.* d *Lib. 1. in proœmio.* e *Lib. 26. c. 2. & 3.*

comprobarunt; at iidem ſanos non modo a medicamentis, non juvari, ſed ſanitatem apprime lædi, palam enunciarunt: unde ſatis patet, propoſitionem, quam aſſumpſerunt, a veritate longe recedere; ne longior mea evadat oratio, ſi omnia quæ ad refutandam illam valerent, in medium afferre vellem. Erat illorum quarta ratio, ab exercitationibus calorem augeri, & ob id modum ſibi debitum, hoc eſt mediocritatem tranſire, & conſequenter nativum humidum, a quibus duobus univerſus ſanitatis ſtatus dependet, exhauriri; at eam veram minime eſſe facile convincetur, ſi exercitatio debite adminiſtrata, quemadmodum medici antiqui decreverunt, conſideretur; quæ tametſi calorem nativum augeat, ſuperfluoſque humores inaniat, ſi tamen adhibeatur eo modo, quo adhibendam inferius demonſtrabimus, tantum abeſt illam nativum humidum conſumere, aut ſanitatem aliquo pacto labefactare, ut potius extraneos humores diſſipando, ſuperfluitateſque abradendo, quæ ipſum humidum turbare ac inficere poſſent, idem conſervet, & ſimul cum calore vividum reddat, necnon carnes & cetera membra ſolidiora & puriora efficiat; ex quo venuſtiſſime (*a*) Galenus carnes utentium exercitatione τυροῖς ἀκριβῶς ἤδη πεπηγόσι, ſive *caſeis jam exacte coagulatis*, & non utentium τυροῖς ἐπιπηγνυμένοις, ſive *adhuc coagulationem ſubeuntibus* aſſimilavit. Quod autem ultimo addebant, in carceribus concluſos ſine ulla exercitatione ſanam vitam degere, ſi intelligant ſine exercitatione proprie dicta, quam vehementem motum eſſe definiebamus, vera dicunt, & nos quoque aſſentimur: at ſi de exercitatione communiter accepta loquantur, ut eorum fuit ſententia, dicimus in carcere concluſos vel frictione, vel aliquo alio motu fuiſſe uſos; alioqui ab omni motu penitus deſiſtentes, impoſſibile eſt, ut multo tempore ſani vivant, quando quotidie ea ratione complures ægrotare, atque etiam interire in carceribus videmus: unde (*b*) Averroes pravitatem ab exercitationis privatione naſcentem probaturus a carceratis argumentum accepit, nempe qui (dicebat is) facies cauticas, colorem impurum, & omnes operationes læſas habent, quod non magis homini, quam aliis animalibus latentibus, & volucribus in cavernis detentis accidere dicebat, quod ſi qui reperiuntur, qui in carceribus ſine ulla exercitatione degant ſani, illi perquam rari ſunt, & uſque adeo valida corporis conſtitutione formati, ut omnibus noxis fortiter obſiſtant. Neque putandum eſt, huic ſententiæ noſtræ (*c*) Hippocratem ullo pacto refragari, quod is peſtiferam illam in Thaſo aeris conſtitutionem deſcribens, pravoſque in illa genitos morbos recenſens, dixerit: Ἐγίνετο δὲ ταῦτα μειρακίοισι, νέοισιν, ἀκμάζουσι, καὶ τουτέων τοῖσι περὶ παλαίστρην, καὶ γυμνάσια πλείστοισι. Id eſt, *Fiebant autem hæc adoleſcentalis, juvenbus, ætate florentibus, atque horum ii præcipue, qui in palæſtris, & gymnaſiis exercebantur*: quoniam ſi recte verba auctoris vetuſtiſſimi examinentur, dictis noſtris maxime favent, cum ibi narretur, corpora exercitata ob calorem & virium firmitatem morbis illis magis reſtitiſſe, atque feliciori ceteris ſucceſſu evaſiſſe. Itaque nulli jam obſcurum eſſe arbitror, quam gravibus in erroribus verſarentur illi, qui (audacter ne magis, an inſolenter, an quod novarum opinionum ſtudioſi eſſent, ignoro) exercitationem ſanitatis conſervationi nullam opem præſtare affirmarunt: & contra, quam probe, & prudenter effecerit Hippocrates, Plato, & Galenus, & Avicenna, qui nullum præſtantius auxilium pro tuenda ſanitate reperiri ipſa recta victus ratione, necnon exercitationibus opportune adminiſtratis memoriæ tradiderunt: quæ duo cum diligenter profiterentur olim Perſæ, uſque adeo turpe reputarunt aliquos ſpuere, emungere, & flatibus plenos videri, quaſi ſic (ut ſcribit (*a*) Xenophon) coarguerentur neque modico victu uti, neque laboribus humiditates corporis conſumere.

CAP. III.

Improbatio eorum, qui omnes homines exerceri debere ſentiebant.

Refutata eorum falſa opinione, qui exercitationem corporis ad ſanitatem nihil conducere aſſerebant, jam eos confutare aggrediamur, qui omnibus nullo delectu habito injungendas exercitationes eſſe cenſuerunt: quos prædictis meliorem ſententiam habuiſſe, & ratio ipſa, & (*b*) Galeni auctoritas perſuadent. Iſti etenim animadvertentes, Hippocratem hanc indefinitam propoſitionem enunciaſſe, (*Labores cibum præcedant*) dixerunt ſenem præcepiſſe, ut omnes homines ante ciborum ſumptionem ſeſe exercerent: ad hæc ſententiam ſuam aliis rationibus confirmare nitebantur, quarum prima fuit, cunctos homines naturaliter exercitationibus inclinari, quemadmodum pueri vel mox in lucem editi atteſtari videntur, & propterea inclinationes a natura omnibus tributas ab omnibus etiam debere in uſum poni, nec ullo pacto irritas fieri, tanto magis quando inclinationes illas ob aliquod excellens bonum naturam elargiri in pluribus manifeſtatur, ſicuti in majori hominum parte exercitationum inclinationes in uſu poſitas ſanitatem bonum excellentiſſimum præſtare, nemo negat: alia ratio, qua moti iſti in ſimilem opinionem devenerunt, fuit, quod ſi omnes homines neceſſario excrementa generant, quæ continuo expelli neceſſe eſt, alioqui aucta & accumulata nativum colorem conſopirent, peſſimoſque morbos citra controverſiam progignerent, atque hujuſcemodi excrementorum magna pars per exercitationem expellitur, diſſlaturve; conſentaneum rationi plane videtur, nullum reperiri poſſe, qui exercitatione ad educendas quotidianas ſuperfluitates non indigeat, & ob id omnes homines exercitationem deſiderare; addebant inſuper, quod ſi aliqui reperirentur, quibus exercitatio minime conveniret, procul dubio eſſent illi, qui natura corporis imbecillimi ſunt, qui cum ab exercitationibus utilitatem capiant, ceteros quoſcumque ab iiſdem juvari, & iccirco illis uti debere conſequens eſt. His ergo rationibus perſuaſi cunctis paſſim hominibus ante cibum ſaltem injungendas exercitationes eſſe prædicabant: ſed & ipſi apertiſſime hallucinati deprehenduntur. Quoniam cum hominum naturæ & conditiones uſque adeo diverſæ ſint, ut neminem invenire (ſicut ſcribit (*c*) Galenus) alteri ſimilem prorſus liceat, ſintque quibus medicamenta noceant, quibus proſint, quos immodicus coitus, ſive λαγνεία ſecundum (*d*) Hippocratem, (*e*) Ariſtotelem, & (*f*) Galenum juvet, quos vel minimus lædat, & ſic de ſingulis: pariter rationabile fit, aliquos dari, qui non parum ab exercitationibus corporis offendantur, ut inferius monſtrabimus, & proinde univerſale illud

a *Com. 3. de vict. ac. aph. 1.* b *6. collect. cap. 2.* c *1. Epid. ſect. in principio.*

a *Lib. 1. de Cyri Pædia.* b *5. de tuend. valet. cap. 11.* c *2. de temp[illegible]amentis.* d *6. Epid. com.* e *1. part. prob. 51.* f *5. Aphrod[illegible]. 22*

præceptum non sine ingenti discrimine esse. Nam auctoritas illa Hippocratis, quam sibi favere sunt arbitrati, haudquaquam (ut bene sensit (*e*) Galenus) insinuat, quod omnibus hominibus exerceri conducat, immo de ordine exercitationis & cibi auctor ibi sermonem habuit: quasi innuere voluerit, quibus exercitari expedit, præcedere exercitationem cibos debere: quod porro idem censuerit, exercitationem haud cunctis prodesse, in libro de grassantibus morbis palam testatus est, ubi calidas naturas quiescere censet. Ratio vero prima, qua sententiam suam adstruebant, licet vera sit, atque a Platone, ac (*b*) Galeno confirmetur; nihilominus eorum dictis parum opitulatur: siquidem homines a natura profecto ad motus simpliciter inclinantur, & nullus est, modo sanam vitam degat, qui perpetuo otio torpeat, & nunquam moveatur; at quod iidem inclinentur ad eos vehementes motus, quos sub certis regulis complexos exercitationes vocamus, nulla ratio dictat, neque ullus sanæ mentis pronunciaret. Ex quo apparet ratione naturalis inclinationis minime cunctos exercitationibus aptos judicari debere. Ad alteram rationem, quæ certe multa probabilitate non caret, respondemus excrementa continuo in corporibus nostris collecta necessario esse tollenda, at quod solis proprie dictis exercitationibus hujuscemodi exinanitio peragatur, falsum omnino est: quando balneum, frictiones, insensibilis transpiratio, gestationes citra motus ullam vehementiam simili evacuationi perbelle satisfacere possunt, quemadmodum appositissimis Primigenis, & alterius cujusdam exemplis demonstravit (*c*) Galenus, quos ab imminentibus morbis exercitationis abstinentia, soliusque balnei usu se liberasse, sanosque conservasse testatur: quod vero postremo loco addebant, cum imbecillimi natura exercitationes requirant, alios quoscumque etiam requirere, dicimus assumptum verum esse, videlicet imbecilli corpore natos ab exercitationibus non parum juvamenti percipere, ut Socrates apud (*d*) Xenophontem sui ipsius exemplo probat, natura infirmissimos, si exerceantur, fortiores evadere, quam naturali fortitudine præditos, sed inexercitatos, & post Socratem Galenus, qui multos a natura infirmo corpore genitos moderatis exercitationibus naturæ errores correxisse, & quasi novum corporis, ac meliorem habitum regenerasse scribit: attamen consequens falsum esse confitemur, neque enim sequitur, imbecillimi exercendi sunt, ergo omnes alii; siquidem calidi & sicci immoderate, tametsi non sint imbecilles, caussis antedictis exercitationes non requirunt, quia vires non sunt, quæ exercitationem inhibeant, sed intemperies corporis, quæ dum ab exercitationibus augetur, eas prorsus noxias esse indicat. (*e*) Concluditur ergo, omnes homines exercitationes proprie dictas minime desiderare, atque illos, qui hoc asseverarunt, toto cælo aberrasse; quamvis exercitationem communiter acceptam, prout quaslibet vel minimas corporis agitationes complectitur, nemini sano negari posse fateamur, quando nihil sanitati tam hominum, quam brutorum æque perniciosum & letale invenitur, atque cujuslibet motus cessatio, consumatumve otium, quibus non tantum universus corporis habitus insigniter refrigeratur, calor nativus hebetatur, humiditates supervacuæ crescunt, molestusque quidam omnium virium torpor connutritur, verumetiam, ut dicebat (*f*) Galenus, cuncta membra tenuia, debilia, atque flaccida evadunt, & subinde non raro exitiales morbi nascuntur, qui ab humoribus frigidis plerumque originem ducentes, vel ad mortem, vel ad perpetuam valetudinis offensionem perducunt.

a 5. *de tuend. valet. cap.* 11. b 6. *Epid. con.* 4. c 5. *de tuend. valet. cap.* 11. d *In lib. de dictis, & factis Socratis.* e 2. *de tuend. valet.* f *lib. de cibis boni & mali succi. ut & lib. de caus. morborum, & lib. 2. de fract.*

CAP. IV.

Redarguuntur, qui assuetos solum exerceri volebant.

Restat falsa eorum opinio condemnanda, qui assuetos solum exerceri debere, inassuetos minime exercendos esse judicabant: quorum sententia tametsi speciem veritatis quandam præseferat, ceterisque duabus jure anteponi mereatur, haud tamen prorsus errore vacat, dum assuetudini nimium tribuere, qualique supra naturæ condiciones illam statuere videtur. Ceterum, ne horum placita injuste refellere credamur, & rationes, quibus adducti in eam sententiam iverunt, & errata, quæ commiserunt, & in medium proponemus, ut veritas facilius elucere æquo judici possit. Isti itaque cum legissent apud medicorum principem (*a*) Hippocratem, eos, *qui consueti sunt solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis, fortibus, & juvenibus facilius ferre; quæque ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, inassuetis minus incommodare*, asseveranter pronuntiarunt, neminem inassuetum exercitationibus, & laboribus committi debere, alioqui maximopere offendi, sed dumtaxat assuetos, nempe quos partes exercitatas robustiores habere, & propterea laboribus sine damno resistere experientia demonstrat: addebant his rationes, primo quod omnes illi, qui cuilibet rei insuescunt, magna ex parte naturæ suæ convenientem consuetudinem deligunt; quoniam lædentia experti, illa repudiant, & juvantibus adhærent: unde exercitationibus assueti in illis tamquam sibi familiaribus conservari debent: qui vero quiescendi consuetudinem contraxerunt, ab illa nullo pacto sunt removendi, quasi tales experti sint ab exercitationibus se ipsos offendi, & a quiete utilitatem capere. Secundo, quod juxta philosophorum & medicorum placita consuetudo in naturam transit, & iccirco non secus consuetudinem permutantes oblæduntur, atque illi, qui naturam pervertere, & adversus illius impetus obtendere conantur. Tertio, quod si consueti quiescere longo tempore sani ita vixerunt, verisimile fit, in eadem quiete reliquum vitæ cursum ipsos sanos peracturos; ex adverso verendum esse, ne iidem ægritudines diversas incurrant; siquidem permutantes in contrarium, vivendi rationem, & alia ipsi consequentia in contrarium statum permutari, necessarium videtur. Hujuscemodi ergo rationibus inducti, isti constanter affirmarunt, consuetudinem non debere mutari, & ideo solitos exerceri exercendos esse, & solitos quiescere in quiete permanere debere. Sed, ut dixi, licet hi minus culpandam sententiam secuti sint, attamen neque ipsi erroribus caruerunt, quia (*b*) Hippocrates in omnibus *ad inassueta transeundum esse* judicavit, ne quando ad illa descendere coacti graviora damna patiamur, quod magis agendum est, quando illa, quæ consueta sunt, nimis perniciosa existunt, qualis est consummata ab exercitationibus cessatio, unde Hippocratis citata auctoritas in eo sensu accipi debet, ut voluerit, quemadmodum & nos, velimus, nolimus, assentiri cogimur, assueta insoli-

a 2. *Apho.* 49. 50. b 2. *Aph.* 49. 50.

tis minus turbare, neque propter hoc interdixerit, quin ad insolita quandoque transeundum sit, & præsertim cum assueta valde prava sunt, & inassueta multo meliora. Primæ itaque rationi respondemus, assumptum falsum esse universaliter intellectum, quoniam sicuti multi consuetudinem naturæ eorum convenientem induunt, ita quamplures vel dulcedine allecti, vel negligentia, aut aliis detenti studiis, vel præ nimia stupiditate sese lædi non sentientes, in malis consuetudinibus, & naturæ ipsorum inimicis persistunt; quemadmodum faciunt quiescendo, & assueti, & dediti qui quietis voluptate delibuti non sentientes offensionem ei assueverunt; non autem quod eam unquam sibi ipsis convenientem elegerint, nimirum quam jam ante hominibus cunctis inimicam probavimus. Ad secundam vero rationem dicimus, naturam profecto, & consuetudinem parum differre; haud tamen sequi ex hoc, quod numquam consuetudo mutari debeat: quandoquidem si medici naturas pravas, id est naturales intemperies emendare, in meliusque permutare omni arte contendunt, ut sanitatem & habitum bonum corpori ingenerent, cur item pessimæ consuetudines ab illis in honestiores, & salubriores permutari nequeant, ignoro; eo præsertim quod facilius exuuntur, quæ consuetudine fuerunt contracta, quam quæ a principio ortus a natura tradita: accedit huc, quod otiandi consuetudo perniciosa est, quia (ut dicebat (*a*) Celsus) *potest incidere laboris necessitas*. Tertiæ præterea rationi opponimus eos, qui in pravis consuetudinibus persistunt, tametsi ob jucunditatem non advertant, perturbari, ut innuere voluit Hippocrates, dum haudquaquam inassueta deteriora non turbare, sed minus turbare dixit; neque propter hoc laudari, & probari debere, quod multo tempore in similibus consuetudinibus vitam sanam traduxerint: quoniam sicuti dicebat (*b*) Galenus, illi, qui cibis mali succi victitant, longo tempore malignitatem intus alentes, tandem qualibet vel minima occasione pessimos morbos incurrunt, similiter quoque in pessimis consuetudinibus perseverantes sæpenumero intus malos habitus concipiunt, quos per aliquod tempus non percipiunt, quousque humores pravi otio nutriti, & supra modum aucti incurabiles, & molestissimas ægritudines inducunt. Quamobrem elaborandum est universis sanam vitam optantibus, ut malæ consuetudini innutriti minime se voluptate atque damni ignorantia decipi sinant, immo quamprimum ab ea recedere, paullatim tamen, & ut dixit Hippocrates ἐκ προσαγωγῆς studeant, illud pro comperto habentes potius cum aliqua molestia permutandas esse perniciosas consuetudines, quam in illis cum delectatione persistendum. Atque hæc pro male de exercitationibus sentientium refutatione dicta sufficiant. Tempus modo est, quæ corpora exercitationibus accommodentur, quod tempus, & qui locus, demonstrare: sed antequam hoc aggrediamur, differentias, ut supra promisimus, ipsiusque tractationis ordo expostulat, exercitationum breviter percurremus.

CAP. V.

De exercitationum differentiis.

QUicumque ex antiquis exercitationum facultatem speculari, & scriptis tradere aggressi fuerunt, tres primarias illarum differentias effecerunt, quarum aliam παρασκευαστικὸν γυμνάσιον sive præviam exercitationem, alteram ἀποθεραπευτικόν, tertiam simpliciter exercitationem nuncuparunt. Prævia sive præparatoria exercitatio secundum (*a*) Galeni interpretationem erat motus quidam in mensura intra modum, in qualitate ipsa incitatior, ac celerior, quæ non modo corporis motu, verum etiam frictionibus, & unctionibus, similibusque aliis peragebatur, quaque ad curandam corporis rationem, cogendamve laxitatem, ut plurimum post venerem utebantur, quamvis etiam interdum uterentur ante alias graviores exercitationes, quod proprium athletarum fuisse scribit (*b*) Galenus, ne ab immodica quiete ad magnum motum perinde ac a contrario ad contrarium absque medio subitus fieret transitus. Ἀποθεραπευτικὴ exercitatio alia ut pars exercitationis, alia ut species a Galeno ponitur, atque utraque erat motus quidam quantitate mediocris, tardus, & citra valentiorem nixum subinde quietem interponens, modo frictionibus, modo ambulationibus, aliisque hujuscemodi motibus factus, qui tum emolliendis exiccatis a nimio labore corporibus, tum laxandis meatibus post graviores exercitationes, post vigilias, post mœrores inserviebat; & proinde hic motus a (*c*) Galeno extrema exercitationis pars nominatus reperitur, quoniam fere semper post magnas exercitationes, ne ad contrariam quietem illico transgrederentur, ipsam adhibebant, utpote qui ob tarditatem, & frequentem interpositam quietem medium inter exercitationem validam, & consummatam quietem teneret. Porro exercitatio simplex apud medicos gymnastas multas differentias habuisse (*d*) legitur, alias ab extrinsecis, alias ab utendi rationibus, alias a motus ipsius tum quantitate, tum qualitatibus desumptas; quæ ab extrinsecis accipiebantur, plerumque a loco nomen sortiebantur, quando vel sub dio, vel sub tecto, vel in mixta umbra, quam ὑποσυμμιγῆ Græci vocant, exercitatio peragebatur: item quando aut locus erat calens, aut frigidus, aut media temperie, & præterea aut plane siccus, aut humidus, aut medio modo attemperatus. Differentiæ ab utendi rationibus acceptæ hujuscemodi extiterunt, quoniam aut continuus erat motus, aut intermissus, & si continuus, æqualis, vel inæqualis; sin intermissus, aut certo ordine, aut citra ordinem; præterea, vel sine pulvere fiebat, vel cum pulvere, atque eo alias multo, alias modico; similiter agebatur, vel sine oleo, vel cum oleo, atque ipso alias exiguo, alias multo. Quæ autem ab ipsius motus quantitatibus acceptæ inveniuntur differentiæ, tales sunt, quod exercitationes vel multo tempore durabant, & multæ dicebantur, vel brevi, mediocri, atque paucæ, & mediocres vocabantur. Differentiæ a motus quantitatibus desumptæ illæ quoque fuerunt, quæ a vi motrice accipiebantur: nam si vis magna erat, magna exercitatio; sin parva, parva; sin mediocris, mediocris appellabatur. Porro a qualitatibus ita differentias a (*e*) Galeno captas invenio, quod aut in brevi tempore multum spatii metiebatur exercitatione, sive breve spatium sæpius in modico tempore terebatur, atque hæc exercitatio celer, acuta, & velox nuncupabatur, qualis cursus, umbratilis pugna, achrochirismus, lusus parvæ pilæ, & coryci, ἐμπλεθρίζειν, πιτυλίζειν, & quæ in palæstris actitabantur humi circumvolutationes; aut multum temporis in brevi spatio insumebatur, tardaque & lenta exercitatio

a *Lib. 1. cap. 3. in principio.* b *2. de alim.*

a *3. de tuend. valet. cap.* 11, 12. b *3. de tuend. valet. cap.* 8. *2. de tuend. valet. cap. 3. de tuend. valet. cap.* 12. c *2. de tuend. valet. cap.* 12. d *2. de tuend. valet. cap.* 8. e *2. de tuend. valet. cap.* 8. *& cap.* 10.

talis

talis motus nominabatur, ut lenta ambulatio, vectatio in lectica; aut in mediocri tempore mediocre spatium, sive breve pluries movendo peragebatur, sicque mediocris exercitatio evadebat: praeterea magnarum alia praeter vim, celeritatem quoque adnexam gerebat, & σφοδρὸν γυμνάσιον, id est *vehemens, robustaque exercitatio* dicebatur, ut celeriter fodere, discum mittere, sine intermissione saltare, grave telum jaculari, continuatis quam maxime ictibus, necnon gravi armatura celeriter agitari; alia sine velocitate fiebat, & εὔτονον γυμνάσιον, id est *valens exercitatio* vocabatur, sicut fodere, per acclivia ambulare, quatuor equos habenis simul coercere, funem manibus apprehensam scandere, halteres omnesque Milonis exercitationes: quod enim vehemens, & valens exercitatio communi nomine magna diceretur, ex his intelligere licet, quae (*a*) Galenus sexto popularium morborum scripta reliquit, ubi inter enumeratas exercitationes, & equitationem magnam vocavit. Similiter & parvarum alia cum aliqua velocitate fiebat, & remissa, sive ἔκλυτος vocabatur, alia sine ulla celeritate, & ἀμυδρός, sive languida, aut imbecillis dicebatur, ex quibus duobus generibus erant vectationes sellis, lecticis, navibus piscatoriis, & similes gestationes: alia neque vehemens, valens, remissa, languida, sed harum omnium media erat, mediaque & mediocris appellabatur, quales moderatae equitationes, & moderatae ambulationes. Repetentes igitur has, & tot fuisse exercitationum differentias dicimus, *praeviam, apotherapeuticam, & simplicem; simplicium alia sub dio agebatur, alia sub tecto, alia in mixta umbra, alia in loco frigido, alia in calido, alia in humido, alia in sicco, alia in horum medio*; praeterea, *aut erat perpetua assiduaque; & vel aequalis, vel inaequalis, aut intermissa, & vel inordinata, vel ordinata cum pulvere multo, vel exiguo; aut sine pulvere, aut cum oleo modico, vel multo, aut sine oleo, aut multa, aut minor, aut mediocris, aut velox, celer, & acuta, aut tarda, & lenta, aut mediocris, aut magna, & sive vehemens, robustaque, sive valens, aut parva, & vel remissa, vel languida, & imbecillis, aut media*. Supersunt modo dubitationes duae solvendae ex dictis nostris subortae, prima est, quod exercitationum differentias partientes aliam vehementem, aliam remissam & parvam effecimus, cum tamen (*b*) Galenus apertissime scriptum reliquerit, *non omnem motum esse exercitationem, sed vehementiorem*. Secunda est, quod inter ceteras exercitationes fodere collocavimus, quem laborem Galenus non exercitationem simpliciter, sed exercitationem simul & opus esse judicavit. Primae dubitationi facile respondetur, exercitationem communiter acceptam a nobis in tot differentias fuisse partitam, Galenum vero non hanc motum vehementem esse definivisse, sed potius exercitationem proprie vocatam; & propterea nullo modo sententia nostra illius sententiae repugnare videtur; sed si quis adhuc a nobis sciscitaretur, numquid exercitatio propria ullas differentias habeat parvitatis, magnitudinis, & hujuscemodi, huic ita satisfactum iri volumus, exercitationem propriam, quamquam ex se vehemens motus semper existat, nihilominus alteram alteri, atque etiam sibi comparatam, modo parvam, modo magnam, modo debilem, modo robustam nuncupari. Nam lusus pilae magnae, & lucta sunt proprie exercitationes, quae si alias remissius, alias intensius ab eodem agantur, nunc magnae & intensae, nunc parvae & remissae vocabuntur: pariter hae eaedem exercitationes juveni non admodum valido magnae & vehementes erunt, si laboriose fiant, at in robusto athleta respectu habito parvae & remissae apparebunt. Pro secundae dubitationis solutione dicimus, proprium rerum characterem ut plurimum a finibus donari, & proinde easdem res, prout variis finibus aguntur, varios characteres, variaque nomina obtinere: si enim temperaturas corporum humanorum gratia tantum sciendi quis contempletur, sciens, & philosophus naturalis vocabitur; sin gratia eas vel conservandi, vel corrigendi speculetur, & artificis, & medici nomine erit dignus. Idem plane dicendum est de fossione, cujus finis si sit terrae cultura & fructus perceptio, opus proculdubio & labor ipsa vocanda erit; sed si finis dumtaxat existat, corpora ad valetudinem exercere, profecto exercitatio vocari debet, quo pacto nos intelleximus, quando inter exercitationes alias fodere recensuimus, & quod de fossione diximus, idem quoque de similibus, quae opera videntur, intelligi debere volumus. Nam Pittacus ille Mitylenaeorum Rex mola rundere solebat ἐνεργῷ (inquit (*a*) Clemens Alexandrinus) γυμνασίῳ χρώμενος. Quin noster (*b*) Galenus de seipso refert aliquando hyeme in agro deprehensum esse, dum ligna finderet, hordeumque in pila tunderet, & degluberet, aliaque exercendi dumtaxat corporis gratia faceret, quae opera quotidie agrestes agere solent. Hoc idem (*c*) Martialis poeta factitare se solitum fuisse, hisce carmininibus insinuat.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce Deos oro, famulos post arva reviso.
Partibus atque meis justos indico labores.
Inde lego, Phoebumque cio, musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palaestra,
Stringo libens, animo gaudens, ac foenore liber.
Pondero, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco.
Dum parvus lychnus modicum consumit olivi,
Haec dat nocturnis nox lucubrata camoenis.

Unde patet, multa alio fine opera, alio exercitationes vocari, & ob id non ignoranter fossionem a nobis atque etiam a Galeno, & Antyllo inter corporis exercitationes enumerari. Jam ad alia transeamus.

CAP. VI.

De corporum morborum, & sanitatis generibus.

Postquam adversus male de exercitationibus opinantes disputando, neque omnia corpora hominum exercenda, neque omnibus interdicendas exercitationes esse, demonstravimus; aequum est jam, quae corpora exerceri conveniat, docere. Tria enim a medicis corporum genera esse traduntur, *aegra, neutra, & sana*; quorum tametsi multae factae sint species, atque differentiae; nos tamen, qui aliud intendimus, solum has

a *con.* 1. *aph.* 6. b 2. *de tuend. valet. cap.* 2. & 2. *aph. epigr.* 90.

a *Lib.* 3. *Paedag. c.* 10. b *de tuend. valet. c.* 8. c *Lib.* 4. *col.* 16.

tres corporum species accipiemus, ea scilicet quæ præsenti valetudine fruuntur, atque operationes illæsas habent, licet alioqui nec perfecte sana, nec undequaque temperata videantur; ea, quæ infirma sunt, ac vel jam decumbunt, vel ita operationes sensibiliter offensas habent, ut nullo modo opera sanorum obire valeant, ea quæ veluti inter utraque hæc media posita ab auctoribus medicinæ valetudinaria nuncupantur, quæve nec prorsus ægra, nec omnino sana nostris sensibus apparent. His itaque sic constitutis tertium aliud animadversione dignum succedit, quod tria quoque extant morborum genera, primum in *intemperie positum*, secundum *in mala formatione*, tertium *in continuitatis solutione*. Morbus in intemperie oritur, quando totum corpus (sub nomine corporis intelligo, & humores, & spiritus, & membra solida) sive illius pars aliqua aut immoderate calefit, aut frigefit, aut humectatur, aut exiccatur, vel simul frigefit & exiccatur, vel frigefit atque humectatur, vel calefit & humectatur, vel calefit atque exiccatur: his namque omnibus totum illud morbi genus continetur, quod intemperiem vocarunt medici; quam alias simplicem, alias cum humorum affluxu nuncupasse reperiuntur, sub appellatione simplicis eam intelligentes, quæ suapte natura citra alterius affectionis societatem corpus interturbat; sub nomine vero intemperiei cum affluxu nihil aliud insinuantes, nisi intemperiem, quæ & ex se, & una cum affectione ab humoribus oriente, utpote inflammatione, timoreve aliquo corporis operationes lædit, & sanitatis statum e medio tollit. Morbus in prava formatione generatur quotiescumque corpus, seu corporis pars debita figura caret, aut debita quantitate, aut justo numero, aut conveniente situ. Morbus in solutione continuitatis efficitur, quando pars aliqua, seu aliquod corporis membrum a natura unum factum divisionem patitur, sive talis divisio intrinsecus, sive extrinsecus proficiscatur. Tot itidem modis sanitas morbo contraria constat, nimirum quæ intemperie, in optima formatione, in unitate partium, essentiam atque consistentiam propriam obtineat. Nam de singulis istis τύπῳ ac in universum sermonem habuisse sufficit, cum illi, qui hæc lecturi sunt, si magis exquisitam eorum cognitionem habere optabunt, libros medicorum perscrutari queant, neque a nobis hæc diligentius pertractata requirere debeant, qui aliis studentes extra propositos limites nimis divagari non possumus; sed jam quæ ex antedictis corpora exercitari conveniant, examinare cogimur.

CAP. VII.

An corpora ægra ullo pacto exerceri conveniat.

Dubitatum fuit antiquissimis usque temporibus, an, sicuti corpora sana ac valetudinaria ad augendam, confirmandam, conservandamque valetudinem ab exercitationibus non exiguam commoditatem capiunt, ita quoque ægra corpora aliquo pacto exerceri valerent, quo tam ad leniendas ægritudinum molestias, quam ad recuperandam sanitatem uti liceret. Inter eos qui infirmos exerceri debere asseverarunt, primus extitit Petronas, deinde Prodicus, sive Herodicus, qui cursibus, & luctationibus febrientes interficiebat, ambo ab (*a*) Hippocrate in tali dogmate vehementer damnati. Petronam imitatus posterioribus seculis Asclepiades, ut hominum favorem aucuparetur, non modo languentibus varias exercitationes ad voluptatem potius, quam ad sanitatem spectantes indulgebat, verumetiam (quod elegantissime scripsit Celsus) cutantis quoque luxuriæ subscribebat: ut non sine magna ratione Plinius deinde Asclepiadem jucundum curandi modum calluisse prædicaverit. Qui præter hos simili sententiæ hærere maluerunt, Æsculapium dixerunt ita vocatum: παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως τοὺς νοσοῦντας: id est, *quod ægrotos suaviter exerceret*, quando prius ἤπιος vocabatur. Ex altera parte, non defuerunt, qui neminem ægrotum exercendum esse, sed cunctos in quiete contineri debere, asseruerint. Inter hos medii Galenus, Herodotus, Antyllus, Ætius, & Avicenna, quemadmodum ab omnibus ægris non simpliciter exercitationes amoveri voluerunt, ita nec iis placuit, quoscumque quovis motus genere exercitari, sed & in ægris ipsis & in exercitationibus eligendis magnam distinctionem & curam habendam esse jusserunt; ut quod morbosum corpus, qua exercitatione, & qua quiete indigeat, ne ullas perturbationes, motionesque sustineat, optime pernoscatur. Quocirca secundum istos corpora, quæ immodica intemperie calida laborant, nullis vehementibus remissisve exercitationibus accommodantur, quod calor, qui diminui debet, ab illis potius augmentum suscipit, quemadmodum (*a*) Galenus de Primigene summa caliditate laborante narrat, qui nedum a vehementioribus exercitationibus, immo & ab exiguis deambulationibus in porticu ante balneum factis magnopere lædebatur: unde merito condemnandus est Asclepiades Prusiensis, qui in ardentibus febribus, referente (*b*) Celso, gestationibus utebatur, in aliis vero febribus, & morbis, medicamenta ac vomitiones tollens, inedia, siti, vigilia, luce primis diebus ægrotantes instar tortoris, excruciabat, aliis autem diebus ambulationibus, gestationibus, balneis, lectulisque pensilibus exercebat. In his etenim Galeni & Antylli sententia extat, *acuta febre laborantes ab omni motu removendos*, *in longis febribus atque morbis* (quos omnes nonnulli ex antiquis medicis aliptarum officio transmittendos, ut refert (*c*) Cælius Aurelianus, falso crediderunt) *ubi accessio urget*, *nullo pacto exercendos*, at in intervallis decubitum non semper conferre, immo aliquando utiles esse motiones, exercitationesque; quod innuisse Hippocratem arbitror, dum in septimo epidemiorum dicebat, *aliquos inveniri infirmos*, *qui*, *ne penitus torpeant*, *a lecto expellendi sunt*: quod item innuere voluit (*d*) Aristoteles libro moralium Nicomachiorum decimo, ubi scripsit *febricitantibus in universum diætam*, *atque inediam conferre*, *alicui tamen forte non ita conducere*. Qui præterea corpus aridum, ac insigniter exiccatum habent, si exerceantur, aridiores evadunt, & ideo illis quies apprime congruit, quam humectandi vim possidere nemo ignorat, quamque (*e*) Hippocrates dum calidis naturis convenire scribit, nec immodice calidas intemperies intelligit, nec auctore Galeno quamlibet motus, sed vehementioris tantum cessationem, sicuti nos hic de siccis corporibus intelligimus, quæ gestationibus & vectationibus aliquibus, at non magnis motibus exerceri possunt, dummodo vires permittant, exercitationesque moderatæ sint; alioqui sicut ex moderato motu calor exurgit, excitaturque, nec non humores paulatim evanescunt; pariter ex immodico calor infirmus extinguitur, humiditatesque magis diffundun-

a 6. *Epid. sect.* 3 *Aphor.* 23.

a 5. *de tuend. valet. cap.* 12. b *Li.* 2. *c.* 15. c *In p. oœm. lib. chron.* d *Cap.* 16. e *loc. citatis*.

tur. Corpora item calida & ficca immoderate nullis exercitationibus aptantur, minus quoque calida & humida, nempe quæ graviori quam cetera morbo fubjiciantur, majorique cura opus habeant, Frigida porro, fimulque ficca corpora vel nullis exercitationibus, vel minimis, & valde remiffis exerceri debent, cum femper præter morbi peculiarem afflictionem imbecilles vires habeant: exercitationibus non ita offenduntur corpora frigida, ficuti neque humida. At frigida & humida aliorum omnium maxime exercitationes fuftinent; quod motus exiccando & calefaciendo veluti quoddam remedium fit, modo tamen non extra modum adhibeatur. Atque hæc omnia dicta intelligantur de illis ægrotis dumtaxat, qui univerfum corpus intemperatum habent, quoniam fi quis in fola corporis parte membrove, aut in pluribus intemperiem patiatur, reperirique poffit modus, quo partes fanæ citra ægrarum offenfionem exerceantur, proculdubio huic ægroto exercitatio magis accommodata erit; quippe quæ fanarum partium habitum bonum confirmans, infirmis etiam confequentia quadam auxilium præftet. Colligentes igitur dicimus, nullum corpus intemperie quavis laborans magna, & vehementi exercitatione gaudere; fed aliquod reperiri, cui exercitationes exiguæ, & valde moderatæ auxilium afferant interdum: quales vero exercitationes fint illæ, & qualibus in morbis, atque corporibus unaquæque congruat, in fequentibus libris declarabimus, ubi particulares fingularium exercitationum facultates uberius enarrabimus. De morbofis ob malam formationem corporibus fimili prope via determinari debet, modo illi non a generationis principiis, fed nuper, & cafu (ut ita dicam) ortum duxerint. Hæc etenim five totam corporis figuram depravatam, ut in leucophlegmatia, five partem aliquam deformatam habeant, nifi affectus alii impedientes affocientur, ab exercitationibus utilitatem capiunt, nempe quæ & con torta dirigere, & afpera lenire, & tumida deprimere, & depreffa elevare, & oppleta exinanire, & exinanita explere, & obftructa aperire queant. Ad hæc morbos in quantitate genitos non raro exercitationes tollere confueverunt, quandoquidem univerfalem corporis molem auctam nihil eft quod magis auferat, quam exercitationes vehementes, & veloces jejunis adhibitæ: quas carnes & fuccos detrahere dixit (*a*) Hippocrates, & poft ipfum (*b*) Galenus: hoc namque remedio Nicomachum Smyrnæum, qui adeo craffitie creverat, ut neque podicem manibus tangere, neque corpus movere poffet, ab Æfculapio curatum effe, mihi verifimile videtur; fimili modo extenuata & gracilia corpora nihil æque ad carnofum & bonum habitum reftituit, ac tarda & lenis exercitatio, quæ concoctiones omnes infigniter adjuvans efficit, ut nutrimentum perbelle diftribuatur: ficque macie affecta corpora probe nutrita carnem ac pinguedinem acquirant: ita fane fe multos, & toto corpore & cruribus extenuatos curaffe gloriatur (*c*) Galenus, ficut item Germanicum a tenuitate crurum, equitationis beneficio, liberatum alias diximus. Corpora fubinde, a morbo innumero correpta, five is fuperfluus, five mancus fit, exercitationes ex fe minime recufant, & tunc præfertim, quando fimilis morbus haud eft innatus, veluti in lapillis renum, qui ex vehementi motu, concuffioneque ab anguftis renum viis ad latiores, tandemque ad ipfam veficam defcendentes magnas ægrotis moleftias adimunt. Corpora vero ægritudine in fitu laborantia, modo non ab ortu, nullum fere exercitationis genus admittunt, quod membra dum proprium locum atque finum amiferunt, non modo reponenda funt in propriam fedem, verumetiam poftquam repofita fuerunt, tamdiu ab omni motus genere arcenda, quoad optime confirmata priftinum habitum repararint, alioqui fi moverentur, majori nocumento afficerentur: quo fit, ut hac infirmitate capti majori ex parte exercitari non debeant. Atque hæc de fecundo morborum genere, mala formatione fcilicet laborantibus corporibus dicta fufficiant. Remanent corpora tertio genere morborum continuatis videlicet folutione correpta, quæ folutio vel in cute, vel in carne, vel in offibus, vel in nervis, ac hujufce generis fimilibus contingere folet, atque modo fola, modo febribus affociata; ubi corpus aliquam ex his folutionem febri affociatam habet, nullo modo exerceri debet, quandoquidem, fi raro febricitantibus exercitationes conveniunt, quanto minus convenient, ubi aliis morbis turbabuntur? Quod fi citra febrem fola continui folutio adfit, eaque fit in parte nobili atque vitæ maxime neceffaria, veluti cerebro, ventriculo, jecore, ac fimilibus, proculdubio exercitationes quævis maxime nocent, nempe quæ, & fpiritus parti affectæ neceffarios valde diftrahant, & humores omnes tunc agitent, quando firmos & quietos effe conveniret, ne ob eorum affluxum morbus magis incrudefceret. Alia membra ignobiliora fi patiantur continuitatis divifionem, poterunt ægri mediocriter exerceri, modo nec infignis fit affectus, nec pars laborans exerceatur. Sunt nonnulli hac ægritudine capti, qui non parvam utilitatem a moderatis, immoderatifque exercitationibus percipiunt, quales fcabiofi, quorum cutis cum ab humoribus falfis & acutis difcindatur, ex motu vehementi efficitur, ut humores illi tam per fudorem, quam per occultam tranfpirationem evacuentur, atque ipfis evacuatis a morbo liberentur. Quamobrem acri judicio diligentique animadverfione in his omnibus opus eft, quo optime cognofcatur in quibus morbofis corporibus congruant exercitationes, & in quibus minus, habita femper præ oculis univerfali hac ratione, cujus ductu rariffime contingunt errata, poffuntque particularia ita dirigi, ut nunquam loco auxiliorum damna fuccedant.

CAP. VIII.

De corporibus valetudinariis & fenilibus exercendis.

Quamvis apud medicos (ut fupra diximus) inter corpora *ægra* atque *fana* reponantur *neutra*, illaque in multiplices differentias partiantur, quia tamen parum ad noftram tractationem pertinent, eorum loco *valetudinaria* ftatuemus, cum quibus comprehendi volumus tum omnes illos, qui recenter a morbis ac decubitu evaferunt, nec dum perfecte antiquum habitum recuperarunt; tum fenes plerofque, nempe quos (*a*) Galenus *eodem modo, quo valetudinarios, curari debere* præcepit; nec abfque ratione, fiquidem fenectus, auctore Ariftotele, *eft quidam naturalis morbus*: unde, qui funt ætate graves, eam vivendi rationem fuftinere nequeunt, quam fani perferunt. Ergo valetudinariis illis, qui mox a

a *Lib. de fal. diæta. & in 6. epid. fect. 3. aphorif. 2.* b *Galenus de differentiis morborum cap. 9.* c *In 6. epid. com. 3. & fecundo de temperam. & 2. & 3. de tuend. valet.*

a *5. de tuend. valet. c. 11. & in arte medic. c. ultimo. 5. de generat. animalium cap. 4.*

morbis evaserunt, inter cetera remedia pro integra valetudine ipsis accommodata præcipua est corporis exercitatio, a qua membra eorum firmantur, humorum reliquiæ inaniuntur, calor excitatur, & denique totus corporis habitus restituitur. Est tamen omne studium adhibendum, ut a principio lenes, breves, tardi, ac remissi motus existant, deinceps, prout vires magis invalescunt, similiter & magnitudo ac longitudo exercitationis augeatur, tandemque in mente illud ἐκ προσαγωγῆς tantopere ab Hippocrate decantatum semper habendum erit, ne ob importunum ab extremo ad extremum transitum majora errata committantur, & pro virium restitutione imbecillitas major, sive prostratio succedat: proinde merito damnandus venit (*a*) Averroes, qui *morbosa corpora quotidie exercenda esse usque ad sudoris initium, atque anhelitus elevationem* nimis libere consuluit: ita enim vehemens exercitatio tantum abest, ut valetudinariis, sive morbosis (quemadmodum ipse vocat) ullum effatu dignum beneficium præstet, ut potius vires adhuc debiles magis consternet, caloremque nativum ex morbo vix reviviscentem fere extinguat, aut saltem insigniter hebetet; siquidem bonus est in convalescentibus, sed exiguus (ut scribit (*b*) Galenus) sanguis, atque una cum ipso spiritus vitalis & animalis; ipsæ vero particulæ solidæ ficciores, & consequenter eorum vires sunt imbecilliores, atque earumdem ratione corpus universum frigidius: unde ad emendandam hujuscemodi indispositionem necessaria sunt quæcumque probum atque securum exhibent alimentum: & præter hæc moderati motus, quales vehicula, ambulationes lenes; non vehementes motus, qui sicuti solidas partes arefactas ficciores reddunt, ita calorem diminuunt, & vires imbecillas consumunt. Ceterum senes, quorum ætas plurimam ob caloris defectum, excrementorum copiam coacervat, exercitationibus magnopere gaudent, tum ad expurganda hujuscemodi recrementa, tum etiam ad conservandum, atque placidi cujusdam venti instar excitandum, accendendumve calorem, qui secus nimio torpore extingui periclitaretur. Attamen in præscribendis senum exercitationibus quatuor animadverti debent, *vires*, *corporis affectus*, *consuetudo*, & *vitia particularia*, quæ plerumque senum corpora infestare solent: ratione virium, quas senes semper imbecilliores habent, acutas exercitationes, vehementes, & multas, quæ corpus ficcant, extenuant, & infirmant, maximopere cavere debent, sequi vero mitiores, quales sunt gestatio, ac intra lassitudinem inambulatio. Prodicus enim qui valetudinis studiosissimus extitit, & ob id (*c*) (Aristotele auctore) ea omnia, quibus ceteri cum voluptate utuntur, recusavit, jam ingravescente ætate (ut refert Plato in Phædro) *Athenis ad Megaræ mœnia ibat, indeque domum revertebatur*: quæ exercitationis mensura haudquaquam omnibus senibus accommodari posset, cum Plato ipse eum, & sibi, & aliis nimio exercendi studio molestiam peperisse dicat. Antiochus pariter medicus, annos natus plusquam octoginta, quotidie fere, ut scribit Galenus, domo ad forum stadiorum trium spatio, atque interim ad visendos ægrotos pedibus ambulare solebat: quod si ei longius ire necesse erat, sella, aut vehiculo utebatur. Ad hæc narrat (*d*) Plinius secundus, Spurinam virum in vivendo maxime providum, quique, aurium & oculorum vigore integro, nec non agili ac vivido corpore, septuagesimum septimum annum attigit, hanc regulam constantissime servasse, ut *mane lectulo contineretur, hora secunda indueretur, ambularetque millia passuum tria, mox legeret, vel colloqueretur, deinde consideret, tum vehiculum adscenderet, peractisque ita septem millibus passuum iterum ambularet mille, iterum resideret, vel se cubiculo, aut stylo redderet; ubi hora balnei nunciata foret, (quæ erat hyeme nona, æstate octava) in sole, si caruisset vento, ambularet nudus, deinde pila moveretur, vehementer, & diu; postmodum lotus accumberet, & paulisper cibum differret.* Ob totius corporis affectum exercitationes senum in hunc modum determinari debent, quoniam corpus optimi status, sicut in juventute ad vehementissimos quosque labores idoneum maxime est, ita in senecta se habet ad omnes mediocres, qui vero senes aut crassis sunt cruribus, aut lato pectore, aut cruribus ultra quod par est, gracilibus, aut quorum corpus exiguo est thorace, aut admodum angusto, aut valgum est, varumve, aut alio quovis pacto a mediocritate recedens, id ad eas omnes exercitationes ineptum redditur, quæ vitiosa membra magis offendere, quam juvare possunt, ut vociferatio thoracem, ambulatio crura, & similiter. Jam vero consuetudo maximam sibi vendicat partem ad exercitationis speciem deligendam, quando Hippocrates dixit, eos, qui soliti sunt labores ferre, etsi fuerint imbecilles, vel senes, non consuetis, fortibus, atque juvenibus solitos facilius ferre: nam sicuti consueta minime lassant, quos exercent, immo etiam delectant, pariter insueta tum molestiam adferunt, tum lassant. Senes igitur omnes consuetis laboribus exercitari debent, sed tamen vehementia eorum remissa, quia, si corpora senilia vigorem, calorem, robur, & omnia denique diminuta habent, juventutis respectu exercitationes quoque minores requirere, rationi consentaneum est. Ultimo, vitia corporum senilium propria exercitationum ipsis nequaquam convenientium genus demonstrabunt: quæ enim ex levi caussa, a vertigine, comitiali morbo, gravi ophthalmia, auditus imbecillitate capiuntur, exercitationes caput offendentes evitare necesse est: similiter & in omnibus aliis affectibus, non solum senes, verum & cujusque ætatis homines ita se gerere debent, ut iis exercitationibus sedulo abstineant, quæ patientes partes magis exercere, & perturbare natæ sunt. Sic itaque de valetudinariis, ac senilibus corporibus exercendis statuendum erit.

Cap. IX.

De corporibus sanis exercendis.

Quicumque corporis exercitationes sanitati inutiles minime reputarunt, in sanis eas præ ceteris commendandas esse dixerunt, tanquam necessarium prope existat, si exercitationes ad bonum habitum comparandum, atque valetudinem conservandam non ignobile auxilium præstant, quod in sanis maxime adjumentum ostendere possint. Hoc tamen verum est, antiquos medicos multas sanorum corporum differentias effecisse, inter quas primum locum obtinet corpus illud perfecta sanitate præditum, quod mensura & regula ceteris positum fuit, potiusque mente designari, quam in ulla regione reipsa inveniri potest: etsi (*a*) Galenus multa corpora temperata in sua regione inveniri memoriæ prodiderit. De tali namque corpore nullibi existente

a 6. *collect. cap.* 6. b *In arte medic. cap. ult.* c 1. *Rhetor. cap.* 5. d *Libro* 3. *epistola* 1.

a 2. *de tuend. valet. cap.* 7.

sermonem non sum habiturus, sed de illis tantum agam, quæ ita præsente sanitate fruuntur, ut valeant sine ulla modestia cunctas illas actiones obire, quæ communiter ab omnibus exercentur. cum enim medicus artifex sensilium rerum existat, quæ sensui sese produnt, & non quæ sola cogitatione comprehenduntur, tractare debet. Hæc itaque corpora sana, quoniam quotidie comedunt, atque nutriuntur, necessario multa excrementa generant, quæ nisi continuo a corpore per exercitationes educantur, tandem pravas dispositiones ingenerant: unde prudenter scripsit (a) Galenus, *hominem, si utatur mediocri exercitatione, & bene concoquat, corpus a superfluitatibus mundum reddere*. Verum enim vero in sanis quoque plurima consideratione digna sese offerunt, tam ex parte exercitationum, quam ex parte exercitandorum. Ex parte exercitationum sciri debet, *nullam exercitationem, nec violentam, neque immodicam esse debere*, ut in libro περὶ μικρᾶς σφαίρας adnotavit Galenus: & propterea exercitationes fossorum & messorum nemini fere eorum conveniunt, qui prospera valetudine fruuntur; celeres motus, & vehementes in robustis commendantur, qualis lucta, discus, pila, & hujuscemodi, eo magis si consueti fuerint; moderati omnes quibusvis fere aptantur. Porro ex parte corporum exercitandorum his mentem adhiberi oportet, *consuetudini, ætati, habitui universali corporis, particulari rationi vivendi, necnon temperaturæ*. De consuetudine sæpius diximus etiam in omnibus observari debere, siquidem quæ consuetæ sunt exercitationes, licet sint aut nimis vehementes, aut nimis remissæ, inassuetis majorem utilitatem atque delectationem pariunt; at si quis vel minus, vel plusquam consuevit interdum exerceatur, protinus molestia evidenter afficitur, ita ut non raro febres hac ratione contingere, scripserit (b) Galenus, dum exercitationes consuetæ dimittuntur. Quod vero ad ætatem pertinet, jam diximus, provectos, & senes remissiores quam cæteros, & pauciores exercitationes poscere, pueri, juvenes, atque viri motibus fere omnibus pro sua quisque ætate sufficiunt, modo aliud quid non prohibeat, aut modum corporibus privatorum, & non athletarum convenientem minime exercitationes transcendant. Juvenes enim (dicebat Hippocrates, sive Polybus in primo de morbis) si plus consueto laborent, convulsionibus fortibus, & rupturis variis carnium, venarumque statim, & magis, quam senes tentantur, quod corpus robustum & siccum habent, carnem densam, validam, ossibus tenaciter adhærentem, cui circumdata cutis valde tenditur. quæ omnia minus senibus insunt, & propterea illi rarius hujuscemodi malis capiuntur. De universali autem corporis habitu sic determinandum censeo, quod pingues & obesi, quanto magis exerceantur, tanto prosperiore sanitate utuntur, quando dicebat (c) Aristoteles, motu pinguedinem eliquari; quod si etiam exercitationes sint vehementes atque acutæ, nihil omnino nocebunt. Nam Hippocrates corpulentorum itinera velocia debere esse voluit: quin etiam (d) Galenus inter cætera, quæ ad extenuandum virum illum obesum quadraginta annos natum administravit, se cursum velocem adhibuisse testatur. Contra graciles in consummata fere quiete detineri (e) postulant, quia sicuti corpulenti & crassi contrarias habitudines ex contrariis ortas habent, ita contraria pro ipsorum salute exposcere

a *aph.* 28. b *lib. de caussis mor. cap.* 21. *de differentiis feb. cap.* . c 3. *de partibus animalium cap.* 9. d 14. *Meth. cap.* 15. e *Lib. de sal. diæta.* 10. *aph.* 2. *de tuend. valet.*

videntur, alioqui magnopere læduntur; sique aliqui sunt, quibus exercitatio prodesse judicetur, ii proculdubio pauca, & valde remissa opus habent. unde sapientissimus (a) Hippocrates summa ratione jussit, ut *graciles iter facturi lentis passibus incedant*, quos item mangones, & medici crassefacere volentes, virgis verberabant, ut caro elevaretur, & ad eam alimentum traheretur. Qui vero inter pingues & graciles, vel εὔσαρκοι sive quadrati, vel parum ad alteram partem declinantes existunt, si mediocriter, aut etiam vehementer, modo non immodice exerceantur, utilitatem insignem percipiunt; nimirum cum eorum calor ita magis conservetur, superfluitatesque quotidianæ exhauriantur. De particulari membrorum habitu idem dicendum crassas scilicet partes magis exercendas, tenues minus, nisi earum tenuitas ex nutrimenti distributione impedita, vel defectu proficiscatur: quo in casu, & exercitatio convenit, & genus illud unguenti, etiam pilis avellendis a medicis excogitatum, *dropax* vocatum, de quo Martialis lib. III. LXXIV.

Psilothro faciemque lavas, & dropace calvam,
Numquid tonsorem Gargiliane times?

& lib. X. LXV.

Levis dropace tu quotidiano,
Hirsutis ego cruribus, genisque.

Pariter, & partes omnes corporis mediæ inter graciles, & crassas exercendæ sunt. In ratione vivendi hoc insuper animadverti debet, ut, qui parum comedunt, parum exerceantur, juxta Hippocratis legem, *ubi fame laborandum non est*; qui item vigilant, ab exercitationibus arcendi, ne magis exiccentur, neve molestiæ molestia major superaddatur, contra qui multum comedunt, multum exerceri debent, quoniam dicebat Hippocrates, *non potest homo comedens sanus vivere, nisi laboret*: in talibus enim opus est multo calore, ut multum concoquant, multus calor ab exercitatione, dicebat (b) Galenus, facile suppeditatur, præterea multum manducantes magnam excrementorum copiam aggenerant, quæ nisi magnis, & multis laboribus diminuatur, in pravas dispositiones corpus deducunt. qui similiter multum, & profunde dormiunt, multis quoque exercitationibus indigent, quandoquidem in istis perspirationes retinentur, atque adeo sanguinis copia partes exteriores deserit, subitque interiora, ut adacto cultello non æque effluere valeat, quemadmodum scribit (c) Aristoteles, & ob id somnolenti omnes decolorati evadunt, unde hos satis exercitari necesse est, quo perspirationibus aditus patefiat, sanguisve ad exteriora servanda atque nutrienda revocetur. Demum ob temperaturæ rationem sic de exercitationibus judicium ferendum credo, ut sicci, vel nihil omnino, vel lente satis & minimum laboriose exerceantur. nam exercitationes, quas suapte natura exiccare constat, si in siccis corporibus adhibeantur, quin intemperiem augeant, nemo sanæ mentis dubitarit. Calidi quoque, & præsertim acri, ac mordaci calore præditi exercitationes modicas requirunt, ne a motu plus æquo incalescant, ipsisque, ut scribit (d) Galenus, solæ in necessariis actionibus obeundis motiones factæ sufficiunt. Unde (e) Aristoteles, quærens, cur alii sedendo pinguefiant, alii macrescant, ideo evenire dicit, quoniam alii frigidi sunt, alii cali-

a *de sal. diæta. aph.* 3 b 2. *de tu. val.* c 3. *de histor. animal. c* 9. d 4. *Aph.* 13. 6. *epid. com.* 4. *aph.* 15. e 6. *partic. Prob.* 1.

di, alii excrementosi, alii non; & qui calidi sunt, pinguefiunt sedendo, cum eorum calor sine motu cibi concoctioni sufficiat, similiter & non excrementosi. Qui vero excrementis abundant, & frigida temperie sunt, macrescunt sedendo, quoniam a quiete eorum calor quasi torpescit, & ob id minus concoquit; pariter & excrementa non expelluntur, immo crescunt. De calidis hujuscemodi (*a*) Hippocrates sermonem habuit, quando dixit: Ἐν θερμῷ ψυχρὸν ποτὸν, ὕδωρ, ἐλινύειν, videlicet, *quod calidis naturis refrigeratio, atque potus, & quies conveniunt*; similiter & cum scripsit: Ὁκόσοις δὲ δίψα λαμβάνουσιν, τουτέοισι τῶν τε σιτίων, καὶ τῶν ταλαιπωριῶν ἀφαιρέειν, iis scilicet *minuendum esse, & laborem, & cibum, quos ob calorem infestat sitis*. Ex quo simul clarum efficitur, frigida corpora vehementer atque multum exercenda esse. Porro an humida ab exercitationibus juvamen percipiant, non immerito dubitari posset; eo quod (*b*) Aristoteles scriptum reliquit, corpora humida a labore suffocari, quia a caliditate motus humidum in vapores convertitur, qui mox copiosi & fervidi effecti calorem nativum suffocant: attamen ratio secus persuadere videtur, quæ demonstrat humida corpora excrementis abundare, & propterea ipsis labores validos congruere, tum ad exuberantem humiditatem consumendam, tum ad superfluitatum copiam adimendam. Quapropter, sicuti notat Petrus Apponensis, sententiam Aristotelis de illis intelligere oportet, in quibus quatuor concurrunt, ut sint humidi, & calidi, ut humiditas sit multa, evaporabilis, atque circa pulmonem: tales enim si laborent, & multum exerceantur, periculum est, ne humiditas a calore intrinseco acuto in vapores conversa pulmonis, & cordis regionem occupando suffocationem inducat. Qui ab his humidam corporis temperiem possident, nullum nocumentum, quinimmo egregiam utilitatem ab exercitationibus & laboribus percipiunt; atque hac ratione ex mulieribus humida temperie in universum præditis illæ saniorem & minus molestam vitam degunt, quæ diutius & valentius elaborant & exercentur, sicut & eædem apud quas gentes, & in quibus locis laborare consueverunt, facilius pariunt, ut scribit (*c*) Aristoteles; neque uterum difficulter gerunt, cum labor ea recrementa consumat, quæ in mulieribus otiosis & sellulariis augentur. Quæcunque vero corpora calida simul & sicca sunt, nullo pacto exerceri convenit; quæ calida & humida, exercitationem admittunt, at moderatam, non vehementem, non citatam: frigida & sicca ratione frigiditatis exercenda, ratione autem siccitatis neque celeres, neque validos motus requirunt, sed moderatos, & potius lentos: frigida atque humida omnium maxime ab exercitationibus vehementibus & velocibus juvantur, quippe quæ supervacaneam humiditatem absumunt, & calorem nativum excitant, augentque. Sic igitur de corporibus exercendis in universum determinatum sit.

CAP. X.

De locis in quibus exercitationes fieri debent.

Tanta est locorum vis atque proprietas, quibus res in ipsis factæ variis modis disponuntur, ut non modo plantarum naturæ, sicuti Theophrastus scribit, non modo brutorum facultates, quemadmodum auctor est Aristoteles, verum & ipsorum hominum corpora, atque animi, secundum Hippocratis & Platonis sententiam, prout in diversis locis vel nascuntur, vel aluntur, diversis atque mirificis conditionibus afficiantur. Quapropter maximis laudibus digni sunt veteres medici, qui in singulis fere eorum artis operationibus, locorum qualitates considerandas omni diligentia præceperunt. Nam extant loca, atque regiones, in quibus, si ea fiant, quæ in aliis feliciter aguntur, contrarium prope finem consequuntur: id quod præ cæteris illi quoque magnopere spectare debent, qui vel sanitatis tuendæ, vel boni corporis habitus acquirendi gratia, propria, atque etiam aliorum corpora exercere volunt: qui nisi in eligendis opportunis locis valde mentem adhibeant, sæpenumero dum juvare credunt, non contemnenda damna, neque negligendas affectiones incurrunt. Circa itaque loci ad exercendum electionem tria præcipue magna consideratione digna occurrunt; Primum est, *ut sit ab optimis ventis perspiratus, & a pravis obtectus*: unde loca ad septentrionem & orientem, a quibus salubriores auræ perflant, posita, occidentalibus, & meridionalibus continuo præferenda erunt: illa enim neque immodico calore fervescunt, neque frigore & humore situs contrahunt, nec perniciosis vaporationibus, a flatibus adductis, inficiuntur; hæc vero præter æstum & frigus intensum, quæ modo uno tempore, modo altero inducuntur, insaluberrimas perspirationes ventorum ratione plerumque patiuntur. quod si loca haberi poterunt, quæ ventorum tranquillitate fruantur, quæque prorsus temperata sint, qualem & Hippocratis, & suam patriam extitisse refert (*a*) Galenus, proculdubio hæc cunctis præstabunt: alioqui maxime curandum erit, ne vehementissime saltem ibi venti spirent, quod corpora sese exercentium a motu atque calore aperta facillime ventorum incursus ad interiora admittunt, atque sic postea perniciosos affectus ingenti periculo concipiunt. Atque hac ratione a ventis, & optimo cæli situ desumpta factum puto, ut alii hyemales, alii æstivas thermas extruxerint: nam hyemales in transtyberina regione Aurelianum Cæsarem fecisse, auctor est Vopiscus, quæ ad meridiem expositæ solis radiis attemperabantur, & proinde hyemalibus exercitationibus valde accommodatæ erant; æstivas vero ædificasse Gordianum juniorem, scribit Julius Capitolinus, quæ inter Cælium montem & Esquilias positæ, opacitatem quandam blandam, & gratissimas umbras exercentibus se præbebant. Secundum in electione loci considerandum est, ut *sit apertus, non conclusus, non opacus*, quoniam, ubi liberior existit aer, minusque constipatus, corpora in ipso exercitata agiliora & vividiora redduntur, quam si in crasso, denso & concluso exercerentur. Atque hinc est, quod (ut libro II. diximus) inter loca deambulationibus destinata, (*b*) Vitruvius, & Cornelius Celsus magis hypæthron commendarunt, quam porticus, & hypogeum; sicut & Phædrus apud Platonem in dialogo ipsius nomine inscripto ex sententia Acumeni medici, cujus etiam a (*c*) Xenophonte celebris fit mentio, deambulationem extra civitatem factam ei, quæ in civitatibus efficitur, prætulit hisce verbis: Τῷ δὲ ἐμῷ καὶ σῷ πειθόμενος Ἀκουμενῷ κατὰ τὰς ὁδοὺς ποιοῦμαι, τοὺς περιπάτους· φησὶ γὰρ ἀκοπωτέρους τῶν ἐν τοῖς δρόμοις εἶναι. idest, *Meo autem, & tuo obediens sodali Acumeno in viis ambulationes facio: has enim dixit minorem lassitudinem parere, quam illas quæ in cursibus aguntur*. De hoc enim Platonis loco cum supra promiserimus, nos plura dicturos,

a *6. Epid. sect. 4.* b *5. partic. probl. 9.* c *4. de gen. animalium, cap. 6.*

a *2. de tuend. val. c. 7.* b *lib. 5. c. 7.* c *lib. de dict. & fact. Socratis.*

jam occasio pollicita servandi opportuna sese offert, eo magis quod Marsilius Ficinus, vir alioqui doctissimus, dum Phædri sententiam esse credidit, ut faciliores sint ambulationes, quam cursus, duplicem errorem turpiter commisit; tum quia textus Græci litteram, aut non intellexit, aut sine necessitate transmutavit, dum loco τῷ ἐν τοῖς δρόμοις, perinde transtulit, ac si textus habuisset τῶν δρόμων, tum quia Phædro, & Acumeno ridiculam prope rem se adscripsisse non animadvertit; quis quæso adeo insulsus & ignarus est, quin cognoscat ambulare facilius esse, quam currere? Melius igitur Janus Cornarius, qui nuper Platonem Latinum fecit, sententiam illam interpretatus est, cum Phædrum fecerit dicentem *salubriores esse ambulationes in viis, quam in cursibus factas*, quod ut accipiendum atque intelligendum sit, varias inveni doctorum hominum opiniones; alii namque arbitrati sunt δρόμους, sive *cursus* apud veteres Græcos fuisse in urbibus vias planas, sed ob lapides stratos asperiusculas & breves, ita appellatas ob frequentiam hominum per eas ambulantium, eo pacto, quo etiam hodierna die apud multos civitatum viæ magis frequentatæ *cursus* nuncupantur. cui sententiæ opitulari videtur Hippocrates V. Epid. ubi mentionem cujusdam facit, qui prope cursum habitabat his verbis: Ὁ παρὰ τὸν δρόμον οἰκέων, τῆς νυκτὸς αἷμα ἐμέσας. id est, *quidam prope cursum habitans nocte sanguinem evomuit*, ὁδοὺς vero sive *vias* dixerunt fuisse quascumque vias extra civitatem nulla arte fabricatas, nullis legibus stratas, sed inæquales, minime planas, & denique tales, quales vel natura, vel casu factæ reperiuntur; atque ideo Acumenum magis ambulationem in viis, quam in cursibus probasse: quoniam sicuti secundum (*a*) Celsum, & ipso antiquiorem (*b*) Aristotelem, fortasse Acumenum in hoc secutum, τῶν περιπάτων οἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοπώτεροί εἰσιν οἱ ἀνώμαλοι τῶν εὐθειῶν, id est, *ambulationum illæ minus delassant, quæ fiunt in viis inæqualibus, quam rectis*, cum ambulantes per loca plana & æqualia semper iisdem membris laborent, ambulantes vero per inæqualia toti corpori laborem magis distribuant, & iccirco minus defatigentur; ita ambulationes per vias factæ, utpote inæquales factis in cursibus nimirum æqualibus existentibus faciliores eadem ratione existunt. Alii dixerunt τοὺς δρόμους extitisse loca quædam tractu brevi ambulationibus dicata similia iis, quæ in palæstra antiqui ob ambulandi commoditatem ædificabant, quæque ἐπιδρομίδας vocatas tradit Vitruvius, & quorum clarissimam mentionem fecit Eupolis, apud Laertium in Platone, ἐν εὐσκίοις δρόμοισι Ἀκαδήμου θεοῦ, id est, *in ambulacris Academi Dei umbrosis*. vias vero extitisse illas, quas paullo ante ex prædictorum opinione indicavimus, & ob id Acumenum recte sensisse, dum ambulationes in viis minus, quam in cursibus defatigare censuit; quandoquidem (*c*) Aristoteles scriptum reliquit, *eos ambulando magis defatigari, qui per vias breves euntes sæpe ac sæpius repetere coguntur, quam illi, qui longas vias perambulantes numquam repetunt*, cum illi priores modo quiescentes, modo euntes ab inæquali motione perturbentur, quod minus istis evenire perspicuum est. Hos postremos melius cæteris sensisse, semper ego putavi, non tam quod ambulatio in viis peracta eligibilior sit, quam in cursibus, tum ob rationes prædictas, tum ob liberiorem, & puriorem aerem, qui non in locis brevibus, & occlusis, sed in viis apertis crebrius infunditur: quam quod cursum ita Platonem in Phædro intelligere, verisimilius est, quando & in principio Theæteti

a *Libro* 1. c. 2. b *Probl. par.* 1. 37. c *c.4.paotic.Prob.*1.

simili voce in eadem prorsus significatione uti videtur sub his verbis: Ἄρτι γὰρ ἐν τῷ ἔξω δρόμῳ ἠλείφοντο ἑταῖροί τινες οὗτοι αὐτοῦ, καὶ αὐτός, νῦν δέ μοι δοκοῦσιν ἀλειψάμενοι δεῦρο ἰέναι. id est, *nuper enim & ipse, & isti ejus sodales in exteriori cursu uncti sunt. nunc autem uncti huc accedere mihi videntur*: quod idem innuisse videtur Antyllus apud Oribasium. Atque hactenus de Platonis loci explicatione. Tertium circa capienda loca illis considerandum, qui ob sanitatem conservandam, atque optimum habitum comparandum corporis exercitationibus operam navant, est, ut omne studium adhibeatur, ne a finitimis regionibus ad exercitationis locum ulla labes emanare valeat, quæ aerem inficiens mox corpora exercitata spongiæ instar quidvis recipientia labefactet: talia namque solent esse loca prope paludes, stagna, specus, lacus, syros, atque hujusmodi, quæ sedula & ingenti cura semper evitare oportet. Eadem ratione & loca secundum mare ad meridiem, aut occidentem spectantia fugienda erunt, quoniam (*a*) Vitruvio auctore, *cælum meridianum per æstatem sole exoriente calescit, meridie ardet*, unde exercitari sine magno incommodo nemo ibi potest. Quod si superbissimæ atque innumeræ illæ porticus ob deambulationes & alias exercitationes, ut supra retulimus, erectæ, si amplissima illa gymnasia ad hoc a majoribus nostris magnifice exædificata haberentur, nullus profecto locus aptior inveniri posset, qui omnibus fere exercitationum generibus magis sufficeret: sed, quoniam illorum ruinas vix nobis intueri licet, danda opera erit, ut unusquisque locum secundum conditiones jam explicatas eligat, illud semper mente revolvens, tametsi multæ sint exercitationes, quæ loca angusta & occlusa exposcere videntur, in iis tamen haud parum delectum quoque haberi debere: ut, si non omnes qualitates, aliquas saltem earum, & meliores ex iis, quas in medium proposuimus, habeant. Quamobrem scitissime consuluit (*b*) Galenus, ut domus in qua exercitandi sunt homines, hyeme calida, æstate frigida, vel semper temperata eligatur, sin minus, procuretur, ne ipso præsertim die calidior frigidiorve sit, quam publicus totius urbis aer. Quas omnes prædictas conditiones uno verbo complexus esse videtur (*c*) Ætius Amidenus, ubi gestationem, navigationem, & omnem denique exercitationem in salubri loco, & puro aere fieri debere scripsit. Aliæ similiter possent indicari locorum conditiones, nempe inæqualitas situs, planities, & hujusmodi: sed, quia partim explicatæ fuerunt, partim supervacaneæ sunt, plurimæ sub prædictis comprehenduntur, huic tractationi de loco finem imponens, temporis explicationem aggrediar, ubi prius adnotavero, cogi interdum homines sese in loco a sole percusso exercere, qui magnopere cavere debent, ne unquam sedeant, vel quiescant, siquidem (*d*) Aristoteles scriptum reliquit, *se exercentes sub sole magis uri dum sedent, quam dum moventur*; quoniam cum in motu sunt aerem agitant, quasique spiritu ventilantur; cum vero sedent, quia aer immotus permanet, vim solis acriorem experiuntur.

a *lib.* 1. *c.* 4. b 2. *de tuend. valetud. cap.* 7. c *Lib.* 3. *c.* 7. d 38. *partic. Probl.* 6.

CAP. XI.

De tempore exercitationibus apto.

DUo sunt temporis genera naturalia, ita ab auctoribus medicinæ appellata, sine quorum observatione non modo res ad sanitatem pertinentes, verum etiam actiones atque operationes hominum omnes male infeliciterque peraguntur: alterum est universale, sub quo ver, æstas, autumnus, & hyems comprehenduntur, alterum particulare, quod singulorum dierum horas separatim complectitur. Dixi naturalia, ad differentiam accidentalium, sive contingentium, quæ non ita perpetuo & firmo ordine eveniunt, sicut illa: nam tempus australe, aquilonare, boreale, nimis frigidum, calidum, aut siccum, nubilum, serenum, lucidum, nebulosum sunt differentiæ accidentales inordinate atque contingenter evenientes: de quibus in exercitandis corporibus in hunc modum breviter statuendum erit, videlicet singulas illas temporum constitutiones evitandas esse, in quibus vehementissime venti perspirant, præsertim quando pessimi sunt, ut australes & aquilonares plurimi, a quibus corpora motu rarefacta & infirmata valde læduntur. similiter quoque fugienda sunt tempora nimis frigida, nimis calida, nimis sicca. Nimium enim frigus, cum a calore exercitatorum superari nequeat, fortius eos afficit; quia, auctore (*a*) Aristotele, *pingue, a laboribus consumptum, calorem, & teporem servare non potest.* amplius corpora motu perspiratioria, & solutiora effecta, meatusque per sudationem patefacti frigus intima majore vi penetrare permittunt. accedit etiam quod sese exercentes aerem continuo permutant, ac permovent, & iccirco, uti dicebat (*b*) Aristoteles, *currentes hyeme, magis rigent stantibus.* quod aer nostra ambiens corpora, cum stamus, ubi semel concalefactus est, nullam amplius molestiam infert; cum autem currimus, alius atque alius subinde frigidus occurrit, itaque fit, ut magis rigeamus. Pariter qui in extremis frigoribus exercentur, vehementius a rigore percutiuntur: nimius præterea calor exerceri vetat, necnon siccitas immodica, quoniam alter calorem nativum & universum corpus immoderate resolvit, altera magis, quam par sit, humiditates exiccat. Tempus item exercitationibus serenum, atque lucidum eligendum erit, fugiendum vero nubilum, obscurum, crassum; quando sic aer depravatus etiam absque exercitatione apertos corporis meatus facile subit, humoresque secum invehens membris non sine noxa affigit, & per consequens graviora non sine ratione corpora reddit, animumque deinceps gravat; quod in sereno nusquam animadvertitur, quin potius ab illo corpora ad motum adjuvari, spiritusque suapte natura luciditati amicos confirmari, & animum recreari perspicuum est. id quod (*c*) Hippocratem significasse puto, ubi dixit, *Αμα ταῖς ὥραισιν μεταβάλλεται ἀκοιλίαι, καὶ τὰ πνεύματα, ventres scilicet & spiritus temporis constitutionibus commutari.* Porro de naturalibus temporis exercendi generibus varia ab antiquis determinata invenio, & primo, quantum attinet ad universale tempus, (*d*) Aristoteles ex sententia omnium veterum auctorum censuit *potius exercenda esse humana corpora in æstate, quam in hyeme,* sub nomine hyemis, ut Petrus Aponensis judicavit, autumnum, hyemem, & ver intelligens. Atque ad hoc credendum ea ratione permotus fuit, quod in æstate calor naturalis languidus ac debilis existens minus cibos, crudosque humores concoquit: unde excrementa plura generantur, & ob id exercitatione calor nativus magis excitandus, ut concoquat honestius, magisque sudor motu proliciendus, quo excrementa illa exinaniantur, neque intus retenta putredinem contrahant. In hyeme vero, quod validiore existente nativo calore, & per consequens melius cibos, & incoctos humores conficiente excrementa paucissima generantur, atque inde minus illa educi necessarium est, neque exercitatio convenit, quæ exiguam utilitatem afferens periculum magnum adnexum habet, ne scilicet aer hyeme madore oppletus corpora motu reclusa illabens magnopere lædat. Ex altera parte vetustissimus auctor (*a*) Hippocrates sive Polybus tria exercitandos homines admonitos voluit, *ut lassitudinem omni tempore caverent, ut deambulationibus matutinis corpus exercerent, ut hyeme & frigido tempore magis ac diutius exercerentur, cessantes tamen priusquam lassitudinem atque calorem sentirent.* Hippocratem deinde secutus (*b*) Soranus Ephesius, Paulus (*c*) Ægineta, & alii medici multi æstate, & autumno minus; hyeme, & vere plus exercendum esse maluerunt; judicantes æstate, atque etiam autumno corpora ab ambiente aere satis exiccata squalentiaque reddita haud amplius per motum arefieri debere, neque item calorem alioqui languidum & imbecillem magis retundendum minuendumve. (*d*) Galenus vero, multarum rerum, quas medici sequuntur, auctor bonus censuisse videtur, quod sicuti corpora temperata in temperato tempore, nempe vere, exerceri postulant, simili pacto corpora frigida in calido, calida in frigido, humida in sicco, sicca in humido exercenda sint: quasi semper illud observari debeat, ut corporibus ad aliquam intemperiem declinantibus tempus, atque locus contraria in exercendo eligantur. Neque hoc in loco prætermittendum censeo, quod (*e*) Plinius Junior scribit de exercitatione æstatis tempore a se fieri solita, ubi a Fusco interrogatus, quomodo diem æstate in Tuscis dispensaret, in hunc modum respondit de exercitationibus, *ubi hora quarta vel quinta: (neque enim certum dimensumque tempus,) ut dies suasit, in xystum me, vel cryptoporticum confero, reliqua meditor & dicto, vehiculum adscendo. Ibi quoque idem quod ambulans, aut jacens, durat intentio, mutatione ipsa refecta paullum redormio, deinde ambulo, mox orationem Græcam Latinamve clare & intente, non tam vocis caussa, quam stomachi lego, pariter tamen & illa firmatur. Iterum ambulo, ungor, exerceor, lavor.* & paullo post. *Nonnumquam ex hoc ordine aliqua mutantur. nam si diu jacui, vel ambulavi, post somnum demum lectionemque non vehiculo, sed quod brevius, quia velocius, equo gestor, venor aliquando.* In particulari porro tempore exercitationis describendo Aristoteles aliquando motum eum (ut ipsi etiam imputat (*f*) Plutarchus) qui post sumptum cibum fit, commendavit, eo quod tunc calor a motu auctus cibum mox ingestum facilius concoquat, cujus tamen contrarium evenit, quando per motum calor a ventriculo ad universum corporis ambitum retractus non solum non adjuvat concoctionem, quinimmo impedit, crudosque & indigestos succos intra venas rapit. Igitur si (*g*) Aristoteles hanc habuit sententiam, in manifesto errore deprehenditur, tanto magis quod Hippocrates,

a 6. partic. Probl. 6. b 6 partic. Probl. 12. c Lib. de aere aq. & loc. d 2. partic. prob. 21. 33. & 42.

a 3. de diæta. b In Isagoge medicinæ c. 5. c Lib. 1. c. 53. d 2. de tuend. val. c. 7. e Lib. 9. epist. 36. f lib. de tuend. sanit. g Loc. cit.

Gale-

Galenus, & omnes denique probati medici uno ore pronunciarunt, *ſemper exercitationem ante cibum eſſe faciendam* ὥσπερ γὰρ dicebat (*a*) Galen. *μέγιστόν ἐστιν εἰς τὴν ὑγιείαν τὸ πρὸ τοῦ σιτεῖσθαι γυμνάσιον, οὕτω καὶ βλαβερώτατον ἐπὶ σίτοισιν ἡ πᾶσα κίνησις.* ideſt, *quemadmodum enim ad ſanitatem maxime conducit ante cibum peracta exercitatio, ita quivis motus poſt cibum pernicioſiſſimus exiſtit.* Nam dum exercitatio cibos præcedit, duplex, ac utraque inſignis ſuccedit utilitas, altera, quod calor nativus excitatur, augetur, & ad futuram concoctionem perbelle præparatur, altera, quod ſuccos utiles in univerſum corpus, prout deſtinati ſunt, optime diſtribuit, excrementis faciliorem exitum præbet: quæ alioqui ſi retineantur, obſtructiones, ac multos alios morbos retuſo nativo calore progignere ſolent. Ex adverſo ſi poſt cibum quis exercitationes adeat, nedum univerſi corporis habitui innumeræ cruditates infarciuntur, verumetiam univerſalis ſuccorum coctio impeditur. id in omnibus evenire teſtatus eſt Theophraſtus, ubi, quæ coquuntur, a motu impediri hunc in modum ſcripſit, *ἐπεὶ καὶ τὰ ἑψόμενα κωλύεται, μὴ ἐν καιρῷ κινούμενα.* Quocirca magnopere damnandi ſunt Eraſiſtratus, atque Diocles, qui falſis rationibus decepti ſanguinem excreantes phthiſicos, alioſque plurimos valetudinarios deambulationibus poſt cibum (*b*) exercebant. Quæ tamen de motu vehementiore intelligenda puto, quod Avicennas exiguum a cibo motum in ventriculo melius eum accommodare, præſertim quando mox dormiendum eſt, docet. quod etiam Ariſtotelem ſignificaſſe conſentaneum eſt, ubi ſcripſit *ambulationem poſt cenam efficere, ne ad os ventriculi ſupernatent edulia.* Tria tamen hoc in loco obſervanda eſſe judico: primum eſt, *ut nullus exercitationem moliatur, niſi prius excrementa per nares, os, alvum, & veſicam expulerit*, cum haud tutam eſſe exercitationem non inanito corpore clament (*c*) Galenus, & (*d*) Avicenna, & ad hæc etiam heſternus cibus apprime concoctus ſit; quoniam ſi prius vel poſterius quis exercitationem adeat, aut crudis humoribus, variiſque recrementis implebitur, aut pallidæ bilis proventum augebit. cognoſcetur autem cibum jam concoctum eſſe, tum ex eructationibus, tum ex urinis, quæ dum albidiores ſunt, abſtinendum a motu demonſtrant, dum vero ex albidis flaviores evaſerunt, jam tempus exercendi adeſſe indicant. Secundum obſervandum eſt, *ne ſtomacho immodice vacuo ac plane eſuriente labor, vel exercitatio obeatur:* quoniam hoc pacto eveniet, ut ingeſtus cibus, necdum accommodatus, concoctuſve a ſtomacho rabiente, & conſequenter a membris valde famelicis avide nimis rapiatur, & proinde cruditates, & obſtructiones innumeræ ſuboriantur, quod probe intelligens (*e*) Hippocrates dixit: *ὅκου λιμὸς οὐ πονητέον*, id eſt, *ubi fames, laborandum non eſt.* Tertium obſervandum eſt, *ne ſtatim poſt exercitationem cibus aſſumatur*, ſed modica interjiciatur mora, quouſque fervor remittatur & agitatio corporis jam ſedata appareat. id quod Spurinam ſenem in ſanitate conſervanda diligentiſſimum obſervaſſe ſemper, auctor eſt Plinius Junior: quodque (*f*) Galenus, & ab Eraſiſtrato, & ab aliis antiquioribus medicis confirmatum fuiſſe, ſcribit; craſſi tamen, qui tenuiores fieri ſtudent, excipiendi ſunt, quos (*g*) Hippocrates ſive Polybus anhelantes ab exercitatione cibum capere conſuluit in libro de ſalubri diæta. (*h*) Ariſtoteles quoque hoc ideo non eſſe faciundum cenſuit, quoniam corpus ſtatim poſt exercitationem adhuc purgatur, a labore nondum quieſcit, & præterea excrementa citata redundant: unde nec fames tunc oritur, neque calor cibo coquendo vacare poteſt. ob quod minus etiam exercitati debent ſtatim frigida lavari, aut vinum, vel aquam frigidam potare: a frigida enim lotione hominem lædi metus eſt, utpote qui jam ex multa exercitatione, & rarior eſt redditus, & vacuus; vinum ſimiliter caput exercitatis ſtatim exhibitum vehementer ferit, qua ratione illud prorſus evitabant athletæ poſt exercitationes, ſi (*a*) Galeno credimus: frigidum autem valde quodcumque poſt exercitationes illico aſſumptum ventrem, & jecur offendit, nonnullos item nervis oblæſos, atque alios ſubito mortuos, quod poſt vehementem exercitationem vinum frigidum valde biberint, refert (*b*) Galenus. De hora autem diei particulari, in qua homines ſani, de quibus fere tota eſt tractatio, exercitationibus corporis valetudinis gratia operam navare debent, ita decretum apud Galenum & Avicennam reperio, *Vere meridianam horam eligendam eſſe*, quando aeris ſtatus temperatior exiſtit: *Æſtate matutinam*, ut diei æſtus, quantum fieri poteſt, evitetur, quam horam in deambulando commendaſſe ſimpliciter viſus eſt (*c*) Hippocrates, quamque ſemper adamaſſe Alexandrum Macedonum regem, apud Plutarchum legimus: dum is rejectis obſoniorum artificibus longe ſe commodiores ſecum afferre, nempe matutinam ambulationem ad condiendum prandium, & prandii tenuitatem ad condiendam cenam dictitabat: Sophocles in Electra, Pauſanias & Philoſtratus VI. de Appollonio teſtantur ſolitum gymnaſia Græcorum, ante ſolis ortum aperiri, primum Curſores committi, ut leviores exercitationes, a meridie vero graviores fieri conſueviſſe, ut luctam, atque pancratium, autumno & hyeme veſpertinam, niſi vel cibus mane ſumptus, vel quid aliud vetat. Nam cum hiſce temporibus mane aer frigidior ſit, aliæque diei breves admodum partes in negotiis neceſſariis conſumantur, & præterea cibus quantumvis exiguus mane ſumptus non poſſit, niſi veſpere, concoctus eſſe, ea ſola hora exercitationibus apta ab antiquis probata eſt; unde Marcus Antonius imperator, qui valetudinis omnium fuit ſtudioſiſſimus breviſſimis diebus, ut refert (*d*) Galenus, *ſole occidente palæſtram* (ubi pila, curſu, & pugilatu eum ſe exercuiſſe puto, quando hujuſcemodi exercitationes ipſi ſummopere placuiſſe, atque in iis plurimum valuiſſe, ſcribit, Capitolinus) *ingrediebatur: longiſſimis autem bora nona, aut ad ſummum decima:* Quam horam una cum octava fere communem omnium hominum in exercendis corporibus fuiſſe, teſtari videtur (*e*) Martialis, ubi quomodo Romæ diei horæ diſpenſarentur, ad Euphemum ita ſcribit.

Prima ſalutantes, atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia cauſſidicos,
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,
Imperat exſtructos frangere nona thoros,
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Præparat ambroſias cum tua cura dapes;
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,
Ingentique tenet pocula plena manu.
Tunc admitte jocos: greſſu timet ire licenti,
Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

a *Lib. de cib. bo. & ma. ſucci.* b *Cæl. Aur. lib. 2. chro. c. 13. & 14.* c *de tuend. valet. cap. 2.* d *Lib. fen. 3. doc. 2. cap. 3.* e *2. Aph. 16. Avicen. lib. 1. fen. 3. tract. 2. cap. 3.* f *6. epid. 3.* h *6. Ep. 1. con. 3. aph. 2.* g *partic. 5. prob. 28. & 30.*

a *3. de ſalub. diæta cap. 22.* b *2. de acutis.* c *lib. 3. de diæta.* d *6. de tuend. valet. cap. 5.* e *Lib. 4. epigr.*

quamvis alios etiam fuisse constat, qui hora ab octava diversa exercerentur: ut de Alexandro Severo imperatore prudentissimo constat, de quo scribit Lampridius. *Quod si necessitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat. Post actus publicos seu bellicos, seu civiles lectioni Grecæ variorum auctorum operam dabat, post lectionem palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctationibus mollioribus incumbebat, atque inde unctus lavabatur, ita ut caldariis vel numquam, vel raro, piscinis semper uteretur, in eaque una bora prope maneret: biberet etiam frigidam Claudiam jejunus ad unum prope sextarium. Egressus balneis multum lactis & panis sumebat, ova deinde, mulsum, atque bis refectus aliquando prandium inibat, aliquando usque ad cœnam differebat, pransus est tamen sæpius.* (a) Horatius quoque paullo diversius, & seipsum, & alios libere viventes in exercitationibus efficere solitos, attestari videtur, ubi post multa hæc scribit.

Ad quartam jaceo, post hanc vagor, aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum juvet. ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast, ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit; fugio rabiosi tempora signi.
Pransus non avide, quantum interpellet inani,
Ventre diem durare; domesticus ocior. hæc est
Vita solutorum misera ambitione gravique:
His me consolor victurum suavius, ac si
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuissent.

Illud tamen hoc in loco nequaquam prætereundum existimo, quod majores nostri, quorum major pars vel exiguum quid, vel nihil omnino mane manducabant, semelque tantum in die saturabantur, hora octava diei, vel nona commode exerceri poterant, aut etiam occidente sole. Cæterum ætate nostra, quando vix unum, aut alterum est invenire, cui non sit in more positum, & vespere, & mane cibis saturari, nulla in omni tempore opportunior apparet hora, quam matutina, paullo ante cibi sumptionem; nimirum cum corpora leviora & ab excrementis magis libera, magis ob prævium somnum valida, magis denique a quibusvis impedimentis soluta sunt, & præterea minus imminet periculum, quin externus cibus probe confectus sit: sicut contra in vespere, cum nondum cibus concoctionem assecutus est, corpusq; superfluitatibus magis redundat, magisque gravatur, potius quiescendum, quam exercendum esse, quisque videt: uti quoque animadvertisse (b) Avicennam arbitror, ubi dixit: *In hieme vero rationi conveniens erat, ut fere usque ad vesperam tardaretur, sed alia probibentia hoc vetant.* Erit itaque fere perpetuo nostris hisce temporibus mane ante cibum quibuslibet sanis adeunda exercitatio, sique ullus auctor invenietur, qui post cibum exercitationem commendet, modo prudenter consulat, non gratia sanitatis, aut habitus boni comparandi illud facere, sed potius gratia alicujus particularis affectionis curandæ cognoscetur. Est & aliud hoc in loco magnopere considerandum, veteres tam Romanos, quam alios multos semper dies atque noctes separatim in duodecim horas partitos; atque alias diei *maximas*, ut in æstate, alias *minimas*, ut in hyeme, alias *æquinoctiales* vocasse: numerum autem hunc scribit (c) Galenus tanquam omnium utilissimum ab ipsis delectum esse, quoniam continet, & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum: quæ nullus alius post ipsum numerus usque ad vigesimum quartum continere videtur. Unde, ne quis horas diei antiquorum easdem cum Italicis, & multis aliis nostrorum temporum esse putans, errandi in exercitationibus, aut aliis occasionem habeat, hanc horarum partitionem apud veteres in usu habitam memoria tenere debet: sic enim & consuetudines probe judicare, & antiquas novis accommodare facile poterit.

CAP. XII.

Quanta fieri debet exercitatio.

Ex iis rebus, quæ medicorum artem conjecturalem, & pene incertam efficere a multis creduntur, præcipuam remediorum omnium adhibendorum mensuram esse, semper putatum fuit; quam nonnulli antiquorum aliquando tanti fecerunt, ut quasi ejus cognoscendæ spe dejecti medicinæ opera exercere recusaverint. Quapropter & medicinæ professores, & illi qui exercitationum ope sanitatem tueri student, omni cura & diligentia opus habent, quo actionum suarum mensuram, & quantitatem cognoscant, sine quibus incredibilia errata committi solent, & plerumque (utar (a) Plinii verbis) *inscitia capitalis* evadit. cumque nos exercitationis totam artem tradere profiteamur, jam quantum unusquisque exerceri debeat, monstrare conabimur. Et ne singula explicantibus nimis divagetur oratio, universa quantitatis exercitationum tractatio ex his constabit. *Quis esse debeat exercitationis communis terminus: Quantum fortes, quantum debiles, quantum senes, quantum viri, quantum pueri exerceri debeant; quantum hyeme, æstate, vere, & autumno; quantum temperate viventes, quantum humidi, calidi, frigidi, & sicci; quantum valetudinarii; quantum non assueti.* his etenim cognitis nihil, quatenus ad præsens caput attinet, desiderari jure poterit. Sed antequam rem aggrediar, adnotandum duco, de corporibus ægris non futurum sermonem; tum quia paucas exercitationes requirunt; tum quia secundum morborum varietates variantur exercitationum species, atque mensuræ; & iccirco certa ratione definiri nequeunt. Terminus igitur exercitationum communis, quem (b) Galenus, (c) Oribasius, (d) Avicenna, (e) & Ætius (f) Hippocratem secuti docuerunt, duplex est, unus, quando scilicet vapor sudori aliquantisper permixtus sentitur, venæ intumescunt, atque anhelitus permutatur: cum enim ab exercitatione duo requirantur, membrorum robur, & caloris auctio, qui succos concoquat, concoctos nutriendis membris distribuat, atque demum inutilia dissipet, nisi exercitatio tanta sit, & ad similem terminum perveniat: neque bene, neque perfecte illa omnia obtineri possunt, alter terminus est, ut tamdiu exerceatur unusquisq; quamdiu color floridus ejus faciei, & corpori ingeneratur; motusque acriter, æquabiliter, & concinne edit; nec ullam effatu dignam lassitudinem percipit. quod si calor evanescere incipiat; vel corporis moles paullo contractior videatur; vel lassitudo jam immineat illico desistendum est; ne, si ulterius progrediatur, corpus plus justo gracilescat: boni succi una cum malis exhauriantur: & tandem calor naturalis debilior reddatur; & ideo loco roboris acquirendi vires potius destruantur. similiter ubi motuum alacritas, æquabilitas, vel concinnitas remitti quippiam, collabique cernitur; utique statim desinere oportet; itidem si in sudore accidat

a *Lib. 1. ser. Sat. 6.* b *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. c. 3.* c *Lib. de cujusque animi pec. notitia atque medela. c. 5.*

a *Lib. 29. c. 1.* b *5. de locis aff. c. 5.* c *Lib. 6. collect. c. 15.* d *lib. 1. fen. 13. doc. 2. c. 3.* e *lib. 2. c. 3.* f *6. epid com. 2.*

ulla qualitatis ejus, quantitatisve mutatio, quippe quem, & copiosiorem semper, & fervidiorem edi par est, prout motus vehementiores fiunt. cum igitur is aut minor, aut frigidior redditur: tum scito corpus exhauriri, refrigerarique, & siccari plus justo. & proinde corpori exercitando diligenter attendere convenit, ut, quando prædictorum signorum aliquod apparere jam incipiat, protinus exercitatio dimittatur. Atq; hi sunt communes quidam termini, quos magna sese exercentium pars continere debet. Succedunt postea particulares, pro quibus ita decretum volo, quod validi diutius cæteris (nisi quid aliud obstet) exerceri possunt, quamvis etiam vires aliquantisper fatiscerent; nimirum quæ facillime resurgere possunt. debiles parum certe exerceri oportet, alioqui si in his vires vel tantillum patiantur, difficulter, & longo tempore reparantur; & iccirco sat ipsis erit incalescere citra sudoris principium. Senes dum se exercent omni cura sudorem effugere debent; nempe sicci & aridi existentes, ita majorem siccitatem contrahunt; præterea cum jam dixerimus, exercitationes in juventute consuetas in senectute congruere, hoc in loco sciendum est, semper senes minus quam juvenes solebant, exercendos esse, omninoque lassitudinis sensum effugiendum, terminumque exercitationis eorum famis excitationem ponendum; sicuti Socratem jam senem se exercitare, donec esuriret, solitum legimus. Viri, sub quibus comprehenduntur omnes intra adolescentiam & senectutem existentes, moderatas exercitationes postulant: vel enim offenduntur, si plus justo exerceantur, vel paucum omnino fructum capiunt, si minus, vel utroque modo pravum aliquem habitum contrahunt: quocirca terminus communis jam expositus his omnibus mirifice aptabitur. Pueri a primo usque ad tertium ætatis septenarium multis laboribus probe sufficere possunt. quocirca & incalescere, & anhelare, & sudare & aliquantisper defatigari ipsis impune conceditur: excrementis enim plurimis ob vivendi imprudentiam exuberantes a sudoribus, & laboribus multis juvantur; viribus autem validis pollentes a levibus defatigationibus minime offenduntur: haud tamen modum in labore pueros unquam excedere convenit, & tanto minus, quanto primo septenario viciniores existunt, siquidem intempestiva exercitationis duritie corporis pueri adauctum, a natura quam maxime comparati inhibetur auctio, ob quod pædotribas nonnullos sui temporis damnavit (*a*) Galenus quod plus æquo pueros exercerent. similiter & (*b*) Aristoteles improbandos judicavit Laconas, qui nimiis laboribus & exercitationibus pueros efferatos reddebant, sicut & illas nationes, quæ athletarum habitum laboribus in pueris generare studentes eorum corpora deformabant, augmentumque impediebant. Nam inter eos, qui Olympia vicerunt, duo, vel tres tantum extiterunt, qui iidem adolescentes & viri sint victoriam consecuti, quod per violentas & plurimas pueris adhibitas exercitationes una cum actione corporis robur atque vis auferebatur. multum itaque exerceri poterunt pueri, sed non immoderate. Hyeme multum exercendum, citra tamen sudorem, ne frigus magis obsit, & quoad universum corpus incalescat. Vere plus, & usque ad sudorem. Autumno minus, minime omnium æstate, quando, (quidquid dixerit Aristoteles) neque sudare, neque incalescere, neque defatigari omnibus ab ambiente aere fatis & defatigatis, & debilitatis expedit. Qui temperatam vitam degunt, etsi paucis superfluitatibus abundent, & iccirco minori exercitatione indigere secundum (*a*) Galeni sententiam videantur, nihilominus & ipsi moderate exerceri debent, ne ocio torpescentia membra, calorve sopitus, proprium & naturalem habitum remittant, neve excrementa etiam intemperate viventibus necessario genita retineantur. Incontinentes autem sicut multa excrementa, multosque humores supervacaneos aggregant, ita multis exercitationibus ac laboribus opus habent, quæ humores illos, excrementaque absumant, quæve profundos somnos inducentia felicius concoctionem adjuvent; siquidem (*b*) Galenus fossores & messores, ideo a pravo vivendi genere minimum quid offendi sentit, quoniam a laboribus in profundos somnos demissi etiam deterrima probe coquunt, & ad meliorem naturam reducunt: ideo isti, modo vel crudorum in corporis ambitu latentium humorum copia, vel virium debilitas, quæ hos plerumque comitari solet, vel aliud quid non prohibeat, quanto plus & diutius exercebuntur, tanto magis sibi consulent; sive incalescant solum, sive sudent, sive etiam leviter defatigentur. Humida corpora multam exercitationem requirunt, quo a motus multitudine humiditas nimia exiccetur; unde ista tamdiu exerceri poterunt, donec citra virium defectum largus effluxerit, sicca minus exerceri debent, neque unquam calorem, sudoremve in exercendo se expectare. Frigida quoad tota se calefacta percipiant, exercitari expedit. Calida vero parce exercenda sunt, nec umquam aut sudorem, aut incalescentiam, aut insignem anhelitus mutationem in ipsis exspectare decet. Calida præterea & sicca exigua, vel nulla exercitatione gaudent, ne tam caliditas, quam siccitas simul augeantur. Frigidis & siccis ratione frigiditatis, & usque ad manifestam incalescentiam exercitatione opus est; ob siccitatem a sudore valde cavere debent. Calida & humida moderata exercitatione uti convenit, quoniam pusilla humiditatem superfluitatem non diminuit, multa nimis eliquat, & calefacit, indeque morbosas fluxiones parere solet. quocirca vehementem anhelitus alterationem, vehementemque calefactionem ea effugere necessum est. Frigida porro & humida eatenus exercenda sunt, quatenus anhelent, incalescant, atque etiam paullisper sudent. Summatim hujuscemodi corpora omnium maxime exercenda erunt, ita namque excrementitiæ humiditates, quibus oppleta sunt, inaniuntur, calor naturalis excitatur, & perbelle concoctiones omnes perficiuntur. Demum valetudinarios, qui mox a morbis resurgunt, exigua admodum exercitatione uti debere, nemo ignorat; quoniam horum vires infirmæ valde existentes, calorque debilis, & membra exiccata, si multa exercitatione agitentur, non possunt non summum detrimentum sentire: proinde isti intra anhelitus mutationem, intra caloris adventum, intra denique defatigationem quamlibet exercendi sunt: prout tamen isti reficiuntur, viresque crescunt, & meliusculi esse cœperunt, adjicere debent exercitationes. Postremo qui exercitationibus inassueti sunt, cum pravam illam consuetudinem deponi debere, jam ostenderimus, prius expurgari ab humoribus & superfluitatibus ex segnitie ortis secundum Galeni consilium debent, alioqui periculum imminet, ne a fluxionum perniciosis morbis protinus tententur: deinceps primo parcissime exercendi sunt per aliquot dies, postea exercitationis modus paullatim augendus; quousque ad terminum illum perventum sit, quem inassuetis sufficere, & citra ullam

a 1. *de tuend. sanit. cap.* 10. b 7. *Politic. cap.* 4.

a *In lib. de cibis bon. & ma. suc.* b 1. *de aliment. cult.*

moleſtiam calefacere experientia docuerit: eo ſemper (quod ſupra quoque demonſtravimus) animadverſo, omnibus immodicam exercitationem nocere, nempe quæ pueris incrementum adimit, & membra colliquat, viris inæquales intemperies gignit, atque febrem interdum, ſicuti de illo immodice exerceri coacto narrat (*a*) Galenus in libro de cauſſis præinchoantibus; ſenibus immedicabiles laſſitudines atque ſiccitates parit; omnibuſque tandem aliquid ſemper boni effluere facit. Quamquam Ariſtoteles II. Ethic. ad Eudemum libro, ubi virtutem medium eſſe probat, exceſſum in exercendo defectu magis laudat, ſicut in cibo contrarium, *οἷον* (inquit) *καὶ περὶ τὸ σῶμα ἐν μὲν τοῖς πόνοις ὑγιεινότερον ἡ ὑπερβολὴ τῆς ἐλλείψεως καὶ ἐγγύτερον τοῦ μέσου, ἐν δὲ τῇ τροφῇ ἡ ἔλλειψις ὑπερβολῆς*, & quæ ſequuntur. Immodicæ autem exercitationis hæc ſigna ſunto, dum articuli calidiores effecti ſentiuntur; dum univerſum corpus aridum & inæquale apparet: dum in motu ſenſus doloris cujuſdam ulceroſi ſuboritur; dum labor coacte, & non ſponte dimittitur; dum poſt ſudorem pallor ſuccedit, ſicut in athletis immodice exercitatis evenire conſueviſſe auctor eſt (*b*) Ariſtoteles: dum inſolita denique, ac valde moleſta laſſitudo percipitur. Tota itaque quantitatis exercitationum ratio his omnibus nobis præſcripta ſit. Quod ſi multa particularia a quoquam reperientur, quæ a nobis aut ignorata, aut prætermiſſa videantur, illud ſciat, nihil quod ad univerſam artem neceſſario pertineat, eſſe, quin vel explicite, vel implicite a nobis comprehenſum habeatur, quamquam etiam multæ exercitationes ſunt, quarum quantitatis terminum non expreſſimus, quod a termino illo communi præſcripto eorum menſuram accipi volumus.

CAP. XIII.

De modo exercendi.

PRæter locum, tempus, & quantitatem, quæ in obeundis exercitationibus ſumma cura obſervari debere demonſtravimus, adeſt & modus, qui ut in illis ipſis, ſic in pleriſque aliis rebus recte peragendis tantum poteſt, ut, niſi is adhibeatur, cætera omnia ſupervacanea reddantur, infinitiſque prope erroribus jam via latiſſime pateat. Qua de re maxime ad hujus tractationis abſolutionem pertinet, ut modum, quem antiqui in exercendis corporibus tenuerunt, quoque temporibus noſtris unuſquiſque ſanitatis ſtudioſus uti non ſine fructu poteſt, & debet, apertum brevi ſermone faciamus. Modus igitur, quo veteres ad ſanitatem uſos legimus, fuit is, quem (*c*) Oribaſius Pergamenus Juliani imperatoris medicus, (*d*) Ætius Amidenus, & Arabum doctiſſimus (*e*) Avicenna in medium attulerunt. Viri namque & juvenes exercendi, ubi lotio perfecta concoctio apparebat, fæcibuſque alvum exoneraverant, major pars ſeſe exuebant, mox fricabantur mediocriter, uſque quo floridus color in ſumma cute reſidens, & artuum flexibilitas, atque ad omnem motum agilitas perſuadebant; perfricati oleo dulci inungebantur; quod ut magis artus quoslibet penetraret, manibus undequaque prementibus, & explanantibus apponebatur; ab unctione qui luctatione exerceri volebant, aut pancratio pulvere conſpergebantur, alii protinus in exercitationem, prout cuique altera alteri utilior, atque gratior apparebat, deſcendebant, peracta exercitatione paullum quieſcebant, deinde ſtrigilibus, vel aſperiuſculis pannis ſtrigmenta a corpore eradebant; quo facto aliquando rurſum fricabantur ἀποθεραπευτικῇ dicta frictione, ſimiliterque ungebantur alias in ſole, alias ad ignem, ut (*a*) Cornelius Celſus teſtatum facit: ſicque fere ſemper balneum ingrediebantur conclavi quam maxime alto, lucido, & ſpatioſo, rarius ſeipſos induentes ad capiendum cibum accedebant. Atque hic totus erat modus, quo vel in gymnaſiis publicis, vel in privatis locis major pars liberorum hominum, & eorum qui valetudini curandæ, & bono habitui comparando ſolemniter incumbebant, frequenter utebatur. Nec quiſquam miretur, quomodo liberi homines ſingulis diebus tot corporis curis occuparentur, quando omnes homines, nedum clariores quotidie defricari ſolitos, multi auctores, & præſertim Columella memoriæ mandarunt. de quo defricandi more & modo, ſi Deo placuerit, aliquando tractationem huic adjiciemus. Cæterum veriſimile fit quamplurimos alios extitiſſe, qui vel negotiis publicis, privatiſque impediti; vel neceſſariis variarum artium operibus detenti; vel aliqua valetudinis ratione coacti hoc pacto minime exercerentur, ſed frictionibus & unctionibus dimiſſis, quaſcumque poterant exercitationes amplecterentur; ſicuti & multi reperiebantur, qui prædictarum cauſſarum aliqua nullo modo exercitationibus vacandi otium habebant; quibus omnibus exactiore victu, & ſanis medicamentis opus eſſe tradit (*b*) Galenus. Verum enimvero cum ætate noſtra gymnaſia illa ob exercendi commoditates ab antiquis fabricata in uſu deſierint eſſe, neque gymnaſtas & pædotribas, neque aliptas & reunctores habeamus, a quibus fricandi, ungendi, tandemque quomodovis exercendi modos, atque commoditates quæramus, ſat erit illis, qui aliqua neceſſaria occaſione impediti libere ſeſe exercendi ocium nequaquam habent, ut potius quomodocumque poſſunt, exerceantur, quam ſemper in conſummata quiete degant; modo tamen hoc unum obſervent, ne ſtatim a cibo exercitationes eas, quas gratia ſanitatis facere volunt, ſolicite nimis adeant, ſed ſaltem aliquot horas interponant, quo quam minimum fieri poteſt nocumentum inde ſequatur. Porro qui ſuæ ſpontis ſunt, & majori ocio propriorum corporum curæ libere vacare queunt, hæc omnia diligenter obſervare debent, primo, ut corpus tum a fæcibus, & urinis, tum a mucis & ſputis accurate emundare, caput pectere, manus & faciem abluere ſtudeant, ne excrementa in variis corporum cavitatibus, atque in ipſo ambitu latentia, a motu excitata vaporationibus offendant; ſtrictiſque meatibus nonnunquam infarcta, aut exercitationis calore eliquata obſtructiones, fluxioneſque diverſas pariant. Secundo, ut corpus iis indumentis obtegant, quæ laborem ipſi ſuperaddere nequeant, quæve interim a ventis, ſi qui erunt, vel a frigore tueantur; aut etiam ſi æſtus urgeat, fervorem nullo pacto augere, ſive fovere queant; nam indumenta niſi exercitandis prudenter accommodentur, præter impedimentum, quod laboraturis in motu præſtare ſolent inſigne, faciunt quoque, & ut ſine motus debita menſura ſudent, & alia incommoda ſuſtineant; ſiquidem ſudor ita indutorum ſine motu multo eveniens, veluti (*c*) Ariſt. diſputat, deterior eſt eo, qui a labore emanat. & hujus argumentum eſt, quod ita ſudantes decoloratiores evadunt, cum humor per ſumma corporis paſſus, atq; incaleſcens ab externo aere refrigerari non poſ-

a *Gale. 3. de ſymp. cau.* b *38. partic. Probl. 5.* c *6. collect. c. 15. & ſeq.* d *Lib 1. ſerm. 3. c. 2.* e *Lib. 1. ſen. 3. c. 3.*

a *lib. 1. c. 2.* b *Lib. 1. de cibis bon. & ma. ſuc.* c *2. partic. probl. 30. & 38.*

ſit, & inde pallorem facile contrahat, ſimulque A corporis perſpiratio, a qua gratus calor emanare conſuevit a veſtimentis inhibeatur. Tertio obſervandum erit, ut remiſſe ac leniter unuſquiſque exerceri incipiat, deinceps ejus intentionem augeat paullatim, uſquequo ad terminum, qui ſibi conveniens videbitur, perveniat, atque vehementiam rurſum pedetentim remittere eatenus conetur, quatenus ſibi jam ſatis ſeſe exercuiſſe doctus experientia ſentiet: nam ſubito ab intenſis exercitationibus incipere, non ſolum imbecillibus, ſed etiam robuſtis corporibus ſumme perniciosum judicavit (*a*) Galenus. Quarto iis, qui inter exercendum ſudant, curandum erit, ut peracta exercitatione veſtes ſudore madefactas exuant, & ſiccas reſumant, idque ſi fieri poterit in loco tepido, aut temperato, aut ſaltem neque frigido, neque ventis perflato: ſi etenim humecta illa indumenta retineantur, facile eſt carnibus a calore relaxatis iterum ſudores imbibi, ſicque denuo corporis meatus obſtruitur; præterquam quod panni madidi mox frigefacti horrores, fœtores, ac alias moleſtias inducunt, atque inde febres interdum oriri ſolent. Quinto obſervandum erit, ne (ſicut etiam ſupra admonuimus) poſt exercitationem quam primum quieti ſeſe dedat, aut cibum ſumat, ſed blando, & valde remiſſo potius aliquo motu utatur, tantumque a capiendis cibis abſtineat, quoad perturbatio illa, qualique corporis fluctuatio æſtuatiove, ab exercitatione genita prorſus ceſſaverit, eique tranquillitas quædam & levatio ſucceſſerit. *Totus itaque erit exercitandi modus, & ordo, primo corpus a ſuperfluitatibus quibuſvis emundare, caput pectere, manus & faciem abluere, ſe accommodate induere, tardos,* B *& remiſſos motus incipere, ad celeriores & vehementiores procedere, iterumque paullatim remittere, madefacta ſudore indumenta exuere, blande poſtremo moveri, & ſedata exercitationis perturbatione cibum capere.* Atque hæc de univerſali exercitationum ſpeculatione & methodo diſputata ſufficiant. Reſtat modo particulares ſingularum exercitationum naturas, atque effectus enarrare: quod in ſequentibus libris, quantum fieri poterit, plene præſtare conabimur.

a *In com. de pon. epilep.*

F I N I S.



HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

De ordine agendorum, & de nonnullis scitu dignis.



Sicuti nullus ab exercitationum particularium cognitione fructus expectandus esset, nisi recta atque universalis methodus, quam superiori libro abunde satis (ni fallor) tradidimus, optime possideretur; Ita profecto illa infructuosa, ac propemodum vana evaderet, nisi hæc particularium fere omnium exercitationum tractatio, quam aggressuri sumus, illi connecteretur; siquidem incerta, ac fallax ea cognitio videri potest, qua exercitatio universali quodam pacto accepta juvare intelligitur: sed si qualis exercitatio, quod nocumentum, quamve commoditatem præstare idonea sit, cognoscatur, proculdubio nihil amplius relinqui constat, quod exercitationum quarumvis scientiam optantis animum explere jure debeat. Et iccirco ne inchoata a nobis gymnasticæ tractatio imperfecta relinquatur, in sequentibus singulos exercitationum jam enarratarum effectus prosequemur; atque hos cum ex antiquorum auctorum comprobatis experientia testimoniis, tum ex rei ipsius natura inspecta, quam esse veram conditiones rerum inveniendi rationem scripsit (*a*) Galenus, dicere conabimur. Et ne citra ordinem totus futurus sermo vagetur, ita materiam hujuscemodi declarare instituimus, ut primo commoda in corpora humana ex unaquaque exercitationis specie emanantia, deinde incommoda sigillatim explicentur: nam illud, quod quamplurimis medicamentis evenire usu comprobatur, ut si alicui corporis parti, & affectui prosunt, aliis noceant, in exercitationibus item contingere, nemo ignorat. In explicandis præterea utilitatibus atque damnis a membris superioribus principium sumentes, ut plurimum in ultima atque infima seriatim terminabimus, prius tamen illis enarratis, quæ nullum corporis particulare membrum respicere videbuntur. His autem sic pertractatis, duo me saltem peracturum spero: Alterum quod majori facilitate, firmioreque cognitione quicumque hæc legent, animis eorum insidebunt: Alterum quod habito a valetudinis studiosis exercitationum assiduo delectu, vel nulli errores, vel quam paucissimi committentur, sicque demum multi eorum perniciosorum morborum evitabuntur, quos desidia, laborum abstinentia, ac exercitationis ignoratio non contemnendos, quosque intempestivus exercendi usus continuo parere solet: illud namque a natura comparatum esse norunt omnes, ut illa, quæ corpo-

A ribus nostris admota insigniter conducere animadvertuntur, eadem plerumque magnum detrimentum inferant, si vel nullo pacto, vel pravo ordine, atque omnino importune adhibeantur: quod etiam in exercitationibus ipsis fere contingere, judicavit (*a*) Galenus, ubi scriptum reliquit, *eos qui ante cibos, atque opportune sese exercent, haud exquisita victus ratione opus habere*, quin interdum naturæ in valetudine commissos defectus corrigere, quemadmodum ex adverso illos, & accuratiore victu, & assiduis medicamentis indigere, insuperque nativam sanitatem corrumpere, qui neque ante cibos aliquo pacto, neque ordine, ac B tempore servatis exercitationes adeunt. Cum itaque tali ordine, quæ ad universam gymnasticam perficiendam supersunt, prædictis adjungere propositum mihi sit, id ante cetera præfari operæpretium esse duco, nos in superioribus gymnasticam facultatem non in curativa, sed in conservativa medicinæ parte collocasse. Et tamen omnes veterum medicorum sectas, ac præsertim methodicos, quorum principes Asclepiades, Themison, & Soranus extiterunt, in cunctis fere diuturnis morbis curandis exercitationes aliquas magnopere commendasse, ut ex libris Cornelii Celsi, qui As- C clepiadem in multis secutus fuit, nec non Cælii Aureliani methodici, atque Aretæi clarissime intelligere licet: quod similiter (*b*) Galenus, & qui Galenum in dogmaticorum secta sunt imitati, magna ex parte confirmarunt. Sed ne vel me, vel illos omnes errasse quis putet, ita sententias nostras accipi debere volo, quod scilicet gymnastica principaliter circa sanitatis conservationem versatur, consequenter circa curativam: nulla etenim exercitationem, qualiscumque sit, usquam reperies, quin in sanis corporibus absque noxa administrari queat, at paucis quibusdam exceptis, nimirum ambulatione, gestatione, vectione, ac D similibus, vix una, aut altera invenitur, quæ ægrotantibus impune concedi queat; immo illa, quæ adhibentur, potius ut remedia, quam ut exercitationes commendatur, cum in sanis omnes exercitationes solum fiant, quo bonam valetudinem tueantur, optimumque corporis habitum inducant: in ægrotis vero iccirco eædem administrentur, ut morbo expellendo aliorum medicamentorum instar cooperentur. Quando igitur antiquorum in variis morbis exercitationibus aliquibus utendi consuetudinem in medium adducemus, non erit, quod ullus admiratione capiatur, nosque reprehendat, tanquam gymnasticam soli con- E servatoriæ inservire statuerimus, quoniam, & nos rei ipsius naturam præ oculis habentes, ita determinandum censuimus, quemadmodum veteres alias experientiis assiduis, alias morborum conditionibus permoti paullo diversius sentire quidem visi sunt, sed re vera a sententia nostra non recesserunt. Aliud insuper hoc in loco summa consi-

a 12. *Method.*

a *In lib. de cibis bon. & mal. suc.* b *De cl. ...*

deratione dignum existimo, quod licet in multis exercitationibus diversus extiterit antiquorum mos ab eo, qui hodie in usu est fere apud omnes, veluti pilæ exercitatio, lucta, discus, pugnæ, atque similia; nihilominus cum parum nostra consuetudo ab antiqua recedat, solisque accidentibus quibusdam, & non in rei natura differat, fere eosdem effectus, quos illi suis attribuunt, nos nostris dare poterimus, modo unum, aut alterum observemus, antiquos unctiones, ac pulveres in multis exercitationibus adhibere consuevisse, quas nulli hodie, aut quam paucissimi faciunt; atque hoc multi momenti esse ad variandas utrorumque qualitates, quando de his (*a*) Hippocrates verba faciens scripsit, *exercitationes in pulvere atque oleo magnas differentias suscipere, cum pulvis frigidus sit, oleum vero calidum, atque inde oriatur, quod hyeme oleum corpus magis auget frigus prohibens, ne quid a corpore demat: Æstate vero caliditatis excessum faciens, carnem liquat, cum & a tempore, & oleo, ac labore corpus calefiat; quemadmodum ex adverso pulvis in æstate magis auget fervorem aeris, & corporis remittens, in hyeme autem frigus & algorem inducit*: præterea major pars hominum semel duntaxat in vespere saturabatur, nostrates bis cibos sumunt, quod item non parum refert ad variandas exercitationum condiciones. Unde qui de nostri temporis exercitationibus æquum judicium ferre optaverit; debebit, quid unctiones, & quid una diei saturatio importent, exacte pensitare, totumque illud nostris adimentes, in reliquis eosdem, vel parum diversos effectus existimare.

CAP. II.

De singularum exercitationis differentiarum effectibus.

TRes præcipuas exercitationum differentias ab antiquis medicis excogitatas fuisse satis constat, quarum prima exercitium *παρασκευαστικὸν*, sive *præparatorium*, altera *ἀποθεραπευτικὸν*, tertia simpliciter exercitatio nuncupata. Exercitationem præparatoriam, facultatem cogendi, meatus corporis densandi, eorumque laxitatem corrigendi obtinere, scripsit (*b*) Galenus: qua de caussa athletæ, qui densitate corporum sudores impedire, & consequenter robur conservare studebant, ante ceteras exercitationes præparatoria utebantur: quam item usurpabant quamplures homines post coitum, ut laxitatem corporis in motu venereo genitam emendarent: de meridiano coitu loquor, cum ex nocturno oborta laxitas fatis a somno curaretur: cujus rei gratia magnopere Soclarum laudare soleo, qui apud (*c*) Plutarchum noctu coitum ob hoc exerceri debere adversus Epicurum medicum gravissime disputat: sicuti quoque (*d*) Paulli sententiam, (*e*) Galeni, atque (*f*) Ætii opinionibus præferre consuevi, dum is contra ipsorum placita tempus concumbendi secundum cibum in vespere antequam somnus invadat, oportunum existere credidit: quod lassitudo ex coitu contracta obdormienti statim remittatur. Exercitationem apotherapeuticam tam pro exercitationis parte, quam pro specie acceptam corpora ab immodicis laboribus exucta emollire, meatusque corporis relaxando excrementa purgare, traditum est a (*g*) Galeno: unde jure merito post vehementiores exercitationes, post vigilias, post mœrores, a quibus corporum meatus clauduntur, viresque non parum deprimuntur, ut plurimum adhibebatur: in iis quoque commendabantur, qui palæstræ laboribus assueti, ob vitæ negotia cogebantur illos dimittere. Exercitationis simpliciter acceptæ differentiæ, quæ ab extrinsecis desumebantur, eos effectus pariunt, quos locorum ipsorum, a quibus sumuntur, condiciones producere possunt: & ideo, qui in calidis locis exercentur, magis exuruntur, qui in humidis, humiditatem contrahunt, sicque de singulis: corpora namque ab exercitatione rarefacta, facillime disponuntur ad imbibendas quaslibet aeris & locorum qualitates. De differentiis ab utendi modis acceptis in hunc modum decernendum erit, quod exercitationes perpetuæ, sive continuatæ & æquabiles magis delassant, quam inæquabiles: ratio est eadem, quam attulit (*a*) Aristoteles in problematibus, videlicet *membra a multo motu refrangi*: atque multum esse motum, qui unus & continuus est, ac æquabilis: inæquabilem vero non ideo sic delassare, quia ex mutatione nascitur requies, laborque omnibus partibus distributus a singulis minus sentitur: qua itidem ratione motus intercisus, ac ordinatus minorem defatigationem parit, nimirum cum interruptio quietem, quies lassitudinis minus inducat. Exercitationes cum oleo peractæ non modo præsentem lassitudinem mitigant, verum etiam futuram prohibent, siccitatemque arcent, ac ad motus promptitudinem majorem generant: cujus rei gratia Pollio nonagenarius ætatem suam oleo extrinsecus adhibito acceptam referebat. Quæ cum pulvere fiunt exercitationes præterquam quod frigidiora conservant corpora, efficiunt quoque, ne sudor ita faciliter effluat, neve illa tantopere defatigentur: habet namque pulvis ex (*b*) Galeni sententia emplasticam vim, refrigeratoriam, ac repercussoriam, ut non temere is præceperit, juvenes temperatos, dum in calidioribus locis exercentur, pulvere uti, qui, si pinguis sit, corpus exercitatum minime extenuat; si autem asper, instar pumicosi, vel acer, qualis nitrosus, existat, exercitationes eo peractæ mirum in modum extenuant. Inter differentias ab ipsius motus quantitatibus desumptas primæ sunt multæ, paucæ, & mediocres. Multas corpus siccare, mediocres obesum reddere, scripsit (*c*) Galenus: ex quo liquet magna cum ratione, (*d*) Cælium Aurelianum inter Methodicos non infimum ad prohibendam polysarchiam multas exercitationes commendasse: de quibus etiam locutum existimo (*e*) Aristotelem, quando scripsit, exercitationem ideo oculorum acumini obesse, quia universum corpus siccando, indurandoque pupillæ cutem consequenter indurat, atque ita videndi acuties impeditur. Ex differentiis quoque a motus quantitatibus sumptis magnæ exercitationes magnopere calefaciunt, excrementa inaniunt, sudores cient: minus his mediocres, minime omnium parvæ. Inter differentias a qualitatibus captas secundum (*f*) Galeni sententiam acuta exercitatio, sive celer, aut velox corpora extenuat, carnes & succos detrahit, ob idque a Galeno, & (*g*) Ætio ad curandum polysarchiam præ ceteris commendatur: lenta, atque tarda pinguefacit, & crassitiem inducit: mediocris inter utraque medios effectus producit. Exercitatio vehemens atque robusta calorem quidem nativum auget, somnos profundos

a 2. *de diæta. juxta finem*. b 2. *de tuend. valet. cap.* 3. & 3. *de tuend. valet. cap.* 11. c 3. *symp. prob.* 6. d *lib.* 1. *cap.* 35. e 6. *epid.* f *Lib.* 1. *ser.* 3. *cap.* 8. g 3. *de tuend. valet. cap.* 2.

a 5. *partic. Prob. cap.* 1. & 12. b 5. *de tuend. valet. c.* 12. c 5. *de tuend. valet. cap.* 3. d 5. *chronic. cap. ult.* e *Sect.* 31. *prob.* 14. f *Galen.* 6. *de mor. vulg. com.* 3. & 6. *de tuend. valet.* & *lib.* 6. *cap.* 3. 14. *Meth.* g *Lib.* 1. *ser.* 4. *cap.* 32. & *Gal de pu. epd.*

generat, & concoquendis cibis, crudisque humoribus confert, at caput ab illa repletur: quocirca mirari soleo, cur (a) Celsus scripserit, *insanientes omnes vehementer exerceri debere*. Valens exercitatio robori augendo conducit: remissa vero languidæ, ac imbecillis uti prædictos effectus obscurissime parit, sic sanitati ac habitui bono minimum juvamentum affert, potiusque ægrotantibus ac valetudinariis, quam sanis accommodatur. Inter has autem mediæ tum minus, vehementibus ac robustis, tum magis remissis, & debilibus effectus eos producunt, & iccirco sanitatis conservationem non parum adjuvant. His igitur ita determinatis, jam facile evadit cuicunque vel mediocri judicio prædito intelligere, quos effectus singulæ exercitationes, quatenus aliquam ex antedictis habent differentiam, producant: quod tametsi in recensendis singulis non absque animadversione suis locis præterire statuerimus, nihilominus haud inutiliter nunc quoque explicatum fuisse credo, quando jam sæpius demonstratum est, universales hujuscemodi rerum tractationes ad integras illarum notiones acquirendas magni momenti esse. Illud hoc in loco scire oportet, in superioribus libris multa de gymnastica bellica, & athletica nos disseruisse, ut expressius tota medicæ gymnasticæ natura innotesceret: at in sequentibus de medica dumtaxat sermonem habituri sumus: eo quod illarum effectus cognoscere parum omnino confert, ad id quod optamus, assequendum, solosque sanitatem, aut morbos respicientes addiscere sufficit.

CAP. III.

De Saltatoriæ effectibus.

QUicunque saltationum species apud veteres in usu habitas accurate contemplari voluerit, ea ordine temporis, ratione, proportione harmoniaque musica non caruisse sciet: & iccirco nostra tripudia βαλλισμοὺς, ac gesticulatorios motus, quos tam mulieres quam viri hodie ad libidines & delicias exercent illis non prorsus dissimiles extare censebit. Verumtamen illud inter antiquorum & nostras saltationes interesse nemo non videt, quod, sicuti illæ aliquando sanitati inserviebant, ita nostræ, nunquam, vel raro hoc fine peraguntur, ut valetudinis conservationem adjuvent; quippe quæ ut plurimum post cenam, atque nocte inter ipsas commessationes exercentur, quando potius quieti & somno vacare præstaret: unde si saltatio opportune, quemadmodum majores nostri faciebant, & quemadmodum cunctas exercitationes peragi debere, (b) superius demonstravimus, administretur, quin commoda multa pariat, inficiari minime poterimus. Cubisticam namque, quam primam speciem fuisse diximus, brachia corroborare, similiter & crura, nimirum quæ potissimum agitentur, quivis intelligere potest. Itaque qui brachia robusta corpusque undequaque flexibile habere cupiunt, hac exercitatione frequenter utantur: ceterum quia, dum in caput saltatur illudque ad terram flectitur, primo caput valde repleri necessarium est, secundo viscera omnia quassari, intestinaque suis locis dimoveri, & tandem dorsum ac articulos, qui in flexionibus vehementer commoventur, magnopere pati, rationi consentaneum est, ideo fugere ipsam expedit iis, qui ulla ex parte caput debile, viscera infirma, lumbos, articulosque imbecilles, vel natura, vel casu aliquo forti-

a *Lib. 3. c. 18.* b *Lib. 4. cap. 11.*

A ti sunt. Tertiæ saltatoriæ speciei (de secunda in sequenti capite tractabitur) quam veram orchesticam appellavimus, ejus quamplurima apud antiquos fuerunt genera, quæ fere omnia hodie abolita, vel saltem non usitata esse cum constet, supervacaneum foret singulorum effectus percensere: proinde sat erit illa adnotasse, in quibus præstandis, & cuncta illa convenisse, atque etiam nostram convenire verisimile videtur. χειρονομίαν etenim sive *manuum gesticulationem* attenuare humores, atque sursum carnes trahere, placuit (a) Hippocrati sive Polybo, quam similiter in inveterato capitis dolore, ubi paullatim malum solvitur,
B commendavit (b) Aretæus, veluti & in vertiginosis, epilepticis, cœliacis. Salatio demum, quæ motu universum corpus calefacit, arcendis rigoribus, atque etiam nonnullis tremoribus valde accommodatur: privatim ubi stomachus in concoquendo laborat, crudosve humores aggregat, utile remedium existit: præterea labantes coxas, infirma crura, male tutos pedes, usque adeo confirmat, corroboratque, ut pauca inveniantur, quæ simile auxilium præstare queant: neque itidem alteri cedit hujuscemodi exercitatio in extrudendis a renibus, sive vesica lapillis. Ceterum
C quod prægnantibus mirum in modum noceat, testatum reliquit (c) Hippocrates, ubi cantatrici mulieri, quæ ne calumnias subiret, uteri fœtum abjicere cupiebat, consuluit, ut saltaret, pollicitus ea saltatione conceptum corrumpendum esse, veluti postea contigit. Quicunque vero caput debile, ac vertiginosis affectibus obnoxium habent, proculdubio ab illis circuitionibus, versuris, motibusque continuis offenduntur: similiter oblæduntur quibus oculi illacrymantur, aut in videndo hebetem aciem habent, perinde namque in tripudiationibus alicui evenit, ac in rotationibus, in quibus sæpe oculi tantum detrimen-
D tum patiuntur, ut nihil omnino videant, atque interdum cadant. Renes languidos, & supercalefactos habentes, feminisque fluxum, γονοῤῥοίαν a Græcis vocatum, qualibet de caussa incurrentes a saltationibus abstinere convenit: alioqui eorum affectiones ex motu calefaciente magis recrudescunt. Atque hæc omnia a me dicta intelligantur de ea saltationis specie, quam antiqui sine armis obibant: quod si quis armatæ, quam vocarunt, saltationis conditiones pernoscere aveat, in hunc modum vere atque breviter statuere rem poterit, videlicet omnia quæ ab illa gignuntur vel bona, vel mala, eadem ab hac effici, nisi quod armata
E vehementius membra exercet, magisque illa incalescere, & sudare facit, ob quod (d) Galenus inter vehementes exercitationes non in postremo loco posuit, dum quis gravi armatura tectus celeriter agitatur.

CAP. IV.

De ludorum pilæ effectibus.

LUdorum pilæ antiquitus complures cum apud Latinos, tum apud Græcos extitisse species, abunde (e) secundo libro indicavimus: ex
F quo nullum operæpretium est hoc in loco, ubi solas exercitationum qualitates explicare proposuimus, eadem repetere: illud duntaxat animadverti volo, quod etsi nostra ludorum pilæ genera veterum generibus undequaque non respondeant: sunt tamen magna ex parte valde similia: & ideo

a *2. de diæta. prop. finem.* b *Lib. 1. curat. chr. c. 2. & 3.* c *in lib. de natura pueri, in principio.* d *2. de tuend. valet.* e *Cap. 4. & 5.*

eorum

eorum commoditates, atque nocumenta singulatim enarrare studebimus, ut facta nostrorum cum illis comparatione, quid conferant, quidve noceant, utraque simul cognosci possit: sed ne tractatio ista confundatur, sicut alias fecimus, primo Græcos ludos, deinde Latinos prosequemur eodem ordine, quo supra usi fuimus. In eo etenim convenire cuncta harum exercitationum genera censuit (*a*) Avicenna, quod fortes existunt. Hoc præterea commune ex omnibus hujuscemodi ludis commodum percipitur, quod qui in ipsis, vel ipsorum aliquo sese exercent, promptiores ad motum reddantur, iisque vitales actiones roborentur: peculiariter vero parvæ pilæ exercitatio inter veloces citra violentiam & robur collocant (*b*) Galenus atque (*c*) Paullus, cujus merito corpora crassa, ut similes exercitationes facere dictum fuit, attenuat: ideoque apud Nonium a Lucilio scriptum invenitur, *Cum studio in gymnasio duplici corpus siccassem pila*. Prima autem parvæ Græcorum pilæ species, secundum (*d*) Antylli sententiam, carnem solidam reddit, brachiis, dorso, atque pullulantibus costis magnam utilitatem præstat, cumque in ea exercitatione crura magnopere laborent, ad acquirendum robur non parum proficiunt. Secunda exercitationis parvæ pilæ species præstantissima reputabatur olim, quod corpus sanum & promptum ad motus cum robore conjuncto præstat, adspectum firmat, neque caput replet. Tertia vero species oculos atque brachia juvat, spinæ propter inflexiones, quæ currendo fiunt, commodum affert, crura propter cursum mirum in modum firmat. His porro omnibus parvæ pilæ speciebus cuncta illa convenire censeo, quæ Galenus in libello suo illis dicato, paucis verbis complexus est, videlicet *quod tum animorum virtutem pariant, tum omnes corporis partes accommodate exercendo bonam corporis valetudinem, ac membrorum concinnitatem efficiant.* Pilæ magnæ species prima secundum Antyllum totum corpus firmat, cumque ad deducendam infra materiam vehementer cooperetur, capiti in primis, cunctisque superioribus partibus, non ignobile juvamentum affert: de hoc ludo sermonem habuisse puto (*e*) Alexandrum Trallianum, quando in curatione priapismi sphæræ exercitium commendavit, quo materia in diversum retrahatur, & spiritus flatulentus digeratur. Secunda species, quæ plus justo magna pila peragitur dum projicitur, & utraque manu propter magnitudinem emittitur, brachia firmat, sed nimis duras plagas infert, ob idque non modo ægrotis, aut convalescentibus est inutilis, verum etiam bene valentes immodica defatigatione afficit. Inanis pila, quam tertiam effecimus, æque exercet, ac motoria, in qua curritur, attamen non admodum facilis est, neque apta, atque ideo omittendam eam esse consuluit (*f*) Oribasius ex Antylli sententia. Pilæ, & magnæ & parvæ exercitationem vertiginosis obesse judicavit (*g*) Aretæus, quoniam capitis & oculorum circumvolutiones atque intentiones vertigines afferunt. Coryci exercitationem inter veloces adnumeravit (*h*) Paullus, quas cum dictum a nobis sit corpora crassiora attenuare, summa ratione Cælius Aurelianus ad diminuendam polysarchiam hanc exercitationem, quam a Græcis *corycomachiam* vocari scribit, adeo probavit, secutus in hoc (opinor) (*i*) Hippocratem, qui corycomachiam, & chironomiam idem præstare quod lucta tradidit. Hoc exercitationis

a *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 2.* b *2. de tuend. valet. cap. 8.* c *lib. 1. cap. 18.* d *Orib. lib. 6. collect. cap. 32.* e *Lib. 9. c. ult.* f *lib. 6. cap. 3.* g *lib. 2. cur. chron. cap. 3.* h *lib. 5. chron. cap. ult.* i *2. de diæta circa finem.*

genus judicavit Antyllus musculosum corpus reddere, roburque afferre, & præterea universo corpori aptari, nec non ob plagas, quas infligit, omnibus visceribus idoneum existere. Aretæus item in elephanticis κορυκοβολίας laudavit: si tamen quis plagas in pectore a coryco fieri solitas consideret, facile sentiet, eos, qui pectore debili vexantur, simili exercitatione periclitari, & quandoque contingere posse, ut in thorace vasa rumpantur. Atque tot sunt quæ de pilæ Græcorum ludorum qualitatibus dici possunt. Succedunt lusus Latinorum genera, quæ & ab ipsis quatuor speciebus complexa omnia in usum sanitatis recepta superius demonstravimus. Horum primum locum obtinet exercitatio folle acta, quæ universum corpus exercet, sed dum brachiis impellitur, dorsum in primis atque brachia firmat: ob quod (*a*) Cælium Aurelianum de hoc pilæ ludo verba fecisse existimo, quando in epilepticis humeros sphæræ lusu exerceri mandavit: dum vero pugnis emittitur, manibus major utilitas contingit: ambo tamen viscera adjuvant, calculisque a renibus & vesica extruendis mirifice conferunt: coxas & crura imbecillia confirmant. Nam Augustum, qui hujuscemodi affectibus corporis solicitabatur, eorum gratia *folliculi exercitium* (ut refert (*b*) Suetonius) *adamasse* opinor: quod cum præcipue superiores partes exerceat, iis, qui citatam alvum habent, & quos tremor corporis exercet, non sine ratione (*c*) Cornelius Celsus prodesse scripsit. Hanc etiam exercitationem intellexisse arbitror (*d*) Plinium, cum Spurinæ prudentissimi, & sanitatis studiosissimi viri rationem vitæ observatam explicans, *sese pila movere*, atque tali exercitationis genere *cum senectute pugnare* solitum scribit, ut vere dixerit (*e*) Martialis:

Folle decet pueros ludere, folle senes.

Pila trigonalis, quam parvam fuisse, & tertiæ ab Antyllo speciei descriptæ correspondere probavimus, eosdem plane, quos illa, effectus producit: peculiariter autem oculos exagitat, exercetque; dum eos intendere semper, & modo huc, modo illuc, modo sursum, modo deorsum convertere necessarium est; quocirca jure merito (*f*) Horatius hujuscemodi exercitationem lippientibus obesse cecinit:

Lusum it Mæcenas, dormitum ego, Virgiliusque,
Namque pila lippis damnosum & ludere crudis.

sane lacrymosi atque lippitudine infecti oculi a quolibet, vel minimo motu magis exacerbantur: quies vero eos recreat juvatque, sicuti & crudos: diximus enim *nullam exercitationem obeundam esse, nisi peracta cibi concoctione*. Ex quo fit, ut neque pilæ lusus ullo pacto conveniat, quibus crudi, atque indigesti cibi stomachum adhuc male habent: veluti forte Virgilius, alioqui stomacho debili natus, tunc erat, quando de ipso sic Horatius scripsit: quod si qui sunt, quorum ventres, atque stomachi flatibus repleantur, & præ frigore doloribus vexentur, tantum abest, ut exercitium pilæ ipsis ullum nocumentum inferat, ut potius calefaciendo, flatusque insigniter discutiendo non exiguam utilitatem præbeat: qua de re laudandus est Cælius Aurelianus, qui inter ceteras pro colicis curandis exercitationes pilæ ludum præcipue commendavit: quomodo item stomacho imbecillibus simili ratione

a *Lib. 1. chro. cap. 4.* b *In ejus vita c. 80. & 83.* c *lib. 1. c. 6.* d *Epistola 1. libri 3.* e *Lib. 4. epigr. 45.* f *Lib. 1. Serm. Satyr. 5.* g *Lib. 4. chro. cap. 7.*

commodum esse tradidit Cornelius (*a*) Celsus. Paganica pila ob latitudinem atque duritiem difficultate aliqua non carebat, & iccirco potius rusticis, & duris corporibus, quam urbanis conveniret: hodie neque permittendum foret valetudinarios, senes, atque pueros hujusce generis motu exerceri. Harpastum, quod cum Græcorum harpasto convenire demonstratum est, inter celeres & vehementes exercitationes adnumerari debet: quo circa attenuare, excrementa exinanire, calorem augere, robur efficere potest, præcipue autem brachia & humeros confirmat; *quinimmo dum invicem congredientes, seque, ne constitutus in medio excipiat pilam, mutuo vetantes laborant, maximum id vehementissimumque est, multis utpote colli obversionibus, multisque palæstricis complexibus commixtum, adeo ut caput & cervix colli obversionibus, latera vero, thoraxque & venter faciei elationibus, depressionibus, expulsionibus, obnixibus, aliisque palæstricis prehensionibus fatigentur, quibus etiam exercitationibus lumbi & crura, non parum tenduntur.* Et iccirco, quemadmodum sanos ac robustos harpastum magis confirmat, ita eos magnopere lædere credendum est, qui vel caput debile, & collum infirmum habent, vel quibus in thorace vitium aliquod reperitur, aut qui renes, lumbosque supercalefactos gerunt. Atque hæc sunt, quæ de pilæ ludorum effectibus pro sanitatis studiosis ab auctoribus determinata inveniuntur.

CAP. V.

De Luctæ commoditatibus, & incommoditatibus.

Lucta, quæ fere semper ab antiquis in magno usu atque existimatione habita fuit, tametsi a medicis, uti diximus, non admodum ad sanitatem probata sit, hodieque a nobilibus negligatur, & quasi a solis rusticis eo modo, quo apud priscos ab Athletis, exerceatur, nonnulli tamen eam etiam pro sanitate tuenda, atque parando robore in usu habent, quos fortasse quamplures alii imitabuntur, si, quemadmodum hactenus effecimus, ejus commoda, atque etiam incommoda ab auctoribus longa experientia, ac naturali ratione observata ipsis in medium proponemus. Quod etenim lucta vehemens, atque magna exercitatio sit, Galenus & Avicenna præ ceteris satis testatum reliquerunt: unde certum esse cuivis potest, ab hac ipsa eadem proficisci, quæ a similibus exercitationibus provenire jam declaravimus: illud addendum erit, posse luctam sicuti antiquioribus temporibus, ita & nunc quadrupliciter fieri, alias supra pavimentum, quod genus a Plutarcho *pancratium volutatorium* nuncupari (*b*) prædiximus: alias erecto corpore, ac utrobique, modo vehementer, modo remisse. Neque id hoc in loco præteriri debet, penes Latinos scriptores plerumque, aut saltem interdum sub nomine palæstræ luctam intelligi, perinde ac Græci nomine πάλης continuo fere illam ipsam accipiunt. Lucta quæ vehementer, atque erecto corpore peragitur, secundum (*c*) Hippocratem externis corporis partibus magis laborem exhibet, carnem calefacit, corroborat, ac auget. Ex Antylli vero sententia firmum & validum spiritum reddit, itemque corpus solidum, ac musculosum, nervos etiam confirmat, tandemque naturales omnes actiones corroborat; præterea carnem densam illam quidem, & exiccatam, sed tamen ex omni parte paucam adjicit, pinguedinem, tumores, ac omnia œdemata aufert: si lucta fiat interposita aliquantisper quiete, magis, ut sentit (*a*) Aristoteles, sudorem movet, quando humor a requie collectus, mox exercitatione educitur: sin continua agatur, modo solis corpora exiccare potest. Privatim autem capiti prodest, in cujus dolore luctationem jugem adhibito magistro peractam laudat (*b*) Cælius Aurelianus, sensus exacuit: ob idque fortasse Theodorus (*c*) Priscianus illam pro melancholicis curandis imperat, stomachum præsertim frigidis oppressum morbis adjuvat: in quo palæstram corpus agitantem conferre, idem (*d*) Cælius memoriæ prodidit: non secus quoque frigidos ventres, ac genitalia membra, si quando humoribus, aut flatibus sollicitantur, magno juvamento afficit, cum maximis illis conatibus motibusq; universum prope corpus calefaciat; qua ratione (*e*) Oribasius palæstram sive luctam hydropisim curare, Theodorus (*f*) Priscianus satyriasim extinguere scriptis tradiderunt. Ceterum hujuscemodi exercitatio ob ipsius vehementiam febricitantibus omnibus inimica existit; ut non immerito ab (*g*) Hippocrate fuerit acriter Prodicus reprehensus, quod luctationibus febrientes interficeret. Humidos natura haudquaquam lucta exerceri consulit (*h*) Hippocrates: hac obscura satis ratione motus, *ne meatus magis cavi effecti repleantur:* faucibus & collo magnopere nocet: quæ scilicet partes dum in compressionibus plus æquo compinguntur, divelluntur que, damna recipiunt, veluti evenisse Commodo Marci Imperatoris filio scripsit (*i*) Galenus, quem adhuc puerum ex lucta inflammationem oris passum fuisse recitat. Jacobum inter luctandum nervum latum oblæsisse, ob idque & ipsum in posterum, & Judæorum gentes a nervorum esu abstinuisse, auctor est Josephus in fine primi libri Antiquitatum Judæorum. Ad hæc thoraci valde aliena est, cui vel vasis alicujus rupturæ, vel spiritus interceptionis ex constrictionibus magnum impendet periculum: unde non temere (*k*) Galenus, ne suffocentur, periclitari luctatores dixit, qui similiter renibus, & lumbis male affectis talem exercitationem fugiendam esse voluit, quanquam (*l*) Rufus Ephesius, qui cum Critone sub Trajano Romæ in medicina floruit, convalescentibus a renum morbo palæstram minime interdixit. In ulceribus internis vitandum voluit Celsus, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione sanescentia ulcera exasperentur. Præterea cum inter luctandum crura sæpenumero insigniter flectantur, debilitate crurum affectis adversari credendum est. Sed hæc omnia intelligi debent de erecta palæstra vehementer facta. Quæ vero remissius, & placide peragitur, viceversa secundum Antyllum carnem multam generat: ex quo fit, ut iis, qui a morbis sese reficere incipiunt, sit superiore accommodatior, ac minimo periculo robur & fortitudinem pariat; capiti & thoraci prodest, nervos corroborat: de hac locutum esse (*m*) Plutarchum existimo, ubi scripsit Lycurgum corpora virginum cursibus, luctationibus, jactibusque discorum & jaculorum exercuisse, ut, quemadmodum germinum radix validum in acribus terris principium sumens melius germinat, ita & hæ partes robuste tolerantes, honeste simul ac facile adversus dolores pugnarent. Quæ porro supra pavimentum efficitur luctatio, si credimus (*n*) Oribasio,

a *Cal. lib. de parvæ pilæ ludo, cap.* 2. b *Lib.* 2. *cap.* 8. c 2. *de diæta.*

a 2. *Prob. part.* 7. b *Lib.* 1. *chro. cap.* 1. c *Lib.* 2. *c.* 2. d *Lib.* 3. *chro. cap.* 3. e *Lib.* 6. *c.* 28. f *Lib.* 2. *ad Tim. c.* 21. g 6. *Epid. con.* 3. *aph.* 32. h 1. *de diæta.* i *lib. de præc. ad Post.* k 6. *epid. com.* 3. l *In libro de passionibus renum.* m *In ejus vita.* n *loco citato.*

præcordia atque inteſtina vitiata adjuvat, lumbos imbecillos, & genua infirma fortiora reddit, ſed capiti eſt ineptior: volutatio in palæſtra, cum a Galeno inter celeres exercitationes recenſeatur, ad extenuanda corpora accommodata erit, ſicuti pro minuenda polyſarchia a Cælio commendata eſt, & ab Ætio ſi in pulvere fiat, ad hydropiſim curandam: eam namque humores exhauriendo refrigerare auctor eſt in II. de diæta Hippocrates: at ſecundum (a) Galeni ſententiam iis magno ſtudio fugienda erit, *quos ex levi cauſſa vertigines, comitiales morbi, gravis ophthalmia, vel aurium dolores male habent: ſimili modo & illis, quibus tonſillæ, & angina incidunt, quibuſque prompte in columellam, gingivas, dentes, denique partem aliquam ex his, quæ circa collum, aut totum caput habentur, fluxiones procumbunt*. Hactenus de lucta, circa quam oriri poſſet multis dubitatio, cur Galenus, qui gymnaſticam artem omnibus aliis melius calluit, non modo luctam fere nullibi ad quidquam commendavit, ſed potius tanquam parum utilem, aut omnino noxiam damnavit: cum alias dixerit luctatoribus vaſa pectoris rumpi, alias crura diſtorqueri, alias ſuffocari, alias luctam a bene inſtituta republica odio haberi. At hujuſcemodi dubitationes ita diſſolvere licet, quod ex ſententia ipſius (b) Galeni vere palæſtra, ſive lucta, per quam exigua gymnaſticæ medicinæ pars extat, omnibuſque exercitationibus homini minus utilis: ſiquidem ſecundum ipſum jaculari, currere, equitare, ſaltare, venari, navigare, fodere, quam lucta exerceri melius eſt: & ſicuti athleticæ, gymnaſticæ luctatio magis accedit, atque inſervit, ita quoque a medica longius recedit: unde non eſt mirum, ſi Galenus ejus exercitationis facultates explicare noluit, quam in medicina minimam commoditatem obtinere credidit. Nos autem ea, quæ ab aliis auctoribus tradita invenimus, explicanda eſſe duximus, non ut Galeni auctoritatem ceteris, vel ipſo ſuperioribus, quos male de exercitationibus ſenſiſſe ſcripſit, vel poſterioribus poſtponam; ſed ut demonſtrarem, ſi qua a lucta exſpectari commoda debent; hæc ab auctoribus indicata, & nulla alia fore. De iſta namque apud (c) Hippocratem ſcriptum invenio, quod *qui exercitationibus utuntur, hyeme currere ac luctari debent, æſtate vero luctari quidem parum, currere autem minime, ſed multum deambulare, ſecundum ventum ac frigus. Quicumque ex curſibus fatigati fuerint, eos luctari oportet; qui vero ex lucta fatigantur, eos currere expedit: ſic enim laborans fatigata corporis parte, vel maxime calefieri, componique ac recreari queat*.

CAP. VI.

De Pugilatus, Pancratii, & Cæſtuum facultatibus.

QUamvis inter ceteras exercitationes ad ſanitatem ſpectantes pugilatus minimam ſibi partem vindicare videatur, potiuſque athletarum, quam ingenuorum hominum profeſſionis ſpecimen præſeferat: nihilominus ſi partes corporis, quæ ſimili motu agitantur, accurate contemplemur, neque illum ſine aliquo fructu perfici ſtatim judicabimus: nam tum brachia, tum manus nonnullis uſque adeo hujus exercitationis ope firmantur, atque conſolideſcunt, ut etiam lapides, atque ligna pugnis ferire, & magna [A] ſpectantium admiratione confringere non dubitent: quos certe illis partibus optime valere, firmaque valetudine frui nemo negaret: ideo quicunque brachiis, manibus, atque digitis firmari, illiſque robuſte uti exoptant, quam aptiorem exercitationem iſta requirere debeant, non video: eo magis, quod licet antiquitus ab erectis ſemper pugilatus exerceretur, poteſt tamen interdum neceſſitate urgente non minus a jacentibus & ſedentibus, quam ab erectis & ſtantibus, ſeque moventibus peragi: ſed differt non parum ab erectis ne, an ſecus peragatur: quoniam in erectis & ſeſe moventibus primo quidem ſuperiores partes exercitationis [B] beneficium ſentiunt, at inferiores quoque partes eo penitus non fruſtrantur, quod non contingit in jacentibus, vel ſedentibus, quorum inferiora penitus ociantur. Nocet pugilatus capiti, neque ſatis mirari poſſum, cur Aretæus in vertiginoſis eum probarit: nocet auribus & pectori nimium, quæ dum admodum debilia ſunt, a plagis illis, & pugnorum percuſſionibus magnopere offenduntur: a quibus ſimiliter omnes illi cavere debent, quibus dentes infirmi & labantes ſunt. De manuum exercitatione memoriæ traditum eſt ab (a) Ariſtotele, quod exercentibus manus ſudor magis emanat, ſi ceteræ corporis partes ſimi-[C]lem habitum ſervent: quoniam in ea exercitatione ſpiritus continetur, & partes ſub alis cordi propinquæ fricantur: ex qua frictione cum calor increſcat, tum ejus, tum frictionis poros recludentis ope humor faciliter a corpore extra evocatur. De his etenim exercitationibus omnibus locutum Philagrium medicum apud Ætium puto: quando nocturnum ſeminis profluvium exercitationibus per ſupernas partes factis curandum mandavit. Quæ frequentiſſime omnium ab athletis exercebantur, erant lucta, pugilatus, & pancratium; luctæ atque pugilatus minimus quidem [D] fuit in gymnaſtica medica uſus: ſed pancratio multos, quibus aliquæ corporis partes male afficerentur, ſe curaſſe gloriatur (b) Galenus: ex quo ſicuti pancratio ſe exercentes toto corpore, ut Pauſanias auctor eſt, certabant, ſimiliter credere debemus, illud moderate peractum univerſo corpori ad robur acquirendum prodeſſe: vehementer ſi fiat, ſolum athletarum munus exiſtere. Ad hæc cum a (c) Galeno inter magnas exercitationes recenſeatur, caliditatem augere, & conſequenter frigidis habitibus apprime congruere, rationi conſentaneum eſt: id quod intellexiſſe (d) Theodorum Priſcianum, quem alii Octavium Ho-[E]ratianum Vindiciani, Archiatrorum Valentiniani comitis diſcipulum faciunt, arbitror, quando ſcripſit *hydropicos labore nimio, & continuis exercitationum quaſſationibus forſitan curari poſſe*: ab (e) Hippocrate edoctus, qui hæc in v. Epidem. ſcripta reliquit: *ὑδρωπιώδεα δέον ταλαιπωρέειν, ἱδρῶν*. quod item innuere voluiſſe Cælium Aurelianum poſſibile eſt, ubi ſtomacho ſollicitatos variis palæſtrarum exercitiis adhibito præceptore exercendos conſuluit, ut inflationes ac frigiditates illius removerentur: quæ omnia etiam de volutatorio pancratio fere intelligi poſſunt. Pancratii ſpecies, quam diximus II. libro ſub *σωματομαχεῖν* notaſſe Galenum, quod ad craſſiores homi-[F]nes efficiendos mirifice conferret, indicavit ibi Galenus ex gymnaſtarum judicio: quo in loco perperam Latinus interpres *athletas* tranſtulit. Cæſtuum exercitationes, de quibus apud medicos nullam prope mentionem factam invenio, quin aliquod brachiis præſidium afferre

a 5. *de tuend. valet. cap.* 3. b *ad Thraſ. cap.* 41. c *lib. de ſalub. diæta*.

a 2. *prob.* 5. b 2. *de tuend. valet. c. ult.* c 5. *epid. con.* 1. *aph.* 6. d *Lib.* 2. *ad Timot.* e *Prope finem*.

valeant, negare minime possum: cum tamen exercitatio cæstibus facta pugilatus species quædam foret, atque a (*a*) Virgilio nomine quodam infami sub hoc versu notetur:

Seu crudo fidit pugnam committere cæstu.

in hanc sententiam venio, cæstus apud medicos, sive in tuenda sanitate, sive in curandis morbis, sive in acquirendo bono habitu nullum locum habere, atque ideo similem exercitationem penitus omitti debere. Ceterum illud ignorari hoc in loco nolo, pugilatum, & cæstus exercitium absque antagonista quandoque usurpatum, tuncque *schiamachiæ*, de qua infra loquemur, & (*b*) supra quoque locuti sumus, speciem quandam extitisse, dum scilicet pugnis & cæstibus aerem dumtaxat percutiebant, quæ profecto exercitatio veluti manus atque brachia citra molestiam exercere valet, pariter alteri cum adversario factæ præferenda semper erit: nempe cum plagis illis, atque percussionibus careat, quæ plerumque in hujuscemodi pugnis utrumque certatorem magna molestia afficere solent: quocirca si aliqui hoc genere exercitationis delectati, assuetive (nam & (*c*) Galenus ipse in exercendis hominibus magnopere advertebat, qua quis exercitatione delectaretur, cuive assuetus foret) brachia, humeros, & manus corroborare, agilioresve reddere percupient, poterunt citra ullius noxæ periculum sese dumtaxat adversus aerem in illo exercere, atque eo pacto sine plagis & gravibus percussionibus, delectationem, ac utilitatem optatam simul assequi: modo in reliquis ea omnia serventur, quæ in cunctis exercitationibus obeundis studiose observanda esse in libro (*d*) quarto docuimus.

CAP. VII.

De Cursus natura.

SIcuti pugilatum privatam manuum exercitationem paucos usus apud medicos habuisse ostendimus, ita cursum, quo pedes fere soli exercentur, maximæ utilitatis extitisse, & proinde a medicis, atque gymnastis sæpius commendatum fuisse demonstrabitur. Cum etenim a (*e*) Galeno inter illas exercitationes reponatur, quæ veloces sunt citra robur atque violentiam, negare haud possumus, quin corpora attenuet, carnes atque succos minuat: id quod clarissimis verbis antiquissimus auctor (*f*) Hippocrates, nec non (*g*) Galenus ex gymnastarum & medicorum sententia asseruerunt. Est tamen in cursu agendo multiplex discrimen, quod *alius velocius, atque vehementius; alius remissius, & placidius* peragi potest: & hac ratione illius effectus variari necesse est, quemadmodum etiam currendi modi, dum variantur, *alii in rectum, alii in obliquum, alii ante, alii retro, alii circulariter, alii nudis corporibus, alii tectis, alii per plana, alii per inæquales, vel montuosas vias aguntur*. Cursum quemcumque febrientibus detrimentum afferre, prudenter traditum est ab (*h*) Hippocrate, & a (*i*) Galeno, quem a nemine ægrotos cursibus curari scribentem de solo vehementiore sermonem habuisse sentio, quando etiam in libro de parvæ pilæ ludo, illum veluti non salubrem, & plus æquo universum corporis habitum extenuantem, nihilque virilis exercitationis habentem jure improbavit. De hoc item currendi genere locutus fuit Antyllus, ubi cursum vehementer exercitationem nuncupavit; alioqui Galeno repugnantem sententiam tulisset. Est igitur cursus vehemens fere ad sanitatem defendendam noxius potius, quam utilis, sique ullum juvamentum affert, proculdubio carni, atque immodicæ pinguedini tollendæ confert, veluti comprobavit (*a*) Cælius Aurelianus: confert quoque ex (*b*) Hippocratis sententia valde humidis corporibus, quo & ipsa humore exinaniantur, & humor amplius, atque citius sistatur: ob quod & in splenis ægritudinibus quibusdam strenue adeo juvare reperitur, ut Ætius Amidenus se aliquos novisse referat, qui solis cursibus & deambulationibus ab omni affectione sint liberati. Legitur apud Plutarchum in Demosthene Orchomenium Laomedontem ad repellendum splenis vitium ex medicorum præceptis longis cursibus usum, atque ita corpore laboribus subacto certaminibus sese dedisse sacris, & inter optimos evasisse dolichodromos. Peculiariter vero iis valde nocet, qui capite aliquo pacto male afficiuntur, ex quo (*c*) Aristoteles quærens, cur, qui detrahere ad ima genus omne excrementorum putatur, cursus si velox fiat, tam in hominum genere, quam in ceterorum animalium facit, ut capita a morbo tententur, dicit id eo evenire, quoniam motus velox, cum vires intendit, & spiritum retinet, caput concalfaciat, ejusque venas mirum in modum inflat, attrahentesque reddit facultatis externæ, ut frigoris & caloris; præterea quæ in pectore sunt, sursum attrahi cogit, ex quibus omnibus locum superiorem ægrotare necesse est; & iccirco sapienter (*d*) Theodorus Priscianus scriptum reliquit, cursum vehementem epilepticis esse penitus inhibendum. Cursus moderatus, atque placidus ad corpora perbelle calefacienda, ad naturales actiones corroborandas, ad appetitum excitandum plurimum valet; privatim autem defluxiones, atque catarrhos curare, & aliorsum vertere idoneus est: & iccirco ab Aretæo talis pro vertiginosis commendatur, sicut, & pro elephanticis ab ipsomet, atque a (*e*) Celso, qui, ubi sicca tussis aliquem exercet spiritu retento, sed non in pulvere, cursum commendat, uti etiam in faucium interiorum exulceratione, necnon eo morbo quem Græci κυνικὸν σπασμὸν nominant: licet enim primum defluxiones excitare videatur, eas tamen tractu temporis postea cohibet, & ob id ischiadicis prodesse perhibetur, in quibus cursus initio vix crura moveri possunt: sed ubi in medio sunt, ita properant currentes, ut morbi propemodum obliti videantur. Stomachum strenue firmat, ventres a flatibus & frigidis passionibus liberat: ut non sine ratione ipsum in curandis colicis adhibendum consulat Cælius Aurelianus, sicut, & (*f*) Ætius in hydropicis: splenis tumores deprimit, & ob id merito (*g*) Theodorus Priscianus spleniticos cursum appetere debere prædicavit. In renum morbis, & feminis profluvio se cursum adhibuisse, tamquam adservatum quoddam præsidium memoriæ prodidit (*h*) Antyllus, quemadmodum, & iis, quorum viscera torquentur, & qui fungos esitarunt, vel a scorpionibus icti sunt, eundem profuisse observavit: quæ tamen sententia in cunctis renum affectionibus minime probanda est: quoniam si patiantur ulcus, sive nuper sint passi, a cursu non parum detrimenti capere credidit (*i*) Rufus Ephesius. Quod præter hæc talis exercitatio pe-

a *Lib.* 5. *Æn.* b *Lib.* 3. *cap.* 4. c 2. *de tuend. valet. cap. ult.* d *Cap.* 10. 11. & 12. e 2. *de tuend. valet. cap.* 10. f 6. *epi. con.* g 3. *aph* 2. h 6. *epid. con.* 3 i *Apho.* 31.

a *Lib.* 4. *chro. c.* 4. b 1. *de diæta.* c 5. *partic. prob.* 9. d *lib.* 2. *ad Timot. cap.* 2. e *Lib.* 3. *cap.* 25. f *lib.* 3. *ser.* 2. *cap.* 28. g *lib.* 2. *ad Timot. cap.* 25. h *Oribas.* 6. *coll.* .. 22. i *lib. de affe. ren.*

des, atque crura, quorum propria actio existit, non parum adjuvet, compertum habetur apud omnes. Cum igitur tot commoda secum vehat cursitatio, non sine quoque aliquibus incommodis (quæ est communis remediorum omnium natura) haberi potest. Eam namque in primis laboriosam esse, magnus philosophus (*a*) Aristoteles probavit, ubi currentem ambulanti comparans, illum magis laborare persuadere conatur, quoniam elatus, atque pendens corpus supra se totum sustinet, ambulans vero parte insistente vicissim sustentatur, quasique parieti admotus requiescit. qua ratione item contingere dixit, ut currentes potius quam ambulantes cadamus. Cursus præterea (*b*) eodem auctore carnem refrigerat, nec alimenti reddit capaciorem; nimirum cujus pars in imum convertitur, pars a naturali calore penitus extenuata transit in spiritum; neque vero hujuscemodi exercitatio suapte natura ullum effatu dignum nocumentum generat. si tamen vel caput, vel thoracem non admodum firmum, vel urinam ardore solicitantem inveniat, profecto morbos varios generat. id quod de capite (*c*) auctor quarti de acutorum victu libri significare voluit, dum *nonnullos ob cursum capite dolere* scripsit. Quod item clarius confirmat Cassius Jatrosophista, qui magna celebritate, & incredibili lucro, ut (*d*) Plinius testatur Romæ medicinam ætate Cornelii Celsi, a quo ingeniosissimus vocatur, exercuit. Hic enim in problematibus suis medicis caussam sciscitans, *qua illis, qui leniter moventur, si prius capitis gravitate laborent, post motum sese levatos sentiunt; qui vero currunt, etsi nullam antea gravitatem perciperent, post cursum capite gravantur*: ideo evenire dicit, *quoniam in sese placide moventibus materiæ ad inferiora descendentes ibi firmantur; in currentibus autem, licet humores ad infima labantur, illico tamen ad superiora resiliunt, veluti contingere in pila super pavimentum jacta cernitur, quæ si blande jaciatur, inibi quiescit; sin violenter, statim supra resilit*. De thorace autem legitur apud (*e*) Galenum, *currentium spiritum anhelum, atque asthmaticum reddi, necnon interdum aliquod ipsis vas in pulmone, aut pectore rumpi*. quod non tantum intelligi debet de illis, qui ad eum affectum prius dispositi erant, verum de aliis vehementer currentibus. Achanthio enim ille (*f*) Plautinus cum ad Charinum velocissime cucurrisset, dicit *ex cursu rupisse ramicem*, & jamdudum sanguinem sputare. sub ramicis nomine (ut fusius diximus primo variarum lectionum capit. xx.) pectoris venas latiores instar varicis significans. Alioqui scriptum est ab (*g*) Aristotele, eos, *qui non concitate admodum currunt, numerose spirare*, quod ipsorum motus proportionatus efficitur, modumque respirandi sensibilem præstans explicare numerum valet. *Illis, qui vel in bubonibus, vel alibi rupturas patiuntur, cursum cavendum* præcipit (*h*) Paullus. Ad hæc ardorem urinæ ex cursu augeri, & homines testari possunt, & cervi, qui inter currendum usque adeo hujuscemodi ardore stimulantur, ut, nisi mingant, facile capiantur. quam rem animadvertentes sagaces venatores, eos prosequuntur, nec mingendi ipsis potestatem faciunt. Cursum item hepate laborantibus, necnon renibus male affectis inimicum esse, traditum est a (*i*) Cornelio Celso, & ab Ephesio Rufo. Atque hæc omnia de cursu recta in anteriora facto a me explicata sciantur. pro quo id silentio non esse prætereundum duco, quod (*k*) Aristoteles scriptum

A nobis reliquit; videlicet, *eos, qui cursum concitate agunt, convulsionibus maxime corripi, ubi quis inter currendum eis obstiterit*: quandoquidem ea potissimum convelluntur, quæ in partem contrariam vehementer trahimus, atque movemus. unde si homini currenti, vehementerque membra ultra propellenti quis obviam factus obstiterit, accidit ut in partem contrariam ea retorqueantur, quæ adhuc ante pertendunt, atque proripiunt. itaque convulsio tanto vehementior incidit, quanto cursus contente magis agitur. Cursus insuper recta ad interiora factus, atque longus ab (*a*) Hippocrate nuncupatus, secundum ejus sententiam si

B sensim fiat, calefacit, & carnem diffundit, verum corpora tardiora, atque crassiora reddit, multaque comedentibus utilitatem præstat. At recursus in posteriora secundum (*b*) Antyllum non celeriter initus, capiti, oculis, tendinibus, stomacho, & lumbis accommodatus atque utilis est; iccirco non replet caput. Circularis vero cursus secundum (*c*) Hippocratem carnem minime diffundit, attenuat autem, distendit carnem, & ventrem maxime: propetereaque acutissimo spiritu utentes humiditatem in se ipsos celerrime trahunt. qua ratione ab (*d*) ipso in iis commendatur, *qui*

C *nigra astra in insomniis vident*, nempe quibus morbus forinsecus immineat. Caput valde offendit, vertiginesque, ut Theophrastus scribit, abunde suggerit; thoracem & crura vitiat; ideoque repudiari omnino debet. Sunt cursus per acclivia magis laboriosi, magisque thoraci, & cruribus inimici; similiter & per montes: per declivia vero caput vehementius afficiunt, viscera omnia quassant, coxas debiles perturbant; per plana cursus illa omnia præstant, quæ jam declaravimus. Cæterum qui tecto corpore obeuntur, & sudorem movendo magis humectant, & carnem calefaciunt, ideoque (*e*) Cælius Aurelianus capitis dolore la-

D borantes, ut vestitos currere faciamus, magnopere curandum præcepit; quemadmodum (*f*) Theodorus Priscianus scriptis mandavit, cursum cum vestibus laneis peractum asthmaticis prodesse: hunc tamen *decoloratiora corpora efficere; quoniam sincerus spiritus allabens ipsa non depurgat, sed in eodem spiritu exercentur*, auctor est (*g*) Hippocrates, qui tamen eundem in illis probavit, *qui stellas deficientes in insomniis vident, quod secretionem in corpore humidam ac pituitosam factam, & in externam circumferentiam illapsam esse significetur*. Qui porro nudis corporibus efficiuntur, sicuti magnam sudorum copiam eliciunt, ita gene-

E rose per occultos halitus evocant humores, corporaque magis deurunt. quocirca (*h*) Aristoteles sudorem, qui corpore nudo currenti prodierit, etiamsi minor sit, magis laudat, quam qui sub veste se prompserit, argumento illorum, qui nudi cursum æstivo tempore actitant, quique coloratiores redduntur. indutis currentibus non ob aliud certe, nisi quod, ut omnes qui loca libera & adspiratiora incolunt, melius colorantur iis, qui impedita, & silentia tenent, sic etiam se ipso quisque coloratior est, cum veluti spiritui afflanti placide patet, quam cum perstrictus, obductusque a

F calore nimio angitur. quod certe iis accidit magis, qui vestiti percurrunt, & qui nimis dormiunt, quippe qui veluti adstricti, & propemodum strangulati, minus reliquis sese modico somno recreantibus colore florent. Cursum universim acceptum magis hyeme, quam æstate ex usu esse credidit Hippocrates, sive Polybus in secundo de diæta libro.

a 5.*partic.prob.39*. b 5.*partic.prob.18*. c *Aph* 115. d *Lib. 29.c.1*. e 6.*Epid.com.2.5.Metho*. f *In Mercatore* g 5.*Prob.16*. i *Lib.3.c.53*. h *Lib.4.c.8*. k *Ibidem prob. 36*.

a 2.*de diæta circa finem*. b *Oribasius loco citat*. c 2. *de diæta*. d *In lib. de insomniis*. e *lib. de vertig*. f *lib. 2. ad Timot.c.12*. g 2.*de diæta*, & *lib. de insomniis*. h *de part.prob.30*

ex adverso Oribasius tum hyeme, tum æstate media convenire sensit. cujus forsan sententia verior judicabitur, si sudorem quis æstate magis, hyeme minus procurandum cum Aristotele arbitratus fuerit. sed de hoc jam supra abunde disputavimus, nec quidquam amplius remanet, quod ad finiendum hanc cursus tractationem pertineat.

CAP. VIII.

Quid præstet Saltus.

SAltum inter vehementes exercitationes, quæ ex robusta atque celeri componuntur, collocandum judicavit Galenus, & præsertim illum, qui sine ulla intermissione jugiter continuatur; qua de re ipsum calorem nativum augere, & concoquendis cibis, crudisve humoribus conferre apud omnes perspectum est, licet postea capiti, atque pectori nocere ex eo constet: quod in hujuscemodi exercitationibus alterum vehementer concutitur, alterum in inclinationibus, atque dorsi inflexionibus comprimitur, & ex compressionibus mox vasa tam pectoris, quam pulmonis franguntur: ut evenisse interdum narrat (*a*) Galenus. Hoc præterea saltui commune inest, ut gravidas mulieres abortiri facillime faciat: neque istud ab (*b*) Hippocrate solum, cæterisque vetustissimis auctoribus, ubique confirmatum est; verum etiam ipsa rerum parens optimaque magistra natura nos uberrime edocuit, nimirum quæ capreas, & cætera brutorum genera saltantia firmamentis quibusdam, ut indicat (*c*) Galenus, munivit, ne ligamenta, quibus fœtus in utero continetur, dum illa saltare coguntur, faciliter disrumperentur; quod munimen cum humani generis fœminis nequaquam concesserit, opinor eam eo consilio id effecisse, ut cognoscerent homines, dum mulieres in utero gerunt, quaslibet saltandi occasiones ipsis effugiendas esse. Multæ sunt saltus species, quarum duas (*d*) Oribasius Antyllum secutus nominavit, *exilitionem* videlicet, atque *saltum* ita proprie vocatum. de exilitione, quæ quodammodo cursui adsimilatur, hanc sententiam tulit, illam diuturnis capitis morbis accommodari, thoracem adjuvare, cum inflexionibus valentibus careat; materiam, quæ ad partes superiores rapitur, ad inferiora reclinare, cruribus imbecillis, sese non alentibus excarnibus, stupidis, atque tremulis, præsidium afferre. hanc etiam intellexisse opinor (*e*) Suetonium, ubi Augustum *ambulare solitum ita, ut in extremis spatiis subsultim decurreret*, scribit, quasi sic infirmitati coxendicum femoris, & cruris sinistri, necnon vesicæ calculis, quibus affictabatur, sæpe occurreret. De saltu vero proprie sic appellato dixit, eum materiam infra exactius deducere, sed quia thoracem nimis, & violentia motus, & magnis inflexionibus concutit, ejus affectionibus minime convenire; verumtamen, & ad motum, & ad actiones promptum corpus valde reddere; quod si ad nates efficiatur saltus, qualem Lacænarum mulierum fuisse (*f*) jam diximus, caput, ex ejusdem Antylli sententia, peculiariter purgat, & purgando siccat atque de hoc mentionem fecisse (*g*) Aretæum puto, ubi in vetere capitis dolore saltum, & ξυνδυπαιδόλτων [illegible] laudavit, sicut, & ἅφαλσιν in vertiginosis. evocat etiam menstruas mulierum purgationes, & fœtus nimium adhærentes expellit, quemadmodum (*h*) Hippocrates testatum reliquit; secundas quoque retentas quassationis merito dejicit, necnon uterum, qui supra sese contraxit, in suum locum trahit, hæmorrhoidas provocat, lapillos ex renibus ad vesicam detrudit: genibus tamen ob continuas & nimis violentas flexiones, summopere nocet. Qui versus altum peraguntur saltus, sicuti coxas juvant, ita pectori detrimentum afferunt: qui ad inferiora fiunt, caput a superfluitatibus, quas reclinant ad infimas partes, emundant, crura corroborant, cæterum viscera omnia vehementius quassant, & ob id etiam qui vel hernias patiuntur, vel quas vocant alias crepaturas, vel varicibus crura tumida gerunt, hujuscemodi exercitationes summo studio ex (*a*) Paulli sententia vitare debent, sed & podagrici omnes, & qui levi qualibet de caussa a destillationibus ad pedes, tumoribusque omnibus molestantur. saltus igitur hi sunt effectus, quem ubi purgatio ac phlebotomia necessaria est, nec vel ætatis ratione, vel ob aliquod aliud impedimentum ulla earum administrari potest, pro ipsis supplere, redundantesque humores exinanire manifestavit (*b*) Galenus; licet postea apud varios medicinæ auctores, & potissimum apud (*c*) Rufum Ephesium invenerim, eundemmet saltum iis obesse qui facile sanguinis mictum, aut fluxum, quive renum imbecillitatem, ac fervorem incurrunt, necnon ulcus in ipsis aut habent, aut mox habuerunt: quinimmo etiam sanis renibus interdum a saltu valido frangi venas scriptum est apud Ætium. quæ omnia de saltu simpliciter facto intelligenda esse volo. Qui enim manibus vel lapide, vel plumbo, vel aliquo alio plenis saltare nituntur, ab aliis in hoc differunt, ut dicebant (*d*) Aristoteles, & (*e*) Theophrastus, quod illi inanem jactantes manum majorem brachio laborem pariunt, hi vero minorem; siquidem brachium inani jactatione quasi convellitur, cum in nulla re nitatur; in jactatione vero ponduscolis manu apprehensis facta, nulla hujuscemodi convulsio contingit, quando saltans id manibus tenet, cui quasi nititur, quo minus fatiscat, haud aliter atque currentes, qui dum manus invicem quatiunt, velocius procurrunt, quam manibus tensis, atque otiosis; (*f*) quoniam ita quasi sese sustentant, in eaque manuum divaricatione & explicatione innixi, vehementius, firmius, & consequenter velocius moventur.

CAP. IX.

De Halterum conditionibus.

HAlteribus factam exercitationem duram esse, atque vehementem, præter (*g*) Antyllum, comprobavit quoque ipse (*h*) Galenus, dum in hujuscemodi ponderibus apprehendendis, jactandisque musculos omnes, atque nervos, validissime intendi confessus est. qua ratione efficitur, ut affatim corpus calefacere hæc exercitatio idonea sit, & præsertim dorsum, quod maxime in jactandis halteribus satisfacere videtur, præterea carnem creat; privatim vero superiores partes ab illa exerceri memoriæ mandavit (*i*) Galenus: cujus ratione ante ipsum Aretæus hujuscemodi exercitationem in antiquo capitis dolore, qui paullatim finiatur, usu probavit, veluti etiam in cœliacis & vertiginosis. Sed Oribasius Antylli auctoritate humeros ipsam exercitare, stomacoque, quem diffluxio infestat, quique imbecillus est, & in quo cibus acescit, sive cum labore concoquitur,

a 5. *Method.* b *In prin. de nat. pueri.* c 14. *de usu. partium.* d *Lib. 6. c. 31.* e *In ejus vita c. 83.* f *Lib. 2. c. 11.* g *Lib. 1. curat. chr. c. 2.* h *In lib. de natura pueri. in princip.*

a *Lib. 3. c. 53.* b *6. epid. con. 3. aph. 2.* e *Lib. de passionib. renum.* d *5. partic. prob. 8.* e *in lib. περὶ χίτων* f *Arist. lib. de communi anim gressu.* g *Orib. lib. 6. c. 35.* h *2. de tuend. valet.* i *6. de tuend. valet. cap. 14.*

accommodari scribit: laudat in arthriticis (a) Cælius Aurelianus, ut primo manibus cera emollienda detur, aut manipuli teneantur, quos palæstritæ *halteras* appellant, tum primo cerei, sive lignei cum parvo plumbo intercluso movendi porrigantur, deinde graviores pro modo profectus; (b) Galenus cuidam, qui mordax, percalidumque semen inter emittendum sentire non tantum se, sed etiam mulieres, cum quibus rem haberet, referebat, inter cætera auxilia, sese halteribus exerceret, suasit: quem postea secutus (c) Alexander Trallianus in priapismo curando hujuscemodi exercitationem commendavit, quod animadverteret ipsam non modo ad retundendum, infirmandumque semen, verumetiam ad materiam in diversum trahendam, spiritusque flatulentos digerendos conducere. similiter quoque (d) Galenus in ulcerum crurum curatione, nisi quid aliud impediat, halteribus peractam exercitationem probavit, propterea, quod sic impeditur, quo minus humores ulceribus noxiis ad partes inferiores delabantur. (e) Idem etiam, ubi purgatio, aut phlebotomia, requiritur, nec eas ætas, aut ægrotantis voluntas permittit, loco ipsarum supplere judicavit. Verum enim vero, neque capiti, neque thoraci similem exercitationem congruere ullus affirmaret, quorum alterum nimis, atque inæqualiter agitatur, alterius autem vasa, ne ob maximam, qua brachia utuntur, vim aliquo pacto labefactentur, periculum imminet. Quam rem fortasse considerans (f) Martialis, fossionem, quam Galenus, & exercitationem simul, & opus fecit, sicut supra ostendimus, huic exercitationi præposuit sub hisce versibus.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Hujus cum secundo libro tria fecerimus genera, Primum ea omnia præstare creditur, quæ jam enarravimus; Alterum vero particulari quadam facultate crura, nervos confirmare & materiam deducere scripsit Antyllus, veluti & tertium spinam, illaque juvare & mollire, sed caput pessime afficere dixit. Unum illud hisce omnibus adjungere opportunum duco, quod quamvis hac tempestate figura illa halterum antiquorum a (g) Pausania descripta in usu non habeatur, cum tamen loco eorum apud alios massulæ plumbeæ, ferreæve, apud alios lateres ac lapides prope sphærici, & graves usurpentur, nihil figura illa refert ad variandos effectus, efficiendumve, ne eadem facultas tam in usu nostrorum, quam in priscorum inveniatur, eo magis quod haud secus qui hodie sese exercent in lapidibus, vel massulis projiciendis, brachia, dorsum, omnesque superiores partes movent, contorquentur, ac faciebant antiqui halterum exercitatores. ut hac una ratione omnes affectus a nobis supra expositi in nostris etiam exercitationibus expectari debeant.

CAP. X.

De Disci, atque Jaculationis effectibus.

De disco quamvis apud medicinæ probatos auctores, paucam omnino mentionem factam inveniam, ob idque fortasse locus iste dimitti postularet; quoniam tamen a Galeno proditum fuit, disci jactum, nedum exercitationem apud antiquos extitisse, in gymnasiisque fieri solitam, verum etiam inter vehementes exercitationes haud postremum locum obtinuisse, atque hodie quoque apud multas nationes in usum exercendorum corporum venire, proinde *siccis* (ut ajunt) *pedibus præterire* illum omnino nolui. Quocirca in primis sciendum erit, hanc exercitationem, modo in cæteris non delinquatur, accommodate calefacere, & propterea frigidis corporibus, atque illis, quibus veloces exercitationes negantur, perfecte convenire, necnon imbecillos, & inferioribus membris invalidos moderate corroborare. cum etenim magni, atque vehementes obnixus in longius discum projiciendo requirantur, fit ut vehementia motus, ac musculorum intensione artus magis solidescant, & ab excrementis purgentur. cujus purgationis merito consuluit quandoque (a) Galenus, ut, si quando purgatio, & phlebotomia requireretur, nec ipsæ aliquibus impedimentis adhiberi possent, earum vice per discum facta exercitatio admitteretur, quæ nimirum id præstaret, quod in phlebotomia & medicamentorum purgatione exoptaretur: peculiariter autem exercitatio ista brachia, lumbos, ac denique universum dorsum corroborare idonea est, quæ scilicet partes in ipso maxime omnium agitantur: in vertiginosis quoque ab Aretæo commendatur. Ab illis vero magnopere evitari debet, quicumque aut renes, aut thoracem male affectos habent: nam illi fervidiores, atque flaccidiores redditi incredibilem quandam dissolutionem contrahunt: hujus interna aliqua vasa, ut testatum fecit Galenus, non raro disrumpuntur. Et ne quis credat, eandem exercitationem extitisse halterum, atque disci, sciendum præter variam utriusque figuram jam a nobis in (b) superioribus libris declaratam, hoc quoque discrimen habuisse, quod halteres variis contorsionibus altius agebantur, discus vero, etsi in altum projiceretur, tamen longitudo spatii jactatione peracti potius metiebatur eo ferme pacto, quo hac tempestate faciunt, qui sese in lateribus oblongis projiciendis exercent, in quibus iidem effectus videntur, qui olim in discobolis visebantur. Jaculatio porro sicuti a disci jactu parum in ipsa projectione differre videtur, ita quoque vires similes, & ad nocendum, & ad juvandum obtinere credendum est. quo fit ut pauca de hac exercitatione nobis dicenda relinquantur. Illud minime silentio obvolvi debere sentio, veteres scilicet non sine mysterio Æsculapium, atque Apollinem, ambos medicinæ auctores, ambos sanitatis magistros arti jaculandi tamquam Deos præfecisse; nimirum hac sententia innuentes, hujuscemodi exercitationem bonæ valetudinis conservationi, bonique habitus acquisitioni strenuam opem afferre. cujus exercitationis postquam plures species effecimus, alias a jaculorum, sive sagittarum varietate desumptas, alias ab arcubus seu balistis, quibus illæ emittuntur, acceptas, omnes eandem plane facultatem possidere autumo, nisi quod eos, qui in ferreis vocatis palis jaciendis exercentur, hoc admonitos velim, ut magnam curam adhibeant; quoniam sæpenumero peritonæum disrumpi, intestinaque in scrotum descendere, & per consequens hernias in similibus exercitationibus generari experientia compertum est: cumque in emittendo maxima vis, atque intensa spiritus retentio adhibeatur, pectori adstricto atque infirmo hujuscemodi jaculationem adversari puto. Non est quoque illud ignorandum, quod (c) Marcus Tullius memoriæ prodidit, Philoctetem, dum crucia-

a *Lib. 5. chr. c. 2.* b *6. de tuend. val. c. 141.* c *Lib. 9. c. ult.* d *de comp. me. per genera. cap. 2.* e *5. epi. con. 3. aph. 2.* f *Lib. 14. epigr. 47.* g *5. Eliacor. circa finem.*

a *In 6. epid. comm. 3. aph. 2.* b *Lib. 2. c. 12.* c *5. de finib. bon. & mal.*

retur non ferendis doloribus, propagasse tamen vitam aucupio sagittarum jaculatione facto. quod an faceret exercitatio ipsa, an delectatio illam insequens, mihi ab utroque factum verisimile videtur.

CAP. XI.

De Deambulationum qualitatibus.

SI ullum est exercitationis genus, quod illis, qui sanitati operam navant, maxime quærendum, atque cognoscendum sit, quodque cæteris quibuscumque frequentius a cunctis fere hominibus, omnique tempore exerceatur, unam proculdubio deambulationem esse nemo negabit: siquidem nullus est, sive puer, sive adultus, sive senex, qui non modo eam præstantissimam, sed solam exercitationem non credat. pauci tamen reperiuntur, qui vel ratione, vel longo usu, quibus quæque corporis partibus, & prosit, & noceat, perfecte animadverterint: id quod evenisse existimo, cum ob varias illius species, tum ob posteriorum hominum incuriam, qui & in hujuscemodi rebus & in quampluribus aliis antiquioribus negligentius, atque oscitantius sese gesserunt. Quamobrem operæ pretium facturum me esse spero, si, deambulationum species præcipuas recensens, consequenter quid unaquæque tam boni, quam mali efficere valeat, demonstravero. sed duo ante cætera ab omnibus considerari cupio. Primum quod sæpe invenire est apud auctores medicinæ Græcos & Latinos, præcipi simul ambulationes & exercitationes; quasi illæ ab his sæparatæ, nec exercitationes sint; quorum sententias sic interpretari volo, ut semper, dum ipsas sejungunt, sub nomine exercitationum eas, quæ proprie ita appellantur, significent; cum ambulationes communiter, & non proprie exercitationes appellari mereantur. Alterum est, duas Galenum, & eos, qui ipsius doctrinam secuti fuerunt, deambulationis principales species tradidisse, alteram apotherapeuticam a medicis nuncupatam, necnon post relictos aliarum exercitationum labores adhiberi solitam, de qua non est nunc instituti nostri multa verba facere; alteram simplici nomine deambulationis appellatam, qua uti auxilio quodam, aut in affectis corporibus ad reparandam valetudinem, aut in sanis ad conservandam atque augendam majores utebantur, nosque uti possumus. atque de hac erit tota nostra tractatio, cui ideo Galenus nullam propriam differentiam, ut fecit in cæteris exercitationibus, assignavit; quoniam, cum tot species habeat, non parum diversas, sub unica illas omnes differentias comprehendere impossibile videtur. Deambulationes itaque dividuntur, tum a motu ipso, a quo (ut sic dicam) earum essentia existit; tum a loco, in quo perficiuntur; tum a tempore. A motu, quoniam *aliæ celeres sunt, aliæ tardæ, aliæ vehementes, aliæ remissæ, aliæ multæ, aliæ paucæ, aliæ mediocres, aliæ longæ & rectæ, aliæ breves & reversivæ*, atque hæ, *vel totis pedibus, vel summis digitis, vel calcibus*. A loco, quoniam *aliæ fiunt in montibus, aliæ in viis planis*; & quæ in viis planis, *aliæ in inæqualibus, aliæ in æqualibus*, & *vel sub porticu, vel sub dio, vel sub sole*. A tempore, quoniam *aliæ fiunt hyeme, aliæ æstate, aliæ mane, aliæ vespere, aliæ ante cibum, aliæ a cibo*. Tot enim deambulationum discrimina, (ne minutius rem partiar) apud auctores, atque ex ipsa rei natura, experientiave reperio: quarum nonnullæ sane possunt esse apotherapeuticæ, sicut apud (*a*) antiquos fuerunt. At non est ignorandum, tunc illas in usum venire, quando jam confectæ sint graviores exercitationes, sive post purgationes, quas medicamenta fecerint, & post sublitionem oculorum, & post copiosum vomitum: atque hoc deambulationis genus aptum est animum remittere, spiritum commutare, in ordinemque adducere, quæ distenta sunt solvere, itemque thoracem purgare & facilem respirationem reddere, instrumenta sensus roborare, ventriculum firmare, & quod maximi refert, omnem affectionem, quæ lassitudinis sensum infert, quæque perturbat, explicare, atque dissolvere. de ista loquebatur (*a*) Hippocrates quando scripsit, *deambulationes post exercitationes corpora pura reddere, attenuareque, minime vero permittere, ut caro præ labore colliquetur, sed ipsam purgare*. Atqui deambulationum simplicium mediocris cœteris omnibus magis ex usu est: de qua intelligendus est (*b*) M. Tullii locus, quando is Tironi consulens, ut valetudinem curaret, ab ipsa quinque postulari scripsit, *πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας*, id est *ciborum coctionem, tristitiæ carentiam, ambulationem moderatam, oblectationem, & alvi solutionem facilem*. mediocrem autem appello ambulationem, quæ inter differentias enumeratas nihil alioquin excedit, aut deficit, multa tamen, atque contenta sit, quemadmodum ambulationem profuturam esse debere tradidit (*c*) Antyllus, quæ, ut sensit idem, capiti, oculis, gurgulioni, thoraci, nisi adsit sputum sanguinis, male affectis auxiliatur. De hac loquebatur Seneca, quando sese destillationi, a qua valde afflictabatur, deambulatione succurrere fatebatur; hanc eandem pro insania, proque asthmate curandis (*d*) Cælius Aurelianus commendabat: est vero etiam maxime utilis stomacho humescenti, dolenti, & in quo alimenta coacescunt, corrumpunturve. In arquatis, sive ictericis curandis ea usus Archigenes invenitur. similiter efficax est ad mulieres, quibus suppressæ sunt purgationes, & cum alvus sistitur, cibi supernatant, urina retinetur. non mediocriter quoque coxendicis morbis prodest, & ad summam omnibus iis, in quibus necesse est, aut a superioribus partibus ad inferiores aliquid defluere, aut quæ ad inferiores partes propensa feruntur, excernere. Jam vero febrientibus omnibus deambulatio hujuscemodi obest, nimirum, quæ ut sentit (*e*) Galenus, calorem, & consequenter febres augeat; nocet epilepticis, sanguinem excreantibus, mingentibusve, aut seminis defluvium patientibus. Porro velox deambulatio magnopere calefacit, magnitudinem carnis, si quid aliud, tollit, cujus gratia (*f*) Cælius Aurelianus eam in collicis affectibus, in quibus requiritur calor, atque in polysarchia adhibendam esse judicavit. Ambulationes tardæ fere eadem præstant, quæ ab apotherapeutica effici diximus: quocirca valetudinariis senibus imbecillioribus, & iis, quos post cibum ambulare delectat, quique nuper a somno expergiscuntur, aut ad majores exercitationes ineundas sese præparare volunt, aut quavis parte dolent, accommodatæ erunt. Has etiam esse crediderim, quas (*g*) Hippocrates, Avicenna, & Haly a cena ad magis cibum in vetriculi fundo, ubi citius absolvitur coctio, accommodandum probarunt, quasque Galen. VII. Methodi pro reficiendis corporibus exiccatis commendat. In capitis dolore (*h*) Cælius Aurelian. probavit, *ut laborans deambulatione exerceretur, primo tarda, dehinc medio tempore fortiori, atque paullo erectiori extentis cru-*

a *Oribasius 6. collect. cap. 21.*

a *2. de diæta prope fin.* b *16. fam. Ep. lib. Ep. 18.* c *Orib. ib.* d *Lib. chron. 1. c. 5. & lib. 3. c. 3* e *6. Epid. com. 3. aph. 3.* f *lib. 4. chro. c. 8. & lib. 5. c. ult.* g *2. de diæta, circa fin.* h *1. chron. c. 1.*

ribus;

ribus; idem & pro epilepticis ambulationem levem probavit, nempe quæ ſine capitis concuſſione humores a ſupremis ad infima deducere, eos leniter diſſipare, attenuare, & univerſum corporis habitum citra noxam calefacere valeat; quarum omnium gratia eam in quartanariis, ubi paroxyſmus non affligit, juvare, minorem fatigationem quam ſtare pedibus afferre, tradidit (*a*) Galenus. In ſpirandi difficultate, & in ſacro igne ſimiliter, quem Græci *ἕρπητα*, Scribonius *Zonam*, Plinius *circinum* vocant, ambulationem hujuſmodi conducere teſtatum reliquit (*b*) Cornelius Celſus; quam & pro elephantiaſi curanda in uſu habendam eſſe conſuluit cum eo (*c*) Cælius. vehemens ſive nimia deambulatio frigidos adjuvat, & ea ratione a Celſo ad debellandum corporis tremorem uſurpatur; anhelitum auget, & flatus diſcutit, ac capita debilia magnopere perturbat, & ob id jure reprehendendus eſt Praxagoras, qui in epilepticis plurimas, & vehementi motu celebratas deambulationes adhibebat; pedibus ſimiliter debilibus, & ſuſcipiendæ podagræ expoſitis nocet; quandoquidem ob nimias deambulationes non raro iſchiadicos dolores & podagram generari, ſcribit Galen. ſicuti ex adverſo remiſſam arthriticis, & podagricis, & ulceribus internis convenire, inſinuarunt Cælius & Celſus, ubi deambulationem molli ſtramine, coæquato ſolo peractam ipſis commendavit. debent enim (ut ſcriptum eſt a Tralliano) *qui podagra, & articulorum affectionibus turbantur, μετρίως, & αὐδὲ κόπτῳ πολλῷ moveri, potiſſimumque ante, & non poſt cibos*. Nam laſſitudo his maxime adverſatur, ut quæ articulos plus juſto calefaciat, & inflammet, ipſique aliam rurſus materiam ex longinquioribus particulis ad ſe attrahentes, arripienteſque fluxibus jugiter cauſſam ſuggerant. Multa deambulatio ſecundum (*d*) Antylli ſententiam juvat eos, qui caput, vel thoracem male affectum habent, & a quibus infernæ corporis partes non nutriuntur, quive in exercitationibus vehementiori motu egent; pauca vero prodeſt iis, qui poſt exercitationes non lavantur, quibus a cibo deambulationibus opus eſt, ut is in fundum ſtomachi deſcendat, & quibus gravitas in corpore ſentitur. Longa, & recta ambulatio minorem, quam brevis, moleſtiam parit, (*e*) capiti prodeſt: ut non immerito (*f*) Cælius, atque (*g*) Cornelius Celſus epilepticis curandis eam ex uſu eſſe judicaverint; at nimis exugit humiditates, atque exiccat. ob idque merito accuſandus eſt Themiſon, qui atrophia laborantes duodecim ſtadiorum ſpatium greſſu conficere ſuadebat. Longa & concitata ſingultui comprimendo, ſecundum Ætii ſententiam, ſtrenue prodeſt: brevis ſicuti magis fatigat, cum (ut dicebat Ariſtoteles) ex motu & quiete inter reflectendum orta conſtans diverſitatis illius opera laborem inferat, ita quoque reverſionibus illis continuis caput labefactat: & propterea ab eodem Cælio non ſine ratione epilepticis damnatur; cujus rei cauſſa ambulatio quoque circularis merito improbanda eſt, utpote quæ caput vertiginoſum reddat, & oculis vehementer noceat. (*h*) Caſſius medicus antiquus in libello problematum, quem Græca lingua conſcripſit, cauſſam indagans, ob quam motus recto tramite facti vertiginem non generent, ſed ſolum circulares, ob id accidere dicit, quia motus recti minime diflationem materiæ impediunt, circulares vero eam fieri non ſinunt, quod aer vehementius illiſus prohibeat; ad hæc materiæ intus agitantur, quemadmodum

A & foris, ubi circumlatæ, neque foras prodire valentes motum in capite vertiginoſum afficiunt. ſicuti namque icterici omnes externos ſapores amaros ſentiunt, & qui ſuffuſiones in oculis patiuntur, quoſcumque colores rubeos judicant, ſimiliter in circularibus motibus, cum in oculis humores in orbem agantur, omnia externa circumferri videntur, ſicque vertiginoſa paſſio oboritur. Ex ambulationibus, quæ cum intenſione crurum calcibus incumbendo fiunt, quemadmodum ſcriptum eſt ab Antyllo, capiti male affecto conveniunt, itemque thoraci humidiori, utero convulſo, pur- B gationi ſuppreſſæ, partibus infernis ab alimento fructum non capientibus, & omnino quibus materia ſurſum repit. Quæ vero extremis digitis obeuntur, eas obſervatum fuit, proprie lippientibus, & alvo ſuppreſſæ utiles eſſe. Quæ vero totis pedibus fiunt, cum ſub aliqua ſemper prædictarum differentiarum comprehendantur, ipſarum etiam facultates obtinere, rationi conſentaneum eſt. Atque hæc de ſpeciebus ab ipſo motu deſumptis.

Cap. XII.

Iterum de deambulationum qualitatibus.

C INter deambulationum ſpecies, quæ a loco accipiuntur, illæ, quæ fiunt in montibus, aut adſcendendo, aut deſcendendo exercentur, ſi fiant adſcendendo, valde profecto univerſum corpus fatigatur, quoniam referente (*a*) Galeno attolluntur eo motus genere, & perinde ac onus quoddam ſuſtinentur ab iis, quæ primum moventur inſtrumentis, reliqua corporis membra univerſa. ſcribit (*b*) Ariſtoteles *ambulationes per acclivia, tametſi ſint bebetioris motus, magis ſudorem provocare, quam per declivia, nec non ſpiritum proſiſtere; quoniam gravi cuique, ut deorſum fer-* D *ri ſecundum naturam eſt, ſic ferri ſurſum contra naturam.* itaque caloris natura, quæ noſtra provehit corpora, ut nihil per declive laborat ſic per acclive preſſa onere nititur. acriuſque ob ejuſmodi motum incaleſcit & ſudorem movet, & ſpiritum proſiſtit, cum etiam corporis varius inflexus non nihil afferre cauſſæ poſſit, ut directa ſpirandi reciprocatio auferatur. qua ratione ſecundum Antylli ſententiam talis ambulatio etiam thoraci, qui ſpiritum exiguum ducat, & præſertim ante cibum confert, majorumque exercitationum vicem nonnumquam ſupplet. Legitur de Demoſthene, conſueviſſe ipſum adſcendendo deambulare, atque in- E ter ambulandum orationes pronunciare, quod ſic productæ ſpiritus contentioni, qua oratores in dicendo opus habent, aſſueſceret. Verum enim vero genibus infirmis eadem valde adverſatur; propterea quod dicebat Ariſtoteles, dum adſcendimus, nos corpus ſurſum jactare, diſtentionemque corporis & genuum movere; ad hæc genua ipſa, quæ ſecundum naturam in anteriorem partem flecti nata ſunt, quaſi contra naturam flecti retro, ob idque magnopere dolere atque laborare. Ex altera parte ambulatio declivis, quæ deſcendendo obitur, magis altera a capite ad inferiores partes trahit; at F femora invalida non parum lædit, nimirum quæ ex ejuſdem (*c*) Ariſt. ſententia in hoc motu contra Naturæ inclinationem ante aguntur, quaſique movendo crura univerſi corporis pondus ſuſtinent, & proinde vehementer fatigantur. Ambulationes, quæ tum adſcendendo, tum deſcendendo peraguntur, a (*d*) Corn. Celſo comprobantur, eo quod ita varietate quadam corpus univerſum moveatur; niſi

a 1. *Glau.* b *Lib. 4. de re med. cap. 7. & lib. 5. cap. 28.* c *Lib. 4. chron. cap. 3.* d *Obribaſius ibidem.* e *Celſus lib. 1. cap. 4.* f *Lib. 3. Chron. 7.* g *Lib. 3. c. 23.* h *Probl. 38.*

a 2. *de tuend. valet. cap. 9.* b 2. *partic. 38.* c 5. *partic. probl.* d *lib. 1. cap. 2.*

A tamen id perquam imbecillum sit. Quæ vero fiunt in viis planis, & æqualibus ex sententia Aristotelis ob motus, quam servant (ut sic dicam) uniformitatem, magis corpus labore afficiunt, & ob naturæ, quam tenent similitudinem, citius labores fiunt, necnon ad spiritum, & ad corpus æqualiter constituendum magis accommodatæ sunt, quam factæ in inæqualibus. At deambulationes per inæquales vias factæ non modo minus fatigant, verum etiam utiles iis sunt, qui cito deambulando defatigantur. atque hoc (*a*) Antyllus intelligebat, cum ambulationes, quæ in viis peraguntur, minori cum labore fieri scripsit, quam eas, quas B in locis deambulationibus dicatis obimus. Hoc idem innuere voluit Acumenus medicus apud Platonem in Phædro, ubi ambulationem in viis, ambulationi in cursibus præposuit, de quo supra latius disputavimus. neque aliud intellexit Ischomachus apud (*b*) Xenophontem, quando ambulationem, qua ipse in agrum servum cum equo sequebatur, ambulationi in xystis factæ prætulit. in his tamen disterminandis valde refert, numquid in pratis, in locis asperis, an in arenosis efficiantur; quoniam si fiant in pratis, blandissimæ proculdubio sunt, nihil omnino sensus tentant, nihil commovent, at eas caput implere, tum propter odoC ris suavitatem, tum propter humiditatem, quæ illis inhæret, auctor est Antyllus. Factæ in locis asperis caput replent. Quando autem in arena, & maxime profunda (quod genus est vehementissimæ exercitationis) aguntur, magna efficacia pollent ad omnes corporis partes firmandas, corroborandasque; cujus gratia Augustus dum *coxendice, & femore, & crure sinistro, non satis bene valeret, immo sæpe ea parte claudicaret*, hac deambulatione confirmabatur. sic enim locum (*c*) Suetonii interpretari debere censeo. ubi eum *arenarum, & arundinum remedio usum* tradit, arenarum quidem, tum ad desiccandas fluxiones, tum ad conD firmandam, ut judicavi, coxam; arundinum, ad continendum, & claudicationem impediendum. quod quo modo fieri debet, edocuit Cato lib. de re rust. c. CLX. Ad materiam subinde, e supernis ad infernas partes deducendam, eamque dissipandam potentissimæ existunt, & ideo male forsan a (*d*) Cælio taxatur Erasistratus, quod deambulatione in arenosis locis paralyticos exercendos suaderet. sub porticu factæ ambulationes, aut loco concluso, ut spelunca & similibus a (*e*) Celso, & ab aliis non admodum probantur: quandoquidem aere libero non fruuntur, sed intemperato, vitioso, crasso, E corpusque universum replente: nisi tamen porticus, aut loci cooperti in locis sint domus superioribus, ac tabulis stratis, ubi ambulationes cæteris quibusque ab Antyllo anteponuntur, quod vaporum, qui e terra effluunt, sint expertes, aeremque puriorem habeant. Neque opponendum est huic sententiæ nostræ, quod antiqui cryptoporticus in usum istum exædificatas haberent: quia illis dumtaxat utebantur, quando pluviæ, tempestates, aut immodici ventorum impetus, aerisque iniquitas vetabant, quo minus in aperto aere deambularent, quo tempore, neque nos illas refutaF mus. Cæterum quæ fiunt sub dio, omnes factis in porticu a (*f*) Cornelio Celso præferuntur. A (*g*) Vitruvio quoque valde celebrantur *Hypæthræ ambulationes, & præsertim si viridia adsint, quod tales magnam salubritatem habeant: & primum oculorum, quod ex viridibus subtilis, & extenuatus aer, propter motionem corporis influens perlimat speciem, & ita auferens ex oculis humorem crassum, aciem tenuem, & acutam speciem relinquit*. Præterea cum corpus in ambulatione calescat, humorem ex membris aer exugendo imminuit plenitates, extenuatque dissipando, quod plus inest, quam corpus potest sustinere, ex quo, ut in hypæthris locis ab aere humores ex corporibus exugerentur molestiores, quemadmodum ex terra per nebulas videntur: consuluit architectorum princeps amplissima & ornatissima sub dio hypæthrisque ambulando collocari in civitatibus ædificia. Verum enim vero apud (*a*) medicos subdiales hæ deambulationes plurimas differentias obtinuerunt. nam quando prope mare fiunt, & siccandi, & crassos humores attenuandi vim habent; quando circa flumina & stagna humectare possunt: sed utraque nocent, & præsertim stagna, ideoque non temere has omnes in epilepticis damnavit Aretæus, quando in mediterraneis partibus aguntur, quemadmodum supradictis sunt præstantiores, ita quoque factis circa mare cedunt. quando in rore, humectant non sine damno: sed si in locis avium volatu frequentatis ambules, efficacissimus is motus erit ad evocandum per halitum, & ad levandum, haud secus, atque si in sublimibus locis ambules. Quæ deinde sub dio in locis vento minus perflatis ambulatio efficitur, valet secundum Antylli sententiam ad evocandum per halitum, & ad excrementa dispergenda: itemque remittit, nec ferit. hanc Ætius in colicis doloribus a frigida caussa ortis commendavit. sed quæ perflante vento peragitur, si sub borea, tusses excitat, thoracemque lædit, at vires collabentes firmat, sensuum integritatem affert, stomachumque dissolutum roborat. atque de hac fortasse loquebatur (*b*) Cælius Aurelianus, dum stomachicis deambulationes sub dio pro modo virium adhibendas consulebat; si sub austro, caput replet, sensuum instrumenta hebetat, alvum mollit, atque ad dissolvendum valet: si zephyris spirantibus, talis ambulatio cæteris omnibus, quæ in vento fiunt, præstat; non enim habet insuavitates boreæ, quin potius mansuetudo simul atque jucunditas sunt conjunctæ. Quæ in Apeliote fit, mala est, & ferit, atque ita se habent ambulationes subdiales in ventis peractæ. Sequuntur, quæ fiunt, vel in sole, vel in umbra: qua in re auctores diversa sentire reperio. (*c*) Cornelius Celsus, *si caput ferat, meliorem ambulationem in sole, quam in umbra esse* dixit, *& meliorem in umbra, quam parietes, aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto subest*. Ex altera parte Oribasius auctoritate Antylli ductus improbat illam, veluti quæ effundat, caput impleat, atque inæqualitates gignat. quam sententiam non auderem alteri præponere, nisi & ratio, & veterum medicorum, præsertimque Hippocratis, & Galeni auctoritates testatum fecissent, solis radios humanis capitibus maximas noxas inferre. nempe quæ, si calida & humida, magis calefiant & eliquentur; si sicca, cicciora reddantur; & demum quæcumque sint, semper offendantur, modo vel rustici, vel alii sub sole vivere assueti non sint. Quod probe cognoscens (*d*) Hippocrates sive Polybus ad evitanda capitis detrimenta non quamlibet deambulationem, sed solam in frigore, aut in sole peractam vetat. Atqui non illud tacendum esse duco, *semper eligi potius debere in sole ambulare, quam stare; & ambulare velociter, quam segniter*; sicuti præceptum fuit ab (*e*) Hippocr. in libro de salubri diæta. cujus rei hanc attulit rationem (*f*) Arist. quod *cum stamus, calor permanet, sicque amplius calefacit. corpus etenim nostrum* (dicebat is) *vaporem quendam tepidum in se continuo mittit, qui proximum, & ambientem aerem tepefacit, unde aer postea ille corpus calidius reddit, cum*

a *Orib. lib. 9. collect. c. 21.* b *In Oecon* c *In vita Aug. c. 80.* d *lib. 2. chro. c. 1.* e *lib. 1. c. 2.* f *loc. cit.* g *Lib. 5. c. 9.*

a *Oribas. loc. cit.* b *Lib. 3. chro. c. 2.* c *Lib. 1. c. 2.* d *In 2. de morb.* e *5. partic. prob. 36.* f *5. partic. Prob. 36.*

autem quis in ſole movetur, flatus excitatur, qui refrigerare nos poteſt, quando motus quiſque frigidus habetur. Ambulandum potius *in umbra* (dicebat Celſus) *quam parietes, aut viridaria efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt: quoniam aer aſſidua quadam, & blanda ventilatione ſalubrior redditur.* qui aer quoniam interdum ab arboribus noxiis inficí, & corpora deinde contaminare conſuevit, ut de nuce arbore, atque Narciſſo memoriæ prodidit (*a*) Plutarchus, propterea hujuſcemodi umbras inter deambulandum fugere expediet. Neque item curam adhibere minorem oportet, ut arbores rore ſuffuſæ vitentur, quoniam ſi per ipſas frequenter quis ambulet, membra faciliter lepra tentantur, atque hujus eam Laitus apud Plutarchum in natural. quæſtion. attulit rationem, quod *ros corporibus illabens ipſa mordeat, atque excoriet, vel potius, quod a rore colliquatis arborum ſuperficiebus aſpergo quædam noxia inde corporibus affuſa inhæreat, quæ partes extimas ipſorum mordeat, atque diſcindat*: etenim rori vim colliquativam (*τηκτικὸν*, non *δηκτικὸν*, & re ipſa, & vetuſto codice permotus legendum puto) ineſſe perſpectum ſatis illud facit, quod ros bibitus gracilitatem inducit, ut mulieres eæ manifeſto declarant, quæ alioquin obeſæ dum tenuibus veſtimentis aut laneis rori colligendo operam navant, eo in exercitio carnes conſumunt. In omnibus autem fere proderit ſub iis umbris ambulare, quas epilepticis probavit Aretæus, & vertiginoſis; ſub arboribus *myrto, aut lauro*, aut inter acres & bene olentes herbas *calamentum, pulegium, thymum, mentam*, maxime quidem agreſtes, & ſponte naſcentes: ſin harum copia deſideretur, inter humano cultu procreatas. Eſt in hac quoque non exiguum diſcrimen reſpectu cæli, quod, dum ſerenum eſt, tunc ambulatio levat, per halitum evocat, attenuat, bonam reſpirationem, & movendi facilitatem parat: dum vero nubibus obtegitur, gravitatem affert, per halitum non evocat, tandemque caput implet. De ambulationibus faciendis, vel hyeme, vel æſtate, vel alio tempore, diximus in libro (*b*) quarto, ubi tempus exercitationibus accommodatum definivimus; ſupereſt tantum illud adnectere, *ambulationes quaslibet ante cibum fieri debere, tum mane, tum veſpere:* quandoquidem matutina *alvum emollit*, ſi credimus Antyllo, *ſegnitiem a ſomno contractam diſſolvit, ſpirituſque attenuat, calorem auget, & appetitum excitat:* quinimmo (*a*) Hippocrates hanc eandem humidioribus temperamentis convenire, quod humoris tranſitus exinaniantur, neque animæ meatus occludantur, ſcribit: ſicut, & attenuare, necnon partes circa caput leves, agiles, ac promptas reddere, & alvum ſolvere confirmat. veſpertina vero ad ſomnum hominem præparat, ac inflationes diſpergit, caput tamen debile male afficit, ob idque jure accuſatur Serapion a (*b*) Cælio, quod epilepticos imperaret circa veſperam ambulare, ac rurſum conquieſcere, & deambulationem repetere. *Poſt cibum* diximus *exiguam ambulationem aſſuetis convenire, atque illis, quibus non ſine labore in fundum ventriculi deſcendit cibus*: illis pariter, quibus caput repletum eſt, lentam poſt cibum deambulationem commendavit (*c*) Galenus, ſecutus fortaſſe in hoc (*d*) Aretæum, qui in vetuſto capitis dolore eandem in uſu habendam voluit, quamquam ſecundo de compoſ. medicam. ubi de dolore capitis ex ebrietate agit, velit, neque multum comedendum, neque ſtatim a cibo deambulandum. In reliquis quo modo conveniat, non video; & propterea Dioclem medicum antiquiſſimum & clariſſimum ſatis mirari non poſſum, quod phthiſicos deambulatione poſt prandia vexandos eſſe voluerit, quæ ſicuti concoctionem ciborum interturbat, ita multos ad caput vapores efferri, atque ibi in humiditatem converſos ad pectus & pulmonem diffluere facit, quo nihil phthiſicis contingere pernicioſius poteſt: eo magis, quod licet (*e*) Hippocrates hujuſcemodi deambulationes in humidioribus temperaturis approbet: alvum tamen, corpus, & ventrem ſiccare confitetur: ne illa omnia in medium adducam, quæ in hujuſce generis ambulatione ſcripta ſunt in libro de inſomniis Hipocrati adſcripto. qui liber cum multa ſuperſtitioſa contineat, forſan aliquis iis, quæ ibi de ambulatione poſt prandium in pluribus commendata dicuntur, paucam fidem adhibeat. Hactenus de ambulatione, jam cætera aggrediamur.

a 3. *Sympoſ. prob.* 1. b *Cap.* 11.

a 2. *de diæta. circa finem*. b *lib.* 1. *chron. c.* 4. c 6. *de tuend. valet. c.* 7. d *lib.* 1. *curat. chron. c.* 2. e 2. *de diæt.*

FINIS.

HIERONYMI MERCURIALIS DE ARTE GYMNASTICA LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Quos Erectum stare effectus pariat.



EOs, qui pedibus erecti permanent, exerceri, quoniam abunde in superioribus demonstravimus, hanc rem amplius in disputationem revocare prorsus ridiculum foret, proinde, quot modis hæc exercitatio varietur, quosque quæque pariat effectus, declarabo. Quod etenim hæc exercitatio privatim dorsi partes afficiat, (*a*) Averroes, inter Arabas non infimus, satis aperte dixit. Qui igitur illud debile a natura, vel casu sortiti sunt, summo studio id exercitationis genus evitare debent, nempe quod, ut sæpius diximus, majorem, quam ipsa ambulatio, defatigationem pariat: quibus etiam in renibus inflammatio, vel ulcera orta sunt, ne stent, magnopere cavendum esse censuit (*b*) Rufus Ephesius. debent quoque hujuscemodi exercitationem aversari, quos vel herniæ labor sollicitat, vel in cruribus, aut scroto varices dilatantur, vel ulcera in inferioribus partibus orta sunt, aut qualibet de caussa oriuntur. quam sententiam nisi medicorum auctoritas confirmasset, veram tamen esse ipsa ratio persuaderet: quæ scilicet ostendit, in stantibus graves humores citra difficultatem proruere, eosque modo hernias, modo varices, modo ulcera generare, fovere, & augere: nam quod varices generentur, etiam (*c*) Juvenalis poeta cognovit, qui cum quandam mulierem Janum rogantem de amici victoria futura derideret, volens significare ob importunas mulierum petitiones haruspicem, si cunctis inservisset, stando, (sic quisque haruspex pro aliis rogabat Deum) non parum laboraturum, ait:

—— *varicosus fiet haruspex.*

(*d*) Marium quoque scimus omnes, laboriosum virum extitisse, ob quod si quis dicat, ei varices, quibus affligebatur, in ambobus cruribus ortas ob nimios in stando labores, eum minus erraturum existimarem. Verum enim vero, & in hac exercitatione non paucæ diversitates reperiuntur: propterea quod tempus, locus, atque situs varias quasi species efficere videntur. A tempore nascuntur duæ species, quando aut ante cibum, aut a cibo, quis stando, & vel pauco tempore, vel multo exercetur. A loco sumuntur differentiæ, quoniam *vel in sole, vel in umbra, & hac aut clausa, aut aperta statur.* A situ demum evariantur standi genera, quando *vel uno pede, vel ambobus, & vel iis totis, & planis, vel extremitatibus eorum, calcibus scilicet, & summis digitis stamus.* Ante cibum stare ventriculi excrementis inaniendis auxiliatur, asthmaticos, & difficiliter spirantes adjuvat, ventrem emollit, urinam provocat, crura & pedes corroborat, & siquando deambulationi vacare non concedatur, illius vices supplere potest. Vertiginosis tamen, & quibus ad superiora rapiuntur vapores, nullo pacto conducit, cum ex tali erecta statione facilius caput a fumis petatur: nam tantam ad hoc efficiendum potentiam similis exercitatio habet, ut nonnulli boves, & cætera animantia (quod scripsit (*a*) Aristoteles) minus homine tussire, minusque catarrhis vexari crediderint: quoniam ipsis minime erectis stantibus haud ita vapores natura sursum tendentes in eorum capita ferri possunt. Qua item ratione eos omnes damnare vehementer soleo, qui, si alto capite dormiant, minus a catarrhis se vexatum iri putant, cum potius contrarium eveniat, ut scilicet qui humiliori, & fere cæteris membris æquali capitis situ dormiunt, vel aliter jacent, minus a vaporibus capite tententur, minusque a capite ad pectus humores defluant. Quamvis secus judicandum sit, ubi quis ventriculi in conficiendo cibum debilitate vexatur. Quo in casu Posidonius apud Ætium magnopere studendum esse jussit, ut in decumbendo caput altiori situ contineatur, quo cibus magis in ventriculi fundo accommodetur, & ob nutrimentum minori molestia coquatur. Atque hoc intelligi debet de iis, qui multum stant: stare etenim pauco tempore exiguum quid prodesse, neque multum obesse potest. Qui porro communi illo effato, *Prandia post stabis*, inducti, post sumptos cibos stare delectantur, ii scire debent, si mediocri quodam tempore stetur, descensui ciborum in ventriculi fundum id insigniter cooperari, & consequenter illorum concoctionem perbelle adjuvare, nec alioqui ullam essatu dignam læsionem afferre: verum si multo tempore ita quis permanserit, præter molestiam, qua ob ciborum interdum pondus, præter lassitudinem, qua ex labore afficitur, varias item offensiones subire cogitur. Primo namque major vaporum copia superiorem corporis regionem impetit, major humorum multitudo ad inferiora præcipitat, atque inde ulcera in cruribus, gonagras, & podagras generat, deinde thoracem, atque spirationem universam non parum labefactat, ut ex difficultate spirandi tunc apparente facile quisque cognoscere valet: postremo renes, atque vesicam, & totam mingendi actionem vitiant, quando videlicet crudi humores ex simili situ ad eas partes deferuntur, renesque & lumbi vehementer incalescunt, debilitanturque. ut non temere videatur præcepisse (*b*) Rufus Ephesius, ***ne quis ulceribus renum laborans, etiamsi morbus in-***

a *6. collect. cap. 2.* b *Lib. 2. de pas. renum.* c *Satyr. 6. vers. 396.* d *Plut. in ejus vita.*

a *Petrus Apponensis* 10. *partic. prob.* 1. b *Lib. de affection. renum.*

clinare cœpisset, staret. Statio in umbra semper aliquibus ex prædictis differentiis adnectitur, ut sit multa, vel pauca, vel a cibo, vel ante cibum, & proinde qualicumque adnexa reperietur, illius effectus continuo exprimet, modo umbræ ratione aliquid secus non accedat: hoc autem dico, quia sæpenumero umbra, vel est locorum conclusorum frigidorum, atque humidorum; vel noxiarum arborum, vel alterius perniciosæ rei, quas omnes corpus maculare, & sanitatem destruere nemo negabit. Ceterum de stantibus sub sole in hunc modum determinandum esse judico, quod scilicet stare sub sole in æstate summopere calefacit: immo sententia est (*a*) Aristotelis, *cum stamus in sole nos magis deuri, quam dum movemur*, etsi per se motus ipse quoque calefacere valeat, quod alias fusius explicavimus. Si igitur ita est, rationi consentaneum efficitur, juvamentum insigne valde frigefactis corporibus inde accedere, veluti hydropicis, cacecticis, pro quibus id a (*b*) Cælio, & omnibus fere medicis laudatur. In ictericis item curandis tali insolatione usum Archigenem reperio; ne interim silentio prætermittantur ea, quæ apud Ætium ex Antylli sententia leguntur, insolatione scilicet variis modis antiquos usos fuisse, alias cum unctione, alias sine unctione, modo sedendo, modo jacendo, modo stando, interdum ambulando, interdum currendo: de quibus omnibus in hunc modum decretum est, quod si insolatio administretur non purgato prius corpore, maximum capiti nocumentum affert: unde sæpenumero mirari mihi contingit, quo genio ductus (*c*) Plinius major, *non modo purgato corpore, verum etiam post cibum in æstate sub sole maneret, ac deinde in frigida lavaretur*: de hac etenim locutos fuisse medicinæ (*d*) auctores arbitror, quando dixerunt, ab illa corpora plusquam par sit incalescere, febres, atque capitis dolores gigni: Nam si antea quam corpora soli exponantur, opportune exinaniantur, aut sine unctione, aut cum unctione fieri potest: si fiat citra unctionem, capiti diuturna frigiditate laboranti succurrit, quod illud durius, atque impassibilius reddat, & ob id merito in epilepsia curanda a (*e*) Methodicis nonnullis commendatur, modo sit insolatio moderata: sicut item in ea insaniæ specie juvare creditur, quæ a frigida intemperie ortum ducit: præterea occultas difflationes auget, sudores elicit, carnem conservat, pinguedinem tollit, œdemata omnia, & præsertim hydropica deprimit: neque tamen ipsa noxis suis caret, quandoquidem mora quævis sub sole bilem auget, & consequenter iis, quibus calor natura mordax est, valde adversatur, ut a (*f*) Galeno scriptum est, spiritumque crassiorem, densioremve efficiens, asthma, & orthopnœam exacerbat. Ceterum si absque unctione insolatio adhibeatur, in ceteris eosdem effectus parit, nisi quod corpus exiccat magis, tanquam pingui illo adusto, & subinde majori nigredine superficiem totam inficit, necnon carnem instar cauterii cujusdam densans minus per insensibilem transpirationem excrementa divaporari facit: qua ratione hujuscemodi insolationem ad minuendam polysarchiam ab (*g*) Ætio laudatam censeo. Verumtamen duo hic animadversione digna esse existimo, alterum, quod medicos, ubi sole moram probarunt, prætegi pannis capita voluisse opinor, quoniam, præter Cælii auctoritatem, & ratio, & experientia demonstrant, capita detecta, si soli exponantur, valde offendi, nempe quæ supra modum calefacta vapores a toto corporis ambitu ad sese attrahunt, sicque omnem malorum iliadem, & præ ceteris catarrhos ibi generant: quod minime, ubi capite teguntur, evenire suspicandum est, propterea quod, ut scripsit (*a*) Aristoteles, induta corpora a sole minus calefiunt, quam nuda, cum ab illius radiis minus feriantur: atque hoc totum a (*b*) Galeno significatum credo, ubi dixit, *eos, qui nudi sub sole manent, universum corpus calefacere, qui vero induti, caput solum*: nam demonstratum est a nobis libro tertio, majores nostros numquam fere caput tegere solitos: ne miremur Galenum, dum indutos scripsit sub sole, capite tantum valde incalescere dixit. Alterum animadversione dignum est, quod, sicuti sedentes & stantes sub sole vehementius incalescere, sive potius deuri experientia constat, quam ambulantes & currentes: pariter & ceteras prædictas affectiones, tam bonas, quam malas facilius recipiunt. Atque hæc universa a nobis dicta de stantibus planis, ac totis pedibus intelligantur, stare namque calcibus innixos non modo laborem ac molestiam inducit, verumetiam nullum juvamentum effatu dignum præstare creditur: quemadmodum similiter eos, qui summis digitis stare conantur, præter fatigationem illico succedentem, partes illas callis molestissimis afficere compertum est, & præsertim quando quis eo frequenter utatur; hi siquidem illud unum commodum nonnumquam recipere videntur, ut longius multis aliis prospectare valeant, cujus gratia ab antiquis *speculator*, sive σκώψ pingebatur facie hominis stantis supra digitos, summamque manum ad umbellæ formam superciliis admoventis, ut Æschylus in Theoris meminit.

CAP. II.

De pugnarum effectibus.

PUgnarum, quæ majoribus nostris ad valetudinem inservierunt, quæque etiam temporibus nostris inserviendi similiter facultatem obtinent, *aliæ fiunt cum armis fictis, neque incidentibus, vel pungentibus adversus hominem, aliæ adversus columnam, aut palum, aliæ adversus umbram*: atque omnes vel fieri possunt a pugnantibus corpore, nequaquam armatis, aliæ ab armatis. Armorum pugnam adversus hominem, vel columnam inter magnas exercitationes reposuit (*c*) Galenus, quem imitatus (*d*) Averroes inter Arabas non infimus dixit, *certamen cum ensibus factum esse ex velocibus, atque fortibus exercitiis*: quæ omnia de illis, qui non armati certant accipienda puto, quando armatum certare inter exercitationes simul, atque opera manifeste reposuit (*e*) Galenus, qui similiter certare adversus umbram (σκιαμαχεῖν dicunt Græci,) celerem citra robur exercitationem esse judicavit, ut (*f*) Avicenna quoque, & Paullus post ipsum censere visi sunt. Cum itaque res ita sese habeat, pugna non armatorum tam adversus homines, quam adversus columnam administrata in primis magnopere calefacit, excrementa educit, sudores ciet, exuperantem carnem supprimit: & proinde a (*g*) Cælio in curanda polysarchia adhibetur, deinceps brachia atque humeros confirmat, crura & pedes mirum in modum exercet, ceterum capita debilia, & vertigini obnoxia non parum labefactat: renibus item laborantes hujuscemodi exercitationem

a 5. *sectio. prob.* 36. b *Lib.* 3. *c.* 3. c *Plin. nepos lib.* 3. *epist.* 5. d *Galenus de causis morb.* e *Cel. lib.* 1. *c.* 4. & 5. f 6. *epid. con.* 1. *aph.* 10. 2. *de tuend. valet. cap.* 12. g *Lib.* 1. *ser.* 3. *cap.* 32.

a 2. *partic. prob.* 39. b *lib. de caussis morb.* c 6. *epid. con.* 1. *Apho.* 6. d 6. *coll. c.* 2. e 2. *de tuend. valet. c.* 8. 10. f *lib.* 1. *fen.* 3. *doc.* 2. *c.* 2. g *lib.* 1. *chro. cap. ult.*

fugere præcepit (*a*) Galenus: σκιαμαχία porro, ſive adverſus umbram certatio corpora tenuat, carnes & ſuccos detrahit, quod celeribus exercitationibus convenire ſupra monſtravimus, proprie autem ſecundum (*b*) Galenum brachiorum atque manuum exercitatio exiſtit: præterea valet, ſi (*c*) Antyllo credimus, ad ſedandam affectionem laſſitudinis ſenſum referentem, ad humores firmandos, ad nervorum imbecillitatem & tremorem corrigendum: eſt etiam utilis vitiis, quæ thoracem infeſtare ſolent, confert renibus, & colo inteſtino, materiam ad inferiores partes deducit, & præſertim in iis, qui pedibus imitantur pugiles, quique non ſolum manibus cum umbra depugnant, verum etiam cruribus, interdum tanquam ſalientes, interdum vero tanquam calcibus cædentes. Ad eadem omnia ſimiliter valet pugna adverſus palum effecta, quæ tantummodo in hoc ab umbratili differt, quod palum percutere brachiis majorem vim infert, quam aerem ferire. Non eſt tamen ignorandum, pugnam adverſus hominem pugnantem initam, magis exercere, & vim majorem corporibus inferre, quam iſtam: quoniam, ut ab (*d*) Alexandro perbelle ſignificatum eſt, *athleta, ſi obnitatur antagoniſtæ, fortitudinem ejus auget; ſin cedat, neque reluctetur, robur ejuſdem reſolvit*. Atqui ea pugna, quæ corporibus pugnantium armatis exercetur, inter vehementes exercitationes collocanda eſt, quæ, cum robuſta & valida corpora efficere debeant, jure merito Nicias apud Platonem in eo dialogo, qui Laches inſcribitur dixit, quod τὸ ἐν ὅπλοις μάχεσθαι, ſive *armatum pugnare* corpora robuſtiora, ſi quod aliud exercitationis genus, reddit, neque ullo alio minorem laborem parit. De hac quoque exercitatione ab (*e*) Antyllo proditum reperitur, corpus ab ipſo ad motum aptius & ad carnem ſuſcipiendam reddi, verumtamen propriam atque maximam ejus pollicitationem exiſtere, ut corporis firmitatem, & longam reſpirationem gignat, cum illi, qui ſeſe pugnis ſimilibus dedunt, omnem aliam ſpiritus expulſionem ferre poſſint: facit autem hujuſcemodi pugna carnem laxam & mollem, necnon capiti admodum noxia eſt, præſertim quando galea plus æquo obtegitur, cujus pondere preſſum non parum laborat: illud hic non ignorari volo: ὁπλομαχίαν ſive *armatæ pugnæ exercitationem*, ne quis decipiatur eandem eſſe exiſtimans cum armata luctatione, ὁπλιτοπάλη ab Æſchylo vocata, quandoquidem hæc tamquam luctæ ſpecies armis in manibus nullo modo utebatur; ſed dumtaxat certantes totis corporibus armabantur, ſicque armati invicem luctabantur, cujus luctationis arbitror volutationem illam armatam, ſive celerem agitationem, quam (*f*) Galenus in numero vehementium exercitationum repoſuit, ſpeciem quandam extitiſſe. An vero de hac armata pugnæ ſpecie intellexerit Cælius Aurelianus, quando in curanda polyſarchia poſt plurima alia exercitationum genera comprobata dixit. *Tum hoplomachia, hoc eſt armorum ficta conflictio*: apud me dubium nullum, ut ex ſuperioribus patet, relinquitur: quoniam, etſi nomen Græcum hanc ipſam ſignificare videatur, nihilominus, & nominis ab ipſo illata explicatio, & uſus demonſtratus manifeſtum argumentum faciunt, eum de pugna illa ſermonem facere, quæ nudato ab armis corpore exercetur, quæque ad diminuendam carnem a nobis laudata fuit, cum hanc poſtremam carnem, ſed mollem & laxam potius augere Antyllus judicaverit. De gladiatoria pugna non videtur hic locus expoſcere, ut ſermo ullus habeatur, propterea, quod cum armis incidentibus ac pungentibus antiquitus ageretur, vel in lethalia vulnera, vel in alterius pugnatoris, aut etiam utriuſque necem, plerumque terminabatur. Unde neminem non videre arbitror, quantum abſit, ut ſimilis concertatio ullam profligandis morbis, tuendæve ſanitati opem afferre valeat: ea enim eſt, quæ hodie apud multas Chriſtianorum nationes ſub *duelli* nomine non ſine magna civitatum aliquando clade exercetur, quamque & antiquis & noſtris temporibus ab uno hominum inimiciſſimo Sathana repertam ad perdendas animas fuiſſe ſemper credidi: quod namque non monomachiam antiquorum, ut falſo probare conati ſunt, qui hucuſque duellum tractarunt, ſed potius gladiatoriam duellum hujuſce temporis referat, præter multa in quarto libro a nobis declarata, hoc item atteſtari videtur, ſcilicet iiſdem armis, atque eodem prope fine duellatores concertaſſe, quibus olim gladiatores pugnabant: illud unum intercedit diſcrimen, quod illi tum gloriæ cujuſdam inanis gratia, tum præmiorum ſpe, ſed fere ſemper vi quadam, utpote vel ad ſupplicium condemnati, vel in id empti, atque edocti ad certamen, ducebantur: iſti vero ſponte, & nullis cogentibus, niſi ſolius honoris vana quadam, & falſa defenſione prolectante aguntur: ut hac ratione minus excuſatione digni habeantur, cum ſponte in propriam ruant perniciem. Utinam reſipiſcant tandem homines, videantque id, quod Barbari fere nulli agunt, tanto minus Chriſtianos decere: ſic profecto & multæ urbes, quæ ob hoc inteſtinis, & ſæviſſimis diſſenſionibus exagitantur, ad meliorem ſtatum revocarentur, & multorum animabus corporibusque melius conſuleretur. At ne longius a propoſito noſtra divagetur oratio, hæc ſufficient, ſi illud addidero, quod (*a*) Celſus, (*b*) Scribonius, (*c*) Plinius, Aretæus, atque alii plurimi referunt, ab antiquis ſcilicet creditum fuiſſe, *gladiatoris jugulati ſanguinem epotum juvare epilepticos*: quam rem potius ad proponendam ipſorum ferinam ſuperſtitionem, quam ut ullam fidem adhibendam cenſeam, ſignificare volui.

CAP. III.

De quarundam aliarum exercitationum qualitatibus.

MUlta apud antiquos extiterunt exercitationum genera, quæ quoniam non ita frequenter uſurpabantur, ab auctoribus celebrata non inveniuntur: inter hæc autem primo ſeſe offert τὸ ἀκροχειρίζεσθαι, vel *manibus ſummis concertare*, quod, ſive luctæ ſpecies aliqua foret, ut nonnulli crediderunt, ſive ſeparata quædam exercitatio, ut (*d*) Galenus cenſuiſſe videtur, ubi poſt luctam alias quaſdam exercitationes adnumerans acrochiriſmum nominat, facitque manifeſte a lucta diverſum, conſtat ipſam apud (*e*) Galenum, (*f*) Ætium, (*g*) Paulum, & (*h*) Avicennam inter veloces ſine robore exercitationes locum obtinuiſſe, & proinde calefaciendi, corpora tenuandi, carnes, ſuccoſque detrahendi facultatem poſſidere, ut appoſite inſinuare viſus eſt (*i*) Hippocrates, apud quem legitur *acrochiriſmum attenuare, & carnes ſurſum trahere*, pro-

a *6. Epid. con. 1. aph. 5.* b *2. de tuend. valet. c. 10.* c *6. collect. apud Oribaſium c. 21.* d *2. libro, prob. 120.* e *Loco citato.* f *2. de tuend. valet. c. 10.*

a *Lib. 3. c. 23.* b *lib. de comp. c. 18.* c *lib. 28. c. 1.* d *2. de tuend. valet. c. 8.* e *2. de tuend. valet. c. 10.* f *lib. 3. c. 3.* g *lib. 1. c. 17.* h *lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 2.* i *2. de diæta circa finem.*

prie vero manus atque brachia secundum (*a*) Galenum in ipsa exercitantur: ex quo fit, ut illis conveniat, quibus has partes corroborare in animo est, sicut iis valde nocet, quorum chiragra, vel alius morbus, & manus, & brachia infestare solet: de hoc locutum esse (*b*) Celsum quis credere potest, ubi in iis qui ab arida tussi exagitantur, exercitationes manibus peractas probat. Porro ἐκπλεθρίζειν, id est, *ecplethrissare*, a (*c*) Galeno inter exercitationes citra robur & violentiam celeres recensetur. Avicenna autem illud ex fortioribus esse dicit, nisi velimus ipsum in comparatione ad debilia loqui, quemadmodum ex verbis ejus videtur: alioqui & veritati ipsi, & Galeno, a quo ista omnia accepit, manifeste repugnantia scripsisset. Est igitur talis exercitatio in primis ad ea omnia utilis, quibus celeres conferunt, sed peculiariter crura & pedes exercet: thoracem quoque non parum fatigat, cui, dum aliquo pacto male vexatur, valde obesse reor, haud secus atque capitibus male affectis vehementer nocere credo, utpote quæ ex jugibus illis reversionibus, quasique circuitionibus facillime tum vertiginosas, tum apoplecticas affectiones incurrere queant. Ex eodem quoque exercitationum censu est, & πιτυλίζειν sive *pitylissare*, aut *pitylisma*, ut placuit (*d*) Politiano: quod quamquam a Galeno, atque Avicenna inter veloces citra violentiam adnumeretur, mea tamen sententia haud prorsus vehementia aliqua caret, cum status ille supra pedum extremitates, necnon velox manuum modo antrorsum, modo retrorsum agitatio haudquaquam sine musculorum intentione, & proinde sine vi, aut robore quodam peragi possit. Unde in hujuscemodi exercitatione obeunda vehementer incalescere corpora affirmare non dubito. Ad hæc motus iste brachia insigniter exercet: sed eos, qui capite sunt imbecilli magnopere labefactat: pedes etiam podagris suscipiendis obnoxios reddit: ego vero peculiarem illius usum extitisse autumo, quando post longam brachiorum valetudinem, torporemve, ea motibus undequaque faciendis assuefacere, nec non a torpore liberare in animo habebant. Sunt præterea a (*e*) Galeno nonnulla alia exercitationum genera adnumerata, & ab (*f*) Avicenna comprobata, quæ, quod aliqua ex parte valetudini, & corporis habitui conferant, omnino prætermittere nolui: nam si quis alteri jubeat, ut se violenter detrahat, inflectatque, dum ipse non manibus modo, verum etiam cruribus, spinaque constans, inflexusque resistat, quo genere Milonem ipsum sese exercitasse ferunt, dum convellere se, movereque de loco volenti permitteret, utique vehementer exercebitur, incalescet non parum, roburque membris non leve ingenerabit: de simili enim exercitatione locutum opinor (*g*) Cælium Aurelianum, quando pro polysarchia minuenda voluit ita affectos alienis laboribus, hoc est colluctantium, vel exercentium, quam Græci *baterocopiam*, *vel trachelismum* vocant, exerceri, verumtamen illis maxime verenda est talis exercitatio, qui vel pectore, vel dorso, vel capite non admodum valent. Pari etiam pacto si quis (ut Milo factitabat) convellere se, movereque de loco volenti permittat, crura maxime corroborare poterit, quemadmodum manus maximopere exercebit, eisque fortitudinem acquiret, si pugnum alicui aperiendum, vel malum punicum, aut tale quippiam manibus complexus auferendum præbeat: quod tamen arthritidi, aut chiragræ obnoxiis minime congruet. Robur autem partium tum exercet, tum firmat, siquis alterum complexus medium, aut etiam ipse medio comprehensus, manibus digitisq; pectinatim junctis, aut quem complectitur absolvere se jubeat, aut ipse se a complectente solvat: nisi quod in hoc periculum imminet, ne viscera labefactentur ex nixibus illis, qui adhibentur, dum dissolutio quæritur. Ita etiam si quis alterum, qui versus ipsum se inclinet a latere aggressus, ilia manibus complexus, ceu onus aliquod sublatum invicem protendat, reducatque; ac magis, si dum gestat, ipse nixu, renixuque corporis utatur: sic namque spinam universam corroborabit, lumbos tamen atque renes debiles habentibus nocebit. Æque vero qui pectoribus ex adverso innixi magno se conatu invicem retrudunt, & qui a cervicibus pendentes deorsum trahunt, vehementer quidem exercentur, & per consequens robur corpori universo comparant: at periculum subeunt, ne thoracis vasa aliqua rumpantur ipsis, neve aut caput, aut collum male afficiant. Hæc itaque omnia tametsi apud veteres inter ceteras exercitationes haberentur, nihilominus haud ita in frequenti usu fuerunt, & præsertim nobilibus, ac illis qui non sine suavitate quadam sanitati operam dabant: hac item tempestate non desunt, qui ipsis utantur, quos, modo ratio adhibeatur, penitus avertere nolo.

CAP. IV.

De spiritus cohibitionis facultatibus.

DEtentionem spiritus speciem quandam exercitationis esse, cum abunde in libro (*a*) tertio demonstraverimus, id amplius repetere non est opus: illud dumtaxat adjungam non facile reperiri, in quanam differentia locata fuerit, nisi quod animadvertentes nos hujuscemodi exercitatione musculos abdominis, atque thoracis valenter intendi, & subinde in partibus interioribus calorem augeri, ut (*b*) Aristoteles, & (*c*) Galenus memoriæ prodiderunt, eam non fieri sine vehementia judicare possumus: & propter hoc jure ab Hippocrate dictum fuit, *spiritus detentionem meatus disparare*, cutem attenuare, necnon humiditatem sub cutem extrudere posse. A (*d*) Galeno similiter, & ab (*e*) Avicenna scriptum est, *retentionem spiritus membra spiritualia calefacere, corroborare, & emundare, necnon angustas cavitates ampliores reddere*. Quod etenim spiritus cohibitus expurgare thoracem valeat, clare constat: quippe qui in ipsa retentione undique compulsus in angustos se recipere meatus cogitur, eosque si amplius trusus propulsusque fuerit, etiam penitus transire, atque extenuati jam agitatione excrementi nonnihil secum arripere, eo prope modo, quo intuemur opifices angusta instrumentorum foramina vehementiores spiritus inflatu expurgare: quandoquidem is quanto ulterius per vim coactus impellitur, tantum ab ipso quædam impelluntur, quædam trahuntur: nam truduntur quæ ante occurrunt, attrahuntur quæ ad latus sunt posita, impetu ipso motus utraque coacta. Quod vero ex retento spiritu cavitates evadant latiores, hinc probatur, quoniam si thorax in medio corpore locatur, sane illo magna aliqua inspiratione aere impleto, & deinceps su-

a *Loco citato*. b *lib.4. cap.4.* c *loco citato*. d *In Miscel. cap.38.* e *2. de tuend. valet. cap.9.* f *loco citato*. g *lib.5. chro. cap. ult.*

a *Cap.6.* b *2. partic. prob.* c *2. de diæta.* d *3. de tuend. valet. cap. 2. & in lib. artis med. cap. 87.* e *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 2.*

premo laryngis osculo linguLæ opera clauso, necnon musculis toto thorace presso, necessum est aerem compressum undique meatibus corporis universis inferi, sicque intrusum eos undequaque dilatare, modo inferiores, dum illuc impellitur, modo superiores: sic ergo per spiritus retentionem cavitates corporis amplificantur, pectoris partes emundantur, ipsæque atque etiam aliæ interiores calorem concipiunt, cujus merito frigidæ affectiones, & præsertim inflationes removentur: ut non temere (*a*) Plato sub persona Erysimachi medici, necnon (*b*) Aristoteles memoriæ prodiderint, *spiritum cohibitum a singultu liberare*: quorum placita secutus (*c*) Galenus ab eodem non solum singultum, verum etiam tussim a frigida instrumentorum respirationis intemperie contractam extingui testatum reliquit: quod aucta in pectore caliditate ex tali cohibitione angustos quoslibet meatus spiritus compressus penetret, cunctaque sic adæquentur, & ad temperiem pristinam redeant. Hinc fit ut ferme in hanc sententiam venire debeamus, talem exercitationem omnibus illis convenire, qui spiritualia membra frigefacta, debilia, aut excrementis aliter obsessa gerunt, quique expulsiones quascunque corporis aut tardas, aut vitiatas habent: quemadmodum oscitationes, & pandiculationes calido flatu dissipante hujusmodi spiritus retentionem solvere clarum est: ut merito dixerit Hippocrates II. & VI. Epid. *longam respirationem crebrarum oscitationum esse remedium*. In resolutione linguæ exerceri spiritu retento probavit Celsus, sicut & Ætius in omni vocalis instrumenti resolutione: vim namque expultricem excitari, atque confirmari in spiritus cohibitione, argumento sunt multi, & præcipue pueri, qui sive plorando, sive ridendo, sive alio pacto spirationem contineant, aut in ipso actionis tempore, aut paullo post, modo stercora, modo urinas, modo mucos, & a naribus, & ab auribus expellunt: similiter obstetrices istud testantur, quæ ad partus expulsionem faciliorem & celeriorem reddendam parturientes spiritum continere præcipiunt: in quo tamen ipsas sæpe errare scribit (*d*) Ætius, quando ex nimia hujuscemodi spiritus cohibitione aneurismata, sive arteriarum incurabiles dilationes incurrunt in faucibus, necnon pupillarum in oculis, ut Avenzoar testatus est. Dicebat (*e*) Aristoteles spiritu retento melius audire nos, quoniam respiratio strepitum quendam movet, quo cum careant retinentes illam, melius voces percipiunt: quamvis Cassius Medicus aliter sentire videatur. Extat item (*f*) Plinii auctoritas, quod eversos scandentesque ac jacentes, si quid ingruat, contraque ictus, spiritum cohibere singularis præsidii est. Si igitur a spiritus retentione tot commoda oriri constat, prudenter sane (*g*) Cælius Aurelianus ipsam asthmaticis, stomachicis, atque colicis curandis egregiam opem præstare scriptum reliquit. Neque tamen huic tantum tribuere debemus, quin etiam ipsam aliqua ex parte obesse credamus, quandoquidem Asclepiades caput opplere testatus est, cujus sententia a Galeno certe explosa fuit. Ego vero illam prorsus non esse repellendam puto, quoniam manifesto conspicimus dum spiritus retinetur, venas atque arterias colli intumescere, oculos amplificari, genas ad universum vultum contrahere majorem ruborem, tandemque caput totum compati: quæ omnia illius repletionis clara indicia esse, nemo dubitat. Ex quo fit, ut Dioclem tota via aberrasse pro certo teneam, dum *spiritum retentum in epilepsia curanda præsidium afferre* dixit: sicut (*a*) Cælium laudo, qui in ejusdem affectus curatione spiritus retentionem vitari debere voluit, cum certum periculum immineat, ne tunc sanguine ad caput recurrente morbus magis exacerbetur. In sanguinis quoque rejectatione talem exercitationem a (*b*) methodicis damnatam invenio, quibus assentiri cogor: propterea quod tum a calore in pectoris cavea genito, tum ex vasorum inflatione, distensioneque facillime debilia, & relaxata vasa franguntur, fractaque iterum reserantur. Amplius qui vel hernias, vel crepaturas patiuntur, aut peritonæum atque intestina exilia & fragilia ab ortu obtinuerunt, nullo pacto in retinendo spiritu exerceri debent, quoniam hæ partes in actione ista vehementer contenduntur, & per consequens, nisi robustæ sint, citra multum laborem divelluntur, quemadmodum apertissimam fidem pueri facere possunt, qui si interdum nimis quam par sit flendo, aut aliquo modo spiritum contineant, protinus iis peritonæum scrotumve disrumpitur, & deinceps intestina delabentia, aut flatus interclusi, vix sanabiles hernias pariunt: quod similiter tubicinibus, & cantoribus, dum nimis spiritum retinere conantur, sæpenumero solet evenire, & præsertim quando illi πόδα ἐρεῖν, (quod Galenus ait lib. de mot. musc. secundo in fine, ac VI. Epid com. IV. tex. XXIV. & de quo nos *in variis lectionibus* egimus, ac plura adhuc dicemus, cum iterum librum eum recognitum atque auctum propediem dabimus) sive edictum facere volunt. Una servata ratio ab hujuscemodi periculis tuebitur, si moderate, aut potius infra mediocritatem similis retentio peragatur, ubi agenda erit: alioqui perfici nequaquam poterit, quin prædicta incommoda sequantur.

CAP. V.

De vocis exercitationum facultatibus, & primo de Vociferatione, & Cantu.

Vocis multas, sed unam præcipuam exercitationem effecerunt antiqui medici, quam Græci τὴν ἀναφώνησιν, Latini *vociferationem* appellarunt, nos vero, pleniorem totius hujus rei notitiam tradere cupientes, vocis exercitationes in sex species partiemur, quemadmodum magna ex parte in superioribus egimus, *vociferationem* scilicet, *cantum*, *lectionem*, *sermonem*, *risum*, atque *fletum*: quorum omnium natura perspecta nihil remanebit, quod hujusce exercitationis cognitioni addi valeat. Ergo prima vociferationibus, quæcumque sint illæ, adscripta ab (*c*) Antyllo, (*d*) Plutarcho, (*e*) Paullo, (*f*) Ætio, & (*g*) Avicenna condicio est, quod thoracem, atque vocalia instrumenta perbelle exercent: dicebat (*h*) Averroes *pulmonem proprie a vocis exercitio respici*: subinde naturalem calorem auget, purgat, firmat, atque attenuat, solidas corporis partes, robustas, puras, & offensæ minime obnoxias reddit: addebat Avicenna hanc exercitationem colorem decorare: quod enim calor augmentum suscipiat, inde oritur, quia spiritus assiduo motu, tum attractus, quam exsufflatus colliditur, atteriturque, sicque ex ea collisione & attritione, calor excitatur; purgat vero hujuscemodi exercitatio, tum quia carnes rariores magisque tractabiles efficit: tum quia ex motu vo-

a *In convivio.* b *2. partic. Problem. 5.* c *lib. de med. fac. par. & libro 2. de symp. caus.* d *de trab. 4. ser. 3. cap. 10.* e *11. part. probl. 48.* f *lib. 27. cap. 6.* g *lib. chro. 3. cap. 1. & 2. lib. 4. cap. 7.*

a *Lib. 1. c. 4.* b *Cel. lib. 2. c. 23.* c *Oribasius lib. 6. c. 8.* d *lib. de tuend. sanitate.* e *lib. 1. c. 29.* f *lib. 3. c. 5.* g *lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 2.* h *6. collect. cap. 2.*

calium

calium instrumentorum humiditates internæ consumuntur, quod evidentissime declarat densus vapor ex ore vociferantium prodiens, & superfluitates vetustiorum humorum unicuique meatui adhærentium, quæ excernuntur non solum in prædictis vociferationibus, sed etiam aliis pluribus modis. Jam vero firmatur calor, & attenuatur; quoniam vasa absterguntur, multi humores, ut sputa, muci, & pituitæ consumuntur, quæ sicut antea calorem obscurabant, debilitabant, & incrassabant, ita educta eundem puriorem, validioremque relinquunt, & hinc postea solidis partibus majus robur, majorque impassibilitas succrescit. Si itaque hæc ita se habent, rationi consentaneum est, iis, qui humiditate occupatas interiores partes, quique universum corporis habitum frigefactum habent, vociferationem generosum præsidium existere: quemadmodum istis prædictis rationibus eam ab Antyllo, Cælio Aureliano, & Ætio commendatam scimus stomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, ægre concoquentibus, cibos fastidientibus, atrophia laborantibus, languidis, cachecticis, hydropicis, asthmaticis, orthopnoicis, phthisicis, diuturno pectoris aut septi dolore vexatis, apostemata in thorace rupta habentibus, mulieribus prægnantibus, pica obsessis, aut secundum (*a*) Alexandrum etiam parturientibus ad partum facilius educendum, & denique quartanariis, pituitosis, convalescentibus fere omnibus. Sic Galenus VIII. de med. local. cap. IV. stomacho laborantibus, unctiones, exercitia, & vociferationes per expertum artificem adhibitas commendat. est Aretæi medici antiqui & præstantissimi sententia, quod in elephanticis *ἀναφώνησις τοῦ πνεύματος γυμνάσιον τὸ καιριόν ἐστι*, necnon etiam in cœliacis. Voci quoque ob superfluam humiditatem raucæ factæ, necnon instrumentis voci deservientibus resolutis, atque etiam malo corporis habitui, qui a Græcis *καχεξία* dicitur, eandem conducere credidit Ætius: quin, si vox vel ex morbo, vel suapte natura male affecta sit, tali exercitatione secundum Antylli sententiam emendatur. Quoniam vero vox laborat, partim propter nimiam & longam loquelam, partim propter clamoris magnitudinem, partim propter silentium, quasi suarum actionum oblita, ideo fit ut in hisce omnibus, quæ dicta sunt, vociferationis usus sit utilis, cum longam loquelam dissolvat, & noxæ, quæ, ex clamoris magnitudine contracta est, placida & quieta imminutione medeatur, acumini vero occurrat, graviores sonos inspergendo: ceterum qui ex silentio oritur, quamvis non propriæ vocis sit labor, tamen cum vocis labore proportionem quandam gerit: quocirca ad eum quoque vociferatio est utilis, quæ vocem exerceat, quemadmodum si vocalia instrumenta defessa sint, totumque corpus suum tenorem non servet, aut lassitudine obsideatur: vocis namque exercitationem a cena factam dicebat (*b*) Hippocrates, post carnis a laboribus colliquationem commodam esse, quoniam humiditatis evacuationem faciens rarefacit carnem. Sed cuncta hactenus a me enarrata, de vociferatione mediocri, ac arte, quam libro (*c*) tertio explicavimus, facta intelligantur, quæ capitis affectionibus non est idonea, utpote nescio quid facultatis possidens ad replendum caput, necnon instrumenta sensuum in capite contentorum. Hinc est, quod (*d*) Cælius Aurelianus eam pro epilepticis in declinatione probans prudenter addidit, *si ferre valeat æger*. Nam ea vociferatio, quæ vehementius peragitur, & interdum *ἀναύδησις*, ab (*a*) Aretæo *φωνασκίη* vocatur, uno prope verbo dicta est ab Hippocrate *affligere*, sive *λυπέειν*, hæc præterquam quod caput plenum, & magis grave reddit, ut testantur (*b*) Aretæus, & (*c*) Galenus, mirum etiam in modum ex ejus sententia vocem oblædit, necnon venas rumpi facit: ut hac ratione (*d*) Cælius exclamationem tamquam partes patientes vehementer concutientem pro corporibus epilepticis improbarit, (*e*) Pliniusque nepos jure conquestus sit, quod Zosimus ejus libertus, dum voci reparandæ studeret, rursum vena reclusa sanguinem reddiderit: eandem tamen Aretæus stomachicis curandis, & Ætius singultui comprimendo usurparunt. Illud itaque hoc in loco non est ignorandum, quod omnes fere auctores animadverterunt, vociferationibus neque temere, neque inconsulto utendum fore, ac præsertim iis, qui huic exercitationi non assueti incipiunt: neque enim iis uti quisquam debet pravorum, corruptorumque humorum copia præsente: quin etiam vox non est exercenda, si magnis & evidentibus cruditatibus stomachus vexetur, ne ex actione inspirationis & exspirationis, quæ firmior & citatior facta sit, dum vox in magnitudinem & multitudinem accrevit, vapores corrupti largius per corpus distribuantur. Propterea monebat (*f*) Aretæus, vocem leniter exerceri, & gravibus vocibus utentem sonum edere, quod acutæ voces capitis distentiones, temporum palpitationes, cerebri pulsationes, oculorum inflationes, auriumque tinnitus efficiunt, mediocriter autem vox edita capiti prodest: cavendum est quoque ab ejus usu post cibum, quoniam vox valde corrumpitur: unde dicebat (*g*) Aristoteles, histriones, choros, & hujusce generis jejuno ore vocis exercitationem adire: alioqui spiritus tum cibo ingesto, tum clamore fervidus effectus, inter exeundum asperam arteriam exulcerat, sicque vox corrumpitur. Denique fugiendum est, ex (*h*) Plutarchi consilio, ne quis conscius sibi vel repletionis, vel immoderatæ libidinis, vel defatigationis acrius intendendo, exasperet vocem; neve nimis commotas vociferationes, & jurgiosos clamores exerceat; siquidem inæquales illæ spiritus intentiones, & impetus rupturas & convulsiones inducere solent. Post vociferationem succedit *cantus*, ab illa in hoc differens, quod harmonia quadam consistit, neque adeo contenta voce peragitur: ob quod etiam præter cetera voluptatem afferre potest, qua vociferatio destituitur. Nam scriptum est ab (*i*) Alexandro, *onera portantes, si cantant, minus modestiam sentire*, quoniam animus modulis ac numerorum suavitate demulctus ab onere avertitur, atque ita minus angitur: quæ similiter ratio efficit, ut lugentibus, atque alio modo laborantibus (quod (*k*) Aristoteles quoque confessus est) tibias, & sonum adhiberent antiquiores, & quod ad eos, qui vel morte suorum anguntur, & mœrent, vel morbo sollicitantur, homines congregari, varioque uti sermone solitum sit: quandoquidem animus, cum se ad verba transferat, minus rem sentit adversam. Quod intelligentes veteres, varia scenarum oblectamina sibi excogitarunt, ut animum solatiis modo his, modo illis exceptum ab angore sejungerent. De cantu sive vociferatione cum harmonia adhibita scripserunt Antyllus, Ætius, atque Paul-

a *Alexan.* 1. *prob.* 87. b 2. *de diæta.* c *Cap.* 7. d *Lib.* 1. *chro. cap.* 7.

a *Lib.* 2. *cur. chron. cap.* 6. & *in lib. de præceptionibus in fine.* b *In lib. de instr. odoratus.* c 7. *de compos. medic. sec. loc. cap.* 1. d 4. *de loc. affect.* e *Lib.* 5. *epist.* 19. f 1. *cur. chro. cap.* 2. g *Partic. problem.* 22. h *lib. de tuend. valet.* i *lib.* 1. *prob.* 76. K 19. *partic. prob.* 1.

lus, valetudini eam nullum juvamentum præstare. At in morbis ipsam aliquando usurpatam invenio: nam (*a*) Cælius Aurelianus vocis exercitium, musico monitore, compositum insanientibus in declinatione conducere scripsit, refert insuper (*b*) Aulus Gellius, se apud Theophrastum, ac Democritum invenisse *viperarum hominumque morsibus tibiarum modulos, & cantus mederi*; & ad hæc fuisse creditum a plerisque, & memoriæ mandatum, ischiadicos, cum maxime doleant, tum si modulis lenibus vel ipsi, vel tibicen (quod factitare solitum Ismeniam Thebanum legimus) incinat, minui dolores, sicut & Philistionis frater in libro XXII. de adjutoriis confessus est: quod remedii genus a Pythagora excogitatum esse nonnulli tradiderunt; quamvis Soranus, cujus sunt libri illi tres de Acutis a Cælio Aureliano Latini facti, Asclepiadem mordens, qui phreniticos curare cantu profitebatur, apposite satis dixerit, *eos mentis vanitate jactari, qui modulis, & cantilena passionis robur excludi posse crediderunt*. Si igitur cantus valetudini conservandæ parum confert, graviorum autem tonorum sonus utilis est, vociferationi potius, quam cantui sanitatis studiosi operam dare debent: quoniam sic plurimus aer attractus thoracem distendit, ventremque & meatus per universum corpus disseminatos aperit, dilatatve, cum in cantu mera quædam ac futilis oblectatio solummodo reperiatur, quæ corpora robusta potius effeminare, non autem conservare, aut augere apta est: unde mirari soleo, quare Socrates (ut refert (*c*) Plutarchus) sese cantu exercere consueverit, & non in vociferationibus, cum in ipsis, & concitatis lectionibus redundantium humorum excretiones contingant, & his quidem, qui concitatius legunt, magis, & per sudores; qui vero mitius vocem intendunt, per occultam transpirationem. Verumtamen illud (*d*) Avicennæ dictum semper memoria tenere oportet, quod *magnam longo tempore efficere vocem est timorosum, quodque ex prædictis vocis exercitationibus sæpenumero hernias, aliasve crepaturas oriri contingit*; sicuti nostrates sacerdotes, aut cantores certam fidem facere possunt: antiquitus enim qui vocis exercitiis operam dabant, balneis, ut libro primo scripsimus, frequenter utebantur: quorum beneficio peritonæum, scrotum, ac testium utriculi humectabantur, sicque emollita magis tuto extendebantur, neque faciliter discindebantur: nostris autem temporibus minime hujusce generis remediis uti facile conceditur: ut hac ratione modum in vociferando, sive cantando majorem servare necesse sit.

CAP. VI.

De Lectionis, Sermonis, Risus, & Fletus qualitatibus.

Lectionis a medicis ad sanitatis usum probatæ duas species invenio, alteram *intentam*, & *concitatiorem*; alteram *remissiorem*. Lectio intenta, quam (*e*) Cornelius Celsus auctor elegantissimus *claram* nuncupare maluit, cum sit agitatio spiritus non leviter, nec in superficie, (ut (*f*) Plutarchus scribit) sed velut in ipso fonte, in ipsis visceribus valens, calorem auget, sanguinem subtilem reddit, omnes purgat venas, omnes aperit arterias, humorem superfluum non sinit crassescere, neque concrescere, neque fæcis in morem subsidere, in his conceptaculis, quibus recipitur, & conficitur cibus: ex quo non temere a (*a*) Celso inter ea, quæ commode exercentur, primum locum recepit. Quod etiam capiti nequaquam noceat, sed potius conferat, locupletissimi possunt testes esse (*b*) Cælius Aurelianus, & (*c*) Seneca; quorum ille in curando capitis dolore atque etiam insania similem lectionem adhiberi consuluit: hic vero ad refrenandas, quas patiebatur, capitis destillationes ipsam in frequenti usu habuisse scribit: observandum est in hoc casu, ne in insania, aut capitis dolore difficilia intellectu legantur; quoniam talia, (*d*) Cælio auctore, non minus afficiunt, quam corporis immodicæ gestationes. Juvat insuper clara lectio cum pectoris intimas partes, tum stomachum, cujus etiam vitia, ut scribit Celsus, corrigit, quandoquidem per ipsam pituitosa excrementa suaviter attenuantur, absumunturque, & calor nativus citra ullam violentiam excitatur, & augetur: quod cognoscens Plinius major, dum voce atque stomacho laboraret, in eorum remedium claram lectionem exercuisse, auctor est illius (*e*) Nepos: qua pariter ratione Ætius eis, qui colicis doloribus a frigido humore genitis sollicitantur, consuluit leniter exclament, aut concinne cum vociferatione procedendo legant. Sic ad phthisicos, atque tabescentes ea methodicos nonnullos usos fuisse legitur: de hac sermonem faciens (*f*) Avicenna dixit, *quod ad legendum suaviter est incipiendum, deinde vox ordinate exaltanda, postea cum vox fortior facta fuerit, creverit, & longa fuerit, tempus ipsius erit ponendum temperatum, quoniam tunc magnum affert juvamentum*. Atque hæc de intensa ac vehementius facta lectione, quam (*g*) Celsus etiam in tussi sicca laborantibus non parum utilitatis præstare censet. Ceterum quæ lenius & remissius agitur, ad eadem fere omnia valet, nisi quod debilius cuncta operatur, & propterea interdum ipsa post ciborum sumptionem citra noxam uti possumus, quod Plutarchus quoque non improbavit: de hac autem loquens (*h*) Aristoteles scriptum reliquit, ignaros homines, ac melancholicos, dum legere incipiunt, somno corripi, quoniam intellectum figere nequeunt, & ob id vapores crassi & frigidi excitantur, qui cerebrum frigefacientes somnum inducunt, ex adverso viros intelligentia præstantes minime, dum lectitant, dormire, eo quia intellectum firmantibus ipsis calor internus amplificatur, atque inde vigiles potius quam somniculosi evadunt. Post vociferationem, cantum, atque lectionem succedit *sermo*, sive *locutio*, quæ & ipsa vocis exercitatio est, attamen prædictis omnibus tum vehementia, tum robore cedit, & ideo inter debiles exercitationes recenseri meretur. Nam iis in primis accommodatur, qui præter modum ad somnum propensi sunt, quique aut præ humore melancholico, aut præ phlegmate sensus torpentes, quasique oppressos habent: tales namque a sermone perpurgantur, eorumve animi ita expergefiunt, ut faciliter mox sensus a corpore liberentur. Pituitam porro a sermone consumi, indicant sputa ex loquentis ore affatim emanantia, quæ partim a capite, partim a stomacho, partim a thorace exeuntia, cuncta ista membra sermonis beneficio gaudere demonstrant. Jam vero sermo vim quandam obtinet, si (*i*) Antyllo credamus, ut caput impleat, & gravitatem

a *Lib. 1. chro. cap. 5.* b *Lib. 4. c. 13.* c *In lib. de tuend. valet.* d *loco citato.* e *Galen. lib. 7. de comp. med. secundum loc. cap. 1.* f *Lib. 1. cap. 2.* g *Libro de tuend. valet.*

a *Loco citato.* b *loco citato.* c *Epist. 78.* d *Lib. 1. chro. c. 1.* e *Lib. 9. epist. penultima.* f *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 2.* g *lib. 4. cap. 4.* h *18. partic. prob. 1.* i *Oribasius lib. 6. cap. 7.*

afferat, cujus rei gratia sciunt medici in doloribus A
capitis, pluribusve aliis ejus affectibus sermonem
interdicendum fore, sermo præterea lippientibus,
& quibus sanguis e naribus funditur, aut a pecto-
re rejectatur, non parum nocet. Quapropter (*a*)
Cornelius Celsus, atque (*b*) Galenus in sangui-
nis rejectionibus silentium necessario requiri vo-
luerunt; similiter linguam exiccat, sitim inducit:
atque hinc sapienter (*c*) Hippocrates scriptis man-
davit, *silere, & os continere sitim extinguere:*
quam sententiam explicans eruditissimus (*d*) Plu-
tarchus, *non solum sitim a silentio non generari,*
verum nec tristitiam, nec dolorem dixit, qui etiam
multos, dum sese a loquendo continerent, tus- B
sim, ac singultum curasse memoriæ prodidit. *Tri-
ennio* (ait (*e*) Plinius) *Mæcenatem Messium acce-
pimus silentium sibi imperavisse a convulsione reddi-
to sanguine.* Ad hæc vires dissolvi a sermone, id-
que præcipue in febribus, & magis quoque in ac-
cessionibus, testatum fecit (*f*) Oribasius: ut nul-
lum amplius dubium supersit, quin, & juvandi,
& nocendi valetudini facultatem obtineat sermo:
ne dicam quot damna, quotve commoditates, pro-
ut is adhibetur, sæpenumero animis ingerat: quæ
si persequi vellem, nimis a proposito nostro rece-
derem, quando præsertim, & Plutarchi de loqua- C
citate libellus, & Galeni de curandis ac cogno-
scendis animi morbis, hæc cognoscere cupienti-
bus sufficere possunt. Hactenus de articulatæ vo-
cis exercitiis. Præter hæc autem duæ sunt exerci-
tationes, quæ tametsi vocis minime propriæ vi-
deantur, & ab auctoribus ut plurimum præter-
missæ sint, attamen ipsæ quoque in exercendis a-
liquibus corporis partibus facultate non carent:
atque eæ sunt *risus*, & *fletus*. Nam risus, dum
oris dilatatione, præcordiorumve titillatione in-
teriora, & præsertim faciem exagitat, quin illas
partes insigniter calefaciat, haudquaquam inficia-
ri possumus: eo magis quod robur in ridentium D
vultibus efflorescens caliditatis acutæ apertissimum
argumentum existit: & iccirco crediderunt non-
nulli, Homerum vocasse risum γέλωτα ἄσβεστον,
sicuti grammatici γέλος ab ἕλη, quæ vox *calidita-
tem* significat, deduci tradiderunt. Proderit igi-
tur in primis ridere illis, quibus frigidæ sunt &
capitis, & thoracis partes, melancholicis, & a
frigida cerebri intemperie desipientibus, attoni-
tisque, & qui ob mœrorem ac tristitiam in febres,
aut alios affectus delapsi sunt; de risu verba fecisse
Cælium Aurelianum existimo, quando in atro-
phiæ curatione animi laxationem, διάχυσιν voca-
tam, post cibum commendavit, & quando simi- E
liter in capitis dolore adhibendam præcepit ean-
dem, ne a mentis intentione caput impleatur. In
his etenim universis, cum frigida intemperies do-
minetur, merito auxilium præstat risus, nimi-
rum qui multum aerem in pectore moveat, & spi-
ritum calidiorem emittat, ut scriptum est ab (*g*)
Aristotele, qui hac de caussa ridentes graviorem
vocem edere quam flentes judicavit: hoc autem
tanto magis sperandum erit, si risu sese exercere
volentes alas sibi ipsis titillari facient; propterea
quod magnus in illis partibus venularum atque ar-
teriarum concursus extat, quæ titillatæ concale- F
fiunt, & spiritum subinde ex calefactione geni-
tum per universum corpus diffundunt. Neque
vero latere quemquam debet, *validum risum*, si-
cuti dixit (*h*) Plato, *magnam mutationem pare-
re*, nempe de quo celebratur apud Græcos hic se-
narius.

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Id est:

Risus intempestivus inter mortales grave malum.

Siquidem talis, præter immoderatam spirituum effusionem, præter nimiam agitationem, calefactionemve, non raro, secundum (*a*) Aristotelis & (*b*) Alexandri sententiam, vehementem resolutionem inducit: quoniam vitalis vis, & insitus calor immodice foras prodit, ac inde fit, ut sic ridentes sudent, ac rubeant sanguinis adventu: calorem etenim nativum, ignemque ipsum, sicuti per loci appetitionem sursum efferri, sic per alimenti desiderium ima petere necesse est: igitur utralibet movendi ratione perempta, calor insitus interit, & vis omnis vitalis evanescit: ut non absque ratione (*c*) Homerus finxerit Procos risu emori:

—— Ἀτὰρ μνηστῆρες ἀγαυοὶ
Χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλῳ ἔκθανον,

Id est:

—— *tum Proci illustres*
Manus extollentes risu emoriebantur:

Necnon Aglaitidas apud (*d*) Xenophontem dixerit, risum hujuscemodi moventes, neque corporibus, neque animis prodesse. Porro caput, ac thoracem peculiariter ab hujusce generis risu offendi nemo negaverit, quemadmodum interdum laxata, maxillarum ossa, dorsumque oblæsum animadvertimus. Fletum tametsi Aristoteles in pueris laudaverit, *quasi eorum corpora fluendo contracta, & contensa robustiora evadant*; (*e*) Ciceroque scriptum reliquerit, *athletas, cum exercebantur, ingemiscere consuevisse, ut se intenderent ad firmitatem*; exiguum tamen usum in tuenda bona valetudine habere certo scimus: pueri namque fortasse a ploratu minus offenduntur, quoniam ei a primo ortu insuescunt, quippe qui statim ac ex utero parentis in lucem venerunt, plorare incipiant; cujus caussam (*f*) Soranus Ephesius explicavit esse; *tum quia tenus spiritus a luce concutitur: tum quia insuetam terram attingant, quando mulieres in navibus parientes mutum edunt*: quam sententiam secutus (*g*) Alexander medicus addidit, illos minime audiendos esse, qui animum dicant, quod amisso cælesti domicilio corpus inhabitare terrenum occœpit, iccirco infantem cogere dolere, atque plorare. Ceterum adultiores quemnam ex fletu capere fructum queant, nusquam video: quod enim is corpora frigidiora intenta, ac debilia reddat, præter (*h*) Aristotelem ob prædicta flentes acutiorem vocem reddere narrantem, (*i*) Galenus quoque attestari videtur, ubi pueros, dum plorant, interrupto spiritu ob vires defatigatas respirare sentit: qui item a fletu nonnunquam febres accendi perspicue testatus est: quantum subinde oculis ipsi detrimentum afferat, inde conjicere faciliter possumus, quod lacrymis ab humoribus oculorum (si (*k*) Cassio medico credimus) defluentibus eos consumi necessarium est, ut summa cum ratione eloquentissimus auctor Cornelius (*l*) Celsus *continuos fletus oculos imminuere scriptum reliquerit:* ne

a *Lib. 4. cap. 4.* b *5. Method.* c *6. Epid. sect. 3. aphor. 24.* d *Lib. de loquacitate in fine.* e *Lib. 28. c. 6.* f *Loco citato.* g *11. partic. probl. 13. & 15.* h *2. de repu.*

a *Loco citat.* b *Probl. 19. lib. 1.* c *Odyss. Σ. vers. 98.* d *Lib. 2. de Cyri pædia.* e *2. Tuscul.* f *In Isagog. c. 17.* g *Probl. 61. lib. 1.* h *loco citato.* i *1. de tuend. sanit. cap. 8.* k *In proli.* l *Lib. 6. cap. de cur. oc.*

fileam quantum damnum vox recipiat, dum fauces, ac vocalia instrumenta inter flendum madefacta, exasperatave, eam raucam efficiunt, tussesque ac noxios catarrhos latenter concipiunt: nam & apud Cælium Aurelianum legitur, *ploratum post cibum valde stomachum labefactare*. Ex quibus omnibus colligitur, aut nullum, aut exiguum emolumentum a fletu corporibus accedere, & iccirco similem vocis exercitationem dumtaxat animorum passiones, ut voluit (*a*) Posidonius, exaturare posse, quando nonnulli affectibus pleni, quoties volunt, plorare queunt, alii passionibus vacui etiam si velint nequeunt. Atque tot de vocis exercitationibus dicta sufficiant.

CAP. VII.

De Cricilasiæ, Trochi, & Pilamallei qualitatibus.

Cricilasiæ exercitatio tametsi apud nullas nationes (quod ego sciam) in usu habeatur, quæque ejus apud veteres forma & modus fuerint, plene nondum mihi compertum sit, nihilominus facultates ejus ab (*b*) Oribasio descriptas prætermittere nolo, ut si forte alter, vel ipsissimam Cricilasiam vel aliam similem exercere noverit, ejus vires minus ignoret. Illam itaque inter magnas exercitationes locum habuisse, memoriæ proditum est ab (*c*) Antyllo, qui etiam dixit, *Cricilasiam intenta corpora mollire, & quæ loco stabiliri non possunt, tum revolutionibus, tum etiam figurarum corporis varietate sic parare, ut facile flectantur, & stabiliantur; nervosque imbecillos firmare, & laxare, calorem excitare, & intelligentiam, quæ de via deflexit, & atra bile agitatur, ad statum suum revocare*. Neque item trochus antiquorum quis fuerit, satis mihi constat, nisi vel eundem, trochum nostrum vocatum, vel paullo dissimilem illi fore dicamus. Hunc proculdubio inter exercitationes tardas, atque remissas collocandum esse omnes affirmant, cumque virgis illis pilas in circum ferreum impellentibus agatur, necnon modo stando, modo ambulando exerceatur, valetudinariis, atque iis, qui præ virium imbecillitate, aut aliquo alio impedimento detenti, majores exercitationes obire nequeunt, in primis convenire videtur, secundo loco senibus, atque ceteris, qui majoribus laboribus incalescunt nimis, tum etiam æstate potius aptabitur; peculiariter visus in ipso exercetur, brachia & crura; quæ omnia in simili motu suaviter, ac citra omnem violentiam laborantia, quin robur acquirant, negari minime potest; sicuti in multis experientia quotidie comprobatur eum alvum citare, humoresque ad infimas partes detrudere, & succis ventriculi, ac totius corporis concoquendis suffragari. Verum enim vero qui capite vertiginibus obnoxio sunt, quique podagris, aut ulceribus tumoribusque crurum sollicitari consueverunt, ab hac exercitatione abstinere debent; quoniam in alteris spiritus capitis commoti facillime affectiones illas excitant; in alteris humores ad infima delabentes eos morbos fovent, ac incredibiliter augent. Inde est, quod Aretæus in curatione epilepsiæ solam ejus vertiginis inspectionem, quam facit instrumentum illud, quod βέμβικα dicunt, & de quo supra sumus locuti, epilepsiam inducere monuit. Hoc fortasse exercitationis genus intellexit (*d*) Avicenna, quando dixit; *Et ludere cum virgis retortis dictis alsulegiam cum pila ma-*A *gna, aut parva lignea*, nisi quod illud inter fortes exercitationes reponens, & pilam magnam nominans a nostro differre demonstrat, nempe quod sit debile, solisque parvis sphærulis agatur. Habemus & aliud motus corporis genus, quod pilis ligneis exercetur humi dupliciter, vel pilas in circum ferreum humi defixum manibus impellendo, vel cubo ligneo eas approximando, quod quidem genus dorsum ob inclinationes continuas exercet, attamen caput offendit, atque renes, in quorum ulceribus ἐξαπιναίως ἐπικύψεις vitari mandavit (*a*) Rufus medicus, neque admodum pro valetudine probatur: legitur enim apud (*b*) Galenum *exer*-B *citationes inclinato capite, dorsove peractas nequaquam illis convenire, qui occasione qualibet levi vertigine, epilepsia, ophthalmia, aurium dolore, gutturis, aut alterius, capitis & colli inflammationibus occupantur*. Prædictis omnibus tum notior, tum frequentior est *pilamallei* vocati exercitatio, qua veteres gymnastas caruisse nemo non fatetur; sed quanto magis temporibus nostris penes cunctas nationes ipsa inolevit, tanto magis necessarium videtur illius facultates declarare. Nam quod ex magnis sit exercitationibus, ac vehementibus facile est, & a labore, qui sustinetur C in ipso, & ab ejus natura conjicere; a labore, quoniam sudor, defatigatio, rubor faciei, spirationis magnitudo ut plurimum in sic sese exercentibus oboriuntur; ex natura vero ejus, quia cum, & deambulatio fere continua, ac reflexa, & brachiorum jactatio, dorsive totius obnixio quædam adhibeantur, indubitatam fidem faciunt, nequaquam absque violentia, aut magnitudine hujuscemodi exercitationem consistere: & iccirco probabile fit, ipsam calorem nativum augere, excrementa evacuare, somnos profundos generare, & concoquendis cibis, atque crudis humoribus conferre. At caput ab eadem repleri certum est, quan- D do Galenus hoc vitium magnis exercitationibus adscribendum esse judicavit. Quantum porro ad particulares effectus pertinet, in hanc sententiam venio, pilamallei exercitationem præcipue brachia, atque dorsum exercere, secundo crura: & propterea illis omnibus conguere, qui membra ista confirmare student, quique multitudinem ciborum perbelle conficere, succos utiles per universum corpus distribuere, & superfluitatem, tam per sudorem, quam per secretam diffiationem exinanire intendunt. Ceterum nemo, vel mediocriter rei medicæ peritus, ignorat, valetudinariis, ac debilibus, quorum vires levi de caussa destruun- E tur, exercitationem istam minime accommodari: tanto minus illis, quibus capita male affecta sunt, aut aliquo pacto imbecillia: nam, & qui dorso non admodum valent, quique renes calidos, urinasque acres habent, ex talibus motibus summopere offenduntur, sicuti quoque nocet exercitatio hæc, ubi partes inferiores inflammationem, aut alium tumorem pati solent. Summatim possunt, qui sanitate fruuntur, ad eam tuendam, optimumque habitum generandum pilamalleo sese exercere: qui vero aliquo pacto ab ægritudine occu- F pantur, omnino abstinere debent, illudque semper memoria tenere operæpretium est, quæ de exercitationibus bona a nobis promittuntur, vera reperiri, modo ea ratio temporis, loci, quantitatis, modi, atque corporum servetur, quam in IV. libro necessariam esse monstravimus: alioqui si negligatur, mirum non sit, loco bonorum inemendabilia mala succedere: quemadmodum sæpenumero in proposita exercitatione evenire certo scio, quæ cum fere post pran-

a *Galen. 4. de pla. Hip. & Pl. c. ult.* b *6. collect. cap. 26.* c *Oribasius loco citato.* d *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. c. 2.*

a *In lib. de affect. renum.* b *5. de tuend. valet. cap. 3.*

A dium a plurimis agatur, nullo salubritatis loci, ac temporis habito delectu, non sua culpa, sed exercentium incuria perniciosas affectiones, ac pravos habitus inducit. quo magis omnes admoneo, ut diligentiam, a majoribus nostris in exercendis corporibus observatam, quantum conceditur, imitantes, melius valetudini atque membrorum robori consulant, neque committant, ut propriis erroribus, & sanitatem simul deperdant, *& honorem*, dicente (*a*) Galeno nostro, *magnum dedecus esse, qui a natura sanam corporis constitutionem sortiti eam ob exercitationum, ac recte vivendi negligentiam corrumpunt, atque morbosam reddunt*. B Et quoniam hoc in capite duo diximus, alterum quod pilamalleus exercet dorsum, alterum, quod illis evitandum est, quibus dorsum est imbecillum, sciendum erit, (*b*) Galenum voluisse, in senibus debiles partes numquam exerceri, in aliis semper debere. rationem, qua inductus illud dixit, hanc fuisse existimo; quoniam debilitas senum emendari non potest, cum ex virtutis motricis defectu proficiscatur, aliorum vero reparabilis est. unde, quando nos aliquas partes imbecillas minime exercendas consulimus, semper de imbecillitate confirmata, ac inemendabili, non autem de C recenti, atque de curabili, dicta nostra intelligi volumus: ne a Galeni placitis, quem omnes medici sequi tenentur, in hac sententia recedere videamur.

CAP. VIII.

De equitationis facultatibus.

EQuitationem, quam (*c*) Galenus aliquando inter ea, quæ *exercitationes* simul, & *opera* nuncupat, adnumeravit, ex ejusdem sententia magnam exercitationem esse, aperte con- D stat. Quocirca, quantum sit ex se, poterit nativum calorem augere, & excrementorum inanitioni opitulari. Est autem non parva differentia, an equus (sic apello equum, mulum, & aliud quodvis portandis hominibus accommodatum animal) lente celeriterve gradiatur, an succusset; an asturco sit ac tolutarius, an currat. De placida & lenta equitatione scriptum invenitur ab (*d*) Antyllo atque (*e*) Ætio, si placide equus gradiatur, nihil magis, quam lassitudinem, & præsertim inguinibus afferre. de hac inquam verba faciens (*f*) Hippocrates memoriæ prodidit, continuam equitationem lassitudinem magnam parere, hominesque in- E fœcundos & coeundi impotentes reddere, necnon dolores diuturnos, & claudicationes generare, neque iccirco sententia Hippocratis damnanda videtur, quod (*g*) Aristoteles contrario plane sensu scriptum reliquerit, *equitantes assidue libidinosiores evadere*; quoniam genitalia continua attrectatione motioneque incalescentia spiritum concipiunt, sicque coeundi cupiditas inducitur: siquidem Hippocrates de placida & nimis frequenti loquitur, utpote quæ leni motu non ita calefaciat, & pendentes coxas atque pedes oblædat: Aristoteles vero de ea, quæ equo celeriter gradiente, & interdum succussante, sed non admodum frequen- F ter exercetur, verba facit, unde particula *assidue*, quam Latini interpretes apponunt, cum in Græco Aristotelis codice non inveniatur auferenda plane erit. Hæc etenim equitando facta exercitatio, ut (*h*) Antyllus & (*i*) Ætius crediderunt, totum corpus laboriose concutit, & magis adhuc omnibus aliis exercitationibus. Unde ab (*a*) Alexandro Tralliano in dolore capitis, quem caussa frigida gignit, adhibetur, sicut in epilepsia, in surditate, præsertim vero stomachum firmat. ut non immerito scriptum sit a (*b*) Plinio equitationem stomacho & coxis utilissimam reputatam fuisse. qua item ratione in singultu curando ab (*c*) Ætio usurpatur, sensuum instrumenta subinde purgat, eaque reddit acutiora, hydropicos (ut sentit (*d*) Trallianus) si quid aliud maxime juvat, solutam alvum & fluentem, dicente Celso, coercet, crura quoque tenuia crassefacit, quod Germanici exemplo testatur Suetonius. Cæterum thoraci maxime adversatur, nec non vesicæ male affectæ, in cuius ulceribus curandis ante cætera hujuscemodi exercitationem vitari placuit Archigeni illi, præstantissimo Hadriani Imperatoris Archiatro: coxis etiam obesse scripsit Hippocrates, quamquam in hac re varias auctorum posteriorum extare sententias reperio. Themison Methodicorum princeps in coxendicum dolore, ἰσχιάδος nomine a Græcis appellato equitare imperabat ægrotantes, quo magis ob vehementiam motus partium faceret vexationem: post ipsum idem confirmavit (*e*) Theodorus Priscianus, &, quem modo citavi, Plinius. Ex altera parte jam diximus, Hippocratem *equitationem inimicam, earumque dolorum parentem putasse*, quem (*f*) Cælius Aurelianus Themisonis placita insectatus est, tamquam veram ischiadicorum curationem destruentia. Ego, cum animadverto in hac exercitatione vehementer coxas incalescere, ac ex motu debilitari, ita sentio, humores defluentes faciliter ibi decumbere, atque inde dolorificas affectiones excitare, tanto magis affectus jam excitatos, quasique inveteratos acerbiores & indissolubiliores effici reor: quibus item rationibus equitationem a (*g*) Celso podagricis jure damnatam fuisse puto. Equitatio peracta succussante equo prædictis duabus proculdubio deterior est, nimirum quæ universum corpus moleste quasset, & dolores excitet, augeatque. Sicut in (*h*) Niptris *ille sapientissimus Græciæ saucius* intelligebat, ubi diceret.

Pedetentim ite, & sedato nisu ne succussu arripiat major dolor.

Quod item (*i*) Lucilius poeta antiquus innuit, dum equum succussantem tetrum nuncupavit hoc versu.

Succussatoris tetri tardique caballi.

Ad hæc succussationem vehementer caput offendere, collum, & dorsum, & nates, experiuntur illi, qui aliquando in hunc modum equitare coguntur. Denique si ulla est equitatio, quæ viscera præcipue (id enim fatetur (*k*) Galenus) agitare apta sit, proculdubio nunc proposita talis est, a qua non solum interiora omnia concuti, verum etiam suspendi, quasique arripi videntur. illud unum habere juvamen potest, ut cibis, atque crudis humoribus concoquendis, alvoque ciendæ, ac urinæ proliciendæ, necnon a renum (quod (*l*) Avicennæ placuit) loco lapillis atque arenulis ad inferiora deducendis adjuvare queat. Sed, quoniam majoribus damnis commoda hæc compensantur, omnes ab exercitatione simili abstineant consulo. In asturconibus equitatio (eam sic appello, quam vulgari nomine *portantum*, aut *trai-*

a 5. *de tuend. val.* b 5. *de tuend. val. c.* 3. c 2. *de tu. val. c.* 8. & 6. *Epid. com.* 1. *aph.* 6. d *Oribas. lib.* 6. *c.* 24. e *Ætius lib.* 3. *c.* 7. f *In lib. de aere aquis & loc. c.* 11. g 4. *sect. prob.* 12. h i *locis citatis*.

a *Lib.* 27. *c.* 7. b *Lib.* 28. *c.* 4. *circa finem*. c *Lib.* 21. *c.* 30. d *Loco cit.* e *Lib.* 2. *Timo. c.* 12. f *Lib.* 5. *c.* 1. g *Lib.* 4. *cap. penult.* h *Cicero* 2. *Tusculan. quæst.* i *Nonius Marc.* k 2. *de tuend. val. cap.* 11. l *Lib.* 3. *fen.* 15. *tract.* 1. *c. ult.*

nam vocant Itali, & de qua ita (*a*) Martialis: A

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues
Venit ab auriferis gentibus Astur equus)

quemadmodum magis corpus & membra gradarii equi vectione exercet, ita minorem molestiam parit, siquidem mollis illa alterno crurum explicatu glomeratio minimum fatigat, peculiariterque alvum citare usu probatur. De equitatione currentibus equis facta, licet apud (*b*) Aristotelem legatur, ita equitantes, quod magis caveant, minus cadere, tamen eam improbare videtur Galenus hac ratione, quia sæpe contingit equitantes in terram decidere, & nonnunquam ex casu emori, sed præter hanc multæ extant caussæ aliæ, ob quas a sanitatis studiosis hujusmodi equitatio omni diligentia evitari debet: nam corpus ut scribit (*c*) Hippocrates nimium calefacit, exiccat, atque extenuat, ob id ad minuendam carnis multitudinem a (*d*) Cælio Aureliano probata, caput male afficit, sensus hebetat, oculos non parum offendit: quandoquidem (*e*) Aristoteles causam indagans, cur, qui equo vehuntur, quo longius equus decurrerit, eo magis emittere lacrymas solent, significat ideo illud evenire, vel quoniam motus calefaciens valde humores oculorum eliquat, & lacrymas inde ciet, vel quia sicuti venti adversi oculos perturbant, sic aer occursans tanto magis ferire potest, quanto equus velocius agitatur; lædit præterea hæc equitatio tam thoracem & pulmonem, quam viscera universa. Quod etiam renes maximo detrimento afficiantur, fidem facere possunt multi, quorum alii urinæ ardore, alii lapillis, alii ulceribus modo renum, modo vesicæ, modo peritonæi usque adeo ob hanc exercitationem sollicitati fuerunt, ut fere iis affectionibus mortem obierint: ne dicam quot luxationes, quot ossium fracturæ, quot membrorum distorsiones sæpenumero inde nascantur, dum brachia, dorsum, coxæ, & crura supra modum laborant. Videant igitur quos currentibus, atque mutatis equis itinera sua obire delectat, quot, iisque gravissimis periculis, nedum valetudinem, verum etiam salutem ipsam subjiciant, quomodoque non ingenuorum, aut sanitatem curantium ac vitam, sed potius perditorum hominum, athletarum, nihilque vitam, qua nobis carius, aut optatius nil reperitur, æstimantium opus exerceant. Hactenus de equitationis speciebus, quarum nullam ægrotantibus admodum conferre scripserunt (*f*) Antyllus, atque (*g*) Ætius; quasque nec iis, qui medicinam sumpserunt, ullo pacto conguere memoriæ tradidit (*h*) Soranus Ephesius, neque illis, qui renum morbis male afficiuntur, vel earum inflammatione laborant, convenire censuit (*i*) Galenus. Sunt qui in equo sedentes gestari delectentur, quæ exercitatio parum male valentibus usui esse mea sententia potest, nam, ut mollissime veharis, tamen lassitudo inguinum lumborumque, dura suspensio explicatioque percipitur, quando subpedaneis corpus sustentare perarduum est, ne dicam impossibile: accedit, & mala, ac dolorifica illa concussio, si quo modo incitatius feraris. Valentibus magis conferre eadem potest, corpus, animum, & stomachum firmando: sensus expurgando, acuendoque: sed pectus atque pedes debilitat.

a *Libro* 14. *Epigr.* 197. b *In libro de parvæ pilæ ludo*. c 2. *de diæta*. d *lib*. 5. *cap. ult*. e *Sect*. 5. *problem*. 13. f g *Locis cit*. h *In Isagog. c*. 23. i 6. *epid. com*. 3. *aph*.

CAP. IX.

De gestationum in universum viribus.

Antequam gestationum sermonem aggrediamur, illud prius adnotandum lectoribus volumus, nos minime ignorare, multos equitationem inter gestationis species reposuisse, inter quos fuit (*a*) Ætius Amidenus; sed nequaquam horum opinionem sequi voluisse; tum quia (*b*) Cornelius Celsus antiquus simul & celebris auctor, ubi gestationis species adnumeravit, ne verbum quidem de equitatione facere voluit, quasi alienam a gestatione judicaverit, id quod multos alios opinatos fuisse conjicitur ex (*c*) Antyllo; tum quia expresse Galenus gestationem & equitationem diversas esse declaravit in II. de tuend. valet. ubi alias exercitationes a nobis fieri tradidit: alias ab extrinseco, ut gestationes: alias mixtas esse, qualis equitatio est; tum quia, si gestatio, ut definiunt omnes auctores, mixta est ex motu & quiete, pluribus corporis partibus non moveri apparentibus, universo autem corpore a latione moto, hæc condicio ab equitatione longe abest, in qua scilicet manifestissime omnes fere corporis partes moveri conspiciuntur. sed ista parum referunt, quando etiam Antyllus atque Ætius separatim de equitatione ipsa verba fecerunt. Hanc, inquam, gestationem ab equitatione separatam, necnon a Græcis αἰώρα vocatam, multas quidem habuisse species, in superioribus declaravimus: at quæ omnibus universali gestationis nomine comprehensis facultates attribuuntur, prius explicabuntur, demum particulares effectus singulis adscriptos persequemur. sed prius id ignorari nolo, sæpenumero apud auctores reperiri gestationes, & exercitationes simul nominatas, quasi utræque inter se differant, quorum sententiæ de exercitationibus propriis, quæ vehementiores motus gestationibus existunt, non autem de communiter acceptis interpretandæ semper erunt. Est igitur gestatio secundum (*d*) Antylli, (*e*) Ætii, atque (*f*) Avicennæ sententiam, inter placidissimas, atque debiles exercitationes, & propterea non solum sanis & valetudinariis, verum etiam longis, ac inclinatis morbis, & denique iis, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, nec aliter eliduntur, accommodatæ sunt. In acutorum nonnullis, ut ab Aretæo in lethargicis, nephriticis probantur. quinimmo tradit (*g*) Celsus Asclepiadem etiam in recenti vehementique febre, præcipueque ad discutiendam eam gestationis usum comprobasse. quod profecto periculose efficitur, meliusque quiete ejusmodi impetus sustinetur. In sanis etenim, ac valetudinariis gestatio, cum nec lassitudinem corporibus ingeneret, immo ea fere magnis exercitationibus similiter moveat, potest calorem naturalem augere, materiæ multitudinem discutere, habitum corporis firmare, actiones stupidas excitare, segnitiem dissolvere. corporis turbationem sedare, iis, quos vigiliæ exercent, somnum conciliare, & contra etiam veternosis, ac dissolutis reditum ad se, vigiliasque parare: nam somnum conciliat, excrementa, quæ a capite ad stomachum delabuntur, per halitum digerendo, quæ nimirum partes sunt vigiliarum præcipuæ caussæ: sed vigilias postea inducit corporis tenorem ad se revocando, & corroborando: &, quamquam Seneca epist. LV. videatur gestationem facere magis laboriosam, quam ambulationem; ejus tamen

a *Lib*. 3. *c*. 6. b *Lib*. 2. *c*. 15. c *Oribasius lib*. 6. *cap*. 25. d e f *Locis citatis*. g *Loco citato*.

oratio interpretanda est de eo solo, qui valetudine offensus ab omnibus fere turbatur. In quibus morbis de gestatione periculum facere placebit, sic experiundum esse consuluit Celsus: *si lingua non erit aspera, si nullus tumor, nulla durities, nullus dolor visceribus, aut capiti, aut præcordiis fuberit, & ex toto numquam gestari corpus dolens voluit, sive id in toto, sive in parte est, nisi tamen solis nervis dolentibus; neque umquam in increscente febre, sed in remissione ejus*. Nihilominus, citra multas observationes, ab auctoribus probatas esse in variis affectionibus gestationes reperitur. Cælius Aurelianus in libris, quos de morbis diuturnis inscripsit, eas in incubone, (quo morbo plurimos Romæ quasi ex contagione quadam aliquando periisse, refert Silimachus Hippocratis sectator) commendavit, similiter & in vocis amputatione, in hæmoptoicis, in quibus eandem damnavit Asclepiades, in asthmate, in stomachicis, in elephantiasi, in colicis, in arthridite. Theodorus Priscianus quoque, & ante ipsum Aretæus gestationes adhibendas voluit in melancholia, in atrophia, in spleneticis, necnon in stomachi doloribus. Iisdem exercitationibus in illis, qui valde exiccati sunt, atque refectione opus habent, (*a*) Galenum usum, aliquando legitur. Quin & ipsemet (*b*) Celsus pro sacro igne curando gestationem laudavit, ut non semper conditiones ab ipso demonstratas observatu necessarias fore hisce auctoritatibus convincere valeamus. Non est tamen ignorandum, magnopere referre, quonam in loco quis gestationibus utatur: quod (*c*) Aretæus cæliacorum exercitationes demonstrans, eam ceteris prætulit, quæ inter *lauros, myrtos, atque thymum efficitur*.

Cap. X.

De gestationum in Vehiculo, Lectica, atque Sella particularibus viribus.

Explicatis iis, quæ ab auctoribus de gestationum facultatibus in universum tradita fuerunt, jam ad particulares descendere opportunum est, si prius illud in memoriam revocaverimus, scriptores scilicet medicinæ, quando sine additione gestationis usum in sanis atque valetudinariis nominant, de qualibet ejus specie intelligere: quoniam nulla fere invenitur, quæ ipsis utiliter accommodari non possit: quando vero in ægrotis loquuntur, interdum omnes, sed in remissionibus morborum, interdum placidiores significare. Vehiculorum multa fuere apud majores nostros genera, quorum luxuria usque adeo interdum Romæ crevit, ut, referente (*d*) Plinio, aurea ac argentea facere non sint veriti. sed hoc præter institutum nostrum est. Nam, quæ pro sanis, aut ægris in usu habita sunt a medicis vehicula, alia ab animalibus, mulis scilicet, aut equis agebantur, alia ab hominibus, & utraque vel tardiuscule, vel celeriter. Gestationem vehiculo factam quamvis ceteris acriorem esse dixerit (*e*) Celsus, nihilominus, secundum (*f*) Galeni sententiam, inter debiles exercitationes recenseri meretur: quo fit, ut sanis, nisi aliter exerceri impediantur, minime omnium conveniat. Valetudinariis atque senibus magis, quemadmodum Antiochum sese exercuisse, & (*g*) Cæcilium Plinium accepimus: maxime vero ægrotantibus, de quibus sermonem faciens Antyllus dixit, *gestationem in vehiculo factam vim quandam amoliendi, commovendique morbos stabiles, & permanentes habere*. Quapropter Seneca Epist. LV. *ad bilem faucibus infixam discutiendam, & ad spiritus densitatem extenuandam* sibi mirifice profuisse scribit, qui, quod anhelandi difficultate, sive suspirio, ut ipse vocat, non raro usque ad expirationis periculum exerceretur, hujuscemodi exercitatione adversus morbum utebatur. Hæc, inquam, exercitatio duplex ab (*a*) Ætio traditur, altera mitior, altera vehementior: de mitiori scriptum reliquit, ea in capitis affectionibus, & his, quibus intestina fluxione laborent, utendum esse: unde sapienter (*b*) Cælius Aurelianus judicavit, *capitis dolore vexatos per longam viam gestari debere*, ne frequenti versione ægrotanti vertigo induceretur, velut etiam non sine ratione in furore, atque paralysi curandis vehiculi manibus acti gestationem adhibendam esse voluit, quamquam eandem postea in epilepsiæ curatione improbaverit, quod motus rotarum vertiginem caliginemque faciat ægrotanti, quæ passionis imaginem ferat: licet enim (*c*) Galenus, Trallianus, & Ætius in vertiginosis, epilepticis, gravi ophthalmia, aut aurium dolore, surditateve captis, necnon in hemicranicis similem exercitationem prorsus aversari non videantur: attamen Ætius sic affectos leniter moveri, & aversos ab itinere retrorsum desidere in curru mandavit: multos subjungens se novisse hoc modo curatos, qui nullo alio auxilio indiguerunt. Ætium deinde secutus (*d*) Avicenna addidit, hujuscemodi vectationem retroversa facie peractam visus debilitati, ejusque obfuscationi magnum juvamentum conferre. Hanc mitiorem in alvo fluente commendavit Celsus: quam valetudinariis quoque & senibus (*e*) Ausonium Gallum poetam, & Ausonii medici a Marcello citati filium probasse puto, quando is amico cuidam seni, & a morbo resurgenti scribens, monet *cisio, & veredo*, quæ erant vehiculorum genera, *tarde vehatur, rhedas, petorita, & equorum veloces motus fugiat*, his versibus.

Pelle soporiferi senium, nubemque veterni:
Atque alacri mediam carpe vigore viam,
Sed Cisium, aut pigrum cautus conscende veredum,
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.
Canterii moneo male nota petorita vites,
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.

Porro vehiculi gestationem vehementiorem tanquam calefaciente, attenuanteque vi præditam in supprimenda carnis multitudine a (*f*) Cælio commendatam invenio: quam item ab ipso pro atrophiæ curatione, & ab (*g*) Ætio in affectionibus pectoris, & stomachi, in tumoribus laxis, in hydropicis, ac stupore attonito perculsis veluti optimum præsidium usurpatum fuisse, constat. In lectica gestatio facta, ut prædicta aliquanto remissior atque blandior existit, sic quoque plures usus apud medicos in exercendis ægris habuisse legitur: quod enim in sanis quandoque eam adhibitam reperiamus, id factum credo: non ut simili exercitatione ulla valetudini accederet utilitas, sed potius, quia a senectute, sive alia causa (veluti (*h*) Alexander ob cruris vulnus in militari expeditione lectica usus traditur) cogebantur, vel ut a pulvere, sole, ventorum flatibus, pluvia, grandine, ac hyemis rigoribus defenderentur: quocir-

a 7. *Method.* b *Lib.* 5. *c.* 28. c *Lib.* 2. *cur. chron. cap.* 7. d *Libro* 33. *cap.* 11. e *Lib.* 2. *cap.* 15. f 2. *de tuend. valet. cap.* 11. 5. *de tuend. valet.* g *Lib.* 7. *Epist.* 21.

a *Lib.* 3. *c.* 6. b *Lib.* 1. *cap.* 2. c 5. *de tuend. valet. c.* 3. d *Loco citato.* e *Epistola* 14. *ad Paulum.* f *Lib.* 4. *cap. ult.* g *Loco. cit.* h *Q. Curtius. l.* 7. *cap.* 6.

A ca, nisi aliqua ex prædictis caussis homines sani urgeantur, ut a lectica abstineant, consulo: quoniam, præter agitationem illam, quæ plurimorum capita vexare consuevit, generat & in corporibus quendam torporem, dum omnia fere membra a motu feriantur, ut mox difficile reddatur, ea majoribus, ac utilioribus exercitationibus assuefacere: verum enim vero hac particulari commoditate non mihi videtur privanda lecticæ gestatio, quod sani viri ea possunt uti post cibos, non ad exercenda corpora, sed ad obeunda negotia necessaria, citra motus damnum, aut solatii, & exhilarandi animi gratia: quemadmodum factitasse Augustum, B quando *a cena se in lecticulam lucubratoriam recipiebat*, auctor est Suetonius. Quantum autem ad exercitanda languentium corpora spectat, duplex fuit illius apud medicos gymnastas usus, aut gestatis sedentibus, aut decumbentibus. Decumbentes in lectica gestantur, ut (*a*) Antyllus, Ætius, & Avicenna memoriæ mandaverunt, qui lethargica febri, aut semitertiana, aut quotidiana, ac phlegmatica vexantur, hydropici, secundum (*b*) Tralliani sententiam, apoplectici, resoluti, nephritici, ac podagrici: siquidem hæc commotio per lecticam habita (ut ait Arabum medicorum C princeps) materiam expulsioni aptam efficit: prodest subinde talis gestatio iis, qui diuturna imbecillitate laborant, qui elleborum sumpserunt: itemque vigilantibus, aut segnitie & pigritia quadam oppressis, necnon iis, quibus caninum in modum appetitus intentus est, nimirum cum intentio illa sedetur. Ceterum sedentes in lectica, secundum Ætium, portari debent, qui in integra febrium declinatione consistunt: eadem ratione & illi, qui alias exercitationes obire nequeunt, qui diuturno aliquo, & levi morbo impliciti sunt, qui, cum adhuc imbecilles sint, vires reficere cupiunt, qui tarde alimentum conficiunt. Ex quo pruden- D ter satis (*c*) Cornelius Celsus, *ubi phthisici navigare nequeunt, lectica eorum corpora dimovenda* consuluit: quemadmodum (*d*) Alexander Trallianus, si quid aliud hujuscemodi gestationes, & navi, & lectica factas, hydropicos juvare scripsit. In sella, quam *scamnum* vocare maluit eloquentissimus (*e*) Celsus, gestatio facta, tametsi apud auctores sæpenumero cum lectica confusa, atque eadem inveniatur, nihilominus in duobus ab illa diversam extitisse puto: primo, quia lectica duorum hominum capax erat, sicuti innuit Suetonius, ubi Neronem cum matre in lectica quandoque vehi solitum scribit, quod minime de sella (ni fallor) le- E gitur: secundo, quia lectica interdum sex servis, interdum octo, interdum pluribus gestabatur: sellam autem tamquam breviorem, & unius duntaxat capacem a paucioribus gestatam, verisimile videtur. Neque enim ullam inter se majorem differentiam temporibus nostris sella cooperta, & lectica obtinuerunt, quam quod altera a duobus servis ut plurimum gestatur, uniusque duntaxat capax est, altera a jumentis portatur, & duos continere valet. In sella sani gestabantur, deliciarum potius & majestatis ostentandæ, quam valetudinis gratia: quamquam Plinium ea Romæ vectum, ut etiam inter eundum studiis vacaret, ipsius (*f*) Ne- F pos tradit. (*g*) Celsus hanc sellarem, & simul lecticarem gestationem *navigatione in portu, vel fluminibus acta vehementiorem facit*. Porro fiebat hujuscemodi gestatio, tum in sella cooperta, tum in aperta, tum sedendo, tum jacendo. Ægrotantes sine febre in sella detecta potius, quam tecta gestari debere, censuit (*a*) Antyllus. In alia utiliter portantur jacentes febricitantes, atque ex iis lethargici potius, & quos cataphora urget: quod si aliqui simplici permanenti, & diuturna febre jactentur, modo vires ferant, gestari plurimum debent, ut (*b*) Cælius phthisicis consuluit, quandoquidem gestatio, minus movens corpora, quandoque febrem magis excitat. Ergo in febricitantibus, qui ad integritatem perveniunt, vel quorum longa admodum remissio est, vel qui febribus tenentur longis, etiamsi non magna intervalla habeant, convenit hæc gestatio, quam similiter in multis aliis affectibus, nempe in dolore capitis, in epilepsia, si ferri queat, in mania, in paralysi a Cælio Aureliano commendari, ex ejus de chronicis passionibus inscriptis libris clare habetur: ut etiam nos tuto, ubi res postulat, similibus gestationibus ægrotantes exercere valeamus, dum tamen maturo morbo, atque jam inclinante illud agatur: alioqui, si, adhuc sæviente, aut incipiente affectione, gestatio administretur, accidentia acerbiora & periculosiora consequuntur, quoniam motus, ut dissipare utiliter concoctos humores, ac excrementorum reliquias potest, sic calorem augere, spiritusque & humores nondum quietos & repurgatos exagitare natus est: ex quo summum studium adhibendum est, ne crescentibus crudisve morbis, præsertim calidis gestatio, aut alia quævis exercitatio administretur, sed in naturis solummodo frigidis, atque illis, qui manifeste inclinare animadvertuntur.

a *locis citatis*. b *Lib. 9. cap. 3.* c *Lib. 3. c. 22.* d *Libro 9.* e *Libro 2. cap. 15.* f *Libro 3. Epist. 5.* g *Loco citato*.

CAP. XI.

De Lecti pensilis, Cunarum, ac Navis gestationum facultatibus.

QUi primus lectulos pensiles excogitavit Asclepiades, duabus rationibus (ut refert Plinius) illud effecisse visus est; tum ut blando eorum jactatu somnos alliceret, tum etiam, ut morbos extenuaret: quibus rationibus adducti posteriores in curandis ægris eorum usum frequentiorem reddiderunt; quanquam gravis auctor (*c*) Cornelius Celsus exercitationem hanc tantummodo administrandam aliquando judicavit, *ubi neque navis, neque lecticæ, neque sellæ copia datur*: licet postea in apoplexia cum æger resurgit, ipsum lecti motu concutiendum præcepisse inveniatur. Verum enim vero Antyllus, Ætius, atque Cælius, etiamsi nil aliud deficiat, pro multis affectionibus debellandis, lectis pensilibus infirmos exerceri voluerunt, quinimmo, quod paucis conceditur, hanc gestationem tam ante cibum, quam a cibo prodesse dixit Antyllus. nam primo febricitantes, aut diuturno morbo decumbentes, in quo corpora consumpta sese erigere non ita valent, aut (*d*) elleborum sumentes a tali gestatione utilitatem recipere judicatum est: deinde in his, qui vires a febrili affectione recolligere incipiunt, necnon in lethargicis, & in appetentia ciborum dejecta eandem prodesse experimentis inventum fuit: neque defuerunt, qui ipsam in furiosis, ac phthisicis laudaverint. Quemadmodum, & (*e*) Ætius, & (*f*) Theodorus Priscianus phreniticis adhibendam censuerunt, quo blanda illa agitatione spirituum perturbatio leniretur, & somnus alliceretur. Ex genere pensilis lecti scympodium quoque esse, monstravimus: & iccirco ubi a Cælio, atque aliis gestationes in pensili lecto probatas viderimus,

a *Oribas. lib. 6. collect. cap. 23.* b *Libro 2. chron. c. ult.* c *lib. 2. cap. 15.* d *Ætius lib. 3. cap. 6.* e *loco citato*. f *libro 2. ad Timo. c. 2.*

idem

idem & de hac intelligere poterimus. Lectulo penſili non diſſimilem aliam lecto factam geſtationis ſpeciem invenio, quam primus (quod ego ſciam) inter medicos (*a*) Celſus monſtravit, ubi deficientibus cæteris geſtationi dedicatis inſtrumentis, voluit *uni pedi lecti funiculum eſſe ſubjiciendum, atque ita lectum huc & illuc manu impellendum:* id quod etiam (*b*) Amydenum Ætium ſignificare voluiſſe arbitror, quando ſcripſit, *duas eſſe lecti geſtationes, aut penſilis, aut fulcra mobilia juxta angulares pedes habentis*. Hoc equidem illud exercitationis genus exiſtimo, quod ab (*c*) Avicenna ſub cunarum revolutione deſcriptum fuit, atque idem nomen uſque ad tempora noſtra retinuit: etſi enim ab ipſo inter debiles exercitationes recenſeatur, demulcendiſque pueris potius ex (*d*) Galeni ſententia, non ſanis, aut infirmis exercitandis aptum videatur: nihilominus iis convenire creditur, quos febres debilitarunt, ſicut etiam illi qui necdum ſe movere, neque ſedere valent, quique ab hellebori potione valde proſtrati fuerunt, aut ſecundum Celſum alicujus membri reſolutionem patiuntur: quin, ſi talis geſtatio ſuaviter adminiſtretur, præter ſomni jucunditatem, quam affert, flatus quoque diſſolvit, reliquiis morborum capitis, veluti ſtupori, & oblivioni prorſus extinguendis, conducit, appetitum movet, & naturam ſopitam exuſcitat. Avicenna Fen. IV. tract. II. cap. XIII. ad compeſcendum nimium ſudorem præcipit, ut ægri ponantur ſuper illud inſtrumentum, quo pueri, vel juvenes ſolent in aere concuti, atque ita in aere frigido concuti, quod quidem puto eſſe genus illud inſtrumenti, cujus facta eſt mentio ſupra lib. III. ſub Oſcellarum nomine. Inter geſtationum ſpecies ultimo loco poſuerunt fere omnes navigationem, quam ceterarum omnium leviſſimam fecit (*e*) Cornelius Celſus, ſed & hujus quamplurima inveniuntur diſcrimina: ſiquidem non parum intereſt, *an quis in ſtagno, an in flumine, an in mari nave geratur*: & in mari, *an in portu, an in litore, an in alto, an turbato, an tranquillo*. Navigatio facta in ſtagnis, lacubus, aut paludibus cæteris in ſalubritate poſtponitur: quoniam ut plurimum ex aquis ſtagnantibus, niſi ſint maris alicujus inſtar, putridi vapores elevantur, qui aerem inficientes navigationem magis ſuſpectam reddunt: ut non immerito ſcriptum ſit ab (*f*) Ariſtotele *paluſtria loca incolentes ſubpallidos, ac ſomnolentiores evadere:* minus noxia exiſtit in fluminibus navigatio, nempe quæ auctore (*g*) Plutarcho timoribus carens nauſeam ullo pacto non commoveat: verumtamen tam hæc, quam illa, quæ exercetur in ſtagnis, in capite male affecto incongruæ a (*h*) Cælio Aureliano judicantur, quod humectantes caput terrena exhalatione infrigidant. Duabus prædictis maritima navigatio valde præſtantior creditur, quoniam mari ſemper vapores ſicci & calidi educuntur, qui latenter, ac ſenſim navigantium corpora recludunt, necnon ſalſæ proprietatis cauſſa excrementa abſumunt, atque hominum habitus quadam facili mutatione reficiunt, & iccirco hujuſcemodi exercitatio in cunctis fere morbis humidis ac frigidis a medicis probatur, & privatim a Celſo in tuſſi omni, a Cælio ac Aretæo in dolore capitis, in epilepſia, ſi ferri queat, in ſanguinis ſputo, in phthiſi, icteritia, in hydropiſi a (*i*) Tralliano in frigida ventriculi intemperie commendatur. In phthiſi namque præſtantiſſimum remedium navigationem ſemper a majoribus habitam fuiſſe, teſtatus fuit (*k*) Plinius, qui hac ratione phthiſicos Ægyptum petere conſueviſſe refert, quo cum Annæus Gallio poſt conſulatum jam fere phthiſicus, & Zoſimus (*a*) Plinii nepotis libertus, ſanguinis rejectatione laborans, profecti eſſent, ad ſanitatem reſtituti fuerunt: quanquam barbarus ille auctor Plinii Secundi nomine falſo inſcriptus in I. de re medica libro dicat *phthiſicis magis conferre in ſaltibus, ubi pix naſcitur, habitare, quam in mari navigare*. Porro ex maritimis navigationibus leniſſimam dixit Celſus eam, quæ in portu efficitur, quam tamen in capitis affectionibus una cum fluviali & ſtagnali improbavit Aurelianus. Quæ vero in littoribus exercetur navigatio jucundiſſima habetur, de qua celebratum hoc proverbium narrat (*b*) Plutarchus: *πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δὲ ὁ παρὰ θάλατταν ἥδιστος:* id eſt, *navigatio juxta terram, ambulatio vero juxta mare jucundiſſima*: hæc ex communi Avicennæ atque Ætii ſententia præcipue prodeſt hydropiſi, elephantiaſi, apoplexiæ, ſtomachi frigiditatibus ac inflationibus: atrophiæ quoque ſecundum Cælium non parvum auxilium præſtat: quamvis enim a principio ſtomachum ſubvertat, paullo poſt tamen aſſuefaciens illum ſedat, quinimmo, ut dicebat (*c*) Plinius, *vomitiones illæ in ſtabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum, pectoris, & denique omnibus, propter quæ bibitur elleborum, medentur*. Verum geſtatio in alto mari peracta reliquarum vehementiſſima exiſtit, & mutationes plurimas, atque maximas facit, nimirum, cum animus mixtos affectus habeat, & triſtitia, & ſpe, timore, atque periculo: modo gaudentibus & lætis, modo in anguſtiis & periculis verſantibus navigantibus, quæ ſimul omnia magnam vim habent, ut quoque (*d*) Plutarchus cognovit, ingentes vomitus concitandi, ac conſequenter omnem veterem morbum profligandi: & proinde jure dixit Avicenna navigationem hanc ad extinguendas prædictas ægritudines efficaciorem eſſe: quin & mixtio illa motus & quietis, qua prædita eſt, ſi quid aliud, probe corpus nutrire idonea eſt. Quæ tranquillo mari peragitur in navi geſtatio non admodum (dicebat (*e*) Antyllus) magnam turbationem, neque concuſſionem affert: ex quo fit, ut ferme accommodata ſit iis, quibus etiam geſtatio in curribus convenit: niſi quod hoc magis habet, quod in purgato aere, ubi non humidi vapores, ſed ſicci, & acres ſint, efficitur. Cæterum quæ turbato mari obitur, magis animum & corpus exagitat, magiſque vomitum ciet, & iccirco quantum fieri poteſt, in omnibus fugienda eſt, cum motus acutiſſimos, dum navis a vento impellitur, vehementiſſimos, & neutiquam ceſſantes, ſicque corpori intenſiſſimos habeat. Non ſilendum, in nephriticis navigationem, omnemque maritimam vitam ab Aretæo ſub his verbis commendari: *καὶ πλοῦς, καὶ ἡ ἐν θαλάσσῃ βιοτή, ἅπαντα τοῖσι ἐπὶ νεφρῶν ἐστὶν ἄκεα:* id eſt, *Et navigatio, & vita in mari facta, omnia ſunt nephriticis remedia*.

CAP. XII.

De Natationis, & Piſcationis effectibus.

NAtationem inter exercitationes apud medicorum gymnaſtas extitiſſe, maximeque omnium ab antiquis in exiſtimatione habitam fuiſſe, *quod homines e periculis maximis*, (ut dixit Plato in Gorgia) *liberaret, eoſque ad audendum fortiores, & animoſiores redderet*, (*f*) jam ſatis monſtravimus: ideo vires ejus perquirere ſolum

a *Loco citato*. b *loco citato*. c *lib.* I. *fen.* 3. *doct.* 2. *c.* 2. d I. *de tuend. valet. cap.* 8. e *loco citato*. f 14. *partic. problem.* II. & 12. g *In probl. naturalib.* h *Lib.* I. *cap.* I. i *Lib.* 7. *cap.* 3. k *Lib.* 31. *c.* 6.

a *Lib.* 5. *Epiſt.* 19. b I. *Sympoſ.* c *Lib.* 31. *cap.* 6. d *Lib. de quæſt. naturalib.* e *Oribaſius lib.* 6. *cap.* 23. f *Lib.* 3. *cap.* 14.

restat. Nam varias hanc quoq; differentias habuisse A reperio: siquidem *aut natatio fiebat in aquis sponte nascentibus*, aut in aliis: & si in aliis, *vel in dulcibus, vel in maritimis*: si in dulcibus, *aut fluviis, aut lacubus, aut stagnis: atque hæ omnes vel in calidis, vel in frigidis*. Natationem in aquis sponte nascentibus, quas omnes calidas esse, & (*a*) Aristotelis auctoritas & ratio, & experientia demonstrant, peractam improbavit Antyllus, tanquam impleat, eam tamen in paralyticis curandis adjumentum præstare, credidit Cælius Aurelianus, ita scilicet administratam, ut patientibus partibus inflatæ vesicæ adjungantur, quo natandi laborem B minuant. Quæ porro in dulcibus aquis efficitur natatio, ad omnia est maritima male affectis inefficacior: quamobrem vitanda plerumque est: quia, si in ea quis diutius immoretur, ei nervi, cum propter frigus, tum propter humiditatem læduntur: ex factis tamen in dulcibus aquis natationibus fluviales minores sanis corporibus noxas inferunt, potissimumque ad inducendum somnum ab (*b*) Horatio Flacco commendantur, ubi scribit:

——— ter uncti
Trans nanto Tyberim, somno quibus est opus alto.

C perniciosissimæ vero sunt, quæ in paludibus & stagnis obeuntur: quoniam vapores putridi una cum humiditate corporis meatus illabentes, non solum caput, verum etiam universum corpus contaminant. Lacustres medio quodam pacto se habent: quæ tanto minus insalubres erunt, quanto lacus, ubi efficiuntur, vastiores & puriores apparebunt. Maritima natatio ab Aretæo in dolore capitis antiquato usurpatur. Ab Ætio ex Galeni mente in narium obturatione, & odoratus læsione, si assidue fiat, probatur. A Celso vero, & ab Antyllo hydropicis, scabiosis, & quos exanthemata infestant, itemque elephantiasim patientibus, & quorum cru- D ra, aut aliquæ aliæ corporis partes defluxione tentantur, accommodata reputatur: facit quoque ad eos, qui ex alimento fructum non sentiunt: & ideo non immerito Cælius Aurelianus natationes maritimas in paralyticis, ut etiam Celsus stomachicis, jecorosis, lienosis, cachecticis ex usu esse scriptum reliquit: verumtamen non possum non summa admiratione teneri, quomodo is auctor natationes sub dio factas in capitis dolore, atque etiam in epilepsia laudaverit: cum Antyllus non solum marinam natationem, sed qualemcunque aliam capiti nocere tradiderit: quod similiter ipsa ratio persuadere videtur, demonstrans, tum situm E ipsum natantium, tum continuas ex aquis emanantes exhalationes caput replere, ac male afficere. Illud hoc in loco silendum non esse duco, quod magnus philosophus (*c*) Aristoteles in problematibus scriptum reliquit, videlicet, *in mari facilius, quam in fluviis natari: propterea quod qui natat, sedulo aquæ adnitendo natat; adniti autem ad id firmius possumus, quod corpulentius est: unde cum aqua marina fluviali sit corpulentior, crassior, & ad renitendum validior, magis natantes adnitentes sibi sustinet*: idem XXIII. problemat. scribit *natatione in mari magis corpora evacuari, quam curru*, F quod an intelligendum sit de evacuatione per alvum, ut interpretatur Gaza, an potius de totius corporis dissipatione, non satis sum certus, cum aquam salsam alvum restringere clare adversus vulgarem opinionem afferat Hippocrates lib. de aere, aquis & locis, quod si facit intus accepta, multo magis facere debet ejus vapor extrinsecus illatus in corpus. Est præterea de quacunque natatione animadvertendum, paucos diuturnos morbos reperiri, in quibus ulla perfecte apta sit, & ob id perraro, ac solum æstate adhibenda erit natatio, quando gracilem reddere, per halitum evocare, firmare, calefacere, attenuare, hominemque tandem injuriæ minus obnoxium facere potest. A (*a*) Plinio scriptum est *luxata hominum corpora, & quadrupedum natando in cujuslibet generis aqua facillime in artus redire*. Natatio calida emollire indurata, calefacere refrigerata credita est, & ob id a Cælio Aureliano in curandis arthriticis commendata, ab Ætio ex mente Galeni in iis, qui cutem corporis densatam habent: at ab ea caput offendi, vires quodam pacto enervari, nemo negaret: quam alio etiam non carere vitio dixit Cælius, videlicet humores fundere, nec ipsos resolvere. Frigida quod intus calorem nativum repellens ipsum validiorem efficiat, ciborum optimam & citam concoctionem præstat: exuberantes humores dissipat, & intus refrigeratas partes calefacit: unde jure etiam ipsam in arthriticis laudavit Aurelianus, ea ratione motus, qua Hippocrates frigidam tetano affectis large affusam remedium esse dixit, sicut & Celsus pro regio morbo laborantibus in æstate, & Herodotus apud Ætium ad evitandum æstum frigidam natationem commendavit: experientia tamen constat, si quis ea frequenter utatur nervos lædi, & interdum surditatem contrahi, quod Agathinus apud (*b*) Oribasium confessus est. Atque hæc omnia a nobis dicta accipiantur de illis natationibus, quæ ad gymnasticam quidem medicam pertinebant, sed minime semper in gymnasiis exercebantur: illæ vero, quas in gymnasiis ipsis fieri consuevisse in III. libro probavimus, sive in piscinis, sive in amplissimis labris agerentur, duos præcipuos fines secundum opinionem nostram habuerunt, alterum ut motu illo blando, quo natantes agitantur, aqua magis corpora permearet, sicque membra copiosius humectarentur: alterum ut majore voluptate in movendo sese fruerentur: quandoquidem aqua mota, & præsertim balneorum suavi illa attrectatione singularem quandam delectationem affert. De piscatoria exercitatione, quam diximus ex (*c*) Platonis sententia *nec animo, nec corpori prodesse*, & proinde ab illo optari, *ne juvenes huic incumbant*, pauca verba faciam, tum quia fere sub navigationem reducitur, ut eadem repetere non sit opus: tum quia a medicis prope nullis eam in usu habitam esse constat: nisi quod (*d*) Avicenna inter debiles exercitationes adnumeravit, quando quis in navicula piscatoria moveatur, & ob hoc piscationem nullam calorem nativum augere credendum est, cum & (*e*) Aristoteles scripserit, *piscatores marinos, ideo rufo colore existere, quoniam intus frigent, extra vero quasi aduruntur*: habent enim qui in mari piscantur hanc præcipuam commoditatem, quod eorum corpora valde exiccantur, & propterea minime omnium corruptionibus subjiciuntur: quin si putredo aliqua intus lateat, protinus exugitur, consumiturque; ut magna cum ratione scripserit (*f*) Galenus *piscatorum habitus duros, ac siccos esse, eorumque ulcera perinde exiccata continuo apparere, ac si salita forent*. Quod vero scripsit (*g*) Suetonius *Augustum interdum hamo piscari consuevisse*, id potius animi laxandi causa, quam valetudinis gratia ab eo agebatur.

a 24. *partic. Prob.* b *Lib. 2. serm. Satyr. 1.* c 23. *partic. prob.* 13.

a *Lib. 31. cap. 6.* b *Lib. 6. med. coll. cap. 27.* c 7. *de legib. & in sophista.* d *Lib. 1. fen. 3. doct. 2. c. 2.* e *Sect. 38. prob. 2.* f 1. *de simp. med. &* 5. *de comp. med. s. l.* g *In vita August. cap. 83.*

CAP. XIII.

De Venationis conditionibus.

VEnationis exercitationem comparans ludo parvæ pilæ (*a*) Galenus illud ſolum inter ipſas diſcrimen poſuiſſe videtur, quod alter modico apparatu indigeret, & ob id cuivis exercitatu facilis eſſet: altera vero pluribus inſtrumentis opus haberet, neque ab omnibus ſed ab ingenuis dumtaxat atque divitibus exerceri poſſet: hoc autem licet Galeni forſan tempeſtate, atque etiam in aliqua venationis ſpecie temporibus noſtris verum foret, nihilominus in majore ejus parte ſecus rem ſeſe habere compertum eſt, quando ſæpenumero uno, vel duobus canibus, aut paullo pluribus inſtrumentis ruſticos atque pauperes venandi exercitationem frequentare conſpicimus: ut hac ratione ipſa minores laudes pilæ ludo non mereatur, neque paucioribus verbis ejus facultates a nobis explicari debeant. Cum enim (*b*) Galenus venationem inter ea, quæ ipſe exercitationes & opera nuncupavit, recenſuerit: cumque illius perſpecta natura manifeſte monſtret, non abſque vehementia, magnitudine, atque celeritate ipſam effici, nimirum in qua multæ aliæ exercitationes, curſus videlicet, ambulationes, ſaltus, jaculatio, vociferatio, & aliæ neceſſario requirantur, rationi conſequens eſt eam his facultatibus præditam eſſe, quod corpora vehementer calefaciat, excrementa diſſipet, carnes & ſuccos exuberantes minuat, ſomnos profundos generet, & proinde concoquendis cibis, crudiſve humoribus magnopere conferat: quodque ait Xenophon, *auditum ac viſum acuat, ſimulque ſenectutem retardet*: ob quas egregias facultates illud eſſe verum exiſtimare debemus, quod (*c*) Razes Arabs auctor graviſſimus ex (*d*) Galeni ſententia memoriæ mandavit, videlicet *in quadam peſte contigiſſe, ut omnes fere perierint, & ſoli venatores ob aſſiduam exercitationem incolumes evaſerint*. Cæterum quod vehementibus exercitationibus a medicis attributum reperitur, neque venandi labor carere videtur, ut ſcilicet caput offendendi vi polleat, maxime ſi importune efficiatur, quemadmodum in IV. de acutorum victu apud illum auctorem legitur. Quantum vero ad particularium venationis ſpecierum qualitates attinet, de duabus ſolum verba faciam, tamquam in his ſolis tota venandi ad ſanitatem, aut ægritudinem pertinens facultas conſiſtat: illæ ſunt, *equeſtris*, ac *pedeſtris*: nam ſciunt omnes, quamlibet venationem, ſive canibus, ſive retibus, ſive avibus, ſive arcubus, ſive aliis inſtrumentis exerceatur, ab hominibus agi, qui aut pedibus propriis eant, aut equis inſideant. Equeſtrem igitur (ita liceat mihi appellare) venationem exercentes, cum modo currentibus equis, modo gradientibus agantur, modo vociferare, modo quieſcere cogantur, omnibus partibus laborare videntur, & iccirco multi hac exercitatione crediderunt corroborari pectus, ſtomachum, inteſtina, dorſum, atque crura: ego vero eam evitare illis præcipio, quibus caput faciliter offenditur: quibus fractionis venarum in pectore periculum imminet, quibus lapilli in renibus aggregantur, quibus peritonæum debile, aut ulla herniæ ſuſpicio eſt, quibus tandem univerſus corporis habitus calorem pluſquam mediocrem obtinuit; ſiquidem multos videre licet venatores, quos partim ob clamores, partim ob motus violentiam ſimiles morbi occuparunt, & quandoque ad interitum deduxerunt: qua de re prudenter (*a*) Martialis Priſco, ne veredo (erat is equus velociter currens) in venatu uteretur, conſuluit hiſce verſibus:

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,
Priſce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe ſatisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excuſſus, nec rediturus equo.
Inſidias & campus habet, nec foſſa, nec agger,
Nec ſint ſaxa licet, fallere plana ſolent.
Non deerunt, qui tanta tibi ſpectacula præſtent:
Invidia fati ſed leviore cadant.
Si te delectant animoſa pericula, Tuſcis,
(Tutior eſt virtus) inſidiemur apris.
Quid te frena juvant temeraria? ſæpius illis,
Priſce, datum eſt equitem rumpere, quam leporem.

Porro venatio pedeſtris eadem fere commoda & incommoda in equeſtri reperta continet, niſi quod dum curſibus, ac ſaltibus feras inſectatur venator, per montes, per valles, per devia, per ſilvas, per ſaltus, minori certe periculo, quam in equeſtri, ſubjicitur: at majori labore afficitur, magis incaleſcit, magis pedes, & crura corroborat: præter hæc libidinis ſtimulos coercet, quando (*b*) Hippolytum ſtudio virginitatis hoc venationis genus exercuiſſe ferunt. Excitat quoque venatio appetitum, ſicut coquus ille Dionyſio dapes averſanti reſpondit, ipſi defuiſſe laborem venatu, qui appetitum generaſſet. Neutra tamen, quod vehementior exiſtat, ſenibus, aut debilibus accommodata invenitur, ſed illis tantum, qui robuſtas omnes corporis partes ſortiti ſint, quique optime valeant: ut non abſque judicio ſummo (*c*) Cornelius Celſus dixerit, *ſanum hominem, & benevalentem modo navigare, modo venari debere*: quod ſi (*d*) Plinius nepos ſanitatem ſuam venationi, quam ruri in Tuſcis obibat, aliquando acceptam retuliſſe videtur, judicandum eſt, aut illa moderatiſſime uſum fuiſſe, aut potius corpore robuſto, ac ſano ita valuiſſe, ut nullo pacto a tanti laboris vehementia læderetur. Erit itaque omnibus hanc exercitationem inire cupientibus duo neceſſarium diligenter conſiderare, primum an corporis robore polleant, inculpataque ſanitate fruantur: ſecus, ne graviſſima pericula ſuſtineant, jure dubitandum videtur: ſecundum, numquid modeſtia quadam & jucunditate, aut potius citra delectum ullum, & caſu quodam, ut plerumque fit, venationi operam navent. Quicumque enim ſuarum virium, aeris, temporis, quantitatis, loci, & modi rationem aliquam habere volunt, multa profecto eorum malorum vitare poſſunt, quibus ceteri, caſu ſeſe exercentes, ſubjiciuntur: eo magis, quod venatio illud præcipuum in ſe habet, quod nulla alia exercitatio in eum modum obtinuiſſe apparet, ut ſcilicet totum fere diem non raro ſibi requirat: unde aut venatores inter exercendum cibum capere, & a cibo magno labores aggredi coguntur, quo valetudini nihil pernicioſius eſſe poteſt; aut tota die jejunant, quod tametſi fortaſſe minus offendat, neque tamen ipſum noxa penitus caret, quando præter conſuetudinem illud efficitur, necnon poſtea uſque adeo præ fame exaturantur, ut ventriculum in concoquendo mirum in modum fatigent, ſicque & cruditatis, & alia innumera mala ſubeant.

a *Lib. 2. de parvæ pilæ ludo.* b *2. de tuend. valet. cap. 8.* c *In 3.* [illegible] *13. c. 2.* d *Lib. de puero epilep. com. 115.*

a *Libro 12. epigr. 14.* b *Seneca in tragœd.* c *Lib. 1. c. 1.* d *Epiſt. 6. libro 5.*

F I N I S.

ANTONII BOMBARDINI

PATAVINI

In Patrio Lyceo Rerum Criminalium Interpretis,

DE CARCERE

ET ANTIQUO EJUS USU,

Ad hæc usque tempora deducto,

TRACTATUS.

AUCTOR
AD
LECTOREM.



Æpe miratus sum, Lector benevole, cur antiquarum rerum scriptores eruditionem illam, quæ ad Carceres pertinet, vel neglexerint, vel ita leviter attigerint, ut omnino neglexisse videantur. Quid enim? An dignitate caret, & utilitate potissima Judiciorum pars, quam si recte calleas, & leges multas, & aliarum rerum antiqua monumenta non una tutius, & luculentius explicabis? Non opinor id quidem. Quid igitur dicam? Nimirum eam esse amplam literarum provinciam, tam longe, lateque in partes omnes excurrere, ut nondum homines complecti potuerint universam, nobisque, posterisque nostris tantum reliquerint spatii decurrendi, quantum ad honestam gloriam comparandam satis est. Ego equidem non tam magnifice de me sentio, ut mihi potissimum Carceris materiam Superum beneficio reservatam putem: nam mecum habito, & nosco, quam sit mihi curta supellex. *Sed tamen cum campus velut in medio positus pateat omnibus, quid dubitem audere naviter, meque aleæ tandem aliquando committere? Præsertim vero cum mihi non sit propositum rem obscurissimam, & adhuc inexploratam absolvere, ac perficere, sed inchoare quasique januam quandam melioribus ingeniis patefacere. Rem igitur totam in duas Partes distribuam; quarum alteram historiam Carceris, altera Praxim complectetur, ut simul habeas, quo in umbra, simul quo in foro perfruaris. Sed vide, judicium tuum quam reformidem. Nolo partem Alteram in lucem mittere, antequam mei periculum faciam. Faciam autem Priore hac, quam typis Seminarii Patavini eo potissimum concredidi, ut bonis auspiciis uteretur. Quæ enim literulis nostris auspicia meliora esse possunt, quam Principis Eminentissimi* GEORGII CARDINALIS CORNELII *bujus Civitatis Episcopi, non ad omnia solum pietatis officia vigilantissimi, sed etiam ad bonas artes promovendas sine ulla intermissione incumbentis? Enimvero ob id Cardinalis noster est omnium maximus, quia optimus ab omnibus prædicatur. Ob id vero in primis prædicatur, quod bonitatem tantam in alenda, instituendaque bonis artibus juventute potissimum explicat. Nullum est enim magno Principe, & immortalitatem merituro impendii, curæque dignius genus, quam quod erogatur in liberos educandos, quos non amor sobolis procreandæ, sed augendæ sapientiæ studium fovet. Sed quo me*

tantarum laudum amplitudo rapit? Redeo ad institutum. Erit fortasse qui non probabit, me a sapientissimorum virorum sententia aliquando discessisse: sed his quidem satis videor facturus, si ingenue profitear, nihil me aut ira scripsisse, aut partium studio, quorum caussas procul habeo. *Quod si tamen non satisfecero, ea me cogitatione consolabor, quod nemo omnibus ad hanc usque ætatem scribendo satisfecerit. Vale.*



ANTONII BOMBARDINI
DE CARCERE
ET ANTIQUO EJUS USU
TRACTATUS.

CAPUT I.

De Carceris voce, & variis significationibus ejus.



Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re disceptatio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Placet hoc Ciceronis *a* præcepto institutam de Carcere tractationem præfari, quod felix, faustumque sit. Qua quidem in re cum nomina, & voces inventæ sint ad res distinguendas a rebus, ut Justinianus nos docuit *b*, idcirco operæ pretium facturum me puto, si ante omnia homonymiam, & ambiguitatem vocabuli referam, expediamque. Itaque Carceris vox aliquando usurpatur metonymice pro repagulis, unde e Circo equi emittebantur; quæ iisdem opponebantur, ne ante tempus procurrerent. Ea autem marmorea Claudius Cæsar confecit, & ex auro etiam, cum antea ex tophina essent, & ligno, ut Suetonius testatur *c*. Qua sane auctoritate adductus Fl. Caper Grammaticus vetustissimus putavit, ubi carceris vocabulum inveniatur in numero singulari usurpatum, custodiam nefariorum hominum præseferre; ubi vero in numero plurali accipiatur, pro repagulis intelligendum; neque id temere: quæcumque enim essent impedimenta, quæ equis objiciebantur in ludis equestribus, plura certe erant, ac inter se ita adversantia, ut ex contrario etiam oppangerentur, ut est apud Festum. Carcer contra locus est ex una tantum custodia dictus, quamquam in plures veluti cellulas, stationesque distinctus, ut dicemus. Is, teste Isidoro *d*, dicitur a coercendo, quod nimirum ibi asservati, ac retenti alio ire prohibeantur. Varro *e* item putavit, carcerem locum esse, a quo exire prohibentur noxii. Alii rursus alias hujus vocis rationes excogitarunt, quas data opera missas facimus, ne ostentationis causa futilem, inanem, atque otiosam disputationem intendere videamur *f*. Quod itaque utilius est, definitionem rei scilicet, aggrediamur. Ac licet plures, ac propemodum infinitas carceris definitiones Bartolus, Farinacius, Caravitta, Bobadilla, Scanarola, & plures alii tradiderint, placet tamen illa, quam Franciscus de Amaya in Commentariis proponit *a* in hæc verba conceptam. *Carcer est locus deputatus ad custodiam eorum, qui ob delictum, vel aliam causam retinentur inclusi*. Dicitur autem *locus deputatus*, quia ad constituendum carcerem sola judicis destinatio requiritur, ut Martianus respondit *b*. Quare laudatus auctor non probat, carcerem locum securum, vel publicum definiri; neque injuria: etenim carcer dicitur, etsi tutus locus non sit, aut publicus etiam. Quid enim, si pro carcere assignetur domus propria? quid, si domus alterius, aut integra civitas constituantur? An non hæc quoque venient carceris appellatione? certo certius *c*. Quod vero infertur definitioni: *ad custodiam*: id ex Ulpiano transcriptum videtur respondente, non ad pœnam, sed ad custodiam fuisse tum primum carcerem institutum *d*. Nec est quod objicias, carcerem in Catilinaria Ciceronis vindicem scelerum appellari; nempe quasi ad vindictam, non ad custodiam referatur. Respondemus enim ex eodem Tullio *e*, vindicationem esse, *per quam vim, & contumeliam defendendo, aut ulciscendo propulsamus a nobis, aut a nostris, qui nobis esse chari debent, & per quam peccata punimus*. Quamobrem ut vindicationis duas species Cicero facit; alteram, qua vim & contumeliam defendendo propulsamus; alteram vero, qua peccata punimus ulciscendo, quid vetat, carcerem ex prima illa significatione vindicem appellare, qua per carcerem vim, & contumeliam defendimus? Quod si vindicem intelligas quasi ultorem, non ex hoc inficias eam, carcerem ad custodiam fuisse introductum. Mehercules cujuslibet rei usus vel proprius est, vel improprius, ut docet Aristoteles in Politicis: Calcei usus proprius est, si inducatur in pedes; Improprius, si in alium usum deferatur. Sic carceris proprius usus est, ut custodiat; improprius, ut puniat, seu vindex nefariorum scelerum sit. Neque sane in hac re perquirenda diutius est immorandum: etenim vix mihi persuadeo, Ciceronem quasi ex tempore Catilinarias recitantem, ut ex Sallustio colligitur, tam severe, ac, ut ita dicam, superstitiose singulas verborum significationes ad trutinam revocasse; neque enim Oratorem, sed Sophistam agit, qui hæc sibi animo effingit; ut vix risum contineam, cum in eos incido commentatores, qui singulis ex verbis, quasi quidam Visionarii (ut Hæretici illi Galli appellantur) mysteria elicere conantur. Sinamus tamen eos insanire, hoc est age-

a de Officiis lib. 1. in p.
b § si quis in nomine. Instit. de legatis.
c cap. 21.
d lib. 15. Etymolog. c. ult.
e lib. 4. de lingua lat.
f Tull. 2. Acad. quæst. Quintil. l. 11.

a ad l. 1. C. de exactoribus lib. 10
b l. milites 13. §. ejus fugam ff. de re milit.
c l. in ead. 10. §. ult. juncta l. nec non 28. §. si quis in custodia. ff. ex quibus causis.
d l. aut damnum 8 §. solent ff. de pœnis.
e lib. 2. de invent.

re quod agunt, ac ex ea carceris definitione, quam ex Amaya protulimus, genus, differentiaſque eruamus. Eſt igitur generis loco quod ait, Carcerem locum deputatum ad cuſtodiam eſſe: quicquid enim excogitari aliquo modo poteſt, quo homines contineantur, id in generali ſignificatione carcer diceretur. Facit ad hanc rem hiſtorica enarratio a Petro Ærodio relata *a*. Nam cum ageretur de adſciſcendo ad Aragoniæ Regnum Federico Martini Regis filio extra matrimonium ſuſcepto, aliis ad id contendentibus, in novem convenere arbitros, ſummæ doctrinæ, probitatis, atque prudentiæ viros. Hi, ſacris rite peractis, libatoque Sacramento per triginta dies Advocatos partium audierunt. Poſtremo ad formam Archidami ſententiæ, concluſi in arce, octavo die progreſſi in publicum, Ferdinandum unum ex litigatoribus Regem pronunciarunt. Sic, Papa Clemente mortuo, cum Cardinales per duos annos in creatione Summi Pontificis diſſenſiſſent, Viterbienſes eos incluſerunt, quoad Pontificem dixiſſent. Et tandem ordinato Gregorio, is, coacto Concilio Lugdunenſi ſub Philippo tertio, qui Audax cognominatus eſt, decrevit, ut deinceps eo modo incluſi Cardinales & inedia, & carcere primo quoque die eligere Pontificem cogerentur. Ergo locus quilibet ad cuſtodiam deſtinatus carcer proprie non eſt. Quod vero ſequitur: *ad cuſtodiam eorum, qui ob delictum, vel aliam cauſam retinentur incluſi*: id quidem loco differentiæ eſt: nam quo loco tenemur incluſi ob delictum, illud certe non niſi carcer appellari poteſt. Quare Venulejus reſpondit *b*: *ſi confeſſus fuerit reus, donec de eo pronuncietur, in vincula publica conjiciendus eſt*; ſcilicet ne lata ſententia inanis, & eluſoria judicis condemnatio ſit *c*. Longe alia cauſa eſt illius, de quo D. Marcus, & Commodus Scapulæ Tertyllo reſcripſerunt; cum Julius Priſcus in eo furore eſſet, ut continua mentis alienatione omni intellectu careret, diligentius cuſtodiendum eſſe, aut etiam vinculo coercendum, quod non tam ad pœnam, quam ad tutelam ejus, & ſecuritatem proximorum pertinebat *d*.

a lib. 5. rer. judic. tit. 13. cap. 6.
b l. ſi confeſſus ff. de cuſtod. reor.
c l. ſicut ult. ff. ne quid in loco pub.
d l. Divus 14. ff. de off. Præſidis.

CAP. II.

Carcer contra naturam dicendus ne ſit, & an locus ſanctus recte appelletur.

TOrquentur Interpretes inter ſe in expendenda definitione ſervitutis, ubi ea dicitur Conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur: non enim ſatis perſpectum habent, quid illud *contra naturam* præſeferat *e*. Mihi tamen perſuaſum eſt, quod Georgius Frantzkius adducit, ſervitutem eſſe contra naturam incorruptam; quam potiſſimum reſpicit jus naturæ; non vero contra naturam malitiis, atque ſceleribus inquinatam. Hæc appoſite rependere ſtatui in definienda Doctorum dubitatione; Num Carcer contra naturam ſit;

e in §. ſervitus 2. Inſtit. de Jur. perſ.

A quod quidem ex eo maxime affirmant nonnulli, quia jus libertatis, hoc eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, per carcerem infringatur *a*: nihil enim multum a ſpecie ſervientium differunt, quibus facultas recedendi non datur *b*. Verumtamen ſervum illum re vera non eſſe, ſed potius in ſervitute, dicendum eſt; quæ duo toto cœlo diſtare ſcimus, cum alias qui in carcerem impactus eſt, teſtamentum facere, contrahere, & teſtimonium dicere poſſit *c*; non aliter ac qui propter animi vitium, veluti furioſus, ac prodi-
B gus, bonis quidem interdicuntur a lege, dominio tamen rerum ſuarum non ſpoliantur *d*. Quare receptiſſimum eſt, vincula non ad puniendos, ſed ad continendos noxios fuiſſe introducta *e*. Et mandatis Principum, quæ Præſidibus Provinciarum dabantur, cum ad earum adminiſtrationem proficiſcebantur, cautum erat, ne quis perpetuis vinculis damnaretur. Idque a primordio cautum fuiſſe videtur, ut de pœna gladii Tertullianus ad Scapulam *f*, ideſt cum primum Legati Cæſaris in
C Provincias miſſi fuerunt. Sed cum Præſides adverſus mandata quoſdam ad perpetua vincula damnarent, qui iterum D. Adrianus poſtea reſcripſit, & mox Antoninus *g*. Et adhuc poſt reſcriptum utriuſque Præſides ſolebant eam pœnam imponere potentatu improbo, & terrore violento, ut loquitur Cyprianus Epiſtola 38. ſed hoc contra naturam erat, ſi naturam incorruptam ſpectes: ſi vero attendas corruptam, id naturæ convenire dicendum eſt; niſi forte reſpuatur in hac temporum noſtrorum calamitate, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus. Major au-
D tem dubitatio eſt, num Carcer locus ſanctus recte appelletur; qua in re ſtatuendum puto, *Sanctum* dupliciter accipi poſſe; generaliter, & ſingulariter; quod innuere videntur Marcianus, & Ulpianus I. C. *h*, quorum alter generaliter ſtatuit, ſanctum eſſe, quod ab injuria hominum defenſum, atque munitum eſt; alter vero ait, proprie (& ſic in ſignificatione ſingulari) *i*, quæ nec ſacra, nec prophana ſunt; ſed ſanctione quadam
E ſubnixa. Porro generaliter dicuntur Sanctæ res, hoc eſt ab hominum injuria vindicatæ, aut pudore, aut tempore, aut loco. Pudore quo ſenſu Parentum & Patronorum perſonæ ſanctæ dicuntur *k*; & ſanctum hominem, Virum ſanctum ſanctitate perſpicuum Tullius, & Vellejus dixere *l*: quæ omnia a Sanctiſſima affectione proficiſci Ulpianus putavit *m*. Tempore item dicuntur ſancta ea, quæ arcano tempore, quaſi religione quadam proteguntur: ita ſanctas nuptias Eſchinus apud Terentium in Adelpho *n*, & Livius
F ſanctum conſilium *o*. Ac tandem loco etiam ſancta res dicitur, ut ærarium ſanctum, quod in æde Saturni recondebatur *p*. E contra ſingulariter ſanctum dicitur, quod ſanctione quadam ſubnixum eſt, ſive lege, ſive etiam religione munitum. Utrumque complexus eſt Livius noſter, ubi de Tribunis plebis ait, cum religione, tum lege inviolatos effectos fuiſſe a Romanis *q*. Unde ſanctæ res ſingulariter dicuntur lege, aut ritu. Ritu erant

a l. Titio 70 §. T 10 ff. de cond. & demonſt.
b l. nihil 2 ff. de lib. homi. exhib.
c l. poſt contractum 15. ff. de donat. l. quis 6 §. ejus ff. de injuſto &c. l. in viti 8. ff. de Teſtibus.
d l. qui furere ff. de ſtatu hominum.
e l. aut damnum 8 §. ſolent ff. de pœnis.
f cap. 4.
g l. mandatis 35. ff. de pœnis l. 6. C. eod.
h l. Sanctum 8. l. ſacra 9. § proprie ff. de R. D.
i Jacob Gothofr. in l. qui verante 102 ff. de R. I.
k l. liberto 9. ff. de obſeq. 5.
l Pro Roſcio. Hiſt 2.
m l. nec ei 17 § eorum ff. de adopt.
n Act. 5. ſc. 7
o lib. 3.
p Cæſar lib. 1 Livius lib. 3 Tullius ad Attic 7.
q lib. 3.

ſancti Legati, qui a ſagminibus dicti erant, hoc eſt herba, quam ipſi ferebant, relatis quibuſdam cum magna celebritate cæremoniis *a*; quemadmodum virgam conſecratam Legati Francorum geſtabant *b*. Lege vero dicitur ſanctum, quod ſanctione legis cuſtoditur, pœna capitis conſtituta: nam eas partes legum, quibus pœnas conſtituimus adverſus eos, qui contra leges fecerint, ſanctiones vocamus *c*; fortaſſis ab effectu, quia efficiat, ut legi ſua auctoritas, & ſanctitas conſtet, cum lex illa, quæ pœnas adverſus tranſgreſſores non ſtatuit, alibi imperfecta appelletur *d*. Et hæc alluſio muris, portiſve civitatis accommodatur, quod religione, ac lege inviolata, & ſancta eſſe debeant: muri namque ſolemni quodam ritu conſecrabantur per aratri circumductionem; ubi vero Portæ futuræ erant, id loci non ſulcabant, ne quid religionis contraherent, ſed aratrum ſuſpendentes Portarum ſpacia relinquebant intacta; quæ ratio Plutarchum movit *e*, ut Portas ſanctas eſſe negaret, nimirum quia cum alia multa ad uſum vitæ importare, & exportare, tum vero mortuos per eas efferre ſolebant, ut Varro, & idem Plutarchus teſtantur; addentes, ſi Portæ ſanctæ eſſent, res nullas, niſi prius expiatas, invehere & exportare fas fuiſſe: ſed hæc illi, qui jus Pontificum ex augurum cæremoniis ſequuti ſunt. Nos vero Portas quoque dicimus ſanctas, quia eas, non minus quam muros violare nefas ſit, aut aliquid in eas delinquere. Itaque muros, & Portas dicimus ſanctas, nec non leges ipſas, ex Sanctione, quod adverſus violatores earum pœna ſtatuta ſit *f*. Id tamen intelligamus oportet de ſanctione legis particulari; cæterum vix quicquam eſt, quod non contra injurias hominum ſit lege, & Sanctione munitum. Fama, vita, conjugia civium, domus propria, & pleraque alia ne offendantur, lege cautum eſt. An igitur iſta omnia ſancta? Nugæ. At quorum violatio acrioribus, & ſingularibus pœnis, veluti capitalibus coercetur, ea recte dixeris Sancta. Hinc conjicias, Carcerem Sanctum quidem dici poſſe generaliter, & analogice, quod inviolabilis ſit, & ab injuria hominum communitus, non tamen Sanctum eſſe ſingulariter, quippe qui neque ritu aliquo a profanis omnino rebus ſeparatur, neque particulari Sanctione legis violatores ejus coercentur. Quid enim tam abſurdum eſſet, quam tenebris incultum locum, odore fœdum, atque terribilem ſanctum apud Romanos fuiſſe exiſtimare *g*? Nec enim muros civitatis omnes Sanctos Juriſconſulti dixerunt, ſed publicos; Eoſque Sanctos ſolummodo nuncuparunt, qui mænium partes eſſent, cujuſmodi Carcer non erat, qui non pars mænium fuit, ſed in media urbe, atque imminens Foro, ut ſuo loco expendemus. Nec movet, quod Divi Fratres Æmilio Tyroni reſcripſerunt, de iis qui carcere effracto evaſerunt, ſumendum ſupplicium eſſe; ex quo deducunt nonnulli, carcerem Sanctum eſſe *h*; reſpondemus enim, vitioſam eſſe illationem: Capitale delictum eſt; ergo quod violatur ſanctum. Nam & homicidium capitale eſt; Sanctum tamen hominem haud recte dixeris, niſi forte generaliter. Imo vero ut effractionis delictum extraordinarium eſt, &, ut ajunt, innominatum, ita conſequens eſt, Carcerem Sanctum proprie non eſſe. Equidem ſcio, lege Julia majeſtatis teneri eum, qui confeſſum in judicio reum, & propter hoc in vincula conjectum emiſerit *a*; ſed illud ſingulare eſt in odium criminis, ut conſcius criminis videatur, qui reis ſuppetias ferret. Non ergo Sanctum carcerem dicere abſurdius eſt, quam ſi flagitiorum, ſcelerumque ſentinam religioſam dixeris, nervum, compedes, equuleum Sanctum, & id genus alia. Graviter D. Auguſtinus *b*: *Quomodo igitur tanta animi, & morum mala bonis præceptis, & legibus vel imminentia prohiberent, vel inſita extirpanda curarent Dii tales*, (loquitur de Priapo, Febri Dea, & Cynocephalis hujuſmodi) *qui etiam ſeminanda, & augenda flagitia curaverunt, talia vel ſua facta per theatricas celebritates populis innoteſcere cupientes; ut, tanquam auctoritate Divina, ſua ſponte nequiſſima libido accenderetur humana?* Imo vero tantum abeſt, ut carcerem inter res Sanctas referamus, ut carceris vocem ad turpiſſima quæque accommodare viri latiniſſimi non dubitaverint. Ita Juvenalis carcerem dixit pro lupanari *c* . . .

a l Sanctum 8 §. 1. ff. de R. D.
b Greg. Turon. Paul. Diacon. de reb. geſt. Long. lib. 6. cap. 7.
c §. Sanctæ 10. Inſtit. de R. D.
d ab Ulpiano in Fragment. Tit. de l. l.
e in Romulo, & in Problemat.
f l. ult. ff. de R. D.
g Ant. Matthæi de delictis lib. 47. tit. ult. c. 4. num. 2.
h lib. 1. ff. de effractorib.

Tantum artificis valet halitus oris,
Quod ſteterat multis in carcere fornicis annis.

Hinc quod Tullius in Vatinium ait: *Ac nunc quidem C. Antonius hac cum re miſeriam ſuam conſolatur, quod imagines Patris, & Fratris ſui, fratriſque filiam, non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quam videre*; non de carcere, ut Turnebus, ſed de domo, & quidem ſceleribus ac flagitiis dehoneſtata cum Manutio, & P. Abramo intelligendum eſt.

CAP. III.

De origine Carceris, & quæ partes illius.

QUoniam cujuſque rei maximam partem Juriſconſultus principium appellat; ideo operæ pretium facturum me puto, ſi, inſtituta de carcere tractatione, primum ejuſdem exordia proponam: nam, principiis cognitis, multo facilius intelliguntur extrema, ut apud Tullium eſt. Itaque animadverti, ex duobus veluti fontibus Carceris originem haurire nos poſſe, remoto nimirum, & proximo. Origo remota a jure gentium eſt: Proxima vero a jure civili. Et quod ad remotam originem attinet, res altius petenda eſt. Juſtinianus Cæſar civilia jura tunc eſſe cœpiſſe tradit, cum & civitates condi, & magiſtratus creari, & leges ſcribi cœperunt *d*; ex quo conjicias, uno veluti partu editas civitates, & leges. Jam vero Cain primo Enochiam Civitatem condidiſſe, Sacer textus conſtituit, quam a filio ita placuit denominari *e*; & quamquam civitates vicinitatum multarum Communitates ſint *f*, Cain tamen adeo liberis auctum fuiſſe compertum eſt, ut abunde

a l. cujuſque 4. ff. ad l. Jul. majeſtat.
b de Civit. Dei lib. 2. cap. 4.
c Satyr. 10.
d in §. ſingulorum de R. D.
e Geneſ. 4.
f Giphan. ad Ariſt. 1. Polit. 1.

ad plures etiam civitates satisfuissent *a*. Quare ipse conscientia fratricidii vecors ita lamentari solitus fertur: *Omnis, qui invenerit me occidet me*: Dictio autem *omnis* non de brutis, sed de hominibus est accipienda, per ea, quæ dominus illi; *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*: quæ pœna in animalibus rationis expertibus cadere nequivisset *b*. Porro una cum ipsa civitate vincula & carceres inædificata fuisse, probabilis est conjectura; tum quia ubicunque jurisdictio est, ibi & ea adesse necesse est, sine quibus illa stare non potest *c*; cujus generis sunt modica coercitio in criminalibus, in civilibus vero pignoris capio, indictio multæ, missio in possessionem, & cætera pœnalia judicia *d*; tum quia Pererius ibidem ait, colligi ex Josepho, posse Cain ædificasse civitatem Latrociniorum metu, atque ita carceres quoque constitutos fuisse, quibus noxii custodirentur, & plecterentur. Non tamen me præterit, primam carceris mentionem in sacris paginis Josephi tempore haberi, ubi Joseph stupri suspectus in carcerem compactus est, *ubi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus e*: id tamen factum puto ex accuratiori scribendi stylo, & quod Principis potestas magis, magisque in regiam tunc formam adolevisset. Cæterum singulis nationibus, quemadmodum cruciatus, & pœnas, ita & peculiares carceres variis distinctos nominibus fuisse, apertius est, quam ut comprobare necesse habeam *f*. Ad jus civile Romanorum descendamus, in quo Ancum Martium Romæ primum carcerem ædificasse, fere omnes testantur (1) excepto Eutropio *a*, qui Tarquinium Superbum vincula, taureas, fustes, compedes, catenas, exilia, carceresque instituisse dixit. Puto tamen, recedendum non esse a communi sententia, quam luculenter probat Livius noster hæc habens *b*: *Quiritium quoque fossa haud parvum munimentum a planioribus addita locis, Anci Regis opus est. Ingenti incremento rebus auctis, cum in tanta multitudine hominum, discrimine recte, an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent, carcer ad terrorem increscentis audaciæ media Urbe imminens foro ædificatur*. Huic carceri addidit deinde (2) Tullus Rex eam partem, quæ sub terra est, quæque carceri, ut Tullianum appellaretur, nomen dedit, cujus formam proponit Salustius in Conjuratione Catilinæ. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi parum adscenderis ad lævam circiter duodecim pedes, humi depressus. Eum muniant undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta: sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies est*. Ut autem nullus erat custodiendorum reorum locus, præter hunc Carcerem, ita Juvenalis suorum temporum calamitatem exaggerat, quibus in omni officina ferraria vincula catenæ, aliaque id genus conficiuntur, & tamen illis satis non esse testatur; deinde Romanos jam prædicat beatos, qui olim tam paucos sceleratos habuerunt, ut unico carcere contenti fuerint; ait enim *c*:

Felices proavorum atavos, felicia dicas

a D. Aug. de civit. Dei lib. 15. c. 8.
b l. 1. in pr. ff. si quadrupes, &c.
c l. cui a ff. de jurisdict.
d l. ult. ff. de off. ejus, &c. l. si quis jus dicenti, &c.
e Genes. 39. vers. 20.
f Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5. ubi Tiraquell.
a l. 1. c. 4.
b l. 1. H. 4.
c Sat. 3. vers. 315.

(1) At vero non Eutropius, sed Eusebius Chronicorum suorum eo loci, quo Olympiadem septuagesimam octavam complexus est, rem enarrat hisce verbis; suntque iis simillima quæ Eutropio noster auctor secutus alios quosdam attribuit. Tarquinius Superbus excogitavit vincula, taurea, fustes, *latomias*, *carceres*, compedes, exilia. Verumtamen hæc verba nemo sic accipiat, quasi tradat Eusebius, primum Romæ carcerem ab Tarquinio institutum, quando certum exploratumque est, ab Anco Martio, fuisse: sed quod Tarquinii sit opus carcer ille longe acerbissimus, qui postea Latomiæ nominatus est, ut infra ostendemus. (*Diar. Litt. Ital. Tom.* XVIII. *pag.* 68.

(2) Hæc dum legeremus, mendum e Typographia incidisse aliquod suspicati sumus, ut Tullus pro Tullius irrepserit: sed cum a scriptore nostro sæpe alias, & aperte dictum offenderimus, Romæ carcerem ab Anco Martio, ac Tullo Hostilio ædificatum fuisse, ea nobis injecta mens est, ipsum in errorem traductum esse auctoritate quorundam, cætera doctorum hominum, qui Livium, Sallustium, aliosque latinos scriptores suis commentariis auxerunt; imprimisque magni Tiraquellii (*a*) quippe apud ipsos constructio, nomen Tulliani carceris in Urbe Roma Regi Tullo adscribitur. Quamquam nos quidem nunquam in animum inducemus, ut viros in Romanarum rerum historiis versatissimos tam manifesto errore lapsos judicemus; quem iccirco aut negligentiæ aut imperitiæ Typographi potius tribuemus. Neque enim quisquam esse unquam poterit, qui opinetur, verisimile esse aliqua ratione, Tullum Hostilium quem tertium Urbis Romæ Regem fuisse, non ambigitur, Tullianum addidisse carcerem ei, quem Ancus Martius aliquot post annis, Regum Romanorum quartus, ipsique Tullo suffectus, exstruxit: existimandum erat igitur, ab Servio Tullio sexto Romanorum Rege conditum fuisse carcerem qui & ab eo Tulliani nomen acceperit: idque cum Varronis testimonio scribentis (*b*) Carcer a coercendo, quod exire prohibentur: in hoc pars, quæ sub terra Tullianum, ideo quod additum a Tullio Rege. Tum Festi Pompeii: Tullianum, quod dicitur, pars quædam carceris, Servium Tullium ædificasse ajunt. Tum etiam Publii Victoris in suo, quo situm, regionesque Urbis descripsit libro: nam ubi ædificia percenset regionis octavæ quæ Forum Romanum dicta est, sic habet: Carcer imminens Foro a Servio Tullio ædificatus, media Urbe: In editione docti Viri Panvinii (*c*). Quæ tamen verba de ipso speciatim loco, qui Tullianus appellatus est, sunt accipienda. Etsi proferre possemus, tamen mittemus ipsius Panvinii (*d*) Joannis Bartolomæi Marliani (*e*) Joannis Rosini (*f*) aliorumque multorum testimonia, qui Romanæ antiquitati vel colligendæ, vel illustrandæ docte operam navarunt. Nec vero apparet, quid in rem suam noster auctor ducere queat argumenti ex eo Plutarchi loco, quem citat c. XVII. p. 153. His auditis, Ephori morte damnatum (Agida) ut in Decada ipsum deducerent, præcepere: Est autem Decas in carcere locus, in quo morte damnatos strangulari consuetudo fuit: Etenim verba, quæ uti sumta ex eodem Plutarchi loco profert in rem suam, idem ibidem: Similis huic locus Tullianus Romæ a Tullo Hostilio institutus, unde nomen accepit, noxiorum supplicio destinatus: hæc Plutarchi non esse, saltem in Agidis vita, compertum habere licet nullo negotio. Nos istud non probabile modo argumentum, sed certissimum conficiemus: si Ancus Martius carcerem Romæ primus instituit, huic carceri non Tullus Hostilius, qui ante Ancum regno potitus est, sed Servius Tullius, qui post illum, & Regum Romanorum sextus eum carcerem adjecit, qui ab auctore suo Tullianus est appellatus. (*Diar. Litt. Ital. Tom.* XVIII. *pag.* 69.)

a *Alex. ab Alex. lib.* 3. *c.* 5.
b *De L. L. lib.* 4. *p.* 37. *edit. H Stephani* 1573. *in* 8. *& p.* 1071. *ex edit. Ald.* 1527. *in fol.*
c *Lib.* 1. *comment. Reip. Rom. Paris.* 1588. *in* 8. *pag.* 248.
d *l. c.*
e *Topograph. Rom. antiq. lib.* 3. *c.* 15.
f *Antiquit. Roman. lib.* 1. *cap.* 14. *& lib.* IX. *cap.* 31.

Sæcula, quæ quondam ſub Regibus, atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

Jam autem dubitari poteſt, de quibus (3) Tribunis ſenſerit Juvenalis; etenim fuerunt Romæ Tribuni militum, & rurſum Tribuni plebis creati ſunt anno decimo ſexto poſt Reges exactos, Aulo Virginio Montano, & T. Veturio Gemino Coſs. *a* hoc eſt, anno ducenteſimo ſexageſimo poſt Urbem conditam *b*: Illos ſeceſſio plebis in montem Sacrum extorſit. Cum enim creditores licentia vel lege ſibi, vel conſuetudine permiſſa, ut debitores, qui ſolvendo non eſſent, trahere, atque ad operas in ſervitute præſtandas cogere poſſent, abuterentur; ac multi in terga miſerorum crudeliſſime ſævirent, plebſque de crudelitate iſta creditorum conqueſta A ſpe vana a Patribus nihilominus ſe lactari animadverteret, tandem & fidei lubricitatis, & immanitatis impatiens, Sicinio quodam auctore, in montem Sacrum ſeceſſit. Quod cum terrorem Patribus non mediocrem incuteret, ideo ad reconciliandam plebem Menenium Agrippam ablegarunt, qui ſeditionem plebis compoſuit, ea conventione, ut ex corpore plebis magiſtratus crearentur, qui auxilio plebi adverſus Conſules eſſent: propterea Tribuni plebis dicti *c*. Poſt hoc, Tribuni militum creati ſunt anno ab Urbe condita terceteſimo decimo, M. Genutio, & C. Curtio Coſs. quo anno ex rogatione C. Canuleii Trib. Pleb. Patres conceſſerunt, ut Tribuni Militum conſulari poteſtate promiſcue tam ex plebe, quam ex Patribus crearentur *d*. Ergo ſi Juvenalem de Tribunis plebis intelligas poſt Reges exactos, diu fuit unus carcer

a Halicarnaſ. lib. 6. Aſcon. in Cornel.
b Gell. lib. 17. cap. 21.
a Halicar. l. 6 Plutarch. in Coriol. Liv. lib. 2.
b Liv. lib. 4. Feneſt. lib. 2. cap. 16.

(3) Nobis tamen probabilius videtur Tribunos militares Conſulari poteſtate hic a Poeta indicari, etſi auctori noſtro hæc ſententia non placeat. Movemur inprimis, quod locum hunc ita interpretatus fuerit vetus Scholiaſtes, qui extat in ſingulari plane Juvenalis editione, curante Henrico Chriſtiano Eminio (*a*); deinde quod ipſa verba Satyrici fere manifeſto hanc ſententiam præſeferunt: Felices proavorum atavos, felicia ſecula, quæ quondam &c. Sane verba iſthæc tempus deſignant ab Juvenalis ætate longe remotiſſimum: ipſo vero Satyram illam componente, fortaſſe a condito Mamertino carcere vix anni centum effluxerant. Sed ut ut accipienda ſit hujuſce loci ſententia, hoc præterea tamen certum non habemus, unum, non plures fuiſſe in Urbe Roma carceres reis cuſtodiendis, quod Romana ſtetit reſpublica: Etenim ſatis conſtat, Romæ carcerem fuiſſe horroris pleniſſimum, quem latina modo voce lapidicinas, modo græca Latomias vocarunt: erant enim cavernæ excindendis, eruendiſque lapidibus ad uſum ædificiorum longe ſub imam terram deductæ; non admodum diſſimiles iis Latomiis, quas Dionyſius Syracuſiis excavaverat. Initium capiebant a Carcere Tulliano, & ad Forum Piſcarium pertinebant, ſi credimus Alex. ab Alexandro. Qui non incommode forſan conjecturam duxit ex incendio, quod Romæ contigit M. Valerio Lævino, & M. Claudio Marcello Coſſ quodque a Livio narratur libro XXVI. Latomias, cenſet idem Alexander, Tarquinii Superbi opus fuiſſe, permotus, ut credimus, iis, quæ loco a nobis ſupra commemorato Chronicorum ſcriptum reliquit Euſebius; tum vero iis, quæ tradit Iſidorus Origin. lib. v. cap. XXVII. Eſt & Latumna (alii legunt Latomia) ſupplicii genus ad verberandum aptum, inventum a Tarquinio Superbo ad pœnas ſceleratorum: Iſte enim prior Lautumnas, tormenta, fuſtes, metalla, atque exilia adinvenit. Obſervandum, iis verbis: ad verberandum aptum: hæ adiicere doctum Virum Joannem Grialum: aliena hæc cenſemus: in notis, quibus Iſidori opera locupletavit, editis Coloniæ Agrippinæ ſumtibus Antonii Hierat 1617. in folio.

Sed & ſatis in comperto eſt, præter carcerem ab Anco Martio conditum in regione octava, fuiſſe quoque in regione nona carcerem, quo Centumviri utebantur, ut Publius Victor, & Sextus Rufus atteſtantur. Apud hunc vero in editione, quam curavit Panvinius (*b*) legitur: Carcer C. Virorum, alias, CLXVir. quas notas quidam interpretati ſunt ad hunc modum: Carcer CLXViri, ideſt, Claudii Decemviri: & non pauci conjecerunt, carcerem illum ab Appio Claudio cum Decemvir altero anno eſſet, extructum fuiſſe, quem nominare ſoleret *plebis Romanæ docilium*, & quo tandem concluſus ipſe mortem ſibi conſciverit. Hæc narrat Marlianus B (*c*) qui & addit, eodem loci nunc eſſe Sacram Ædem, quæ Divi Nicolai in carceribus nominatur. Sed & alii multi cum Marliano hujus rei tradunt memoriam. Nec turbat, ſi quis dixerit, Appium Claudium nec ſolum fuiſſe Decemvirum, nec ſolum carceri mancipatum; & Spurium Oppium cum illo concluſum, & ſibi etiam mortem attuliſſe. Etenim Appius, ut inter ſocios dignitate ſimul & culpa enituit, ita ab eo nomen carcer accipere potiſſimum debebat; ſi quidem conditus (quod ipſi non prorſus adfirmamus) a Decemviris; inque illo Appius extinctus eſt. Nec turbat deinde, ſi quis hoc reponat, in Carcere Centumvirali cuſtodiæ addictos fuiſſe tantum civiles ob cauſſas homines, quibus res domeſtica ad omne æs alienum diſſolvendum non ſuppeteret: Nam & hinc licet colligere vitiorum quoque coercendorum, eo carcere inſtituendo, habitam eſſe rationem, eorum præſertim, quibus ut perdite homines obſequantur, cum patrimonium effundunt ſuum, tum pecunias etiam, quibus obligantur, alienas. Sed quid de eo carcere dicemus, quo femina continebatur, quam admiſſorum criminum cauſſa fame perire juſſam, filia pietate inſignis, ad eam ingreſſa, admotis clam, ac furtim uberibus ſuo lacte nutriebat: cujus facti Valerius Maximus (*d*) itemque Plinius (*e*) meminerunt? Hoc loci, ut Plinius teſtatur, templum Pietatis excitatum fuit anno U. C. DC. Cajo Quintio, & M. Attilio Coſs. deinde Theatrum Marcelli. Si quis illum eſſe ſtatuat eundem, ac Centumviralem, proclive erit exiſtimare, reos quoque rerum capitalium in Centumvirali carcere cuſtodiri conſueviſſe: Sin diverſum, ſtatim hoc ſubjiciemus: igitur anno ſeptuageſimo ſupra centeſimum, atque eo amplius, antequam ædificaretur Mamertinus, alium Romani carcerem habuere ſceleſtorum hominum cuſtodiæ deſtinatum, omninoque ſejunctum ab carcere Anci Martii, locato, ut ſupra dictum eſt, in octava regione; cum hic in nona Regione ibi eſſet, ubi Publius Victor & Sextus Rufus Theatro Marcelli locum adſignant. Poſtremo hæc addamus, reos ſcelerum maximorum, ut refert Diodorus Siculus, (*f*) magnam partem, mitti in Albam conſueviſſe, ut conjicerentur in carcerem ſub terram longe imam extructum, tenebricoſum, & peſſime olentem, quemadmodum ab eodem hiſtorico deſcribitur. In hunc detruſos fuiſſe, detentoſque per aliquot dies Regem Perſeum, ejuſque liberos, poſt Emilii Paulli triumphum, idem Diodorus (*g*) & Livius (*h*) quoque produnt memoriæ. Sed eo, unde haud parum digreſſi ſumus, revertamur. (*Diar. Litt. Ital. Tom. XVIII. pag.* 72.)

a *Lib.* 3. *cap.* 5.
b *Comment. Reip. Rom. lib.* I. *pag.* 249.
c *Lib.* IV. *cap.* I.
d *Lib.* V. *cap.* IV.
e *Hiſt. Natur. lib.* VII.
f *Lib.* XXXI.
g *Loco citato.*
h *Lib.* XLV.

in Urbe; si vero de Tribunis militum accipias, diutius: quod minus probo, sed in medium utrumque relinquo. Exploratissimum autem est, sub Augusti filio adoptivo Tiberio, Mamertinum postea additum carcerem fuisse; quod probat vetus inscriptio eidem Mamertino carceri insculpta.

C. Vibius C. Fl. Ruffinus M.
Coccejus ..... Coss. ex S. C.

Vibius namque, & Coccejus Consulatum iniere anno Urbis fere septingentesimo septuagesimo quarto, ut apud rationarios temporum in confesso est, & nos infra dicemus. Porro istorum carcerum duas quasi partes fuisse, exteriorem, & interiorem, patet. Pars exterior, seu anterior constabat Atrio, seu Vestibulo, & porta. Porta carceris unita, & munitissima erat, prout etiam Hierosolymitani carceris introitum porta ferrea munitum fuisse, legimus in Actis Apostolorum *a*; quod duplicem ob causam factum fuisse reor, scilicet contra externam, atque internam vim; ne vel custodiæ unito impetu, iis perfractis & perforatis elaberentur; vel populus, quod in seditione, & tumultu frequentissimum est, facilius perrumperet, & custodias emitteret. Atrium vero, seu vestibulum non eo sensu accipienda sunt, quo alioquin vestibulum accipi solet pro loco, qui vel ante ædes, vel ante Januam; verum pro conclavibus ipsis, & cellulis, quæ lucem, aeremque clementiori cœlo emittebant; ut vincti indulgentius haberentur. Ita *Jeremias Propheta erat clausus in Atrio carceris b*, qui carcer in domo Jonathan erat, & in quem jussu Sedeciæ Regis impactus Propheta fuit: nam *præcepit Sedecias, ut traderetur Jeremias in Vestibulo carceris, & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento c*. Simile legitur apud Livium nostrum de Manlio: *Observatam*, inquit, *in vestibulo carceris mæstam turbam &c. d* Erat & interior carceris pars, seu intima quædam sedes, in quam D. Paulus, & Silas conjecti quondam fuere: *Miserunt Paulum, & Silam in carcerem, præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno e*. Hanc carceris obsitam, ac tetricam plane sedem describit Prudentius Hymno quinto.

a cap. 12.
b Jerem. 32.
c Idem. 37.
d lib. 6.
e Act. Apost. cap. 16.

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni sideris:
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

Similis certe carcer ille, vel carceris locus, in quem conjectus Perseus cum liberis fuit *f*. Ad hanc interiorem carceris partem referri potest quod Tullius ait in oratione pro Milone: *Subito arrepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui posset*. Arca propterea ab arcendo dicta, quod ea reconderentur delinquentes secreto, ad Arcæ exemplum robustis tabulis confecta; unde robustum carcerem dixit Cappadox leno apud Plautum in Curculione *a*: quo sensu robustum codicem, & ligneam custodiam pro tormentis ex robore confectis usurpavit *b* & generaliter quicquid ex robore conficitur robustum, seu robusteum appellatur *c*. Utramque carceris partem complexus est Constantinus Imp. ad Florentium rationalem scribens: *Nec vero*, inquit, *sedis intimæ tenebras pati debet inclusus, sed usurpata luce vegetari, ac sublevari; & ubi nox geminaverit custodiam, in vestibulis carceris, & salubribus locis recipi d*. Porro quod supra diximus, arcam ligneam custodiam fuisse, illud probatissime evincitur ex Seneca, ubi Regulum in arca transfixum fuisse tradit, quod ea in arca undique fixi, & extantes clavi essent *e*: propterea hanc arcam eleganter Gellius Armarium appellavit *f*. Quod autem attinet ad Jus Canonicum, Duarenus narrat, Eugenium Secundum instituisse primo carceres, & vincula ad clericos coercendos; quod de usu carceris, non vero de carcere ipso intelligamus oportet, per ea quæ diximus *g*. Vereor tamen, ut ne id quidem verum sit (absit verbo invidia) per ea, quæ de Decanicis infra dicemus.

f Diod. l. 31.
a Act. 5. scen. 3.
b Idem in Pœnul. Act. 5. Scen. 3 ult.
c Varro de re rust. l. 2. 21. 38. Festus lib. 16.
d l. 1. C. de custod. reor.
e De Provid. cap. 3
f l. b. 6. c. 4
g lib. de Sacr. Eccl. ministr. c. 4. 5

CAP. IV.

Sub incude revocatur celebris controversia inter Baronium, & Ugonium, num Tullianus Carcer idem fuerit cum Mamertino.

Etsi Pomponii Læti, Guilielmi Fabritii, Pompeii Ugonii, aliorumque sententia sit, Tullianum carcerem eundem omnino cum Mamertino fuisse; attamen quo minus eorum sententiis assentiar, Eminentissimi Viri Cæsaris Baronii auctoritas facit *h*. Ac ut aliqua ratio nominis habeatur in primis, præter ea, quæ de Tulliano proxime diximus, Vir ille eruditissimus e Varrone de lingua Latina, & Fastis Populi Romani anxie investigat, unde id Mamertini nomen adeptus sit; nihil tamen certi se adinvenisse, fatetur: neque enim probo, quod ipse ait, potuisse Mamertinum carcerem a Marte dici, qui secundum Varronem, idem cum Mamerte erat. Itaque nucibus, ut ajunt, relictis, statuamus oportet, ex æquivocatione vocabulorum ortum fuisse tantorum Virorum dissidium, quod scilicet Mamertinus Carcer vulgo Tullianus appelletur; nec mirum: ut enim Tullianus carcer omnium antiquissimus est; ita, quæsita ex tempore præstantia, factum est, ut quilibet carcer Tullianus nominetur. Quare Apulejus de Sacerdotibus Deæ Syriæ agens: *Hæc*, ait, *& alias affanias frustra blaterantes eos retrorsum abducunt Pagani, statimque vinctos in Tullianum compingunt i*. Non aliter ac Latomias, vel Lautumias dixere nostri Jurisconsulti carceres, deducto vocabulo a Siculorum lingua, qua Latomiæ carceres

h in notationibus ad Martyrolog. 14. Maii.
i lib. 9. Metamorph. Cæl. Rhodig. lib. 17. cap. 9.

dicebantur *a*. Cæterum Mamertinum carcerem plane a Tulliano distinctum probant utriusque constructio, positio, & usus. Prima igitur differentia a loco: nam Mamertinus carcer, quo loco D. Petrus vinculis fuit custoditus, in Aquilonari montis Tarpeii parte erat. Tullianum vero Occidentem versus fuisse constructum, validissimis testimoniis comprobatur. Primo ex C. Plinii verbis *b*, ubi ait: *Duodecim Tabulis Ortus tantum & Occasus nominantur. Post aliquot annos adjectus est & meridies, accenso Consulum id pronunciante, cum a Curia inter Rostra, & Græcostasin prospexisset solem. A columna Mænia ad carcerem inclinato sydere, supremam pronunciabat*. Porro mœnia dicta erat columna a Mænio quodam, qui cum domum venderet Catoni, & Flacco Censoribus, ut ibi ædificaretur basilica, jus sibi columnæ unius excepit, super quam tectum projiceret, unde ipse, ac posteri spectarent gladiatorum munus, quod tum in Foro edebatur. Eo autem loci (ut obiter moneamus) tractat Plinius de vetustissima Romanorum consuetudine, qua antequam Horologiorum usus inveniretur, solem ortum, & occasum observatione locorum quorumdam per accensum designabant, idest per præconem, qui ad censum populum vocabat. Supremam item tempestatem solem occasum fuisse liquet ex lege duodecim tabularum, statuente: *Solis occasus suprema tempestas esto c*: Unde præco dimittens judicum consessus *Supremam* ritu quodam solemni pronunciabat *d*: quod eleganter Plautus ex judiciorum consuetudine ad domesticum familiarum usum traduxit; ait enim Argyrippus; *Mater supremam mihi tunc*

a l. suceur. ritur ff ex quibus causis majores. &c. l. 1. in fine ff de Aleæ lusu &c.

b lib. 7 Hist. cap. ult.

c Macrob. 1. Saturnal. 3. Censorinus de die natali cap. 19

d Rævard. ad l. 12. Tab. c 7 Donatus in Andria Terent Act. 5. Scen. 1.

A *dixit, domum ire jussit a*. Probatur secundo ejusdem Auctoris testimonio de templo Pietatis extructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est, C. Quinto, & M. Acilio Coss. *b*. Theatrum autem Marcelli inter flumen, & Capitolium ab Augusto erectum, dicatumque fuit, si e Foro respiceres, in quo columna Mænia occidentem solem omnino occupabat *c*. Altera Tulliani, & Mamertini carceris distinctio a tempore est; illum namque ab Anco Martio, & Tullo Hostilio constructum suo loco firmavimus:
B at vero (4) Mamertinum longe post, videlicet anno ab urbe condita 718. sub Augusti Imperio septimo, inædificatum fuisse, probat inscriptio vetus supra relata, quæ in carceris Mamertini fronte legitur his verbis;

a Asinar. Act 3. Scen. 3.

b Plin lib 7. cap. 36.

c Svet. in Augusto ca. 29 43.

C. Vibius C. F. Ruffinus M.
Coccejus . . . . . ex S. C.

Ut autem verissimum est, Vibio, & Coccejo Nerva Consulibus sub Augusto ædifi-
C catum fuisse carcerem istum Capitolinum, ita desiderari potest, suffecti ne, an ordinarii consules fuerint eo tempore prædicti; cum alioquin satis constet, eos non sub Augusto, sed sub Tiberio Augusti adoptivo Consulatum gessisse circa annum Urbis conditæ 774. ut ex inscriptione a Panvino relata.

Ti. Cæsar D. Augusti F. Augustus
Pontif. Maxim. Imp. VIII.
Trib. Pot. XXIII.
Dedit
C. Vibio. Ruffino. M. Coccejo Nerva
Coss.

(4) Liceat hic nobis a Clariss. Auctore postulare, benigne ut sinat, momentum hoc Romanæ Chronologiæ a nobis ad trutinam paulisper revocari. Ait ipse, Mamertinum ædificatum Augusti ætate anno U. C. DCCXVIII. fuisse, C. Vibio Rufino, & M Cocceio Nerva Coss. idque tamquam verissimum probare studet inscriptione illa, quæ in fronte ejusdem Mamertini etiamnum legitur.

C. VIBIVS. C. F. RVFINVS. M. COC.
CEIVS. . . . . COSS. EX. S. C.

Sed Fasti Consulares profecto non exhibent eo anno C. Vibium Rufinum: at Lucium Gellium Publicolam Nervæ socium in Consulatu faciunt. Vibius quidem & Nerva Consules occurrunt (non ordinarii tamen, sed honorarii, & suffecti, ut dici solebant) anno U. C. DCCLXXIV. quo anno, Augusto jam vita functo, Tiberius imperium obtinebat. Atque hos quidem, post Augusti mortem, Consulatum gessisse deprehendimus ex Inscriptione, quam dat Bulengerus (*a*) quamque, licet exigua aliqua immutatio fiat, Grutherus suis inscriptionibus attexuit (*b*)

GENIO
COELIVS. HERODINVS
PRAEGVSTATOR
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN
HORTIS. SALVSTIANIS
DECESSIT. NON. AVGVSTIS
M. COCCEIO. NERVA
C. VIBIO. RVFINO COS

(a) *De Imperat. & Imper. Rom. Lib. II. cap. IX.*

(b) *Pag. DCII. num. IV.*

Cujus Inscriptionis verba hæc, DIVI AVGVSTI, apertam rem faciunt, tum temporis Augustum mortuum fuisse. Nulli enim priorum Cæsarum Divi Nomen, nisi post mortem inditum, ut cuique notum est, qui Romanam antiquitatem vel mediocriter delibaverit. Sed Vibii, & Cocceii Consulatum incidisse in annum U. C. DCC. LXXIV. qui annus ordinarios Consules usque ad Kal. Julias habuit decimum Atterium Agrippam, & Cajum Sulpitium Galbam, fuitque Imperii Tiberii quartus supra vicesimum, magis etiam perspicuum alia efficitur Inscriptione, quæ & apud Gutherum (*c*) extat, & a Scriptore nostro item effertur:

TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI
F. AVGVSTVS
PONTIF. MAX. IMP. VIII.
TRIB. POT. XXIIII.
DEDIT
C. VIBIO. RVFINO. M. COCCEIO
NERVA. COS.

Igitur si Vibius, & Nerva non Augusto, sed Tiberio Imperante, Consules fuerunt, si ipsis Consulibus, Mamertinus conditus fuit, ut ex Inscriptione, quæ in fronte Mamertini est, licet agnoscere, merito statuemus, Tiberio Imperante, Mamertinum Carcerem esse conditum, ut ipsemet etiam clariss. Auctor dixit cap. III. pag. 21. minime vero Imperium gerente Augusto, ut Auctor, quasi dixerimus, non satis sibi constans, ait in hoc, de quo agimus, capite IV. pag. 29. (*Diar. Litt. Ital. Tom. XVIII. pag. 79.*)

(c) *Pag. 187. num. 14.*

Quare dicendum est, suffectos fuisse ex Kalendis Juliis ordinariis *Coss. D. Haterio. Q. F. iv. N. Agrippæ, & C. Sulpitio Ser. F. Ser. N. Galbæ*; quo etiam anno Tiberius Augustus XXIV. Tribunitiam potestatem accepit, eamdemque mox Druso filio per Litteras absens a Senatu impetravit *a*. Tandem ex ipso usu Mamertinus carcer a Tulliano distinguitur; etenim Mamertinum carcerem Privatum appellari, liquet ex Actis Divi Laurentii martyris: ea forte ratione, quia non omnino publicus tum primum, ac non tam receptus ipsius usus, quam magni illius, celebrisque carceris in media Urbe ædificati; aut, si mavis, quod in eo detinerentur ii, qui bonis suis lapsi fuissent, aut tantum in bonis non haberent, quo ære alieno liberare se possent: maxime si id ex causa malorum morum contigisset; quo casu reus dicitur ex causa privata custodiri; quandoquidem privata judicia dicebantur a Latinis illa, quæ ad rem familiarem maxime pertinebant *b*. Verum de diverso Tulliani, & Mamertini carceris usu plura apud veterum scriptorum monumenta leguntur; nam Tulliano carcere non modo includebantur rei, ut custodirentur, verum etiam ut occulto, & privatim præcipitarentur, prout Robur Tulliano carceri inerat, ut statim dicemus.

a Vinandus Pighius Fastor Tom. 3

b [illegible] §. ult. [illegible] juft. & [illegible]

CAP. V.

Disputatur contra Baronium Saxi Tarpeii pœnam cum Tulliano Robore confundentem. Quid utrumque sit, & qualiter inter se differant.

Quemadmodum abscedere a Baronii sententia Mamertinum a Tulliano carcere distinguentis non possum, ita neque calculum eidem præbere Robur cum saxo Tarpejo confundenti. Videamus itaque, quid utrumque sit, ut exinde alterutrius discrimina eliciantur. A Festo exordiamur in Roboris descriptione: *Robur*, inquit, *dictus est in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod antea arcis robusteis includebatur*. Adeo autem Robur carceri adhærebat, ut Plautus in Curculione non ineleganter utrumque conjunxerit: *At ego*, ait, *faciam, vos ambo in Robusto carcere ut pereatis*. Robur autem ex eo dictum ausim asserere, quod inferior ea carceris pars, præter ingentia saxa, quibus concludebatur, tabulas etiam ex robore simul compactas superpositas haberet. Viam sternit ad hanc evincendam conjecturam Sallustius in Catilinaria, ubi de Robore agens ait: *est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi parum ascenderis ad lævam circiter 12. pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes* &c. Neque sane existimes, Sallustio excidisse verbum *muniunt*, sed data opera eo usum fuisse, ut muris tabulas quoque impactas incrustationis instar ostenderet ad validiorem reorum custodiam, ideoque parietibus muniri dixit; quemadmodum Cicero in III. Verrina: *His tabulis templi interiores parietes vestiebantur*; est enim paries quicquid arrigitur muri loco. Hinc Robur a Comico in Pænulo *robustus codex* appellatur, & *lignea custodia*: licet alii aliter hæc intelligant, ut dixi cap. 3. Imo Robustum pro robusteo, hoc est ex robore, memini dictum a Varrone *a*, ubi: *In eo aliqua robusta materia si in medio sit depacta, negant serpentem nasci*: ad quem locum Petrus Victorius testatur, in antiqua lectione pro Robusta Robusteam legi; quod Catonis, & Plinii auctoritate tuetur. Codex autem in arboribus dicitur id, quod crassius super terram assurgit, ex quo tabulas antiqui faciebant; unde translate Varro lib. 3. apud Nonium Codices dicebat tabulas in unum conjectas; & apud Senecam De vitæ brevitate Claudius, qui primum Navium structuram excogitavit, Caudex ob id dictus est, quod plurium tabularum contextus Caudex apud antiquos appellaretur. Ex his illustratur Juvenalis locus ibi: *Horrida quale facit residens in codice pellex b*. Codex enim ibidem vinculi genus est ex arborum truncis coagmentatum, robusta, quernave sedes in privatis ædibus adversus servos nequam, & improbos, quale est in publicis carceribus robur: *c* quibus favet Propertius: *Codicis immundi vincula sentit anus d*. Ad Tarpejum saxum nunc convertatur Oratio. Formam ejus Romanus Declamator describit Arelius Fuscus *e*. *Erat*, inquit, *præruptus locus & immensæ altitudinis moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quæ aut elidant corpus, aut de integro gravius impellant: inhorrent scopulis enascentibus latera, & immensæ altitudinis tristis aspectus: electus potissimum locus, ne damnati sæpius dejiciantur*. Porro Arcem hanc Tarpejam dictam esse a filia Tarpeii, probat Plutarchus in illis verbis *f*: *Tarpeja ibi sepulta; ab ea tumulo nomen inditum mansit usque ad Tarquinii ætatem, qui cum locum dedicasset Jovi, reliquiis alio translatis, Tarpejæ nomen simul mansit: præter Capitolii saxum, quod & his temporibus Tarpejum vocant, e quo sontes præcipitare soliti sunt*. Nec abludunt Silius Italicus, ac Lucretius. Ille *g*:

Tarpejos iterum scopulos, præruptaque saxa
Scandatis licet, & celsam migretis in Arcem.

Hic vero:

——— Scelerisque luela
Carcer, & horribilis de saxo jactu' deorsum h.

Locus itaque Robur ab infami rupe distinguebat: nam Robur in ipsa planitie Urbis erat, vel saltem in ima Tarpeii montis radice carceri inædificatum. Tarpejum autem saxum in celsissimo Urbis loco, ut secure etiam despicientibus horrendum videretur, ut Cornelii Hispani verbis dicamus *i*. Ut igitur forma, & loco distinguebatur Robur, & Tarpejum Saxum, ita & diversum erat utriusque usus. Equidem fateor, ex utroque reos præcipitatos fuisse (imposuit enim forte Baronio Eminentissimo præcipitatio, commune utrinque

a lib. 1. De re rustica cap. 38.

b Satyr. 2. vers. 57.

c Adrian. Turneb. lib. 23. Advers. cap. 21.

d li. 4. Eleg. 7.

e apud Senec. lib. 1. controv. 3.

f in Romulo: & Val. Max lib. 5. cap. 6.

g lib. 2.

h lib. 3.

i apud Senec. lib. 1. Controv. 3.

que supplitium) veruntamen præcipitatio e Saxo publica erat; e Robore occulta, & secreta: neque enim e Robore fiebat præcipitatio, quemadmodum e Saxo: nam quod Valerius Maximus ait: *De Robore præcipitati sunt*, egregie expendit Minellius his verbis: *Ideo de Robore præcipitari dicebantur, qui antea Robore includebantur, ibique per aliquot dies servati, atque inde postea deprompti, præcipitabantur a*. [a lib 6. cap 3] Quod vero præcipitatio e saxo publica fuerit, probo: Obsides Tarentini primis tenebris, æditius corruptis, custodia educti a Tarracina comprehensi, deducti in Comitio, virgisque approbante populo cæsi de saxo dejiciuntur *b*. [b Liv. l. 35.] Q. Metellus Macedonius ab C. Acinio Labeone, cum e campo reverteretur meridiano tempore, vacuo Foro, & Capitolio, ad Tarpejum raptus fuit, ut præcipitaretur, ni Attinius Collega a limine mortis eum revocasset *c*. [c Plin. li. 7. cap. 44.] Recepti profugæ 370. quos cum Romam misisset Consul, virgis in Comitiis cæsi omnes, ac de saxo dejecti *d*. [d Liv. lib. 3] E contra in Robore necari, aut e Robore præcipitari mortem secretam fuisse, indicat Livius in illis verbis: *Ut in carcere instar furis, & latronis vir clarissimus includatur, & in robore, ac in tenebris expiret e*. [e lib. 38.] Item Calpurnius Declamator: *Video*, inquit, *carcerem publicum saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram respicientem. In hunc conjecti Robur Tullianum prospiciunt: & quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplitium aspectando suum discunt f*. [f Declam. 5.] Hæc nisi mavis de iis, qui strangulantur accipere, aut alia occumbunt secreta morte, quæso, si aspectant supplicium sociorum ex eo ipso carcere, quo includuntur, & cujus est umbra lucis admodum tenuis, certo certius est, præcipitationem ex Robore secretam, & remotis arbitris fieri. Quod autem Minellius ajebat, e Robore extractos fuisse reos, ut præcipitarentur, id probat Calpurnius inquiens, *jacentes ferrati postis stridore excitari*. Quorsum enim stridor iste postium, nisi ut Carnifex ingrediatur ad reos, vel ut rei ipsi educantur e carcere, ut exinde præcipites ruant? Erat itaque robur in carcere locus non absimilis arcis robusteis: placuit namque veteribus robur pro ligno usurpare. Ita in oratione pro L. Muræna Cicero, cum duritiam vitæ Spartiatarum ostendere vellet, inquit: *Qui quotidianis epulis in robore accumbunt*. Significavit autem, eos non consuevisse in lectulis accumbere, ut mos erat reliquorum Græcorum, sed in dura quapiam materia, ac ligno: robur enim dicens, lignum intellexit *g*. [g Petr. Vict. Variar lect. lib. 3. c. 15.] Cæterum præcipitationis supplitium vetustissimi moris, & ubique gentium receptum fuisse, mihi probatissimum est: nam Hebræi nocentes suos sic punivere, ut Jezabel fœminam impiam sub Imperio Jehu; & filiorum Seir captiva decem millia jussu Amasiæ hoc pœnæ genere trucidata fuere *h*. [h Paralip. 2. cap. 24.] Eodem Astianax Hectoris ab Ulysse, Theseus a Lycomede, Daphidas Sophistes ab Attalo Rege; Esopus fabulator a Delphensibus; & Arruntius quidam Paterculus a

A Censorino Ægestanorum Tyranno e sublimi deturbati *a*. [a Plutarch. in Theseo. Val. Max. l. 1. cap. 8.] Eleæorum etiam sanctio fuit, teste Pausania, de Typeo saxo fœminas illas dejiciendi, quæ ad Olympia penetrassent. A Græcis itaque ad Romanos hoc pœnæ genus transivit, & quidem Romæ nascentis initio: nam Verius Flaccus testatur, L. Tarpejum a Romulo sic punitum fuisse: & Plutarchus in eo generaliter statuit, e Saxo Tarpejo sontes deturbari solitos. Ac Dionysius Halicarnasseus refert, Sp. Cassium consulem circa annum Urbis conditæ 268. Majestatis

B reum damnatum, & a Quæstoribus saxo dejectum, *Vulgari*, ut ait, *apud Romanos supplitio b*; [b lib. 8.] Hoc est, multis ante leges duodecim Tab. annis, utpote quas Decemviri trecentesimo tertio Urbis conditæ anno Romæ primum promulgaverint. Verum a lege duodecim Tabularum nominatim hæc pœna sancita est: *Falsus testis saxo Tarpejo dejicitor: & servos in manifesto furto prehensos verberibus afficito, & e saxo precipitato*. Verumtamen supplicium istud præcipitandorum e saxo reorum post legem Portiam, & Valeriam

C frequentari desiisse, Petrus Faber putavit *c*: [c lib. 1. Semestr. c. 18] adeo ut non posse quem sic damnari, ut de saxo præcipitaretur, Modestinus responderit *d*. [d l. si diutino ff. de pœnis.] Et D. Augustinus tale supplitium, ut homo præcipitaretur, insolitum Romanis legibus, & potestates Romanas eo numquam usas fuisse multis in locis asseverat *e*. [e lib. 2. ... vers. 1. Petil. ... c. 20. lib. 3. contra Crescon. c. 49. in Joannem cap. 3. Tract. 11.] Nec movet, quod Tiberii Imperatoris ævo incesti damnatum e saxo Tarpejo dejectum fuisse, Tacitus scribat *f*: [f l. 20. annal.] Hoc enim illorum temporum sævitiæ imputandum est, quibus in omne genus crudelitatis Tiberius irruperat. Prout

D ejus carnificinæ teterrimum testimonium Capreis exhibitum fuit, quo loci damnatos per exquisita tormenta præcipitari coram se in mare jubebat, excipiente Classiariorum manu, & contis, atque remis elidente cadavera, ne cui residui spiritus quicquam inesset *g*. [g Suet. in Tib. cap. 62] Itaque (ut redeamus ad institutum) quamquam præcipitari e Robore dicantur rei, id tamen non est intelligendum de pœna præcipitationis, sed de deductione ad humiliorem locum; siquidem *Præcipitare* verbum non modo de eo

E dicitur, qui jacitur, & cadit, verum etiam de eo, qui e loco sublimi deorsum defertur; unde Virgilius in Pharmac.

Præceps aerii specula de montis in undas
Deferat.

Ita ut, quæ Festus ait, *Robur est locus, quo præcipitatur quoddam maleficorum genus*, legerim *quo præcipitatur* per adverbium loci, ut Virgilius Æneid. 1. *quove tenetis iter*; nempe ad quem locum. Imo vero Nardinus fatetur in sua Roma antiqua, Tullianum carcerem aliis fuisse profun-

F diorem, ad quem rei e Robore præcipites dejiciebantur; quamquam posterioribus temporis mutationibus scala fuerit, eodem teste, inædificata; quod comice fortasse expressit Plautus in Aulularia, *Puteum* appellans *h*. Eleganter Cassiodorus. [h lib. 12. Varior.] *Non est unum clausis exitium; multifaria morte perimitur, qui carceris squalore torquetur. Nunc ergo reos de Averno tuo victuros emitte. Redeant ad superos, qui magna ex parte inferos pertulerunt*.

CAP. VI.

Quid re vera Mala Mansio apud Jurisconsultos, diligentissime enucleatur.

QUamquam Doctores nostri crassa, ut ajunt, Minerva Malam Mansionem pro Carcere ipso usurpare non dubitaverint; attamen quid in re perdifficili, & obscura sentiendum sit, hoc capite statui non perfunctorie percurrere; sed ea, qua possum diligentia, exquirere, & enucleare. Itaque Ulpianus J. C. *Si hominem apud se depositum*, ait, *ut quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad Malam Mansionem extensum sequester solverit* &c. *a* pro quorum verborum interpretatione Accursius glossator omnium ineptissime Malam Mansionem putavit esse carcerem ipsum: cum enim is, qui in carcerem detrusus est, omnibus omnino bonis carere soleat, quinimo luce ipsa, qua fruimur, expolietur, Malam Mansionem carcerem dictum putavit; & cum eo vulgaris Doctorum schola pedibus in hanc sententiam descendit. Adrianus Turnebus *b* rem hanc aliter explicat, sed tanta hæsitancia, & titubatione, ut nihil affirmare videatur; inquit enim; *ego eo nomine suspicor* (sed suspicor tantum ait) *arcas, in quas conjiciebantur servi, de quibus quæstio erat habenda*. Equidem non inficior; sed Arca publica noxiorum custodia erat; nam Tullius pro Milone agens de quæstione habita in Atrio Libertatis ait: *subito arrepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, & in Arcas conjiciuntur, ne quis cum iis alloqui posset*. Mehercule mala mansio, de qua Ulpianus, erat custodia privata, & domestica: inquit enim; *si hominem apud se depositum, ut quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad Malam Mansionem extensum sequester solverit &c.* His addo: nam si Mala Mansio nihil aliud esset, quam Arca, quid esset, quod reprehenderemus glossographum, Malam Mansionem pro carcere ipso usurpantem? Arcam enim carceris speciem fuisse, alibi ex Festo demonstravimus. Quare Optimi, ac eruditissimi interpretes non defuere, qui Malam Mansionem pro tormenti specie intelligerent *c*. Sed hanc speciem alii ad Nervum, alii ad Numellas, & fidiculas; alii rursus ad equuleum retulere. At quid ego, quoniam Mala Mansio a Græca voce est desumpta, quam vix summis labris attingere hactenus vacavit? Veruntamen quid de hac re statuendum sit, satis enucleate docet Samuel Petitus *d* in legibus Atticis, ubi ait, apud Græcos duplex præcipue fuisse tormenti genus, quo noxii excruciabantur. Alterum appellabant *podocacen*, quo pedes in ligno vinciebantur; alterum *podostraben*, quo manus, pedesque extendebantur, torquebantur, ac luxabantur. Contendit itaque Petitus, malam mansionem esse potius *podostraben*, quam *podocacen*; quod per malam mansionem pedes manusque torquerentur, ac luxarentur. Fateor quidem, Nervum etiam fuisse, quo noxiorum pedes excruciabantur; Nervum enim appellamus, inquit Festus, etiam ferreum vinculum, quo pedes vinciuntur; juxta illud, *Posuisti in Nervo pedem meum a*. Verum enimvero nihil vetat, quin & hoc explicemus exemplo equulei; nam hanc consuetudinem veteres servavere, ut, corpore in equuleo extenso, fidiculis, vel ungulis ejusdemmet membra scinderent, ac lacerarent, vel laminis candentibus, aut consimilibus instrumentis torrerent *b*. Suadetur magis, magisque opinio hæc ex Magio, qui servilem pœnam dicit Equuleum *c*: de servis autem mentio fit apud Ulpianum; & quia extendere prædicatur proprie de Equuleo; unde reum longiorem factum in Equuleo dixit Seneca *d*. Sed ne hoc quidem placet; nam ex juribus allegatis apparet, Malam Mansionem proprie quæstionem non esse, sed præparatorium quoddam ad quæstionem ipsam; quandoquidem Ulpianus ait: *Si hominem apud se depositum, ut quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad malam mansionem extensum sequester solverit, &c.* Ordo est, *Extensum ad malam mansionem, ut quæstio de eo haberetur*. Igitur quia extensio ad malam mansionem non est proprie quæstio, sed præliminare quoddam antecedens quæstionem. Præterea idem Ulpianus alibi ait *e*. *Quæstionem intelligere debemus & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem. Nuda ergo interrogatio, vel levis territio non pertinet ad hoc edictum. Quæstionis verbo etiam ea, quam malam mansionem dicunt, continebitur*. Sensus est; Malam mansionem non afferre corpori dolorem; ideoque quæstionem proprie non esse: quia tamen excedit cancellos levis territionis, ideo non erit quæstio proprie dicenda, sed quæstionis nomine veniet; est enim receptissimus scribendi stylus apud jurisconsultos, ut quod analogice venit, & minus proprie, id dicatur venire nomine alterius rei *f*. Quare, me judice, proprie veritatem attigit, qui malam Mansionem existimavit pertinere ad genus quoddam coercitionis, quod partim pœnæ, partim custodiæ, partim vero quæstionis habendæ causa inferebatur. Loca hujusmodi, in quæ servi ponebantur, a Julio Polluce *g* recitantur in hæc verba: *Molæ, carceres, pistrinæ, granaria, & molendina*. Quo etiam referendus Aristophanis catalogus servilium aliquot tormentorum a Pignorio nostro relatus; *Extensionem in tabula, suspensionem, scuticam e pelle bifstricis, verbera, torturam, aceti in nares infusionem, & laterum impositionem, &c.* Erit ergo Mala Mansio locus in ergastulo, quo servi vincti, ac custoditi detinebantur. Cum autem multa genera fuerint malarum mansionum, ut diximus, Jurisconsultus generali vocabulo uti voluit. Mansiones enim veteribus vocabantur diversoria, in quibus quietem capiebant viatores; quales expeditionum tempore parabantur militibus *h*, a manendo dictæ; unde Galli traxerunt vocabulum *Maisons*: etenim iter faciebant milites tempore, & spacio determinato, scilicet viginti milliarium per singulos dies *i*: quamquam con-

a l. si hominem 7. ff. depositi.
b lib. 23. Advers. cap. 21.
c Petr. Gregor. lib. 31. syntagm. c. 33. Budæus in l. item apud [illegible] § quæstionem 41. ff de injuriis. Briss. de V. S. Hotrom. de verb. jur. Gothofred. in l. 7. ff depositi.
d lib. 4 Tit. 9.

a Job 13.
b Gallon. de cruciat. SS. Marty. c. 3.
c De Equuleo cap. 12.
d Epist. 67
e in l. item 15. § quæstionem 41. ff. de injur.
f l. naturales. 9. ff. de O. & A.
g lib. 3. c. 8.
h l. nemo. 8. Cod. de annonis, & tribut.
i l. 1. ff. de quis cautionibus, &c.

tingere possit, ut breviori spatio magnum iter absolvatur, ut de Mithridate legimus apud Appianum Alexandrinum *a*, uno tantum die confecisse centum milliaria; & Socrates refert, fuisse Constantinopoli quendam Palladium equos agitantem tam mirabili celeritate, ut spatio tridui Constantinopoli in Persiam perveniret, & rursus Constantinopolim e Persia eodem illo spatio reverteretur *b*, ut, quod latissimum per se erat, Romanum Imperium celeritate sua angustissimum effecisse videretur. Est itaque mansionis vocabulum media vox, quæ & in bonam, & in malam partem trahi potest: nam in Codice Theodosiano mentio fit de bona Mansione, quæ commodis omnibus referta erat, atque parata *c*. Mala ergo mansio e contra malum diversorium erat, seu receptaculum, in quo servus interim custodiebatur, donec legitima quæstio de eo institueretur: ubicumque enim vox aliqua media est, ibi semper adjecta est dictio quædam, quæ alteram ab altera distinguat. Hoc sensu dolum malum dicimus, ut distinguatur a solertia, quæ dolus bonus est: Eodem malum venenum appellamus, ut medicamenta excludantur: Eodem malum contractum Triphoninus expressit, ut ab honestis conventionibus sejungatur *d*.

a De Bello Mithrid. c. 158.
b lib. 7. Histor. Eccles. cap. 19.
c l. 12. De erogat. milit annonæ.
d l. 1 §. non fuit autem ff. de dolo malo. l. 3 §. adjectio ff. ad l. Cornel. de Sic l. si rerum ff de re judicata.

CAP. VII.

De Latomiis, seu Lautumiis; & an differant a Lapicidinis, seu damnatione in Metallum.

JAcobus Cujacius vir non modo de jurisprudentia nostra, verum etiam de universa litteraria Republica optime meritus, in suis doctissimis commentariis, quos Observationes appellavit, expendens vulgarium, & Florentinarum Pandectarum lectionem de Latomiis, vel Lautumiis agentem, congestis ad hanc rem clarorum virorum auctoritatibus, Lautumias, non autem Latomias legendum esse concludit *e*. Verum quia scire leges non est verba earum tenere, ut alibi Celsus definivit *f*, neque enim virtutem verba putes, ut lucum, ligna *g*, idcirco quid istæ Lautumiæ fuerint, utilius expendamus. Porro originem Lautumiarum proponit Tullius in Verrem actione septima a Dionysio Tyranno crudelissimo fuisse, ubi quondam Lapicidinæ erant Syracusis, prout lingua Siculorum Latumiæ appellari Lapicidinæ solent, secundum Asconium nostrum. Ut igitur effossis ingentibus saxis, ac excisis, ingentes caveæ sub terra apertæ sunt; ita placuit, eo loci reos condere, & ut a roboreis tabulis, vel rubicundis saxis Robur, ita a Lapicidinis, & saxis Lautumiæ dictæ sunt. Quare opus illud ingens fuisse Tullius testatur, totum ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operis penitus exciso; nihil tam clausum ad exitum; nihil tam septum undique; nihil tam tutum ad custodias. Hinc de istis Lautumiis intelligas malim Aurelium Prudentium, virum sane & innocentia morum, & elegantia dicendi celebratissimum, qui in Hymno B. Vincentii hæc habet.

e lib. 6. Observ 7 l. 1. ff. de aleat. l. succurritur 9. § ult. ff ex quibus caussis majores &c.
f l. scire leges ff de leg
g Horat lib. Epist 1. ad Numicium.

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.

Itaque hujusce carceris derivatio procul dubio decepit eos, qui Lautumias pro Lapicidinis usurparunt: quasi idem omnino sit in metallum, aut in opus metalli damnare, ac in Lautumias. Mehercule fefellit illos auctoritas Plauti in Captivo, ubi Ægio *a*: *inde*, inquit, *ibis porro in lautumias lapidarias*. Verum id comice dictum puto, non quod lapicidinæ vere Lautumiæ fuerint, sed quia quemadmodum Lautumiarum carcer, ita & lapicidinæ gravissima incommoda præseferebant. Quocirca inquit: *Inde extra portam ad meum libertum Cordalium in lapicidinas facite deductus fiet*. Non ergo Plautinæ illæ lautumiæ carcer publicus erant, sed Ergastulum; nam publicus Lautumiarum carcer erat in Urbe non procul a Tulliano, de quo Livius *b*, ubi de incendio Romæ circa Forum orto, Coss. M. Claudio Marcello, & M. Valerio: *Interrupit*, inquit, *hos sermones pluribus simul locis circa forum incendium ortum. Eodem tempore septem tabernæ, & argentariæ arsere. Comprehensa postea privata ædificia, comprehensæ Latomiæ, forumque piscatorium, & atrium regium*. Id evidentius probo ex auctoritate legum nostrarum; quandoquidem certi juris est, eum, qui in metallum, vel in opus metalli damnatur, vinculis atque compedibus obligari; ea solummodo inter utrumque differentia, quod qui in metallum damnatur, gravioribus vinculis premitur; qui in opus metalli, levioribus *c*. Jam autem lautumiis compactum nullis omnino vinculis constringi probat Callistratus, ubi ait: *Vinculorum autem appellatio latius accipitur: nam etiam inclusos veluti lautumiis vinctorum numero haberi placet, quia nihil intersit, parietibus, an compedibus quis teneatur d*: Ergo qui Lautumiis detinebatur, pariete tantum clausus erat; qui Lapicidinis, vincula, & catenas patiebatur. Ex his illustratur Ulpiani locus, quo expendit Edicti Prætorii verba adversus aleatorum socios proposita. *In eum*, inquit, *qui aleæ ludendæ causa vim intulerit, uti quæque res erit, animadvertam. Hæc clausula pertinet ad animadversionem ejus, qui compulit aliquem ludere, ut aut mulcta mulctetur, aut in lautumias, vel vincula publica detur e*. Nam quamquam plerique autument, lautumias ibi pro coercitione metalli esse accipiendas; attamen evidentissime contrarium duobus propositis principiis ostendam. Præmitto igitur primo, damnationem in metallum fuisse pœnam, quæ inter capitales referebatur, quod quasi mortuus haberetur, qui ea plecteretur: privabatur enim libertate, civitate, & familia, ex quibus politica civium vita constare dicitur *f*. Quare D. Hadrianus rescripsit, in opus metalli neminem ad tempus dam-

a Act. 1. Scen. 5.
b Hist. li. 36.
c l. aut damnum 8. §. inter ff. de pœnis.
d l. succurritur 9 ff ex quibus caus. mai.
e l. 1. §. ult. ff. de aleæ lusu &c.
f l. capitalium 28. ff. de pœn. §. maxima. Instit de Cap. demin.

nari posse, tum quod contra naturam sit, ut quis pro parte temporis servus dicatur; tum quod sit indecorum, ut ad Civitatem Romanam redeat, qui servus pœnæ fuerat *a*: ex quibus omnibus obtinuit sententia existimantium, coercitionem metalli ad secundum gradum meri imperii esse referendam, quod acriorem, pressioremque reorum animadversionem contineat *b*. Hinc Præfecto Urbi ex Epistola Divorum Veri, & Antonini ad Fabium Cilonem specialiter concessum est jus in metallum damnandi *c*: quæ est imperii meri natura, ut iis tantum competat, quibus specialiter lege, vel Senatus consulto, vel Constitutionibus Principum tribuitur *d*. Præmitto secundo, Prætores Urbanos, quos, qui civilibus tantum negotiis omnino vacabant, merum imperium nullatenus habuisse; nam cum merum imperium nihil fit aliud, quam potestas animadvertendi in facinorosos *e*; ubicumque animadversione ista opus esset, ad Præfectum Urbi Prætor reos remittebat, ad quem omnium plane criminum vindicandorum cura legibus demandata erat *f*. Nisi forte corporalis pœna, veluti verbera, infami, atque inopi homini infligenda esset; nam id hercle Prætori etiam competebat. Ita *si quis injuriam atrocem fecerit, qui contemnere injuriarum judicium possit ob infamiam suam, & egestatem, Prætor acriter exequi hac rem debet, & eos, qui injuriam fecerunt, coercere g*. Neque solam egestatem sufficere putandum est, ut id juris Prætor usurpet; sed ad Præfectum urbi remittere debet. Sicut & tutores ob facta atrocia in tutela admissa, non quilibet, sed plebeii, vel liberti remittuntur *h*. Ex his apparet, Ulpianum verba facientem de edicto Prætorio pœnali, non de coercitione metalli, sed de carcere esse accipiendum; nam ex dictis conjicies, in metallum damnare meri imperii fuisse: quo quoniam Prætor carebat, idcirco non poterat in metallum damnare, sed ad Lautumias, seu carceres publicos. Dices. Cur diversum, ut Prætori liceat dare in Lautumias, seu vincula publica reum, non item in metallum possit? Solvimus tamen: nam damnatio ad carceres, & ad vincula publica potest dupliciter contingere: perpetuo, & ad tempus. Damnatus perpetuo carcere dicitur affectus pœna ad merum imperium pertinente, quia quæ pœna libertatem adimit, ad merum imperium spectat *i*: contra vero temporarii carceris coercitio ad mixtum imperium referenda est, quippe quæ in modica coercitione consistit *k*. Quamobrem Lautumiarum, & publicorum vinculorum pœnæ de carcere temporario accipiendæ sunt, non autem de perpetuo. Igitur allucinantur, qui Lautumias pro Lapicidinis accipiunt, aut locis illis, e quibus effodiebantur metalla; nam mirum, in legibus nostris tam crebram mentionem fieri de metalli coercitione, & tamen nusquam, quod sciam, lautumiarum vocabulo designari. Satius itaque erit, si dicamus, Lautumias subterraneam carceris cellam fuisse, cui propterea Triumviri capitales præesse jussi sunt *l*. Unde Tullius in Pisonem, Catilinæ lautumarium appellat carceris colonum, quales plerique in conjuratione, & Catilinæ societate fuerunt *a*.

a l. capitalium in §. divus. l. libertas 21 ff. de manum. test. Suet in August cap. 40. Ulpian. in fragm de libertis.
b Gentil. de Jurisd. & li. 3 c. 8.
c l. aut damnum §. Præfecto. ff. de pœn &c
d l. 1. ff de Off ejus &c.
e l. imperium 3. ff. de Jurisdict. &c.
f l. 1. ff. de Off Præfect. Urbi. l. 1. & 2 ff. de suspect. tutoribus.
g l. si quis injuriam 35. ff. de injur.
h l. 1. §. ult. cum l. seq. ff de suspectis. Castrens. in l quicumque n. 9. Cod. de servis fugitivis.
i Bartol. in l 3. ff. de jurisdictione. l. 2. ff. de lib ho[illegible] l. post 36. Cod. de liber. causa.
k l 3 §. tutores ff de suspect. tut.
l Liv. l. 36.

a Turneb. in Varron. de ling. Lat. verbo: *Lautumia*.

CAP. VIII.

De causa finali Carceris, & jure ne, an injuria receptum, ut pro pœna adhibeatur.

HUmano, divinoque jure mihi probatissimum est, carcerem ad custodiam, non vero ad pœnam primitus fuisse institutum. Enimvero jure Moysis sancitum erat, ut qui blasphemassent nomen Domini, in carcerem mitterentur; donec nossent, quid juberet Dominus *b*: & Sabbati violatores in custodiam carceris recipiebantur *a nescientibus, quid super iis facere deberent c*. Humano pariter jure adeo hoc ipsum servatum est, ut probatione egere non videatur. Quare Præsides Provinciæ si aliquem putaverint esse in insulam deportandum, debent super ea re Principem consulere; medio autem tempore, dum scribitur, jubere eum debent in carcere esse *d*: ac diligenti custodia vinciendi fugitivi tamdiu sunt, quam diu ad Præfectum Vigilum, vel ad Præsidem deducantur *e*. Verum posterioribus temporibus mutatus est carceris usus, & ad pœnam tum perpetuam, tum temporariam accommodatus; nam tempore Amulii Latinorum Regis Dionysius refert, in occultum carcerem conjectam puellam fuisse, eumque perpetuum *f*. Meminit & Cicero de perpetuis carceribus in pœnam statutis, eamque morte ipsa putat esse graviorem: *Vincula vero*, inquit, *& ea sempiterna ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt g*: quasi id publicam morum disciplinam maxime tueatur; *hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem; quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent h*. Obvia propterea sunt multa exempla damnatorum ad perpetua vincula: De C. Vatinio, qui, publicatis bonis, perpetuis vinculis obstrictus est, quod sibi sinistræ manus digitos absciderat, ne bello Italico militaret: De C. Cornelio Primipilo lege Scantinia damnato, qui in carcere mori jussus est *i*. Et hoc jus damnandorum reorum, ut vinculis perpetuis contineantur, invaluit, donec longæ pacis artibus deliniti Romani durum illud supplitii genus ablegarunt; ac *Mandatis Principalibus, quæ Præsidibus dantur, cautum fuit, ne quis perpetuis vinculis damnaretur k*. Ingenue fateor, me ignorare, a quibus Principibus mandata ista primum processerint, sed ante Hadrianum certe, quippe prædicta mandata confirmasse dicitur a Callistrato ibidem. Reddit rationem hujusce rei Ulpianus jurisconsultus: *Carcer enim non ad puniendos homines, sed ad continendos haberi debet l*. Illud tamen notatu dignum occurrit, mandatis Principalibus non fuisse cautum, ne quis vinculis omnino damnaretur, sed solummodo, ne perpetuis;

b Levit. cap. 24. v. 22.
c Numer. c. 15. v. 34.
d l inter pœnas 6. §. 1. ff de interd. & releg.
e l 1 §. 7. ff. de fugitivis. l si quis 6 §. ejus ff. de injusto, rupto, &c.
f l. 1. Antiq. Rom.
g in 4. Catilin.
h Tull. Off. 3.
i Val. Max. l. 6. c 1. & 3.
k l. mandatis 35. ff. de pœnis.
l l. aut damnum 8. §. solent ff. de pœnis.

cæteroquin temporariis vinculis damnari reos potuisse, passim apparet. Ita cum tutor pecuniam ad prædiorum emptionem conferre pertinaciter recusaverit, *vinculis publicis jubetur contineri, quoad emptionis occasio inveniatur a*. Qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica coerceri D. Pius rescripsit *b*. Ac is, qui aleæ ludendæ causa vim intulerit, in lautumias, vel vincula publica duci jubetur *c*. Ratio autem, propter quam vincula, & carceres ad tempus adhibere legibus non reprobatur, ea est, quia temporarius carcer non adimit libertatem *d*: quare temporaria vincula minimis suppliciis annumerantur, quod parvi faciendæ sint illæ pœnæ, quæ nec libertatem, nec civitatem eripiunt *e*. Nec est quod objicias, rationem illam Ulpiani etiam temporario carceri obstare; nam cum carcer ad continendos, non ad puniendos homines haberi debeat, medius fidius puniuntur homines carcere, etiam cum ad tempus tædia ejus patiuntur. Attamen respondemus, temporarium carcerem proprie pœnam dici non posse, quippe qui neque vitam adimat, neque servitutem injungat, neque auferat, Civitatem, aut exilium, vel coercitionem corporis contineat, quæ omnia genera pœnarum sunt *f*. Cum itaque carcer ad tempus adhibetur, ratione causæ finalis dicitur correctio, licet ratione materiæ dicatur pœna *g*. Quare de materia carceris est intelligendus D. Pius: qui ad Antiochenses rescripsit, eum, qui ob grave scelus in vincula conjicitur, hanc ipsam carceris pœnam ante supplicium sustinere debere *h*: quemadmodum etiam Constantinus Cæsar pœnam carceris dixit; a qua alienus esse debet, qui carcere temporario continetur. *Nec vero sedis intimæ tenebras pati debet inclusus, sed usurpata luce vegetari, ac sublevari; & ubi nox geminaverit custodiam, in vestibulis carceris, & salubribus locis recipi, ac revertente iterum die, ad primum solis ortum illico ad publicum lumen reduci, ne pœnis carcerum perimatur i*. At vero ne mandantibus quidem Principibus Præsides obtemperabant potentatu improbo, ac violento, ut alibi cum D. Cypriano expressimus, dum vult, posse, quod non potest, qui nimium potest; & hæc est judiciorum corruptio, quam improbat Ulpianus ad sua se tempora referens *k*: *Solent*, inquit, *Præsides in carcere conjiciendos damnare, ut in vinculis perpetuis contineantur*: (id enim magis probo, quam quod Florentina lectio habet) *sed id eos facere non oportet; nam hujusmodi pœnæ interdictæ sunt*; nempe ab Hadriano præ cæteris, qui ante Alexandrum Severum, sub quo respondit Ulpianus, fuit. Itaque ad abrogandam consuetudinem Præsidum vincula infligentium perpetua opus fuit nova lege Antonini, & Gordiani Cæsaris; qua *incredibile esse* ajunt, *liberum hominem, ut vinculis perpetuis contineatur, esse damnandum l*. Incredibile quidem, cum ignorantia mandatorum Principalium excusare Præsides non possit, prout regulare est, ex ignorantia juris neminem posse excusari. Unum est, quod valide obstare videtur, nimirum ejusdem D. Hadriani rescriptum statuentis, *gradum pœnarum in custodiis servandum esse* (custodiæ autem dicebantur rei in carcerem compacti, ut suo loco dicendum a nobis erit) *idest ut qui in tempus damnati erant, in perpetuum damnarentur; qui in perpetuum damnati erant, in metallum damnarentur; qui in metallum damnati id admiserint, summo supplitio afficerentur.* Verum pro solutione recte Bachovius sentit, textum esse intelligendum de iis, qui ad opus publicum, & in custodia, ut plurimum, vinculisque constricti pœnis suis fungebantur *a*; ac de his Plinius ait. *Si qui vetustiores inveniuntur, & senes ante decem annos damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quæ non longe a pœna sunt b*. Quod vero ad opus publicum damnati, veluti munitiones viarum, vicorumque, balineum, purgationes cloacarum, quemadmodum & hi, qui in insulam ablegabantur, custodia quadam diligenti custodirentur, argumento est, quod Zosimus Historiarum quinto narrat, Timesium missum ad habitandam Oasim expulsum esse, deducente eum custodia publica: & de Agrippa Posthumo Tacitus Annalium primo, ab Augusto Planasiam vectum dicit, *Tribuno custodiæ causa apposito*. Nec non Dion Cassius libro quinquagesimo quinto de Livia ait; *Quid enim injuste aget aliquis in insulam constrictus, non solum sine multitudine servorum, vel pecuniarum, verum etiam in custodia?* Ex quibus omnibus illustratur ejusdem Hadriani rescriptum, ibi; *qui deportatus evaserit*, ut Callistratus refert *c*: est enim *evadere* Callistrato idem propemodum, ac *custodiam militum evadere*, ut idem alibi quasi sui ipsius commentator expressit *d*; quod tamen postea Græca tandem constitutione correctum, atque sublatum est *e*. Ex his omnibus liquet, carcerem tum primum ad custodiendos homines fuisse introductum, postmodum vero ad pœnam accommodatum, ac tandem ita temperatum usum ejus fuisse, ut carceri reus mancipetur non perpetuo, sed ad tempus. Unus est, quod sciam, locus, quo perpetui carceris pœna non reprobatur, jure nempe Canonico *f*; & est ratio secundum Archidiaconum, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat *g*. Quod mirum mihi non immerito visum est; nam Apollonius Tyaneus consultus a Rege Babyloniæ de pœna imponenda Eunucho, qui deprehensus fuerat una cum regiis pellicibus cubans, nihil statuendum amplius censuit, quam ut viveret; nec veniæ causa, sed supplitii, quod ipsum, si vixisset, comitaretur *h*. *Si enim*, inquit, *in vita permanserit, o Rex, difficilia, & tolerantu aspera multa feret: nec cibo, nec potu utens, nec spectaculis, quæ te, tuosque delectant, fruens; saliet insuper in eo cor frequenter, e somno excitabitur. Quis igitur sic viventi morbus non aderit? Quæve pestis viscera non laniabit? Quod si non nimium vitæ amator sit, ipse te sæpius rogabit, o Rex, ut se interficias, aut sibi ipse mortem consciscet præsentem diem deplorans, quod non statim sibi mori contigerit.* Hinc cum reus carceri addictus a Cæsare

a l. tutor. 63. §. tutores ff. de suspectis, &c.
b l. capitalium 28. § ad statuas ff. de pœnis.
c l. 1. §. ult. ff. de Aleatoribus.
d d. l. 28. in § divus.
e Paul. lib. 5. Sentent. tit. 17 & ibi Cujacius.
f l. si quis 6. §. ult. ff. de pœnis.
g Zepperus in Explanatione legum Mosaic. Forens. l. 5. c. 9.
h l. divus 3. ff. de custod. reor.
i l. 1. Cod. eod.
k d. l. aut damnum §. solent.
l l. incredibile 6. Cod. de pœnis.

a Vult. 2. ad Tren. l. Disp. 31. Thes. 4. lit. D.
b lib. 10 Ep. Trajanus.
c d. l. 28. §. in exulibus.
d l. 12. ff. de custod. reor.
e Basili. c. l. 60. Tit. 51. cap. ult.
f c. quamvis 3. de pœnis lib 6.
g Ezech. 18.
h Philo. lib. 1. de vita Apollonii.

petiisset, ut illum mori juberet, *Nondum*, inquit, *in gratiam rediisti a*. Itaque ea ratio est, propter quam jure canonico carceris perpetui pœna recepta est.

a Sueton.

CAP. IX.

De Carceris divisione multiplici, cujus occasione plura de Carcere Castrensi.

TRadita Carceris definitione, & Origine, ratio ordinis postulat, ut de ejus divisione sermo habeatur; quæ quidem triplici fonte depromi potest; nimirum a fine, a loco, & a modo custodiendorum reorum. De speciebus carceris ratione finis satis superiori capite disputatum fuit, ubi vel ad custodiam, vel ad correctionem, vel ad pœnam adhiberi carceres posse plusquam satis firmavimus *b*. A loco item distinguitur Carcer, ut alius urbanus sit, alius rusticus: etenim in Villis, & vicis, præterquam in Provinciis omnibus, carceres haberi solitos, manifestissimum est; non quidem ad animadversionem, & coercitionem reorum, sed ad id tantum, ut delinquentes serventur, & servati remittantur ad Magistratus superiores. Quare Justinianus de Defensoribus Civitatum verba faciens ait; *Audient quoque leviora crimina, & castigationi competenti contradent: & eos, qui in majoribus criminibus capiuntur, detrudent in carcerem, & mittent ad Provinciæ Præsidem*. Porro missio ista inter mandata Principum relata hoc modo fieri solebat: *Irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis, & receptatoribus; & interrogationes litteris inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant c.* quæ Epistolæ *Informationes* vernaculo nostro sermone dictæ, antiquitus Elogia dicta erant; quippe Elogia sunt testificationes de aliqua re vel ad honorem, vel ad vituperium; quorum Etymon deducit Turnebus a voce Græca *Ellogon*, quod testationem, titulumque significat *d*. Hæ Epistolæ, sive Elogia referuntur etiam a Tertulliano *e*. *Vestros enim*, inquit, *jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis, tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur*. Et alibi: *Prudens etiam missum ad se Christianum in Elogio, concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem Elogio, negans, sine accusatore se auditurum secundum mandatum f*. Item Tranquillus *g*. *Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto Elogio, stans solummodo intra porticum mediam a calvo ad calvum duci imperavit*. Eodem sensu *Notorium* veteribus usurpatum, de quo tam crebra mentio in legibus nostris *h*. Equidem scio, Vossium criticum celeberrimum accepisse *Notorium* pro adjectivo *i*; sed pace Manium ejus dixerim, *Notorium* ibi pro substantivo sumitur, licet in genere fœminino D. Augustinus usurpaverit *k*. Non tamen probo, quod nonnulli putarunt, Notoria a Notariis appellari *l*; quod Imperatores notarios habuerint secretorum, ut in vita Aureliani scribitur; & alios præterea notarios, ut e Marcellino didicimus; nam si Notoria a Notariis dicta essent, Notaria, non autem Notoria essent appellanda. Satius igitur erit, si dicemus, notoria ab effectu suo denominari, quod notum faciant: quo sensu Seneca *a* Notorem appellavit, qui notum facit: & Petronii, Apuleii, aliorumque auctoritatibus Bulengerus confirmat *b*. Sed ab his tricis abscedamus. Est & alia carceris distinctio a loco petita, videlicet ut alius Urbanus sit, de quo in superioribus egimus, alius vero Castrensis. Etenim Macer Jurisconsultus in libro, quem de re militari litteris commendavit, officium regentis exercitum esse ait, non tantum in danda, sed etiam in observanda *c* disciplina; ea namque Romanis longe antiquior habita fuit charitate Parentum, ut Paulus noster admonuit *d*. Hinc Vopiscus Aureliani Epistolam referens in ejus vita; *Si vis*, inquit, *Tribunus esse, imo si vis vivere manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat; Ovem nemo contingat; Uvam nullus auferat; Segetem nemo deterat; Oleum, sal, lignum nemo exigat*. Itaque ut in Urbe publicum carcerem ab Anco Martio, & Tullo Hostilio constructum diximus, ita & in Castris ad coercendam militum licentiam adhibitos carceres fuisse credendum est; non quidem ut in Urbe, parietibus, aut roboreis tabulis munitos, sed tales certe, ut separari a cæteris, & diligenter custodiri delinquentes milites possent. Nec enim probo, quod Joannes Britannicus ad Juvenalem constituit, catenis tantum milites usos fuisse ad noxios continendos; quandoquidem *Carcerem* illum diserte appellant Doctores, & quidem clausum, ac ab aliis mansionibus separatum. Videsis Juvenalem in illis præsertim carminibus *e*.

Inde fides arti, sonuit si dextera ferro,
Lævaque si longo castrorum in carcere mansit.

Quare cum Junius Blæsus sub Tiberii Imperatoris initio præsideret legionibus in seditionem, & tumultum abeuntibus, ad terrorem cæterorum maxime, præda onustos *claudi carcere jussit f*. Neque tamen solis Romanorum moribus putes id fuisse receptum; cum lege Moysis id ipsum servatum fuisse legatur de blasphemante Nomen Dei: *Miserunt eum in carcerem, donec nossent, quid juberet Dominus g*. Etenim de carcere Castrensi locum esse intelligendum, indicant ea, quæ sequuntur. Jam vero quis fuerit carcer hic militaris; de ejus forma; de situ, ac reorum custodiendorum more, quod Lipsius ad Polybium, & ad Vegetium Scriverius prætermisere, pro viribus ostendamus. Ac primo quidem quod attinet ad situm, Lipsius in notis ad allegatum Taciti locum statuit, in Castris stativis carcerem fuisse; at id exiliter adeo, atque jejune, ut plura sint, quæ ad rem universam enucleandam desiderentur. Erant autem stativa Castra, quæ sedula omnino diligentia parabantur, ut in iis omnia ad usum militum necessaria conferrentur; veluti armamentarium, fabrica, valetudinarium, & similia *h*. Porro intra vallum castrorum carcerem ædifi-

b Petr. Gregor. l. 2. De Repub. c. 6.
c l. Divus 6. ff. de custod. reor.
d l. 28. c. 5.
e l. 4. Apologet. cap. 44.
f Idem in l. ad Scapulam.
g In Caligula cap. 27.
h l. 6. § nunciatores ff. ... C. Tur... de Calu... renr. l. 7. C. de Accusat.
i lib. 3. De vitiis sermonis cap. 20.
k Ep. 160.
l Turneb. l. 24. Advers. cap. 20.

a l. Ep. 39. & in ludo.
b l. 5. De Imp. Rom. cap. 37.
c l. 12. ff. de re militar.
d l. postliminium 19. § ... ff. de captivis. &c.
e Satyra 6.
f Tacit. annal. 1.
g Levit. 7. vers. 12. & seq.
h Lipsius ad Polyb. l. 5. c. 1.

catum fuisse, ex sacra simul, & profana historia non incunctanter elicitur; siquidem de eodem blasphemante legitur Levitici loco citato, paulo post eductum reum extra castra fuisse, atq;lapidibus obrutum; quod Romanis quoque in more positum fuit, quibus, ubi de milite puniendo ageretur, ille educebatur e castris per portam Decumanam, & in supplicium rapiebatur *a*. Hoc tribus potissimum testimoniis evincitur. Hirtii, seu Oppii prima auctoritas est, cujus hæc verba sunt *b*. *Reliquosque veteranos a Tyronibus jubet secerni. Abducite, inquit, istos nefarios scelere contaminatos, & cæde civium saginatos; sic extra vallum ducti sunt, & cruciabiliter interfecti.* Alibi idem de Mundensibus, qui deditionem fecerant, deindeque in legionem distributi conjuraverant *c*. *Hac re cognita, ait, in sequenti nocte vigilia tertia, tessera data, extra vallum sunt concisi omnes Mundenses Duces.* Tertium Senecæ testimonium sit: *Is, cum iratus duci jussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit: extra vallum ductus damnatus est d*. Claudit agmen Tacitus: *Pars extra castra palantes a Centurionibus, aut Prætoriarum cohortium militibus cæsi e*. Modo ad formam Carceris accedamus. Et sane nulla certa carceris forma suaderi videtur ex eo, quod septa adeo castra erant aggere, sudibus, valloque munita, ut non modo sine piaculo, verum etiam sine fatali corporis discrimine exire milites non potuissent *f*; quibus munimentis sex etiam portæ accedebant; quatuor majores, Prætoria, Decumana, Dextra principalis, & sinistra principalis; quamquam aliter ab aliis nominentur *g*; duæ vero minores, quas inter *vallum*, & custodiæ, ac turres impositæ, nec non oppessulatis foribus clausæ, quarum claves erant penes Tribunum *h*. Nihilo tamen minus carcerem Castrensem locum fuisse a militibus separatum, clausumque, quo milites rei continebantur, probant verba Taciti supra relata, quibus, paucis interjectis, addit, *Accurritur ab universis, & carcere effracto, solvunt vincula, desertores, ac rerum capitalium damnatos sibi commiscent.* Ex eo autem quod Tacitus inquit, *solvunt vincula*, liquido apparet, milites reos vinciri solitos fuisse; quod, præter Juvenalem loco allegato, ex Livio nostro confirmari potest *i*. *Acerbitas in delectu non damno modo civium, sed laceratione corporum lata partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula datis, invisa erat.* Verum pro admissi criminis modo Castrensem carcerem leniorem aliquando fuisse, sub libera nimirum custodia, de qua dicemus, aliquando vero vinculis, & catenis constitutum fuisse putaverim, ut non obscure Martianus indicat ex Menandro: *ejus fugam*, inquit, *qui cum sub custodia* (libera, subaudias necesse est per ea, quæ sequuntur) *vel in carcere esset, discesserit, in numero Desertorum non computandam, quia custodiæ refuga, non militiæ Desertor est k*. Quemadmodum contra Appius Claudius

a Vegetius l. 1. De Re Milit. c. 23.
b De Bello Africano.
c De Bello Hispano.
d lib. 1. De Ira cap. 16.
e Annal. 1.
f Lipsius de Milit. Rom. lib. 5. Dialogo 5.
g Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12.
h l. officium §. officium ff de Re Militari.
i l. 7. Hist.
k l. milites 13. §. ejus fugam ff De Re Militari.

Decemvir, ne L. Virginius, qui honestum ordinem in Algido ducebat, Romam peteret ad filiam suam vindicandam, collegis in castra scripsit, ne Virginio commeatum darent, atque etiam in custodia haberent *a*; quod certe de acriori custodia accipiendum, Appii amentia verius, quam amor suadet.

a Liv. l. 3.

CAP. X.

Absolvitur altera partitio Carceris a modo custodiendorum reorum; cujus occasione plura de vinculis, & militari custodia.

NUllus ferme est, nisi is forte, qui jurisprudentiam nostram illotis, ut ajunt, manibus attigit, quem latere possit, reos in carcerem compactos sub certa personarum custodia contineri, & quidem libera, vel non libera; ita ut qui sub libera custodia detinetur, aut Magistratibus, aut militibus, aut etiam sibi ipsi committatur, quod gradatim enucleabimus; qui vero sub custodia non libera existit, is carcere concludatur, vinciatur catenis, ac omni omnino militum vigilantia custodiatur. Porro inter custodes istos primum locum Commentarienses obtinebant, dicti non a Commentario Carceris loco, ut suavissime Accursius existimavit, sed a Commentario, quod singulis triginta diebus conficere tenebatur, qui carcerarium quæstum faciebat, delictorum qualitatem, ætatem reorum, & clausorum ordinem continens *b*; Commentarium enim, seu Commentarius est liber, quem sibi quisque privatim facere consuevit, quasi quoddam memoriæ promptuarium eorum, quæ agimus *c*; & vulgo *Registrum* appellatur; quamquam & in alia significatione Commentarienses accipiantur vel pro ordine militari, vel pro eo, cui sunt acta commissa, vel demum pro carceris Præfecto *d*, cujus minister *Optio* appellari solet; nam etiam Budæus non pro Commentariensi illum accepit, sed pro ejus adjutore, & Vicario. D. Augustinus item alibi citatus videtur cum Festo pro Centurionis Vicario illum usurpare: inquit enim: *Receptiones in custodiam pro meritis causarum adhibentur: alios jubentur custodire lictores humano, & miti officio, atque civili; Alii traduntur optionibus; alii mittuntur in Carcerem &c.* Ut autem magis, magisque caveretur capitalium criminum reis, solebant milites carceri addici, reique compedibus onerari; quæ quidem catenæ etsi ferreæ plerumque fuerint, ut ex Juvenale didicimus, Æthiopes tamen catenis aureis usi sunt, quemadmodum alias Arsaces Rex aurea catena vinctus a Sapore fuit *e*. Porro hac catena vinctos noxios fuisse scimus, quandoq; manibus tantum, quandoq; pedibus solummodo, non raro utrinque, & collo etiam, ut gravitas delicti, aut jus dicentis ferocitas, aut fugæ metus suaderent; quorum sane nulla certa regula præfiniri potest, cum hæc singula arbitrio judicis remittantur *f*. Illud tamen certissimum est, vinctis quoquo modo reis insuper additos milites fuisse, ut ex actis Apo-

b l. de his 5. Cod de cust. reor.
c Budæus in l. abesse ff. de minoribus, &c.
d Alex. ab Alex l. 6. c. 22. Ascon. in 3. Verrina. Firmicus l. 3. c. 31. l. In fraudem §. debitore ff. de J.F.
e Herodotus l. 3. Plutarchus in Erotico. Ammian. l. 20.
f l. 1. ff. de cust. reor.

ſtolorum ibi: *Erat Petrus inter duos milites dormiens, vinctus catenis duabus & cuſtodes ante Oſtium cuſtodiebant carcerem a*. Jam vero circa hanc militarem cuſtodiam tria quæri poſſunt: De numero militum: de modo iſtius cuſtodiæ adhibendæ: & de militum ordine, ſeu qualitate. Numerus militum vel ad eam cuſtodiam refertur, quæ intra carcerem erat, vel extra. Primo namque caſu unus plerumque miles erat, qui una cum ipſo reo obſtringebatur, ut ſtatim dicemus. Numerus tamen hic vel auctior, vel reſtrictior erat pro modo culpæ, aut qualitate perſonæ. Hinc licet cum carcerato unus tantum colligaretur, attamen *D. Petrus inter duos milites dormiens erat*; & ad Oſtium carceris quamquam duo apponerentur (etenim *non uni, ſed duobus committenda cuſtodia b*) quaterniones tamen Petro adjecti fuerunt *c*; cujus auctæ cuſtodiæ illud in cauſa eſſe voluit Lorinus, quod fuerant antea ab Angelo edocti, iſtiuſmodi viros educi e carcere conſueviſſe; vel quia verebantur, ne recenti Jacobi nece deterritus D. Petrus ſummo ſtudio curaret, ut ſanguinem ſuum qualiter qualiter redimeret. Hujuſmodi tamen ratio mihi ſuſpecta eſt; nam de Angelo non erat; cur judices pertimeſcerent; neque enim ſciebant, priora vincula ex facto Dei fuiſſe diſrupta; aut ſi ſciviſſent, parum fidei præſtitiſſent huic facto; neque accuratiores in eo cuſtodiendo eſſe debebant, tamquam fugæ ſuſpecto ob terrorem Collegæ recens interfecti; dederant quippe ſemper Apoſtoli grande patientiæ documentum: *& illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati d*. fuerant enim cæſi publice, quod contra Præſidis monitum verbum Dei renunciaſſent. Itaque Lorini rationibus aliam, ſi lubet, connectamus. Aucta credentium in Domino virorum, mulierumque multitudine, Apoſtoli populo acceptiſſimi viſi ſunt, quod multa divinitus beneficia in infirmos, & indigentes conferrent; idcirco ubicumque de iis opprimendis agebatur, caute moliri cuncta ſolebant, ne forte tumultus fieret in populo; quare *abiit magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi*: timebat enim populum, ne lapidaretur *e*. Ubi vero populus conſpirare in necem Apoſtolorum votis cæpit, Herodes *videns, quod placeret Judæis* Jacobum interemiſſe, Petrum apprehendit, & quaternariis militibus ſepſit *f*; quibus enim vulnera, & neces placebant, his tutior, & ſeverior cuſtodia diſplicere non potuiſſet; ſcilicet, ne, fugiente reo, ejus internecandi ſolatio privarentur. Itaque qualiſcumque numerus januæ præeſſet, modus adhibendæ intra carceres cuſtodiæ is erat, ut reus una cum milite ferrea catena vinciretur, illi ſiniſtra, huic dextera compactis. Seneca *g*. *Eadem catena univerſos circumdedit, alligatique ſunt etiam qui alligaverunt; niſi tu forte leviorem in ſiniſtra catenam putas*. Et alibi: *quemadmodum eadem catena & cuſtodem* (vel ut alii legunt *Cuſtodiam*) *& militem copulat h*. Nec non Manilius tales cuſtodes facit, qui ſub Andramada nati *i*.

a Act. Apoſt. cap. 12. v. 6.
b l. ult. ff. de cuſt. reor.
c loc. cit.
d Act. Apoſt. [illegible]
e Ibid. cap. 5. v. 26.
f c. 12. v. 5.
g l. [illegible] de tranquill. cap. 10.
h Ep. [illegible] 5. Seneca, & Flav. Joſeph. [illegible]
c 10. in fine.
i lib. 5.

Vinctorum dominus, ſociuſque in parte catenæ
Interdum pœnis innoxia corpora ſervat.

Porro catenam hanc longiuſculam fuiſſe, ut ambulare, ſedere, aut jacere commode poſſent, innuit D. Auguſtin. inquiens *a*: *Ligantur duo, & mittuntur ad judicem, latro, & colligatus*: quo loci non abs re puto etiam, ſi pro *colligato*, *caligatum* reponamus: erant enim caligati milites quidem, ſed qui *promotionem* nullam in exercitu habebant *b*; imo qui infimum militiæ ordinem tenebant *c*. Quamquam autem Seneca dixerit, eadem catena, & cuſtodiam, & militem copulari, non idcirco probo, quod ſentiunt nonnulli, eos, qui præponebantur vinctis in carcere cuſtodiendis, vere, & proprie milites fuiſſe; quod evinco ex Plinio *d*: *Rogo, Domine, conſilio me regas hæſitantem, utrum per publicos civitatum ſervos, quod uſque adhuc factum, an per milites aſſervare cuſtodias debeam*: indicat enim, peculiarem illius Provinciæ conſuetudinem fuiſſe, ut per ſervos publicos vincti cuſtodirentur, ſi quando cuſtodia vinctis opus fuiſſet: neque enim ſemper catenati rei in cuſtodia *e* detinebantur: cujus quidem interrogationi Trajanus reſpondit providentiſſime: *Nihil opus eſt, mi Secunde chariſſime, ad continendas cuſtodias plures commilitones converti. Perſeveremus in ea conſuetudine, quæ iſti provinciæ eſt, ut per publicos ſervos cuſtodiantur. Etenim ut fideliter hoc faciant, in tua ſeveritate, ac diligentia poſitum eſt. In primis enim, ſicut ſcribis, verendum eſt, ne, ſi permiſceantur ſervis publicis milites, mutua inter ſe fiducia negligentiores ſint. Sed & illud hæreat nobis, quam pauciſſimos milites a ſignis avocandos eſſe*. Non me piguit integram Trajani Epiſtolam tranſcribere, ut in ea, tamquam in ſpeculo, duo intueamur; alterum, militarem cuſtodiam vinctis adhiberi non conſueviſſe, niſi ex magna cauſa, puta ſi is, qui in carcerem ductus eſſet, potens perſona fuiſſet; quod ex initio Epiſtolæ deduco, ubi ait: *nihil opus eſſe ad continendas cuſtodias plures commilitones converti*; ut ſenſus ſit; ſi aliquid opus eſſet ad continendas cuſtodias, utique convertendos etiam commilitones, *non pœnæ feſtinatione, ſed præveniendi periculi cauſa*; quæ Ulpiani verba ſunt ad Sabinum *f*; quemadmodum a Judæis factitatum ſcimus in cuſtodiendo Summi Reparatoris Sepulchro; poſuerunt enim milites cuſtodes ad ſepulchrum timentes, ne iterum reviviſceret *g*. Exemplo ſit judiciarius Ordo in cauſis civilibus frequentiſſimus; nam manus militaris, qua utitur Magiſtratus, duplex eſt; non Caſtrenſis, & Caſtrenſis *h*: non Caſtrenſis eſt manus apparitorum, ſtatorum, viatorum, per quos decreta executioni mandantur *i*; & hæc militaris manus a Tullio in II. Verrina manus Prætoris nuncupatur; nec non hæc eadem ab Ulpiano Jur. Conſult. Prætoria poteſtas dicta eſt *k*. Alia manus dicitur Caſtrenſis, quæ alias executio militaris appellatur, de qua tam frequens mentio in legibus noſtris *a*.

a in Pſ. 12 [illegible]
b Turneb. lib. 1. Adverſ. c. 30.
c Nigronus de caliga veterum c. 3. Balduin. de calceo c. [illegible]
d lib. 10. Ep. [illegible]
e l. [illegible] ff. de V. S.
f l. ſi quis § quod, ff. de in [illegible]
g D. Aug. [illegible] Ambroſi. lib. 2 Proceſſ. infor. c. 1 n. 14.
h Hyl. ger. in Donel. [illegible] 2 cap. 6.
i l. ult. § ult. ff. de eo quod metus cauſa l. ult. ff. de judiciis. l. ii pignora ſo. ff. de evict.
k l. 1. § 2 ff. ſi ventris nomine mulier.

a l. 1. Cod. de Off. mil. jud. l. ult. Cod. de iis qui latr. l. 9 C de off. Rect. Prov. l. 3. Cod. de jurisdict.

stris *a*. Porro ordinaria executio fieri consuevit per ordinarios ministros modo omnino civili, hoc est qualibet vi remota. At cum res expediri hoc modo non potest, ne elusoria sint edicta, ac decreta, extra ordinem agi oportet manu castrensi, & militari; *b*; quod Canonici Juris Doctores *Brachium sæculare* vocant, quod implorare Judices Ecclesiastici solent adversus contumaces, quos aliter coercere non possunt, ut sententias suas exequantur *c*. Alterum, quod colligo ex Trajani Epistola, illud est, servos publicos, hoc est lictores, ut dicam infra, toto cœlo a militibus distingui, qui vere, & proprie tales erant; unde dicit, non esse avocandos a castris, & signis, quibus militant; ad hos enim milites non deferebatur reorum custodia, nisi aut extra ordinem, ut dixi, aut ubi reus sub libera custodia continendus esset. Itaque non inficior, Neratium Priscum sub Trajano respondentem, & Ulpianum sub Alexandro, ejusque contemporaneum Callistratum crebram mentionem de reis per militem custodiendis habere *d*; sed hos de libera custodia intelligendos suadet, quod supra attulimus ex Josepho. Jusserat quippe Tiberius Macroni Prætorianorum Præfecto, ut Agrippam vinciret. Et *Agrippa vinctus ante regiam stabat inter alios quosdam æque vinctos*: quod graviter ferens Antonia apud Macronem obtinuit, ut in custodia servaretur a militibus commodis moribus præditis; convictoremque haberet Centurionem ei curæ præpositum; & quotidianis uteretur lavacris; & pateret ad eum libertis, atque amicis aditus, quorum sublevaretur officiis.

b l. qui resistuere 60 ff. de R. V. l. si quis 31. C. Th. de Episc. c. quoniam ubi DD. ex. tr. de offic. Ord.

d l. 1. 12. 14. ff. de custod. reor.

CAP. XI.

De libera reorum Custodia Magistratibus, Viris Senatoriis, aut domibus etiam privatis commissa.

Hermanus Vultejus in suo doctissimo tractatu de judiciis tradit, *e* alienam custodiam, cui reus committitur, ad privatas personas, vel ad publicas pertinere. Privata persona est fidejussor, seu Vades, de quibus sermonem faciemus, ubi de remediis vitandi Carceris disputabimus. Publica persona est miles, de quo sermo in præcedentibus fuit, vel magistratus, & de his est dicendum. Ubicumque igitur illustris persona, vel delicti qualitas id suadere videretur, præeunte ad id Judicis arbitrio, apud Magistratum stare compellebatur, atque interdicebatur, ne de domo viri Senatorii procederet. Erant autem Magistratus veluti Consules, Prætores, Ædiles. Probat hoc Sallustius in conjuratione Catilinæ. *Senatus decrevit, uti abdicato Magistratu Lentulus, itemque cæteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum Ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cæparius Gn. Terentio Senatori traduntur*. Hoc idem perspicuum est ex testimonio Ciceronis; in Catilinaria 1.

e lib. 2. c. 5. n. 250.

A & in Bruto: *Domi*, inquit, *teneamus eam septam liberali custodia*. Nec non ex Dione *a*, qui ait: *Custodiebaturque semper a Consulibus, nisi cum Tiberius Consul esset; tunc enim a Prætoribus servabatur*: & Tacito: *b Retrahitur in Urbem, custoditurque domibus magistratuum*. Cujus rei illud in causa fuisse arbitror, quod Magistratus sancti dicantur, idest ita defensi ab injuria hominum, ut eos tangere fas esse non possit *c*. Eadem ratione & in Castris, & in Prætorio rei asservari solebant; nam cum D. Paulus ad Felicem Præsidem cum Elogio missus esset: *Audiam te*, inquit, *cum accusatores tui venerint. Jussitque in Prætorio Herodis custodiri eum d*; certe loco carceris, quia suspectus de crimine erat. Claudit agmen Livius noster in illis verbis: *Consules Ædilibus curulibus imperarunt, ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quæstionem servarent e*. Exinde factum puto, ut privata etiam domo custodirentur de crimine aliquo suspecti, quemadmodum de Hispala loco allegato Livius ait: *Consul rogat socrum, ut aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret. Cænaculum super ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso*. Sed id altius est perquirendum. Neminem fugit, pœnæ loco quondam usurpatum fuisse, ut domus propria delinquentibus assignaretur, quod satis ex Salomonis sententia adversus Semei lata evincitur, licet de civitate loquatur: ait enim: *Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi, & non egredieris inde huc, atque illuc f*: quod Græcis quoque usitatissimum fuisse Zonaras testatur; quippe qui *Irene*, inquit, *imperatrix quosdam domo exire vetuit, quosdam in exilium misit g*. Ac demum Romanorum moribus id fuisse receptum, Ulpianus Jur. Consult. respondit: *Potest Præses*, ait, *quendam damnare, ne de domo sua procedat h*. quæ quidem lex etsi in pœnalibus locum habeat, attamen etiam ad rixas vitandas pertinere videtur, & permittere jus dicenti, ut prohibeat, ne quis exeat de domo sua *i*; quo jure utimur hodie, ut si qui rixati fuerint inter se, ne vulnera, aut cædes contingant, jubeat judex, ne exeant de domo sua, nisi ad concordiam fuerint revocati; ut mirer, virum alioquin doctissimum Confinationem hujusmodi (utor vocabulo incondito quidem, sed a Practicis Interpretibus usurpato) quasi rem novam penitus improbare, cum ea apud veteres insolens omnino non fuerit. Facem mihi præbet Ulpianus, qui de officio Proconsulis sic respondit: *De custodia reorum Proconsul æstimare debet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel etiam sibi k*. Amabo; quid est reum committere sibi? An forte sub juratoria cautione de judicio sisti illum dimittere? Minime gentium; subdit enim Ulpianus: *hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet*; neque enim vade opus esse videtur, ubi fa-

a lib. 58.
b Annal. 6.
c l. Sanctum 9. ff. de rer. divis.
d Act. A. post cap. 23. vers. ult.
e lib. 38. Histor.
f lib. 3 Reg. c. 2. v. 36.
g Tom. 3.
h l. potest 9. ff. de interd.
i Afinius de executionibus c. 12 C.
k l. 1. ff. de custod. reor.

cultatibus quis abundat; multo minus jurijurando locus fiet *a*. Itaque quod Ulpianus ait, reum aliquando *sibi committendum esse*, pro Jusdicentis arbitrio, id intelligo pro reo, qui fidei suæ committi dicitur a Marciano Imperatore Augustissimo *b*; ita videlicet, ut in criminali judicio prohibeatur, ne de domo sua procedat; quod sane tanto æquius videtur esse, si ad custodiam domus adhibeatur, quanto lubentius interdictiones hujusmodi ab omni pœnarum genere Grotius ablegavit *c*: Id evidentissime patet ex facto Esau in sacra Scriptura relato: *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur, ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Labam fratrem meum in Haram: habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum, quæ fecisti in eum: postea mittam, & abducam te inde huc d*. Prudenter medius fidius, & caute; quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona *e*?

Ut autem dissidentes Cives continere, ne tumultus occasio fiat, cautio, & provisio est; ita prohibere, ne de domo procedant rei, supplicium, & pœnam importat; cujus origo videtur ex eo deprompta, quod apud Veteres frequentissimum esset ita damnare reos, ut vel a Civitate non discederent, vel Insulam perpetuo habitarent; quæ omnia exilii, aut relegationis nomine venire, paulo inferius ostendemus. Civitas ita aliquando loco Carceris fuit assignata: quo circa Alba Latinorum Urbe multoties ad noxiorum custodiam usi sunt Romani, quod ager ipse in profundo locatus esset, & quasi vallo circumseptus; in ea includentes, quos carcere dignos existimabant *f*. Hinc Platina a Paulo secundo revinctus compedibus, media Urbe, sine foco, celsa in turri ventis omnibus exposita, mensibus quatuor detentus est. Vix tandem Francisci Gonzagæ Cardinalis Mantuani precibus liberatus est, ea lege, ne ab Urbe discederet. Profecto id apud Tacitum etiam memini me legisse *g*, de Scylla quodam, qui, cum de crimine quasi convictus esset, cedere Patria, & Massiliensium mænibus coerceri jussus est: & de Julia ob impudicitiam olim a Patre Augusto Pandataria Insula, mox Oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa *b*; Nec non de Dolabella Cornelio, quem in Coloniam Aquinatem ab Othone sepositum fuisse, idem auctor scribit *i*. Hæc autem pœnarum genera tametsi ad relegationem referri commode possint, ad eam tamen relegationem pertinent, quæ non est relegatio simplex, sed relegatio in Insulam; cujus posterioris Ulpianus, & Marcianus meminere *k*, quod assignata insula, quasi vinculum quoddam additum, pœnam graviorem efficiat: quo sensu Insulæ vinculum a Marciano appellatur. Hinc intelligo, quid sic Lata fuga, quam exilii speciem idem Jurisconsultus

a l. sciendum 15 ff qui satisdare &c.
b l. cum clericis 25 §. 1. C de Ep. & cler.
c De Jur. belli l. 2. c. 1. n. 2.
d Genes. c. 27. v. 41.
e 1. Regum c. 24. v. 20.
f Strabo l. 5.
g lib. 17 annal.
h idem Annal. 1.
i Annal 17 & 17.
k l. relegatorum 7. ff de interdictis &c. l. relegati 4. ff. de pœnis, &c.

nominavit ibidem; nempe omnium locorum interdictionem, quasi latum exilium, & latam relegationem. Fuga namque Græcum vocabulum est; ideoque ut apud Græcos, ita & apud Latinos interdum relegationem, exiliumque significat. Menander J. C. *ad tempus relegatus*, inquit, *si, expleto spatio fugæ, militem se dedit a*. Gordianus Imperator. *Ad tempus exulare Decurio jussus ad novos honores non admittitur, nisi tanto tempore his abstinuerit, quanto per fugam absfuit b*. Cornelius Tacitus: *Ut valida D. Augusto*, inquit, *in Rempublicam fortuna, ita Domi improspera fuit: ob impudicitiam filiæ, ac neptis adulteros earum morte, aut fuga punivit c*. Id nominis ea quoque significatione Ovidius lib. 2. Tristium usurpavit.

Hæc mea selecto Judice jussa fuga est.

Quare hæc species exilii, quæ verius in Insulam relegatio est, dicitur Lata fuga, hoc est lata respectu exclusionis, non vero vagandi licentiæ; quo sensu Virgilius Ecloga 1.

Nos Patriæ fines, & dulcia linquimus arva,
Nos Patriam fugimus, &c.

Cæterum Latæ fugæ novum genus fuit illud, quod a Claudio Principe usurpatum est, quo nonnullos novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe *d*. Ex quibus omnibus conjicio, exemplo Latæ fugæ receptum postea fuisse, ne quis procederet domo sua, primum pœnæ loco, tum vero cautionis, & custodiæ intuitu. Ac ejus latæ fugæ exemplum quoddam analogicum legitur ex Meldensi Concilio, ubi Canon secundus erat: *De illis, qui infra parochiam beneficium, aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi Parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, rapinas, & deprædationes peragunt, placuit tales excommunicare, nec ex parochia prius exire, quam quæ perpetrarunt, emendent. e* Nec non de Ostracismo Aristophanes docet, nihil aliud fuisse, quam locorum omnium interdictionem, præter unum *f*. Imo vero non solum contineri domo quis consuevit, ut procedere neutiquam posset, verum etiam dare ad id fidejussores tenebatur, qui, si ille processisset, tenerentur. Præclare Ulpianus ad Edictum: *g Item si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fidejussorum satisdatione, & dum propter hoc recedere non potest, deceptus sit, restituetur: & adversus eum dabitur restitutio*: Hæc ille. Clarius in Basilicis, ubi sic legitur: *Et qui in vinculis non est, vel custodia, si recedere non possit, ne incidat in causam fidejussionis, & captus sit, tam ipsi, quam adversus eum dabitur restitutio*. Præterea ad liberam custodiam pertinere videtur custodia militaris (non ut prior illa, de qua in præcedenti, catenatis, colligatisque lictoribus) quæ militibus committebatur, quamque *Arrestum* vernaculo sermone appellamus: quo referendus est vetus ille mos custo-

a l. qui cum 4. § ad tempus ff. de R. M.
b l. ult. C. de his qui in exilium &c. lib. 10.
c lib. 3 Annal.
d Suet. cap. 22.
e c. 1. extra de raptorib.
f Samuel Petitus ad ll. Attic. l. 3 tit. 9.
g l. necnon 28. §. item 1. ff. ex quib. causis major. &c.

diendi non solum reos, verum etiam accusatorem ipsum, de quo Plutarchus in Catone Uticensi: *Quadam lege*, inquit, *permittebatur reo custodem accusatori apponere, qui observaret, quid moliretur, ne reum lateret, quid accusandum actor pararet*. Cujus rei extat vestigium in rescripto Honorii, & Theodosii Imperatorum: *Quisquis ille est, qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem patiatur a*, hoc est imaginem, & similitudinem illius veræ custodiæ, quam reus plerumque patiebatur *b*. Hinc custodiam militarem tanquam diversam a Carcere Ulpianus usurpat. *De custodia reorum*, inquit, *Proconsul æstimare solet, utrum in carcere retinenda sit persona, an militi tradenda c*.

a l. ult. Cod. de Accusat.
b Petr. Fab. in l. 125. ff. de R. I.
c l. 1 ff de cust. reor.

CAP. XII.

De Carcere, ut vocant, Tædiali, quo continebantur decoctores; cujus occasione de Nexis, & quæ de his leges latæ antiquitus fuerint.

OMnium elegantissima mihi semper visa est Carcerum partitio a Platone proposita, alios ad detentionem, ad correctionem alios, postremo alios ad supplitium fuisse constitutos docente *d*. Correctionis putaverim illos dicendos esse, quibus ob æs alienum non solutum debitores continebantur; scilicet ut quisque eorum reddat debitum pœnis, quod non potest compensare pecuniis; quæ Cassiodori sententia est *e*: Vel ut suffundatur magis obæratorum sanguis, quam effundatur, ut loquitur Tertullianus *f*. Verum ut totam rem hanc ab ovo, ut dicitur, usque ad mala expendamus, non sum nescius, inter Judæos servituti creditorum addictos debitores fuisse, ut ex verbis Salomonis liquet *g*: *Dives sapiens pauperibus imperat; & qui accipit fœnus, servus est fœnerantis*. Rursum mulier quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliseum: *Ecce creditor meus venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi h*. Hinc Propheta duritiem creditoribus exprobrat, quod æs debitum quocumque tempore exigerent: *ecce i*, inquit, *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis*: quos respiciens Christus Dominus Regnum Cœlorum simile dixit homini regi, qui, posita cum servis suis ratione, alterum carcere inclusit, donec debitum redderet *k*. Athenis quoque moris fuisse ex Plutarcho didicimus, ut qui mutuum accepissent, oppignoratis corporibus, possent a creditoribus abduci, si fallerent; abductique etiam creditori adjudicarentur *l*. Solon tamen Athenienses liberavit istis corporum oppignorationibus; & hanc legem ex Ægypto transtulit; nam & veteres Ægyptii itidem statuerant, corpora debitorum, quibus Respublica in bellis opus haberet, libera esse debere; solas vero possessiones, & facultates debitorum creditoribus esse obnoxias *m*. Sic etiam in Gallia non minor olim fuit creditorum acerbitas; nam plerique ex plebe cum ære alieno preme-

d lib. 10. de Legibus, prope finem.
e l. 9. Var. Epistol. 2.
f In Apolo. cap. 4.
g Prov. 22.
h lib. 4. Regum c. 4.
i Esaj. c. 58.
k Matthæi cap. 18.
l in Solone.
m Diodo. Sicul. lib. 2. Plutarch. de vitanda usura.

bantur, se se in servitutem dabant nobilibus, quibus in eos eadem jura erant, quæ dominis in servos suos *a*, Populus Romanus a condita fere Urbe legibus vel moribus usum hunc, quamvis a Solone abrogatum, veteremque Græcorum abductionem in consuetudinem revocavit: quippe Servius Tullus Rex promisit, se non passurum, libertate pauperes a fœneratoribus spoliari *b*. Plus tamen in Oratione tali assentationis, quam fidei erat; etenim fuit postea, qui conquereretur, se, cum solvendo non esset, ductum a fœneratore in servitutem una cum duobus filiis *c*. Itaque primum quadraginta circiter annis, si Livii ordinem spectes, ante legem duodecim Tab. propter Volscorum bellum, & plebis tumultum edixit Servilius Consul *d*: *Ne quis Civem Romanum vinctum, aut clausum teneret, quo minus nominis ei edendi apud Consules potestas fieret; ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet; liberos nepotesve ejus moraretur*. Verum & illud edictum a Servilio Consule magis in occasione fuisse propositum reor, quasi ut imposterum perpetuo servaretur; etenim id palam apud Livium nostrum profitebatur: *Deliberanti de maxima quidem illa, sed tamen parte Civitatis, metum pro universa Republica intervenisse: nec posse, cum hostes prope ad portas essent, bello prævertisse quicquam: nec si sit laxamenti aliquid, aut plebi honestum esse; nisi mercede prius accepta, arma pro patria non cœpisse; neque Patribus satis decorum per metum potius, quam postmodum voluntate afflictis civium suorum fortunis consuluisse*. Quinimo lex duodecim Tabularum a Decemviris lata est, qua nexorum jus instauratum quodammodo fuit, ea tantum moderatione addita, ut non nisi adjudicatione præcedente, & ob rerum judicatarum auctoritatem creditor debitorem necteret, & carcere detineret; quod eleganter expressit totidem verbis Sextus Cæcilius J.C. *e* apud Agellium, & Rævardus nova lectione restituit: *Æris confessi, ærisque debiti judicatis triginta dies justi sunto: post dein manus injectio esto: in jus ducito: ni judicatum faxit nemut quips endo eo in jure vindex esit, secum ducito; vincito aut nervo, aut compedibus quindecim pondo, ne minore, aut si volet majore vincito. Si volet, suo vivito. ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libram farris endodie dato, si volet, plus dato. Ni cum eo pacit, sexaginta dies in vinculis retineto. Trinis nundinis continuis in Commitium procitato, ærisque æstimiam judicati prædicato. Tertiis nundinis capite pœnam luito, aut trans Tiberim peregre venum ito. Ast si plures esunt rei, tertiis nundinis partes secanto: si plus minusve sevesunt, nesi fraude esto f*. Sane apud Ægyptios mitior erat contra debitorem lex: nam defunctorum corpora unguentis delibuta creditoribus, tamquam si vivi essent, oppignorabant, & super iis fœnerabantur magno cum dedecore eorum, qui constituta die non redemissent *g*. Verum enim vero qua ratione id fieret apud Romanos, ut obruti ære alieno vinciri, aut plecti etiam solerent, merito difficile videri potest, cum vetustis legibus Porcia,

a Cæsar lib. 6. Comment.
b Halicarnass. lib. 4.
c Idem l. 6.
d Liv. l. 2.
e l. 20. Noct. Attic. 1.
f Jacob Revard. ad 12. Tab. c. 8.
g Diod. Sic. l. 2. Biblioth. cap. 3.

& Sempronia Civium Romanorum corpora quodammodo sacrosancta essent; neque verberibus in eos animadvertere liceret. Quare videamus, ne legis Porciæ, & Semproniæ beneficium ad tenuiores Cives, & fures pertineret. Sallustius namque in bello Jugurthino scribens, Turpillium fuisse damnatum, ut verberibus, & capite pœnas daret, statim addidit; *nam is civis ex Latio erat*; quasi in veteres, & veros cives non idem jus esset. Augetur difficultas: nam etsi Porcia, & Sempronia lex vetaret, ne verberibus in civem animadverteretur; ea tamen longe posterior fuit Valeria lege, quæ bis ad hoc interdicendum fuit lata. Verumtamen utraque de civibus honestioribus loquebatur; & ex multorum auctorum testimoniis perspicuum est, Triumviris capitalibus potestatem fuisse in Cives quidem, sed abjectæ conditionis, & viles, in quos ad columnam Mæniam jus dicebant; & octo lictores habebant, quos Plautus valentes virgatores dicit, qui eorum jussu in damnatos animadvertebant *a*. Porro ea duodecim Tabularum lex de nectendis debitoribus usque ad annum 427. Urbis conditæ servata fuit; donec excitato tumultu per invidiam L. Papirii, iterum nectendorum debitorum ratio apud Senatum habita est *b*. Huic cum se C. Publilius ob æs alienum patris nexum dedisset, quæ ætas formaque miserationem elicere poterat, ad libidinem, & contumeliam animum incenderat; & florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus, primo pellicere adolescentem sermone incesto est conatus; dein postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: postremo cum ingenuitatis magis, quam præsentis conditionis memorem videret, nudari jubet, virgasque afferri: quibus laceratus juvenis cum se in publicum proripuisset, libidinem & crudelitatem conquerens fœneratoris, ingens vis hominum, cum ætatis miseratione, atque indignitate in uriæ accensa, tum suæ conditionis liberorumque suorum respectu, in forum, atque inde, agmine facto, ad Curiam concurrit; & cum Consules tumultu repentino coacti Senatum vocarent, introeuntibus in Curiam Patribus laceratum juvenis tergum procumbentes ad singulorum pedes ostentabant: victum eo die ob impotentem injuriam unius ingens vinculum fidei: jussique C. Pætilius, & L. Papirius Mugilanus, qui tunc Consules erant, ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esse: ita nexi soluti; cautumque imposterum, ne necterentur, lege Pætilia lata. Ex his constat, carcerem, quo custodiebantur debitores, privatum, vel publicum promiscue fuisse, habita temporum diversitate. Nam ad privatum carcerem spectant legis duodecim Tabularum verba supra relata; nec non C. Licinii Stolonis in legis de ære alieno rogatione *c*. *An placeret, fœnore circumventam plebem, ni potius, quam sortem, creditum solvat, corpus in nervum, ac supplitia dare, & gregatim quotidie de Foro addictos duci; & expleri vinctis nobiles domos, & ubicumque patricius habitet, ibi carcerem privatim esse*? quibus alludit Plautus in Menæch. *Nam ego ad Menæchmum nunc eo, cui jamdiu sum judicatus: ultro eo, ut me vinciat*. Et Terentius in Phormione *a*: *mihi sciunt nil esse*: *Dices, ducent damnatum domum*: *Alere nolunt hominem edacem, & sapiunt*. Contra vero post latam Pætiliam legem vincula, & custodiam publicam adhibita fuisse reor: non enim ea lex vetabat carceres publicos, sed tantum compedes, nexusque privatos, quæ solæ fuerunt causæ, cur plebs in tumultum ageretur. Cæterum vincula publica propter rerum judicatarum auctoritatem, ut nullam vim continebant injustam, ita invidiam plebis ciere non poterant. Neque sane insolens est in Jure, ut carcer publicus etiam ex causa civili adhibeatur ad compescendam, & cohibendam litigatorum audaciam, ut Paulus noster professus est *b*; *Judicati*, inquit, *etiam, & confessi, & qui ideo in carcerem duci jubentur, quod jusdicenti non obtemperaverint c*. Quod etiam ostendit Ulpianus, ubi ait: *Si quis quod decreto Prætoris non obtemperaverit*, ductus sit *d*. Imo generaliter idem statuit, omnes magistratus simplicem etiam jurisdictionem habentes jubere posse, ut quis in carcerem conjiciatur *e*. Et sane si hi, qui bona abligurierunt sua, vinculis sunt continendi; digniores certe coercitione tali videntur, si non fortunæ vitio, sed suo decoxerint *f*. Neque destituitur argumentis conjectura: nam id Tullius non obscure indicavit in illis verbis: *Olim ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in Tribunatus portum profugerat g*: quem locum de Columna Mænia placet interpretari, ad quam, Asconio nostro teste, fures, quibus decoctores fraudulenti similes sunt, plectebantur. Adde D. Ambrosium: *Si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit h*. Itaque sublato jam diu Pætilia lege nexu omni, & privati carceris usu, receptum moribus fuit, ut qui ære alieno obruti essent, quoniam privatim non poterant, publico carcere custodirentur. Id evidentius, ac propius ad rem, de qua loquimur, elicitur ex Licinii Ruffini responso: *Si victum, vel stratum inferri in carcerem quis judicato non patiatur, utilis in eum pœnalis actio danda est: vel, ut quidam putant, injuriarum cum eo agi poterit i*. Profecto hæc de privato carcere intelligi non possunt. Quis enim prohibeat, ne judicato in domum creditoris custodito talia inferantur? Aut quis inferret invito creditore? cui lege duodecim tabularum permissum quidem erat vincire domi debitorem, ita tamen, ut ei diarium farris præstaret, ut dixi. Venulejus quoque de actione Pauliana agens ait: *Hæc actio etiam in ipsum fraudatorem datur. Si vero quædam disperdidisset, si nulla restitutione reciperari possent, nihilominus actio in eum dabitur. Et prætor non tantum emolumentum actionis intueri videtur, quam pœnam k*; pœnam autem accipiunt Doctores pro carcere publico. Et hoc est perspicuum

a Franc. Hotom. de Magistrat.

b Liv. l. 8.

c Liv. l. 6.

a Actu 2. sc. 2.

b l. b. 5. sent. tit. 26.

c loc. cit.

d l. injuriarum 13. §. si quis quod ff. de injur.

e l. 2. ff de in jus vocando.

f Hotoman. Quæst. illustr. 24.

g Pro Sext.

h 1 Off. 30.

i l. si victum 34. ff de Re judicata.

k l. f. fraudator 25. §. ult. ff. quæ in fraudem. &c.

discrimen inter pœnam carceris adhibitam ex causa contractus, ac illam, quæ ex causa delicti adhibetur; quandoquidem illa a Prætoris jurisdictione proficiscitur; hæc vero a Præfecto, vel præside *a*: sed hæc obiter. Ruffino, & Venulejo accedit Paulus noster: *Ob fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercitum*, inquit, *aut fundorum omissam comparationem, tutor, si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem coercebitur b*. Amabo; quæ illa coercitio extraordinaria? Eam explicat Ulpianus ad Edictum. *Tutores*, ait, *qui repertorium non fecerunt, vel pecuniam, neque ad prædiorum comparationem conferre, neque deponere pervicaciter perstant, quoad occasio inveniatur, vinculis publicis jubentur contineri c*. Ita cum obærati, & decoctores lata Pætilia lege non privato, sed publico carcere continerentur, ad hæc quoque publica vincula vitanda Julia lex de Cessione bonorum introducta fuit *d*; qua lege permissum erat debitori possessionem bonorum suorum creditoribus cedere ad tædia carceris vitanda; quo casu zona iisdem adimebatur, ut indicarent, se bonis omnino spoliari: pecuniam enim olim gestabant in Zonis. Quare C. Gracchus Oratione habita cum e Sardiniis rediit: *Itaque*, ait, *Quirites, cum Roma profectus sum, Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex Provincia inanes retuli e*: ex quo intelligitur illud Matthæi *f*; *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris*. Ut autem cessio illa bonorum per multas solemnitatum ambages fieri consueverat, quas singillatim referre non vacat; ita plerique municipalium legum conditores insuper statuerunt, eum, qui ad id beneficium admitti velit, non nisi nudum super lapide aliquo advocata concione cedere posse, ut ejus infamiæ metu rarissimus quisque lapsis rebus id subsidium expetat: qui mox apud Cumæos alio in delicto observari solitus est. Tradit enim Plutarchus in problematis, mulieres, quæ in adulterio deprehensæ fuissent, in forum deduci solitas, ut illic lapidi insidentes ab omnibus conspici, despicique possent; demum Asino impositæ per totam Urbem vectabantur; rursusque ad lapidem reducebantur; unde ignominiæ causa, quæ id passa esset mulier, *Onobatis* græce ab insesso asino dicebatur. Quamquam alii putent, legem Juliam de bonis cedendis latam fuisse, ut antiquæ legi Petiliæ jam vetustate senescenti nova subveniret; cujus rei argumento esse contendunt illud C. Manlii: *Neque cuiquam nostrum licuit more majorum lege uti; neque amisso patrimonio corpus liberum esse g*. Verum id dolose, & vafre dictum a Manlio existimaverim potius, quam ad veritatem: quippe opus illi erat excusatione aliqua, quem Catilina, tamquam consciam conjurationis, Fesulas, ceterasque Hetruriæ in partes dimisit, ut idem Sallustius testatur, quod neque Glareanus, neque Popma, neque Ciaconius ad illum locum adnotarunt. Præterea Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores rescripserunt, ne quis omnino vel fisci debitor, vel alienæ rei in auro, &

a l. ult. ff. de in jus vocando l. 1 ff de pœnis.

b l. ob fœnus 50. ff. de administr. tut.

c l. tutor. 3. §. tutores ff. de suspectis.

d l. 4. Qui bonis cedere Cod Justinian & 1. in C Theod. Menochius. de Arbitr. casu 183 n. 7. 8.

e lib. 15. c. 12 Gellius.

f cap. 10. v. 9. Vide l Divus 6 ff de bon. damn.

g Sallust. in Catilina.

A in argento, diversisque mobilibus retentator, ac debitor, bonorum faciens cessionem, liberum a repetitione plenissima nomen effugiat, sed ad redhibitionem debitæ quantitatis congrua, atque dignissima supplitiorum acerbitate cogatur *a*. Ex quibus duo consequuntur: Alterum, decoctores vitio suo tales effectos suppliciis obnoxios fuisse, hoc est verberibus pulsatos, aut aliter etiam coercitos. Alterum, fraudatores istos dolosos publicis vinculis detentos fuisse. Zeno Cæsar tandem ex quacumque causa vetuit, ne quis privatis

B vinculis uteretur *b*. ex quibus conjectari potest, quoniam præ cæteris statuit, *amittere eos causam, quam habent adversus inclusos*, ære alieno obrutos non privato, sed publico carcere fuisse detentos. Neque sane otiosæ fuerunt Gratiani, Valentiniani, Theodosii, ac Zenonis constitutiones. Etenim Sextus Cæcilius, J. C. apud Gellium testatur, se vidisse, multos addici, & vinciri; qui cum sub Hadriano, & Antoninis floreret, conjecturam facit, etiam post latam legem Juliam creditores adhuc vinxisse privatim debitores suos, sed

C ex vi potius, quam ex concesso jure. Nec non D. Ambrosius, qui sub Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Imperatoribus vixit, crebram mentionem facit nexorum. inquit enim: *Quoties vidi a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari funus, dum fœnus exposcitur? Quibus ego acquiescens dixi; Tenete reum vestrum, & ne vobis possit elabi, domum ducite, claudite in cubili vestro, carnificibus duriores: quoniam quem vos tenetis carcer non suscipit, exactor absolvit. c* Et alibi:

D *Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis; & hoc inhumanum flagitium non erubescere creditorem d*. Item alio loco: *Vidi ego pauperem duci, dum cogeretur solvere, quod non habebat: trahi ad carcerem, quia vinum deesset, ad mensam potentis: deducere in auctionem filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset: inventum forte aliquem, qui in illa necessitate subveniret. Redit ad hospicium cum suis ingemiscens filiorum fa-*

E *mem: dolens quod eos non potius ei, qui posset pascere, vendidisset. Redit ad consilium vendendi sumit arbitrium. e* Ad extremum: *Grandis culpa est, si, te sciente, fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, & eum non adjuves: si sit in carcere, & pœnis, & supplitiis propter debitum aliquod excrucietur f*. Quæ omnia congerere non me piguit, quoniam aut de carcere publico loquitur D. Ambrosius ibidem, aut de privatis vinculis potentiorum.

a l. 3. Cod. Theodos. bonis: &c.

b l. 1. Cod. de privat. carcer. inhib.

c in Topicis cap. 10.

d idem c. 8.

e in lib. De Nabut. c. 5.

f idem lib. 1. Offic.

F

CAP. XIII.

Quoniam Carcere publico continerentur decoctores, & obærati, Anci ne, an eo qui Centumviralis inscriptus erat.

SUblata nectendorum debitorum lege Petiliam rogationem, & Constitutiones Cæsarum posteriores, nec non adempto privati carceris jure, æquum

erat, ut coercitione aliqua compescerentur saltem dolus eorum, qui vitio suo fraudem creditoribus facere niterentur, hoc est, ut diximus, carceris publici tædia perferrent vincti, & inclusi. Non tamen constat, quo carcere essent detinendi, Publico ne, an alio; quod perfunctorie, & jejune attigimus cap. 4. in fine. Profecto Cælius Rhodiginus facem præbere videtur in pervestiganda Carceris definitione; inquit enim *a*, carceris genera veteribus tria fuisse: Unum, quo immodesti, & parum exculti compellerentur, ut noctu a doctis condocefierent, & bonarum artium professoribus, quæ ad bonos mores, & vitæ modum pertinerent: Alterum, quo ære alieno impliciti, & qui carceris tædio ab inita vitæ petulantia absterrendi erant, detinerentur. Tertium, quo immanibus præsignes flagitiis cælo, & hominum cætu indigni, vitiis, ac vitæ turpitudine diffamatissimi, ac propediem plectendi, tenebrisque, ac pedori addicendi intruderentur. Itaque ut postremum hoc carceris genus Tullianum appellare non dubitaverim, ita de quonam sit accipiendus secundus carcer, anceps admodum sum. Dicam tamen quod sentio, ita me Dii ament. Sextus Rufus, & Publius Victor mentionem de regionibus urbis Romæ facientes testantur, in regionibus Circi Flaminii Carcerem Centumvirorum fuisse constructum, quo ære alieno fere nexos contineri consuevisse non diffiteor. Erat autem Flaminius Circus ex Sexti Pompeii sententia dictus a Flaminio Consule, qui prælio ad Trasymenum cum Annibale commisso cecidit; vel, ut scribit Plutarchus, a quodam Flaminio antiquo, qui moriens agrum quendam Populo Romano, ex cujus proventu equestres ludi fierent, reliquit: Vel, ut ait Varro, quoniam in Campo Flaminio conditus est. Sed non est de his locus hic. Mehercule non sum nescius, Ugonem adversus Baronium sollicitasse veterem in Publio lectionem; & pro *Carcer C. Virorum* reposuisse suo periculo *Carcer Xvirorum*, reclamantibus omnibus libris, & invita Romana historia: nusquam enim legitur, carcerem a Decemviris ædificatum fuisse. Itaque servata vulgari lectione, dicendum est, carcerem in regione Circi Flaminii Centumviralem fuisse; non quod a Centumviris fuerit ædificatus, sed quod ad eum deferrentur, qui Rei Centumviralis judicii essent effecti. Porro neminem fugit, Centumviralia judicia fuisse mere civilia; non tamen ita, ut Magistratus dicerentur: quanquam cum Cicerone *b* ii, qui lites contractas judicabant, hoc est vel Centumviri, vel Decemviri, in minorum Magistratuum locum referantur, non immerito eos recensuit Hotomanus inter Magistratus Romanorum. Illud autem solummodo dignum hoc loco puto, & rei, de qua sermo est, aptum, quod Tullius libro 1. de Oratore ait: *Nam volitare in Foro, hærere in jure, ac Prætorum Tribunalibus judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate, & jure certetur; Jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur, &c.* (5) Neque sane excidit Tullio *Nexorum* vox, sed ut indicaret eos, qui ære alieno obruti essent. Ita pro Muræna: *Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt,*

a lib. 17. c. 9.

b lib. 3. de legib.

(5) Auctor. *Neque sane excidit Tullio NEXORUM vox, sed ut indicaret eos, qui ære alieno obruti essent.*

Non inficior, dictos esse nexos, qui creditoribus suis addicebantur, quoad pecuniam deberent, sed non puto, hic a Cicerone *nexorum* appellatione hosce indicari: at alia ratione id nominis acceptum existimo. Erat olim in veteri jurisprudentia rerum hæc distinctio, ut aliæ *mancipi* dicerentur, quarum scilicet in alium transferri & possessio & dominium posset: aliæ *nec mancipi* (particula *nec* pro *non* veteri more latinorum usurpata) quarum dominium esset pœnes populum Romanum, ideoque tantum possessionem transferre in alium liceret. In alienatione rerum *mancipi*, seu *mancipiorum*, quæ, quod perfectam dominii translationem contineret, *abalienatio* est appellata, (*a*) solennitas illa traditionis, quæ fiebat per æs, & libram, adhibitis libripende, & quinque testibus, simulata venditione, vel ad tradendum, vel ad obligandum alicui earum rerum dominium, nexus, & nexum appellabatur, ut a Varrone, & Festo docemur (*b*). Quæ solennia si plurali efferrentur numero, nexa non minus, quam nexus vocabantur. Cic. pro Cæcina. Sylla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa, & hereditates. Itaque ubi Cicero lib. 1. de Orat. eo loci, quem profert Auctor noster, Nexorum, & mancipiorum meminit ibi hæc solennia, quæ commemoravi, interpretor ab eo designari; quod & suadet conjunctio harum vocum: Nexorum & Mancipiorum. Apertum id etiam magis deprehendo in Oratione pro Muræna eo loci, qui Auctore nostro item profertur: Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit, nimirum, qui solennem, quam dixi, transferendi dominii formulam adhibuit. In Topicis multo apertissimum judico. (*c*) Abalienatio, inquit Cicero, est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. *Traditio alteri nexu* propria erat solennitas in rebus mancipi: *In jure cessio* communis solennitas cum in rebus mancipi; tum in rebus non mancipi. Ulpianus (*d*). *In jure cessio quoque communis alienatio est & mancipi rerum, & nec mancipi*: quæ verba cum Ciceronis verbis egregie consentiunt. Addam Boethium ad hunc locum Topicorum: *Mancipi vero res*, inquit, *veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus solennitatem fieret &c.* Nexus, vel nexi solennitas non modo in venditionibus, sed etiam in Testamentis (*e*) in donationibus (*f*) locum habebat, ut appareat, non quoties nexorum occurrit vocabulum, toties esse de obæratis hominibus accipiendum, qui creditoribus addicti fuerint. (*H. F. C. D.*)

(a) *Alienationem Ulp. in frag. tit.* XIX. §. VII. *vocat etiam rerum nec mancipi traditionem.*

(b) *Festus verb. nexus. Varro lib.* IV. *de ling. latin.*

(c) *Qui locus etiam citatur ab Auctore nostro.*

(d) *In fragm. tit.* XIX. §. IX.

(e) *Festus l. c.*

(f) *Et L. ult. Cod. de Donat. Brummerus copiose ad L. Cinciam cap.* XIII.

is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit, &c. Idem in Topicis: *Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio.* Quod ex eo putat factum Hotomanus, quod nomen nexorum manserit, etsi carcer domesticus creditorum in publicum carcerem Centumvirorum fuerit commutatus *a*. Itaque hoc Centumvirali carcere custodiri nexos mihi persuasum est, tum quia carcer ille insignis imminens Foro, media in Urbe ad terrorem increscentis audaciæ conditus est, & sic ad custodiendos criminis reos tantum; tum quia carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est, ut Constantinus *b* rescripsit. Hinc cum Appius Claudius ob vindicias servitutis datas puellæ Virginii filiæ in carcerem duci jussus esset, orabat, ne Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, ut inter fures, & latrones vinctus jaceret legum lator, conditorque Romani juris *c*. Neque enim minus ignominiosum illi fuisset etiam inter decoctores vinciri, si, quo carcere fures, & latrones continebantur, etiam decoctores consuevissent referri. Igitur quia certus carcer erat, quo noxii continebantur. Nisi mavis, eodem carcere inclusos etiam fuisse illos, qui suo, non fortunæ vitio inopia laborarent extrema, cujusmodi sunt proprie decoctores; nam hi parum distabant a furibus. Præterquam enim quod lege Roscia illis, tamquam infamibus, certus in Theatro locus constitutus fuerat *d*, & more Bætorum Cophinus ad infamiam injiciebatur, ceu galerus viridis apud Gallos; aut trans Tiberim ablegabantur *e*; accedit ad hæc Hadriani posterior Constitutio, qua cautum erat, decoctores bonorum suorum catamidiari in Amphitheatro, hoc est deridendos hominibus præberi *f*. Quod si infortunio aliquo effecti essent non solvendo, non inficias eam, reparato, & ad id constituto carceri obstrictos fuisse. Neque sane evenire casu putamus, ut, quo loco de carcere criminali mentio fit, apposite fiat mentio de criminibus; ut sensus sit, nullos, præter reos criminum, malis illis mansionibus solitos contineri. Ita Valerius Maximus narrat factum Tiberii Gracchi. Is, cum Tribunus plebis esset, & ex professo inimicitias cum Africano, & Asiatico Scipionibus gereret; & Asiaticus judicatæ pecuniæ satisdare non posset, atque ideo a Consule in vincula publica duci jussus esset, appellassetque Collegium Tribunorum, reluctantibus Collegis, solus intercessit Gracchus, decrevitque hoc modo: Cum L. Cornelius Scipio die triumphi sui ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit, indignum, & alienum a majestate populi Romani videri, eodem ipsum duci: Hoc est, eodem carcere, quo & captivi, & reliqui criminum rei. Nec enim causa Asiatici civilis erat, sed criminalis; nam pecuniæ captæ reus dictus erat *g*. Hinc notatu dignum est, quod Valerius ait, a Consule in vincula publica duci jussum esse Asiaticum: nam ubi causa civilis erat, in vincula publica jubebatur debitor duci a Prætore, non a Consule, ubi vero causa Criminalis es-

a Quæst. illustr. cap. 24.
b l. 2. C. de exactoribus lib. 10.
c Liv. lib. 3.
d Cic. Philip. 2.
e Gell. lib. 20. cap. 1.
f Spartianus in Hadriano.
g Liv. l. 38.

set, id Præfectus Urbi, Triumviri Capitales, vel Consules decernebant, præsertim ante Valeriam legem. Quare apud Suetonium legitur de Cajo Cæsare Consule jubente in carcerem duci M. Catonem. Igitur recte Petrus Gregorius (*a*) concludit, alium esse carcerem in causa civili, qui ad solam custodiam adhibetur; alium vero, qui veluti ad pœnam adversus sontes; quemadmodum Barnabas Vicecomes *b* laxos carceres Mediolani instituit, in quibus egestatis ultimæ debitoribus, & extra capitalem pœnam damnatis alimenta gratuita præstantur: & hoc jure utimur in hoc Serenissimo Dominio, ac in toto fere terrarum Orbe, ut diversi sint obæratorum carceres, ac delinquentium. Verum adversus hæc omnia sunt, qui objiciant, Centumvirorum Jurisdictionem mere Civilem fuisse; propterea jus detrudendi in carcerem reos non ad judicium Centumvirale, sed ad Prætorem pertinuisse. Solvimus tamen; tum quia Prætor Centumviralibus Judiciis præsidebat, ut indicat Plinius ad Rufum scribens *c*, ac medius inter quatuor tribunalia sedebat *d*: erant enim Centumviri in Basilica Julia quatuor diversis tribunalibus distincti, ac inter se separati *e*; Tum quia omnibus magistratibus permissum erat propriam jurisdictionem tueri pœnali judicio *f*; quamquam Centumviri magistratus proprie non essent, sed Judices, ut dixi, & apud omnes in confesso est. Et licet Prætor Centumviris præesset, non idcirco carcer Prætorius magis, quam Centumviralis dicendus erat: nam & manumissio servorum a minore viginti quinque annis dicebatur apud Consilium facta, & tamen Prætor ejus Consilii Princeps erat; neque idcirco prætoria manumissio appellatur *g*. Igitur centumviralis carcer recte dicebatur, quo Civiles debitores inclusi vinciebantur jussu Prætoris. Sunt tamen, qui adversus carceris inscriptionem, ut dicebam, tentent, & pro eo, quod legitur ex Panvini editione, *Carcer CVirorum*, reponendum esse, *Carcer CL. XVir*: ut sensus sit, non illum a Centumviris carcerem nominatum fuisse, sed a Claudio Decemviro, qui ob Virginii invidiam eo carcere obiit inclusus. Verum non probo, rationem vocabuli in eo positam esse, ut a Claudio decemviro carcer appelletur, quod eo loci Appius Claudius sibi mortem consciverit: præterquam enim, quod alii nobilissimi inter Romanos Cives etiam ante Claudium fuerunt illo carcere inclusi, atque interempti, accedit & illud evidentissimum, quod una cum Appio Claudio Sp. Oppius quoque eodem carcere vinctus fuit; Oppius Claudii Collega in dignitate Decemvirali; Oppius sanguinis, & generis nobilitate Claudio par; Oppius tandem invidiæ proximus, quod in Urbe fuerat, cum injustæ vindiciæ a Collega dicerentur; ac pari bonorum publicatione utriusque memoria damnata ex eo ipso carcere, quo Claudius, & Oppius periere. Igitur si ambo eodem carcere detenti, & defuncti, quin ab Oppio magis, quam a Claudio carceri nomen datum? Nugæ nugarum. Minus favet, quod ab Ugonio legitur *Carcer*

a l. 22. Syntagmat. c. 6.
b Paulus Jovius in ejus vita.
c Epist. l. 5.
d Bulenger. l. 5. de Imp. Rom. c. 25.
e Quintil. l. 12. Instit. c. 5.
f l. 1. ff si quis jusdicenti &c.
g § 4. qui & quibus ex causis &c. Instit.

CL. XVir, quasi a Claudio Decemviro ædificatus, per ea quæ Livius loco allegato expressit: *Illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus*. Horum tamen sensum non esse Livio adscribendum juxta conjecturam Ugonii, adeo Baronius abunde, & luculenter ostendit, ut de eo Volcatii illud Sedigiti usurpare merito possimus; *Si quis contra sentiat, nihil sentiat*. Addamus rursum, si lubet, verba Livii esse Virginio Puellæ patri accommodata ad exprobrandam veterem, atque insitam Claudiæ familiæ superbiam; cujus profecto tanta dederat documenta Appius, ut nescires, in Decemviratu iterum petendo utrum inter Decemviros, an inter candidatos numerares; adeo prensabat singulos, & in Foro volitabat; ut non tam properantis abire magistratu, quam continuare quærentis specimen esse videretur. Itaque illa Virginii verba, quibus in Claudium invehitur, *Illi carcerem ædificatum esse*, hoc sensu accipienda puto: Quamquam Appius Claudius elato, & inflato animo vocare solitus fuerit carcerem domicilium plebis, quasi nobilitate, ac dignitate præstantes Viri expertes esse vinculis debeant; intelligat tamen, sibi quoque ædificatum fuisse; hoc est, ad Decemvirum etiam, & quidem nobilissimum includendum. Cujus rei argumento est, quod Livius ita orantem Appium inducit: *Ne Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, ut carcere, & vinculis viderentur digni*, cum iis, quæ sequuntur.

CAP. XIV.

De Carcere privato Viris competente ad continendas uxores; Patribus ad filios coercendos.

Etsi scio, sub Trajano, & Adriano Imperatoribus, sub Antoninis Pio, & Philosopho, sub Antonino Caracalla, & Aurelio Alexandro Principibus Optimis asperitatem, atque sævitiam in familiares refrænatam fuisse *a*; imo Majestatis reum esse, qui privatos carceres habere voluerit; regula tamen hæc fallit in Patre respectu filii, qui intra domesticos Parietes potest filium de se male meritum, veluti carcere continere: fallit item in marito, qui ex magna causa potest uxorem vinctam tenere, quemadmodum Toletano Concilio legimus cautum *b*, potestatem ligandi uxorem in domo sua non esse Maritis denegandam: quod probat Theodorici Gothorum Regis sententia apud Cassiodorum: *Adiit nos*, inquit, *innumeris vicibus Patzenis repetita conquestio, qui cum esset in expeditione felicissima constitutus a Procula conjuge tua uxorem suam asseruit trina fuisse cæde laceratam; ita ut solo beneficio desperationis evaderet, cum non plagi fessa, sed jam crederetur extincta. Hanc nos, si tamen vera est, in fœmina quam maxime admirantes audaciam, transire non patimur impunitam: atque ideo decretis te præsentibus admonemus, ut, si factum evidenter agnoscas, delatam querimoniam pudori tuo consulens maritali districtione redarguas;*

a l. 1. §. ult. ff. de iis qui sui &c. l. ult. Cod. de emendat. servor.

b can. placuit 33 qu 2. Farinacius de delictis Carnis c. [illegible] n. [illegible]

A *quatenus ex eadem causa ad nos querela justa non redeat; & legibus noveris resecare posse, quod te oportuerat domestica districtione corrigere a*. Apud Romanos id jus invaluisse, ex unico Taciti loco patet. *Pomponia Græcina superstitionis externæ rea mariti judicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite, famaque conjugis cognovit*. Hoc jure cum publica quæstione detectæ essent mulieres incesti stupri, per subterranea Bacchanalia damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant consules, *ut ipsi in*
B *privato animadverterent in eas; si nemo erat idoneus supplitii exactor, in publico animadvertebatur b*. Igitur primævo Romanorum jure Romulo placuit, Maritis jus vitæ, & necis in uxores suas indulgere: *Vir, & cognati, uti volent, necanto c*. Enimvero Romulo placuit quatuor ex causis dare potestatem Viro uxores domi damnandi, videlicet, ob veneficium puerorum, ob adulterium, ob clavium suppositionem, & ob gustationem vini *d*: & ad hanc legem Romuli est Tacitus referendus, ubi supra legimus, *Prisco insti-*
C *tuto*. Posterioribus autem temporibus periculosum visum est domesticum maritorum jus in vitam uxorum: si enim privato quisque odio posset vir uxorem impune occidere, parum hercle prospectum esset imbecillitati mulierum, quas vel fastidium viri, vel ira, vel novus amor occideret. Vix autem receptum, ut possit sine injuria modice eam coercere: nam *Quemadmodum fluvius continetur intra alveum, ita debet coerceri voluntas uxoris e*; quæ si obsequi viro detrectet, cujus in manum
D convenit, jure coercebitur *f*. Quod si maritus nullo domestico judicio adversus uxorem uti velit (nam si nihil præter jus agimus, melius fiet in foro cunctis audientibus) prodiit a Divo Augusto lex Julia de pudicitia, sive ea fuerit Juliæ de Adulteriis pars, sive ab ea separata, quod enucleare non vacat; eaque lege judicium de moribus gravioribus conflatum, quemadmodum leviores mores ad peculiare judicium de moribus pertinebant *g*. Profecto judicium de moribus ita dictum ex quodam temperamento, ut nomine morum
E intelligantur injuriæ, quas malas tractationes Quintilianus appellat. Quare crimina significabant quid turpius & quid gravius; mores vero, saltem temperamento leniore vocis, quid levius præseferebant; ut contrectatio marito facta ab uxore malus contractus appellatur *h*. Belle Auctor ad Herennium 2. *Si nihil eorum fieri poterit, utatur extrema defensione, & dicat, non se de moribus ejus apud Censores, sed de criminibus adversariorum apud Judices dicere*. Pariter & in argumen-
F to de delictis Ecclesiasticorum Ambrosius de Valentiniano Seniore *i*. *Quin etiamsi alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset etiam examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere*. Sed hæc agimus in prælectionibus publicis ad Rubricam de Adulteriis. Ad filios quod attinet, sciendum est, vetustissima Romuli lege cautum fuisse; Parentum in liberos omne jus esto relegandi, vendendi, occidendi *k*. Verumtamen hæc

a l. 5. Var. Epist. 32.

b Livius lib. 49 Val. Max. lib. 6. c 3.

c Dionysius Halicarnass. [illegible] 2.

d Gell. l. 10. c. 23. Plin. lib. 14. c. 13.

e Ecclesiast. cap. 25.

f Arniseus de Jure Connubior. c. 7.

g Ulpian. in fragm. Tit. 6. [illegible] morum.

h l. si rerum 52. ff. de [illegible] jud.

i Epist. 34.

k Halicarnass. lib. 2.

hæc lex, Regibus etiam exactis, moribus Populi recepta fuit *a*, ac tandem inter leges duodecim Tabularum a Decemviris relata *b*. Posterioribus autem temporibus hanc legem sublatam scimus, ea eleganti ratione, quam Martianus reddit, quod Patria potestas debeat consistere in pietate, non in atrocitate *c*. Incertum tamen, exactis Regibus, fuerit ne summa illa potestas directe sublata, an per desuetudinem, quod Ræyardo, & Petro Gregorio relinquimus disputandum *d*: hæc enim minime ad rem præsentem. Cæterum exploratissimum est, huic temperatissimo patriæ potestatis juri coercitionem filiorum non fuisse postmodum denegatam; quo jure etiam hodie utimur *e*; hoc est, ut carcere privato filius contineatur. Ad rem Seneca rationem accommodat: *Quia*, inquit, *utile est juventuti regi, imposuimus illis domesticos magistratus, sub quorum custodia contineantur f*. Non tamen ex dictis caret difficultate responsum Ulpiani dicentis; *Inauditum filium patrem occidere non posse, sed accusare eum apud Præfectum, Præsidemve provinciæ debere g*. Si enim occidere inauditum non potest, ex contrariorum natura poterit occidere auditum; & hæc est ratio, propter quam Stephanus Forcatulus non probat Accursii declarationem illius vocis, ut *inauditus* pro non defenso accipiatur *h*: magis itaque probat *inauditum* explicare pro impio, qui commisit aliquid inauditum; quod verbum usurpatum est pro re indigna, quæ audiatur *i*. Cui sane interpretationi affinis est altera, *inauditum* non audientem, & paternis obsequiis non obtemperantem intendens; juxta illud Nonii Marcelli: Inauditum, quod non audiat, in veteribus prudentibus lectum est; & huic malo subscribere, quam priori ob Auctorum Græcorum fidem *k*; quippe qui eum textum interpretantes *inauditum* scripserunt significare *inobedientem, sive contumacem*. Utraque tamen conjectura mihi plane est insulsa; nam quis inficiabitur, Patrem, sublato jam vitæ, & necis in filium jure, posse occidere filium non auditum, aut non moratum? Igitur interpretationes illiusmodi, tamquam dubitatione in quacumque lege necessaria carentes, flocci pendendæ sunt; sicque statuendum, me Judice: Si Paterfamilias filium de se male meritum habeat, non est ei jus examinandi causam ejusdem *l*; sed ad Præfectum vel Provinciæ Præsidem deferre tenetur, qui vel ipsum causa cognita punient, vel Patri tradent puniendum, non quidem inauditum, sed accusatum, & de crimine convictum: quemadmodum *inauditi* vox usurpatur a plerisque. Tacitus: *inaudito filio exitium offerre m*. Seneca in Medea, Actu secundo.

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Non ergo hoc voluit Ulpianus, ut non liceret Patri occidere filium inauditum respectu domestici judicii; nam ipsa æquitas naturalis suadet, ne inaudita causa quis condemnetur *a*; hoc autem voluit, non licere Patri occidere filium, quem Præfectus, aut Præses prius non audiverint accusatum a Patre *b*. Enimvero jus vitæ, & necis, quod habebat Pater in filios, sensim ablatum est. Prius namque constitutum, ut non sit fas enecare filium, nisi adhibito consanguineorum consilio; quemadmodum Cassius Spurius, advocatis amicis, consanguineisque, filium Spurium Cassium Viscellinum affectati Regni crimine domi damnavit *c*. Postmodum nostrarum Pandectarum ævo tenebatur Pater accusare delinquentem filium; nisi, audita a Jusdicente delatione, fuisset idem filius Patri remissus; quo casu Parentes modo, ut dicimus, executivo jus occidendi adhuc retinebant. Porro ea filiorum delatio, quam Martianus oblationem appellat, ideo fieri debebat, ut Pater a judice facultatem obtineret filium damnandi, non vero ut ad supplitium ducere filium suum videretur, ut idem ait *d*, nisi judex maluisset adversus eundem sententiam ferre. Quare lex Julia illud tamquam singulare constituit, ut pater possit occidere filiam in ipsa adulterii turpitudine deprehensam, sicque inauditam, & non oblatam Præfecto, vel Præsidi *e*. Non enim in hoc tantum consistit legis Juliæ singularis definitio, ut pater jure occidat; sed in hoc maxime, ut occidat non oblatam, & inauditam. Ad extremum jure Codicis omnino restricta est patria potestas, & cautum, non solum a Patre accusari pravos filios debere, verum etiam a Præside, coram quo accusatio proponitur, condemnari *f*. Sed vereor ne nimium a scopo aberraverim.

CAP. XV.

De Carcere privato servorum; cujus occasione plura de Ergastulis ad originem, modum, personasque pertinentia.

Ratio Triboniani apud Justinianum Cæsarem asserentis, non licere domino servum suum interficere, quod Reipublicæ intersit, ne quis re sua male utatur, mihi semper suspecta fuit: nam cum potestas in servos dominium sit, dominis autem liceat uti, & abuti; non video, cur dominus jus occidendi servi, saltem si justa suppetat causa, non habeat *g*. Itaque existimo, veriorem esse rationem, Romanos pacis artibus imbutos compertum postea habuisse, licet servi pro mortuis habeantur in iis, quæ pertinent ad jus civile, in iis tamen, quæ jus naturæ respiciunt, esse reliquis hominibus pares; ac propterea naturalem hanc lucis usuram non esse eis temere auferendam. Venuste Seneca Epistola 47. *Servi sunt? Imo homines. Servi sunt? Imo contubernales. Servi sunt? Imo humiles amici*: & paucis interjectis; *Nec tamquam hominibus quidem, sed tamquam jumentis abutimur.* Nec refert, quod jure belli, cum caperentur, potuerint impune interfici; nam id foris fieri poterat, aut ex defensionis jure, aut ex Principis auctoritate, cujus personam refert.

Left margin notes: *a* l. 8. ff. de iis, qui sui, &c. — *b* l. in suis ff. de lib. & posth. juncto §. 2. de hæred. qualit. — *c* l. Divus ff. ad l. Pomp. de Parricid. — *d* Ad ll. 12. Tab. cap. 3. lib. 1. syntagm. cap. 8. — *e* l. 3. ff. de lib. hom. exhib. l. 3. Cod. de patr. potest. — *f* lib. 3. de Benef. c. 11. — *g* l. 2. ff. ad l. Cornel. de Sicar. — *h* Necyomantia. Dialogo 81. — *i* l. cœlicolarum Cod. de Judæis l. 4. Cod. de Apostatis. — *k* lib. 60. Basilic. Tit. 39 — *l* l. qui jurisdictioni ff. de Jurisdict. — *m* Annal. 4.

Right margin notes: *a* l. 1. ff. de req. reis. — *b* l. 3. Cod. de Patr. potest. — *c* Val. Max. lib. 5. c. 8. — *d* l. milites 13. §. ult. ff. de re milit. Vide Petr. Greg. l. 11. cap. 8. n. 8. — *e* l. quod ait 23. ff. ad l. Jul. de adult. — *f* l. 3. 4. Cod. de Patr. potest. — *g* l. 215. ff. de V. S. l. sed etsi 28. §. consului t ff. de pet't hæreditat. l. 22. Cod. Mandati.

qui pro eo militat in Castris. Unde Julius Mansuetus ex Hispania Rapaci legioni additus, cum impuberem filium domi reliquisset, is mox adultus inter Septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem, & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus, agnoscensque, & exanimem amplexus, flebili voce precabatur placatos Patris manes; neve se ut parricidam aversarentur. Publicum id facinus *a*. Quamvis tamen prohibitum dominis fuerit servos occidere, non tamen inhibitum erat modice eos castigare. Solebant itaque servos de fuga suspectos, aut corpore tantum bonos, quibus cerebrum omne in manu est, partim vincire, partim Ergastulis continere, ut latifundia divitum dominorum excolerent *b*. De Ergastulis igitur, quæ cum carcere analogiam quandam habent, nonnullas racemationes perstringam; vix enim est quod iis, quæ uberrime Lipsius in Electis collegit, aut elegans, aut scitu dignum adjici possit. Cum autem Ergastuli vox origine Græca locum omnem, in quo vincti operantur, complectatur; operæ pretium facturum me puto, si ante omnia constituam, ergastula publica, vel privata fuisse. Publica dico, quæ ad statum rei Romanæ pertinebant: erant autem antiquitus damnatorum in metallum, ac fodinas hujusmodi receptacula; posterius vero pistrinæ. Privata e contra addictiones servorum, aut ingenuorum etiam in opus rusticum a divitibus factæ, de quibus singillatim, & ex ordine agendum est. Ergastulorum publicorum originem a remoto fonte erutam exhibet Diodorus Siculus lib. 3. ab Ægypto, ubi qui ob aliquod turpe facinus damnabatur, itemque captivi metallis addici solebant, ut vincti opus facerent. Proximam autem originem a Tarquinio Superbo deducit Eutropius, & cum eo Suidas *c*, quod postea ab Imperatoribus servatum fuisse scimus; quoniam Suetonius sub Caligula testatur, multos honesti Ordinis ad metalla & munitiones viarum fuisse damnatos, stigmatum notis deformatos *d*; quod erat etiam privatis ergastulis commune, ut servi, quorum frontibus ignominiosa nota erat inusta, ad opus aliquod rusticum vincirentur: quod Juvenalis lepide, & eleganter expressit *e*.

Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus ......

Origo autem Publici Pistrinensis Ergastuli a Constantino Magno fuit *f* ad Urbis Romæ, & annonæ civicæ commodum; quod & sequentium Imperatorum nonnemo probavit; veluti Valentinianus Senior, qui non, ut Constantinus ante, populos Sardiniæ solos ad Urbem Romam vehi voluit in hoc opus, sed etiam per Romam ipsam, & Urbicarias Regiones *g*; hac quidem ratione, quod Regiones illæ, seu Provinciæ omnes & cæteroquin annonam Urbis Romæ, seu Urbicam juvarent, & quia Provinciæ illæ vel Urbi contiguæ, vel sane continentes, & quodammodo suburbanæ forent, ut facili negotio ad urbem exinde res deduci possent. Jam vero

a Tacitus annal. 9.

b l. ideoque §. idem Labeo ff. de dolo malo. l. si ut certo § custodiam ff. [illegible] l. [illegible] commissaria ff. de fideicom. libert.

c lib. 1. cap. 10. in verbo Superbus.

d cap. 27.

e Satyr. 14. v. 24.

f l. 3. Cod. Theod. de pœnis.

g l. 5. 6. 7. 9. Cod. eod.

A ut publicorum Ergastulorum exordia a jure publico fuerunt, ita privatorum institutio ab injuriis, atque violentiis. Etenim recte Plutarch. in Gracchis ait: *Paulo vero post, cum vicini illi divites per suppositas personas transferrent conductiones agrorum in se se, & denique palam jam etiam ex suo nomine plerasque detinerent; expulsi pauperes neque ad militiæ munus alacres se præbebant, neque ad educandos liberos: Ita ut mox Italiam universam infrequentem, & vacuam liberorum capitum esse contigerit, & Ergastulis compleri*
B *servorum barbarorum, per quos divites agros suos colebant, Civibus exactis*. Hisce tamquam præliminaribus delibatis, tria de Ergastulis agam: quæ personæ Ergastulis continerentur: quomodo; & ad quod munus, sive ad quid. Itaque liberorum hominum, servorumque confuso discrimine, utrique ergastulis vinciebantur. *Rapti per agros viatores sine discrimine liberi, servique ergastulis possessorum supprimebantur*: verba Suetonii sunt *a*. Et Florus de Sicilia: *Terra frugum ferax, &*
C *quodammodo suburbana provincia latifundiis civium lat.norum* (seu lautiorum, juxta lectionem Lipsii) *tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia Ergastula, catenatique cultores materiam bello præbuere*. De liberis hominibus loquitur vi potentiorum hominum Ergastulo clausis; ac de iisdem Livius lib. 6. *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in iis locis fuisse, quæ nunc, vix seminario exiguo militum relicto, servitia Romana ab solitudine vindicant*. Cui quidem privatæ auctoritatis abusioni primus occurrit Ha-
D drianus Cæsar, qui, Spartiano in ejus vita referente, *ergastula servorum, & liberorum tulit*, seu sustulit, & prohibuit. De servis vero Lactantius *b*: *quod si servorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque veteribus, vinculis, ergastulo, cruce, & omni malo dignissimus judicatur &c.* Nam licet eo ævo sublata ergastula fuerint, attamen ad mores veterum dicendi modum accommodat. Hisce addo Juvenalem *c*.

E *Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?*
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas.

Agri enim Lucani, & Tusci hi erant, ubi vincti servi ad effodienda metalla damnabantur. Martialis.

Et sonat innumera compede Tuscus ager.

Porro etsi ergastulis publicis liberos æque, ac servos contineri potuisse non inficias eam ex auctoritate Suetonii, & Plinii Ju-
F nioris *d*; attamen quod privato ergastulo liberi ingenuive vinciebantur, id per vim & fraudem contingebat; servi Jure claudebantur. Verumtamen etsi publici ergastuli pœna liberis hominibus jure non conveniret; nihilo tamen minus, si hi plebejæ conditionis fuissent., & humilioris, puta liberti, arenarii, scenici, lenones, tabernarii, utique damnari in metallum poterant *e*. Quare quemad-

a in Augusto cap. 32.

b lib. 5. cap. 19.

c Satyr. 8. v. 178.

d In Nerone c. 32. li. 10. Epistol.

e l. mandatis 35 ff. de pœnis. l. humilem Cod. de incest. nupt. l. 6. & 11. Cod. de pœnis.

modum Ethnici Imperatores susque deque habebant Christianorum religionem; ita Christianos, quos viliores reputabant, in metallum damnabant: quo pertinet illud Ambrosii *a*: *Ut catenatorum ordines innumeros spectent de Christiano populo, ut captiva videant colla plebis fidelis, ut condantur in tenebras Dei servuli, ut feriantur securibus, dentur ignibus, tradantur metallis, ne pœna cito transeat*. Et Cyprianus *b*. *Non fovetur in metallo lecto, & culcitris corpus; humi jacent fessa laboribus viscera, squalent sine balneis membra situ, & sorde deformia; panis illis* B *exiguus, vestis algentibus deest: Semitonsi capitis capillus horrescit*. A personis gradum faciamus ad modum. Respicit autem modus vel formam continendorum, vel victum. Victus sane pertenuis, & asper. Dimensum enim quoddam exiguum habebant in dies, ut allegato Cypriani loco; & magis tenue, quam servi urbani *c*: quod Horatius indicat non obscure ad Villicum suum:

Cum servis urbana diaria rodere mavis. C

Cæterum forma erat, ut catenis obligarentur tum publicis, tum etiam privatis ergastulis inclusi. De publico ergastulo testimonium extat in legibus nostris: sive enim quis in metallum damnaretur, sive in opus metalli, uterque compedibus premebatur; nisi forte quod in metallum damnati gravioribus vinculis, damnati vero in opus metalli vinculis levioribus erant constricti *d*. Ratio discriminis, quia illi numquam a loco discedunt; isti vero de loco ad locum ferre metalla debebant *e*. D De privato item ergastulo plura sunt veterum testimonia. Unum pro cunctis Apulejum malo, qui hæc habet *f*. *Dii boni, quales illi homunculi livedine totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti: nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo intecti; cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti: frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes anulati*: ex quibus, præterquam quod turpis egestas catenatorum colligitur, patet præterea, signatos fronte fuisse littera E ignominiæ *g*, vel virgarum notis tergo inhærentibus, veluti litteris; unde Plautus in Cassina *h*:

CH. *Tu ut liquescas, ipse actutum virgis calefactabere*.
S. *Hoc age sis, Olympio*. O. *si litteratus me sinat*,
S. *Quod bonum, atque fortunatum mihi sit*.

Petronius: *sequar ego frontes notas inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puniti. Ita eædem litteræ & suspicionem declinabunt quærentium, & vultus umbra duplici tegent*. Hisce autem flagris plectebantur ab eo, qui huic operi, servisque præerat, quem Ergastularium Columella, & Tribunum Vapularem in Persa Plautus appellat. Hoc autem idem Columella addit *i*, *carcerem in ergastulis fuisse, hoc est cellam, vel subterraneum erga-* F

a Epist. 29. in fine.
b lib. 3. Epist. 25.
c l. servis 98. ff. de legatis 3.
d l. 8. §. 6. ff. de pœnis.
e l. 10 § qui ex causa ff. eod.
f lib. 9.
g Ulpian. in fragment tit. 5. Cajus lib. 1. Instit tit. 1.
h Act. 2 sc. 6.
i lib. 1. cap. 5. & 8.

A *stulum, plurimis, atque iis angustis illustratum fenestris, atque a terra sic editis, ne manu contingi possent*: & paulo post: *Illa solemnia sunt*, inquit, *ut domi ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent, num diligenter vincta sint, an sedes ipsæ custodiæ satis tutæ, munitæque sint*. Quod vero anulatos servorum pedes dixerit Apulejus de pistrinariis, eo fit, ut intelligamus, catenam, seu compedes, quibus vincti erant, laxas fuisse ad motum, & incessum, ac orbibus e ferro nexis, instar anulorum. Unde Martialis.

Anulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus.

Quod si ministerium ergastulariorum quæramus, Lipsius numquam satis laudatus putat, ad molendum, ad cædendum lapidem, ad aquam hauriendam, ad molam, ad pistrinum damnatos servos fuisse, quæ generali vocabulo metalli nomine complexi sunt nostri Jurisconsulti *a*: quorum opus servis demandabatur ab eo, qui dominus esset fodinæ. Et de ergastulo publico, veluti extra ordinem a Nerone constituto, meminit Suetonius in eodem; scilicet Neronem inchoasse Piscinam a Miseno in Avernum lacum, & fossam ab Averno Ostiam usque; quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique custodiæ esset, in Italiam deportari, & scelere convictos non nisi ad opus damnari præcepisse *b*. Postmodum sublato per Hadrianum Cæsarem ergastulorum usu, nullum ejus pœnæ vestigium remanet apud nos; nisi quod ad transtra damnati videntur convenire cum iis, qui ergastulo vincti erant *c*.

a l. sed si §. ult. ff. de rebus eorum &c. l. æquissimum § proinde ff. de usufruc. l. aut damnum §. si calcariam ff. de pœnis. l 6. ff. [illegible] captivis.
b cap. 32.
c Pancirol. lib. 1. variar. cap. 41 lib. 1. memorabil. cap. 61

CAP. XVI.

De custodiendis furiosis; & quam varie vinciri antiquitus consueverint; quorum occasione de Origine, & progressu Nosocomiorum.

NEscio quo loco Plinii non illepidam narratiunculam memini me legisse de Phileta Coo inter Elegiographos non infimæ notæ Viro, cui tanta corporis exilitas erat, ut plumbatis soleis incedere solitus esset, ne a ventorum impetu raperetur. Ex quo conjicio, levitatem hominum, sin minus remedio aliquo animi, ponderibus saltem effici graviorem debere, ut constare sibi, certoque loco consistere aliquo modo possit. Hinc quorum mens levis est, quosque insanos, mente captos, dementes, aut mania correptos appellamus, vinculis contineri scimus; ut quoniam vagus animus illis est, constans saltem sit corpus, & confirmatum. Quamobrem vetustissimum fuisse nectendorum furiosorum morem negabit nemo. Etenim Salomon de adolescente mellitis verborum illecebris a meretrice irretito agens, id explicat collatione, & similitudine furiosi hominis, menteque alienati, atque ignorantis, *quod ad vincula stultus trahatur d*; ut enim compedes ad constringendum stultum adhi-

d Proverb. cap 7. v. 22.

bentur, ita vinculis meretriciis perpetuæ addicitur servituti adolescens imprudens, ut scribit Cornelius a Lapide ad textum illum. Quod autem apud Israelitas usurpatum existimo, ut furiosi clauderentur, & custodirentur, illud apud Græcos etiam servatum fuisse non diffiteor; tum quia de curatore diserte mentionem facit Samuel Petitus in legibus Atticis *a*; tum quia etiam Sophoclem in judicio a suis filiis vocatum fuisse scimus, ut tamquam furiosus, & desipiens a re familiari removeretur, curatoremque acciperet, quia propter studium tragœdiarum in summa senectute rem familiarem negligere videbatur. Absolutus tamen est, quia carmen protulit, quod minime desipientis erat. Cæterum vere furiosus sit fuisset, non dubitasset Archon Græcorum Judicum Princeps filios sapientes insipienti patri curatores dare, quorum consilio, & opera non solum patrimonium, sed & corpus, ac salus furiosi procuraretur, ut Julianus loquitur *b*; pietas enim parentibus (etsi inæqualis est eorum potestas) æqualis debetur *c*. Ut autem a Græcis pleraque regendæ Reipublicæ exempla Romani accepere, ita & illud inter leges duodecim Tabularum retulerunt anno ab Urbe condita 301. *Si furiosus est, Agnatorum, Gentiliumque in eo, pecuniave ejus potestas esto a*. Qua lege, ut ingenue fatear, nonnihil immutatum est ex Græcis constitutionibus, quibus cautum erat; *Tutor is ne esto, qui Agnationis jure hæreditatem pupilli potest hercifcere*: quorum is sensus est, si Petito credimus, remotioribus quidem Agnatis tutelam deferri, quippe qui vel nullam, vel remotam spem succedendi habent, si pupillo, vel furioso quicquam humanitus accidisset, non autem proximioribus. Romanis contra magis placuit, ut, qui commodum successionis speraret, is tutelæ incommoda perferat: sed hoc nihil ad rem præsentem. Hoc idem Lætoria lege fuit postmodum constitutum: (6) incertum, de prodigis ne lex loqueretur, qui casus a lege duodecim Tabularum prætermissus fuit, an potius lex Lætoria id confirmaverit, quod a lege duodecim Tabularum cautum fuerat *b*. Quod si quæratur, quorsum hæc ad custodiendos furiosos? Respondent verba legis: *In eo potestas esto*. Non enim id de imperativa potestate intelligamus velim, sed de directiva, ne, ut intellectu, ita & capite minui fu-

a lib. 6. tit. 7.

b L. consilio 6. ff. de curat. furios.

c L. furiosæ 4. ff. eod.

a Cic. 2. de Invent. 3 Tuscul. quæst. Auct. ad Herenn. l. 1.

b Hotom. & Giphan. in §. 1. de curat.

(6) Auctor. *Incertum, de prodigis ne lex loqueretur, qui casus a lege duodecim Tabularum prætermissus fuit an potius lex Lætoria id confirmaverit, quod a lege duodecim Tabularum cautum fuerat.*

Non me latet, cum eos, quos ad oram paginæ auctor adscripsit, tum alios etiam, dubitasse, de prodigis alienæ curæ subjiciendis an lex XII. tab. quicquam statuerit, an id juris potius [illegible] ex Lege Lætoria, quæ cum [illegible], tum caput etiam complectebatur de curatore minoribus XXV. annis imponendo, qui male rem suam agerent (*a*). Nam alioqui vix reperias, inquit Giphanius, (*b*) quid induxerit lex Lætoria: Nec vero etiam me latet, non recte satis adferri verba Ciceronis vel III. Tusculanarum, vel lib. II. de Inventione, quasi iis aperte doceamur, legem XII. tab. Prodigorum Curam adgnatis dedisse: Nam utroque loco Furiosorum tantum a Cicerone fit mentio: sed tamen cum Prodigorum quoque curam, & custodiam a lege XII. tab. repetant Ulpianus (*c*) & Gajus (*d*) hoc in dubitationem adducere, haud scio an prudentis hominis esse judicemus, quando ætate veterum Jurisconsultorum exempla legum XII. tab. extitisse, ex eorum commentariis, quæ occurrunt in libris Pandectarum, intelligimus. Sed illudne consequetur, si quidem ita se res habeat, nihil esse, quod hac in re novi juris induxerit Lex Lætoria? Extant Ulpiani verba in fragmentis, (*e*) qui postquam scripserat: Lex duodecim Tabularum furiosum, itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione jubet esse agnatorum: subjicit, ad eos legem spectare, *qui intestato, non ex testamento hæredes facti sint patri*. Ad quem locum respiciens Jacobus Gothofredus (*f*) ait: Ex quo apparet, hoc caput, legis superioris, quæ de intestato patre est, partem esse, atque huic legi locum non fuisse, nisi intestato heres furiosus, ac prodigus filius esset. Hæc Gothofredus. Sed quid? nonne ratio suberat eadem prospiciendi iis quoque aut furiosis, aut prodigis, qui ex testamento patri heredes essent? Suberat quidem: sed fortasse interpretatio Fori, quæ latis legibus XII. tab. consecuta est (*g*), dubitavit, an verbis tantum hujus legis hærendum esset religiose, an liceret sententiam porrigere ad eam speciem, quæ verbis non contineretur. Satis constat, cum in aliqua lege quid subobscurum, aut perplexum videretur, nova lege, vel S. C. explicatum, aut productum fuisse. Quid ergo, si Lex Lætoria dubitationem Fori sustulerit, quod attinebat ad minores XXV. annis adolescentes, seu intestato, seu ex testamento heredes essent, jubens ut æque omnes, qui furiosi, vel prodigi esse probarentur, alienæ traderentur curæ atque custodiæ? Nonne si hoc fecit Lex Lætoria, actum non egit, non confirmavit illud modo quod lege XII. tab. cautum fuerat, sed aliquid etiam novi juris induxit? Ac veri quidem simile videri potest, ita legem Lætoriam ampliasse que arctius lege XII. tab. comprehendebantur, sicut jus Prætorium vel in decernendis Curatoribus (*h*) vel in tribuenda restitutione in integrum, si absque Curatoribus initæ conventiones essent (*i*), ampliavit id, quod Lege Lætoria constitutum fuerat; sicut denique Imp. M. Antoninus Philosophus, teste Capitolino in ipsius vita (*k*) quum ante nonnisi, ex Lege Lætoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti Curatores acciperent, non redditis caussis: hoc est, pubes omnes minores XXV. annis acciperent curatores, unius ætatis ratione, sine discrimine, bene an male rem suam administraturi viderentur: quod Ulpianus indicare voluit (*l*) cum ait: Et ideo hodie in hanc usque ætatem adolescentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei suæ eis administratio committi debebit, quamvis bene rem suam gerentibus. Non ergo Clariss. Auctori, ac præstantibus, quos ipse secutus est, viris assentiri possum, cum suspicantur, aut caput de curatore prodigi non esse legis XII. tab. aut si quidem fuit, legem Lætoriam nihil novi juris condidisse: Non est enim, ut alterutrum fuisse opinemur, cum utrumque esse potuit; quod ex iis, quæ a me observata sunt, satis colligi posse arbitror. Hæc tamen non eo scripsi, ut Clariss. Auctoris dicta oppugnarem, qui docte ac erudite tractationem & instituit, & absolvit; sed ut ea, quæ ipse addere potuisset, nec voluntarie prætermisit, adjicerem. (*H. F. C. D.*)

(a) *Capitolin. in Vita M. Ant. Philosophi.*
(b) *Loco ab Auct. citato.*
(c) *In frag. tit. 12. de curatoribus* §. 2. *& in L. pr. ff. de curat. fur. &c.*
(d) *In L. 13. ff. de curat. furiof. &c.*
(e) *Tit. 12. de Curatorib.* §. 2. *&* §. 3.
(f) *In probat. ad* XII. *tab.* V.
(g) *Pomponius in L. 2. ff. de orig. jur.*
(h) *Ulp. in frag. l. c.*
(i) *Tit. ff. de minor.*
(K) *Cap.* XI.
(l) *In L. 1.* §. 3. *ff. de minorib.*

riosus dicatur. Verumtamen ait lex, *in eo potestas esto;* quia consilio, & opera curatoris defendi debet non solum patrimonium, sed & corpus, ac salus furiosi *a*. Quare id, quod Venusinus Poeta de furioso homine cecinit *b*.

...... Interdicto huic omne adimat jus Prætor, & ad sanos redeat tutela propinquos;

de ea curatione accipiendum est, qua non modo bonis consulatur, verum etiam personæ ab eo, qui custodiendum furiosum a Prætore accepit *c*. Perbelle, & apposite Plato lib. 2. de legibus, qui iisdem circiter annis cum legibus duodecim Tabularum suas quoque leges edixit, quippe qui natus ab Urbe condita anno 325. florentes adhuc Decemvirales Constitutiones, minimeque antiquatas exequi potuit, ac imitari: *Nemo furiosus palam in Urbe cernatur*, inquit, *sed furiosum propinqui domo, quomodocumque possunt, custodiant. Quod nisi fecerint, mulctentur, qui maximi census sunt; drachmis centum, sive servum, sive liberum minus diligenter custodiant; Qui secundi, quatuor de quinque minæ partibus; Qui tertii, tribus; & duabus, qui quarti*. Itaque hoc jure usi semper sunt in quacumque bene constituta Republica, ut furiosi a cæteris separarentur, ne sibi, aut aliis nocerent; quemadmodum, neglecta eorum custodia, usuvenisse certo scimus; ut Empedocli furore acto, qui in Etnæ voraginem insiliit: Ajaci, qui præ ira insaniens pecora trucidabat, ac se ipsum postea confodit. Quare Galenus, qui secundo Orbis redempti sæculo floruit, narrat, Romæ phreneticum quendam domi cum lanifici puero contentum fuisse; qui surgens e cubili ad fenestram accessit, & prætereuntes interrogavit, juberent ne puerum projici; quod cum illi jussissent, illico puerum dejecit *d*. Et Saxo Grammaticus refert, enormis magnitudinis hominem apud Suevos fuisse nomine Hartenum, cui duodecim Athletæ contubernales inditi erant, quibus id demandatum officii, ut, quoties illum præsaga pugnæ rabies incessisset, vinculorum remedio oborti furoris impetum cohiberent *e*. Ac tandem sæculo proxime elapso memoriæ proditum est, Petrum secundum Lusitaniæ Regem, quod compos mentis non esset, Regia potestate fuisse spoliatum, ac ad Terzeras insulas adductum; quo loci Alphonsi Henrici Fratris jussu custodiis adhibitis servatus est. Hinc D. Pius, Marcus, & Commodus Imperatores rescripsere, eum, qui insaniæ, aut furoris morbo laborat, in vincula publica conjiciendum esse, non quidem ad pœnam, sed ad securitatem proximorum; sin minus, a suis, vel etiam in propria villa custodiendum *f*. Quod totidem verbis expressit Paulus Ægineta, ubi de Maniacis verba faciens medicos docuit, furiosos vinciendos esse, ne vel sibi noceant, vel aliis, ac clathratis repagulis concludendos, ne evadere aliquo modo possint: quemadmodum Petrus Forestus narrat, se novisse Sacerdotem insanum multis annis in carcere detentum a juvenili ætate ad seni-

a l. consilio 6.
b lib. 2. sat.
c l. quia 14 ff. de testam. tutel.
d lib. 4. De locis affect. cap 2.
e Saxo l. 7.
f l. congruit 13 §. furiosi & l. seq. ff. de Off. Præsul.

lem progressum, qui hymnos, collectas, & alia, quæ in Missa canuntur, cantitabat *a*. Ita igitur se res habet, ut furiosi, si fieri possit, a propinquis sint custodiendi; si vero id non patiatur rei familiaris angustia, in vincula publica conjiciantur *b*: necessitas enim magnum humanæ infelicitatis patrocinium est, ut Seneca loquitur *c*. Exinde effluxit vulgare illud, quod Adagii loco circumfertur; *ad Agnatos deduci;* quod de furiosis, ut ab Agnato curentur, nemo est, qui non intelligat; juxta Horatianum illud; *Cognatorum opibus, curisque refectus d*. & Columella Catonem dicere solitum ait; *eum, qui agrum incoleret nec salubri cœlo, nec fertilem, velut commotæ mentis ad Agnatos, & Gentiles esse deducendum e*. Nec non Varro: *Qui salubrem locum negligit, mente captus est, atque ad Agnatos, & Gentiles deducendus f*. Hæc autem privata vincula adhibebantur, *si possent per necessarios contineri furiosi*, ut Ulpianus ait *g*: quæ sane potentiæ præsumptio ad fortunas Agnatorum referenda est: quemadmodum, *si non possint per necessarios contineri*, ad inopiam Agnatorum pertinet, qui suis sumptibus custodire domi non possint, & furiosos alere, non vero ad infirmitatem instrumentorum. Quis enim tam effrænatus, & præceps est, quem catenæ, vincula, nervus, compedes, aut similia continere non valeant; Verum enimvero quod dicimus, furiosum publico carcere custodiendum fuisse, id tandiu obtinuisse putaverim, quamdiu nullus alius locus aderat, quo tales furiosi continerentur. Cæterum ubi semel patere Domus publicæ cœperunt, quibus libenter ægri corpore hospitaliter reciperentur, carcerum, tamquam asperior, usus reprobatus est, atque rejectus. Qua in re D. Hieronymus testatur *h*, anno ab Orbe reparato 400. Fabiolam quandam Matronam Optimam, & splendidam Nosocomium ære, quo maxime abundabat, suo construxisse ad recipiendos, & curandos ægrotos, qui antiquitus in Insula Tiberina decumbebant, ubi Ædes Æsculapii erant *i*; & in Epidauro, Coo insula, ac Trica ad ejusdem Numinis Ædes magna ægrotorum copia nutriebatur, tabellæque cum curationum inscriptionibus pendebant *k*. Quæ cum ita sint, quod Seneca Valetudinarium appellet locum, quo valetudinis causa homines conveniebant, id de privato æque, ac publico loco accipi potest; quamquam alterutrum statuere Gruterus ad eundem ausus non fuerit *l*. Jamvero hujusce hospitalitatis usum adeo receptum postea fuisse patet, ut Honorius, & Theodosius circa annum salutis 405. Parabolanos, qui ad curanda debilium ægra corpora deputabantur, sexcentos constitui præceperint *m*. Etenim Parabolani dicti erant, non quasi medici essent, & multis Parabolis abundantes, ut Accursius suavissimus interpretatur (risum teneatis Amici?) sed quod quasi adscripti glebæ famulitio Hospitalium deputati erant, ex Alciati sententia *n*: quemadmodum Xenoparochi appellantur ab Arcadio Charesio, qui munera præbent hospitibus *o*. Rursum Justinianus Cæsar anno Domini 521.

a lib 1. Observat. Medic. cap 30.
b Farinac. quæst. 93. n. 35.
c lib. 9. Declamat. 4.
d lib 2. Ep. ad Florum.
e l. 1 de re rust. cap 2.
f l. 1. de re rust.
g l. congruit §. furiosi cit.
h Epist. 30. ad Oceanum.
i Me... var. lect. cap. 13.
k Strabo l. 8. Geograph.
l lib. 1. de Ira cap 16
m l. Parabolan. 18. C. de Episc. & Cleric.
n lib. 4. dis. punct. c. 9.
o l. munerum 18 ff. de muneribus &c.

pluribus privilegiis Nosocomia auxit, quorum singula a Tiberio Thrace anno 571. confirmata plene fuisse, Pauli Diaconi testimonium confirmat *a*; quæ tamen omnia generalia sunt; nam Cæsar-augustæ tantum, vulgo *Saragosa*, domus publica animi morbo laborantibus dedicata postmodum fuit *b*; & in Mediolanensi Civitate insignis pietate Vir Odibertus anno Christi 820 Nosocomium publicum erexit ad hoc, ut eo reciperet, qui mentis sanitate carentes curationem quærerent Medicorum.

a lib. 17. Histor. lib. 22. Cod de Sacr. Eccles.

b Pascasius Justus lib. 1. de Alea.

CAP. XVII.

De Decanico, seu Carcere reorum Ecclesiasticorum, cujus occasione de Origine, & progressu Jurisdictionis Ecclesiasticæ in criminibus coercendis.

QUemadmodum plura sunt Carcerum vocabula, quibus pro Regionum diversitate, aut vario loquendi usu distinguebantur custodiæ reorum; ita apprime facit ad rem præsentem, quod Decas Ephororum Carcer appellabatur, de quo sic Plutarchus in Agide: *His auditis, Ephori morte damnatum, ut in Decada ipsum deducerent, præcepere. Est autem Decas in carcere locus, in quo morte damnatos strangulari consuetudo fuit.* Idem ibidem: *similis huic locus Tullianus Romæ a Tullo Hostilio institutus, unde nomen accepit, noxiorum supplitio destinatus.* Hæc qualis qualis similitudo vocabuli (quicquid de allusione, & derivatione Græca Cujacius, & Gothofredus disputaverint) viam mihi sternit, ut intelligam, quid sibi voluerint Arcadius, & Honorius Imperatores, anno salutis 396. statuentes, non licere Hæreticis quicquam damnati cultus exercere in *Decanicis c*. Nam quamquam male confundant nonnulli *Diaconicum* cum *Decanico*, Pithæus tamen in notis ad legem illam testatur, ex glossa manuscripta ad Concilium Laodicense Canone 21. Diaconium nihil aliud fuisse quam Ecclesiæ sacrarium, sic dictum, quod Diaconum curæ incumberet; Decanicum vero carcerem Ecclesiasticum fuisse dicit, seu carcerem Canonicali disciplinæ ex Juliani Antecessoris auctoritate, constitutione 73. in illis verbis: *Executor autem litium constitutus in Decanicis Ecclesiarum recludatur, pœnas competentes luiturus.* Quod videtur Justinianus Cæsar confirmare, ubi ait: *Et retrudantur in locis, quæ Decanica nuncupantur, pœnas competentes passuri d*. Carceres tamen, seu Decanica hujusmodi magis ad pœnitentiam peragendam, quam ad luendum crimen adhibita fuisse, suadet Hibernensis Concilii Canon *e*, ubi hæc habentur: *Presbyter si fornicationem fecerit, quamquam secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta auctoritatem B. Papæ Sylvestri, si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit, ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat: tribus quidem mensibus privato loco a cæteris remotus pane, & aqua a vespera in vesperam utatur*: & quæ sequuntur ibidem, *usque ad decennium*. Huic privato, & a cæteris remoto loco convenit Monasterium, quod Carcer appellatur a Sancto Joanne Climaco: *Locus erat, inquit, ab ipso Monasterio uno dumtaxat lapide, seu milliari, sejunctus, Carcer dictus, illætabilis prorsus, & omnibus corporis gaudiis destitutus. Nullus ibi umquam culinæ fumus cernebatur, non vinum, non oleum in cibum adhibebatur, non aliud quicquam e foco, præter panem, & minuta oluscula, in mensam inferebatur. In hoc eos, qui post religiosam professionem in peccatum prolapsi erant, ita concludebant, ut pedem efferre numquam possent. Nec plures simul jungebant, sed singulos seorsim, aut, ut plurimum, binos. Nullus ibi lectus quieti positus, nulla munditie, nullum adversus frigora vestis munimentum: rupta, & lacera omnia, & inquinata, sordibusque vermium scatentia.* Nondum tamen, ut ad vetus illud Decanicum revertamur, in Ecclesia Christi constitutum erat, ut jurisdictio aliqua esset, seu potestas judicandi cum Imperio; id enim proprie jurisdictio est *a*. Quare in libro Codicis primo Titulus est inscriptus, De Episcopi Audientia; quæ nihil est aliud, quam simplex notio sine potestate, & imperio *b*. Et hoc ipsum confirmatur ex facto D. Polycarpi Episcopi Smirnæ, qui fuit D. Joannis Apostoli discipulus: ille namque interroganti Proconsuli per hæc verba respondit: *Tibi quidem rationem reddere non me piget; præceptum enim nobis est, ut Magistratibus, & potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil noceat c*. Jamvero tametsi Constantinus Imperator fundamenta quædam Jurisdictionis Ecclesiasticæ videatur jecisse *d*; ea tamen ad civiles controversias, non ad criminalia judicia pertinebant. Cæterum in criminalibus, nullo excepto crimine, olim ex Christianorum Principum Constitutionibus Clerici subjecti fuerunt civilibus legibus, & Magistratibus; quod ex Epistolis Gregorii Magni Summi Pontificis luculenter apparet *e*. Itaque post annum salutis 630. ab Heraclio Imperatore constitutum fuit, ut Ecclesiasticæ personæ tum in Civili, cum in criminali judicio coram Ecclesiastico Judice conveniendæ essent in Orientali Ecclesia *f*, quod etiam ad Occidentalem Ecclesiam trajectum fuit: verumtamen non sine cunctatione aliqua; quia an. 1220. opus fuit, ut Fridericus secundus sanciret, nullo modo posse ad Forum sæculare trahi Clericos sive de civili, sive de criminali judicio ageretur *g*. Nec, antequam edicerentur constitutiones hujusmodi, quicquam Episcopis competebat, nisi ut mulctam indicere Ecclesiasticis personis possent, si crimen fuisset Ecclesiasticum; quod Justinianus Cæsar primitus constituerat *h*. Igitur quo ævo merum, mixtumve imperium Ecclesia habere cœpit, eodem Decanica usum veri, & proprii carceris habere cœperunt, quibus clerici æque ac Monachi, confuso discrimine, continebantur: nondum enim Monachi ab Episcoporum Jurisdictione exempti erant. Enimvero Monachos sub jurisdictione Episcoporum tum primum fuisse, ex eo præsertim deducitur, quod in Agathensi Concilio cautum fuerit; *i Ne Mo-*

c l. 3. Cod. de Hæret.

d Novel. 79. c. 3. in fin.

e c. ult. Dist. 82.

a l. ult. Cod. ubi & apud quem &c.

b l. nationem ff. de Verb. [illegible]

c Eu[se]b. lib. 4. Hist. Eccl. cap. 15.

d Sozomen. lib. 1 cap. 9.

e lib. 7. [illegible] 11. lib. 11. Ep. 56.

f Nov. 83.

g Auth. sta[tuimus] [illegible] de Epis. & Cler.

h Nov. 83. & 123.

i can. 27. & Nov. 5. c. 1.

nasterium novum, nisi Episcopo aut permittente, aut approbante, ullus accipere, aut approbare præsumat. Et in Concilio Chalcedonensi anno 451. decretum legimus, *a* ut omnia Monasteria sub Episcoporum potestate essent; licet placuerit postea nova Monachorum Cœnobia non esse instituenda, nisi habita Romani Pontificis approbatione. *b* Posterioribus autem temporibus cum Episcopi Monachos sibi subjectos severe, & rigide nimium tractarent, Gregorius Magnus in Concilio Lateranensi, cui & ipse interfuit, decrevit, ut ibi legitur, Monachos non esse imposterum Episcopis, locorumque ordinariis subjectos *c*: quamquam diversum statuat de hujusmodi exemptionibus Monachorum ab Episcopi obedientia solutorum Barbosa *d*, quod extra instituti operis scopum est. Ita igitur se res habet; exemptis ab Episcoporum potestate Regularibus, singuli Abbates, Prælati, aut quovis modo Præsides Sacri carcerem intra sua claustra habent, quibus contineantur subditi delinquentes; quod satis concordi Doctorum sententia, atque hodierna etiam Praxi usu receptum scimus *e*. Et ratio est, quia jurisdictio sine modica coercitione nulla est: adeoque quemadmodum Abbas habet jurisdictionem in Monachos; ita jurisdictionem hanc suam tueri jure potest pœnali judicio.

a can. 6.
b c. ult. de religios. domibus.
c cap quam sit. 17. q. 2.
d De jure Ecclesiæ ca.
e ad l unicam Cod ubi quis Decurio &c.

CAP. XVIII.

De alimentis impacto in Carcerem præstandis; cujus occasione quænam ea fuerint, & a quibus præstarentur.

Impactos in Carcerem alendos esse, ut innocentia, vel supplitio salvi esse possint, multis quidem rationibus suadetur, sed ex ea maxime, quod in præstatione alimentorum non consideretur status accidentalis personæ, sed naturalis, cujus intuitu alimenta nemini deneganda sunt *f*. Unde in Proverbiis humaniter edocemur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum g*. quemadmodum autem expedita satis res est, eum, qui ex bonis, vel in bonis habet, propriis sumptibus esse enutriendum, (non enim, etsi in vinculis sit, idcirco bonorum suorum dominium amisisse dicetur; alioquin plerique innocentes necessario sumptu egerent *h*,) ita non omnino perspicuum est, a quonam sint præstanda alimenta custodiis pauperibus. Quod si illud tamquam præliminare hujus capitis contendam statuere, quis in subjecta materia pauper habendus sit, Menochius, & Mascardus in Praxi luculenter me docent, totam rem hanc in Praxi arbitrio judicis remittendam esse *i*; quamquam aliter jure veteri se res haberet, ut appendicis loco Capite sequenti dicemus. Satis igitur erit ad rem enucleandam statuere, carceribus contineri quem posse vel ex causa criminis, vel ex causa obligationis civilis: ut priori casu, si solvendo non sit, a Fisco per annonæ Præfectos, seu mensores frumentarios eorum datis tesseris; posteriori autem casu a creditoribus, quorum intuitu conjectus in carcerem fuerit, alimenta illi præstanda sint. Ad primum quod attinet; testem habemus Senecam in hæc verba: *Frumentum publicum tam fur, quam perjurus, & adulter accipiunt, sine delectu morum, quisquis civis est, cum aliquid est, tamquam civi, non tamquam bono datur a*. Quibus verbis mirum in modum respondet D. August. sententia. *Non ergo*, inquit, *suscipiamus peccatores propterea quod sunt peccatores, sed tamen eos ipsos, quia & homines sunt, humana consideratione tractemus b*. Porro morem hunc pauperum alendorum, tametsi fuerint vinculis obstricti, vetustissimum fuisse, ex Seneca patet, qui Sabinum quemdam ex carcere in Senatum fuisse introductum dicit, ut diaria acciperet *c*. Postmodum vero ab Honorio, & Theodosio Imperatoribus constitutum fuit, ut victualis substantia Commentariensibus assignaretur, per quos vinctis præstarentur ea, quæ ad quotidianum victum necessaria esse viderentur *d*. Illud autem injicitur scrupuli ex allegata Imperatorum Constitutione, quod victualia illa dicant præstanda esse *Libellis duobus, aut tribus diurnis*: neque enim apud Auctores convenit, quid Libellus, vel Libella fuerit. Andreas Alciatus *e* existimat, rescriptum esse accipiendum de diaria quadam frumenti mensura, qua Athenienses usos fuisse ex Aristophane refert. Huic conjecturæ multum videtur ponderis addere Oratio Martii Trib. Pleb. apud Sallustium: nam cum menstruum in capita non plus quinque modios lex frumentaria definiret, id calumniatur Tribunus, & ait; Exiguum eum modum esse, fere comparandum cum alimentis carceris: igitur quia carcerum alimenta frumentariis mensuris præstabantur. Budæus tamen in tractatu de Asse, & partibus ejus *f*, multis Ciceronis auctoritatibus adductus putat, Libellam pro nummo esse accipiendam: cui quidem videtur veluti ansam conjectandi præbuisse Plinius, ubi ait *g*; *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem devictum usus est. Libralis, unde etiam nunc Libella dicitur, & dipondius appendebatur assis*. Plautus quoque in Pseudolo meminit: *Siquidem Hercule etiam supremi promittas thesaurum Jovis, tibi Libellam argenti nunquam credam*: & rursum: *sed tu bone Vir flagitare sæpe clamore in foro, cum Libella nusquam est*. Ita per translationem Libellam ad exiguam hæreditatis partem Tullius retulit, cum ad Atticum scriberet *h*: *fecit palam te ex libella, me ex teruncia hæredem*. In hac autem dubia, & controversa vocabuli explicatione Budæo magis, quam Alciato consentio, Libellamque pro nummo accipio. Nam certe Imperatores ibidem Commentariensibus statuunt libellam unam, vel duas esse assignandas ab judicibus iis, qui huic muneri præsint, quarum sumptibus proficiant alimoniæ pauperum, & lavacris balneorum, quibus non nisi emptis uti quis poterat. Quippe Balneatori, seu Balneorum Præsidi quadrans pretio vulgo persolvebatur; exceptis pueris ante annum decimum quartum; juxta illud Juvenalis:

f lib. 2. ubi Bald. Cod. qui non possint ad libert. &c.
g cap. 25.
h l reo criminis ff. de solutionib.
i lib. 2. de Arbitr. casu 63. nu. 7 de Probat. conclus. 1144. num. 4.
a lib. 4. de Benef. c. 28.
b c. d. 10 ista 23. q. 4.
c lib. 4 Controvers 27.
d l. Judices 10 Cod. de Episc. aud.
e lib 1. Parerg. cap. 17.
f lib. 1.
g lib. 33 c. 3.
h lib 7. Epistol. 2.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

a Satyr. 2. v. 152.

Addo: nam si libella mensura esset, ea certe distingueretur a quantitate, quæ in frumento assignando congii loco adhibebatur: modio enim frumentariam largitionem metiri Romanos solitos, Lipsius auctor est *a*. Aquam etiam poculenti loco inclusis fuisse assignatam crediderim, si conjecturis agendum sit. Præterquam enim, quod D. Hieronymus in Danielem cap. 4. scribit, decem panis uncias diurnas, & aquæ tertiam sestertii partem diarii loco fuisse; scimus etiam ex Fornerio *b* locum esse, ex quo colligi possit, diurnum vinctorum cibum fuisse panem purum unum in singulos homines, & aquam meram potum: quæ quidem Seneca *c* morali plenus Philosophia satis esse ad felicitatem exclamat: *Habeamus aquam, habeamus polentam: Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus*. Et Epicurus in Epistola ad Menæceum; *Polenta, & aqua summam voluptatem præstant, si quis illa indigens sumit*. Hæc præter stratum, vestes, medicamenta, & hujusmodi exhibebantur, quoniam sine his ali corpus non potest *d*. Ut ut sit de jure civili, hoc ipsum sacris etiam constitutionibus legimus definirum; quandoquidem in Concilio Aurelienfi quinto celebrato sub Pelagio primo hujus nominis Pontifice Anno Domini 556. Canone septimo, legitur: *Id certe etiam miseratione condicimus, ut qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, seu a Præposito Ecclesiæ, diebus singulis Dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum præceptum Divinum miser corditer sublevetur; atque a Pontifice instituta fideli, & diligenti persona, quæ necessaria provideat, competens victus de domo Ecclesiæ tribuatur*. Postmodum ab Eugenio quarto ex Nobilissima inter Patricios Venetos Condulmeriorum Familia, anno fere Salutis 1431. constitutum fuit, Visitatores in urbe Roma creari, quorum officium esset vinctis, & carcere inclusis undequaque consulere; quod non est hujus loci diligentius enucleare; quemadmodum in Christiana qualibet, sancteque constituta Republica religiosæ domus, & piæ extant hominum societates, quas vulgo *Confraternitates* appellamus, quarum curæ pauperes inclusi videntur divinitus commissi, ut ab illis ex eleemosynis undequaque quæsitis alantur, si carcere ex causa criminis contineantur. Quod si ex causa æris alieni id contigerit, aliter statuendum est. Hos quoque alendos esse, sed ab iis a quibus in carcerem impacti sunt, negabit nemo: quandoquidem feræ ipsæ ab illis sunt enutriendæ, qui eas incluserunt *e*. Extat autem hujusce rei fundamentum in fragmento legis duodecim Tabularum, cujus mentionem fecimus supra Cap. 12. Verumtamen apud Interpretes non convenit, quæ sit verior illius legis lectio. Fornerius *f* non probat, quod alii vertant: *Libras farris in dies dato*: Infinitum quippe est, inquit, libras farris dare: multo magis ex eo, quod sequitur: *si volet, plus dato*: Ex quo propter comparatorum legem nihil certi dijudicari potest, si primum, ad quem refertur, modum taxare non possumus: neque putat ille, conclusis, & otiosis corporibus educandis, recreandisve, verius quam alendis, hæc dari; cum nautis, militibus, artificibus, fabris, colonis, opus rusticum facientibus angustiora alimenta exhibeantur. Quamobrem adducitur, ut legat: *Si volet, suo vivito: ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato*; idest, libræ semissem, seu selibram: quod & in medicorum usu est hodie, ut S. pro *semis* annotetur; quod etiam in notis antiquorum adjiciebatur. Profecto ingeniose magis, quam vere: nam libra S. non selibram, sed sesquilibram denotat; quæ sane selibra angustior esset quolibet alimento diurno: namque Livius noster Sp. Mælium inducit, bilibre farris civium libertatem ementem; & militibus libram farris, & sestertios vini conferri testatur *a*. Verumtamen non video, quid scrupuli sit injiciendum huic rei, etsi *libras* contra Fornerium legamus: Siquidem si *libras* conferas cum *in dies*, sensus, & ordo erit, singulas libras in dies singulos: quod satis expresse, & apposite ad rem, de qua quæritur, indicat Horatii auctoritas, ut de libra farris debeat fragmentum illius legis intelligi *b*.

b lib. 1. Elector cap. 8.

c lib. 1. select. cap. 6.

d Epist. 110.

e l. verbo victus cum leg. ff. de V. S.

f l. quemadmodum ... §. Magistratus ff. ad l. Aquiliam.

g lib. 1. Selector. c. 6.

a lib. 4. & 7. Histor.

Denique cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret?

b lib. 1. Sat. 5.

Quare expedite magis Rævardus pro *libras*, *libram* reponit, ut difficultatem a Fornerio excitatam vitemus, aut diluamus. Porro legem 12. Tabularum in hac parte fuisse observatam, probat Terentius alibi citatus in Phormione: *Mihi sciunt nihil esse. Dices, ducent damnatum domum. Alere nolunt hominem edacem*. Quamquam Boeclerus nollet, Poetam respexisse hic Romanos mores de nexis in vincula ducendis; imo peccasse putat, si hoc fecit Terentius; Græcos enim, non Romanos mores respicere debuit; quibus si similes sæpe Romani fuerunt, non horum tamen, sed illorum auctoritatem sibi propositam meminisse debuit Terentius. Attamen vel nos Plutarchus in Solone fefellit, vel verius est, etiam apud Græcos id moris invaluisse, ut debitores egentes necterentur. Sed quid nobis aut cum Boeclero invidiæ, aut cum Terentio affectionis, ac studii? Id ipsum Plautus in Menæchmo confirmat *c*.

c Act. 1. sc. 1.

Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quoi jam diu
Sum judicatus: ultro eo, ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat,
Recreatque: nullus melius medicinam facit.

Ridet namque Comicus avaritiam, sævitiamque dominorum, qui fugitivis servis inducunt compedes: quasi deceat magis esca, atque potatione illos vincire, ne fugiant, ut vafre, & facete Peniculum allo-

alloquentem inducit. Cum autem in propatulo sit, farris libram diurnam vinctis fuisse præstandam, dubium adhuc, pultis ne, an panis ea potius fuerit. Ac licet Cujacius putet *a*, panis libram esse dicendam, sunt tamen plura, quibus adducor, ut statuam, de pulte potius sensisse Decemviros. Enimvero Romanos non pane, sed pulte diu usos fuisse, argumento est, quod Pultifagos dictos eos inveniamus, quod pulte nutrirentur *b*. Conjectura tamen in spongiam incumbat. Illud pro coronide definiendum constitui: Quid si plures creditores fuerint diversam rei creditæ sortem referentes inter se, virili ne tenebuntur portione vinctum debitorem alere; an vero pro pecuniæ creditæ modo tenebitur quilibet alimenta præstare? Posterius existimo verius esse, quia quæ commodi spes illi futura est, eadem incommodi ratio esse debet *c*. Jam vero quota quælibet utilitas, quæ ex bonis debitoris futura est, ea certe pro cujusque creditoris sorte erit eis assignanda: igitur ut par etiam utilitati incommodum partiantur. Hinc veteri duodecim Tabularum lege supra relata cavebatur, debitorem non solvendo interimi jure a creditoribus posse; & partes corporis inter creditores secari; quod pro facti atrocitate numquam a Romanis servatum fuit, nisi mavis ea verba legis, *Partes secanto*, non ad corporis, sed ad bonorum portionem referre; Sic enim Seneca: *si debitor*, inquit, *foro cesserit, portionem feram d*. Unde sector, si Asconio nostro credimus, ut par est, dicitur æstimator, & redemptor bonorum damnati, & proscripti, qui spem sectans lucri sui bona omnia auctione vendit, & semel inferre pecuniam vel ærario, vel sociis solet. Sed hæc obiter dicta velim. Illud corollarii notandum loco venit, ut, quod diximus supra, criminis reum, si solvendo non sit, ex ærario publico alendum esse, intelligendum sit, si per modum inquisitionis procedatur: nam si in processu ordinario versemur, Accusator, qui petiit a judice, ut reus vinciretur, sumptus necessarios præstare illi debet *e*.

a lib. 11. Observ. 22.
b Val Max. lib. 1. cap. 1.
c l. secundum naturam. 10. ff. de R. I.
d l. 4. de benef. cap. 39.
e Const. Carolina Art 204. ubi. Clasenius.

CAP. XIX.

Appendix capitis præcedentis, quis proprie Pauper diceretur apud veteres, pro intellectu l. nonnulli 10. ff. de Accusationibus.

Subtilis est, & admodum vera inter Egenum, & Pauperem distinctio, quod nempe secundum plus, & minus inter se distinguantur: quandoquidem pauperis est, qui aliquid habet; egenus contra, qui nihil penitus possidet. Martialis. *Non est paupertas, Nestor, habere nihil f*. Seneca: *Non est, quod paupertas nos a Philosophia revocet; ne egestas quidem g*. Ac tandem Ovidius de Amore.

Cur nemo est Hecalen, nulla est, quæ noverit Irum?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Hinc in condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, condemnantur, recte dicitur, ipsarum rationem habendam esse, ne egeant *a*; idest, ne desit ipsis victus, vestitus: plus enim est egenum quem dicere, quam pauperem, ut luculenter, & erudite Cujacius *b*. Ex his intelligere est, quid sibi velit Hermogenianus de exceptionibus excludentibus accusatorem respondens: *Nonnulli propter paupertatem, ut sunt qui minus quam quinquaginta aureos habent &c. c* Cum enim ibidem præsumat, eos aliquid, quamvis exiguum habere, *propter paupertatem* dixit, non autem *propter egestatem*. Non est tamen hæc difficultas, quæ politioris historiæ cultores angit, sed ea potius, unde sit, quod pauper apud Romanos diceretur, qui minus quam quinquaginta aureos haberet. Sciendum igitur est, Servium Tullium tertium Romanorum Regem omne in civitate discrimen primo condidisse, & ordines distinxisse, quibus aliquid dignitatis, & fortunæ interlucebat. Censum enim instituit, ex quo belli, pacisque munia non viritim, ut antea, sed pro modo pecuniarum fierent; & hunc ordinem ex censu descripsit: *Ex iis, qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, octoginta confecit Centurias, prima classis omnes appellati. Secunda classis intra centum usque ad quinque, & septuaginta millium census instituta est. Tertiæ classis millium quinquaginta censum esse voluit. In quarta Classe censum quinque, & viginti millium decrevit. Quinta demum classis undecim millibus censebatur*: hactenus Livius noster *d*. Ex his tritum illud sermone proverbium effluxit, ut Classici appellarentur ii, qui magnæ auctoritatis homines essent: quo sensu classici testes, & auctores classici dicuntur apud Festum, & Agellium, deducta significatione ex eo, quod ditiores homines constituti in prima classe ex Servii Tulli distributione equites, & classici per quandam excellentiam appellabantur ex eodem Livio. Quo forte Juvenalis respexit *e*.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei.

Constituti vero in secunda Classe, vel in subsequentibus, infra classem dicebantur apud Budæum *f*; qui vero in infima paupertate erant, Proletarii, & Capite censi dicebantur; & Proletarii, quod officium eorum prolis edendæ fuerit, ut, cum parva re familiari minus possent Rempublicam juvare, sobolis saltem gignendæ copia Civitatem frequentarent *g*. Exactis postmodum Regibus, triplex tantum ordo haberi cœpit; Senatorius, Equestris, & Plebejus; qui identidem ex censu distinguebantur veste, & gradu. Porro quo ævo Reipublicæ fuerit hic triplex Ordo institutus, non constat. Verumtamen id ante Ciceronis ætatem contigisse, indicat ejusdem Tullii locus pro Muræna: *Lucius Otho vir fortis*, inquit, *meus necessarius Equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gravissima, quod honestissimo Or-*

f lib. 11. Epigram. 33.
g Epist. 17.
a l. in condemnatione 14. ff. de R. I.
b l. qui bonis 6. ff. de cessione bonor. lib. 26. Observat. 3.
c l. nonnulli 10 ff. de accusat.
d lib. 1 Hist.
e Satyra 3. vers. 143.
f l. ult. ff. de Pignor. actio.
g Gell. lib. 16 cap 10.

dini cum ſplendore fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus. Nam ſi utrobique ſuppeditatum Ordinem Equeſtrem dicit Tullius reſtitutum ex lege Roſcia, conſequens eſt, ante Ciceronem fuiſſe Ordinem equeſtrem, & alios. Utcumque ſit de ejus origine, certiſſimum eſt, diſtinctos fuiſſe Ordines prædictos cenſu, veſte, & gradu. Nam quantum attinet ad cenſum, cenſus Senatorius erat quingentorum mille ſeſtertium, 25000. aureorum, equeſtris quadringentorum millium. Horatius *a*.

a lib. 1. Ep. 1.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua, fideſque,
Plebs eris &c.

Hanc cenſus taxationem ampliavit poſtea Auguſtus *b* favore Senatorum, & pro Octingentorum millium ſumma duodecies H.S. taxavit. Ea porro eſt ſeſtertium computatio, ut aureus, ſeu ſolidus valeret vigintiquinque denariis, ideſt centum ſeſtertiis *c*: quod oſtendit Tranquillus in Othone, qui Othonem tradit excubanti cohorti dividere ſolitum viritim unum aureum; quod deſcribens Tacitus annalium 17 centenos ſeſtertios dediſſe Othonem atteſtatur *d*. Pari ratione etiam veſte diſtinguebantur: nam Laticlavus erat veſtis propria Senatorum; Anulus aureus inſigne ordinis equeſtris. Unde Cajus ad edictum provinciale reſpondit, nuper ex indulgentia principis Antonini receptam eſſe aliam cauſam donationis, quæ dicitur honoris cauſa; ut ecce, ſi uxor viro laticlavi petendi gratia donet, vel ut equeſtris ordinis fiat, vel ludorum gratia *e*. De anulo aureo extat inſignis locus Suetonii in Julio: *Exiſtimatur etiam*, inquit, *equeſtres cenſus pollicitus ſingulis; quod accidit opinione falſa. Nam cum in alloquendo, exhortandoque ſæpe digitum lævæ manus oſtentans affirmaret, ſe ad ſatisfaciendum omnibus, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, anulum quoque æquo animo detracturum ſibi, extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod viſu ſuſpicabatur; promiſſumque jus aureorum anulorum cum millibus quadringenis fama diſtulit f.* Tandem diſtinguebantur gradu, ſeu loco: nam per quingentos, & quinquaginta annos Senatus populo mixtus ſpectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Serranus, & L. Scribonius Ædiles ludos Matri Deum facientes, Superioris Africani ſententiam ſecuti, diſcretis Senatus, & populi locis, ſolverunt *g*. Hoc idem lex Roſcia, & Julia Theatralis conſtituit. Illa a L. Roſcio Othone Trib. Pleb. lata eſt anno ab Urbe condita 689. Manio Acilio Glabrione, & C. Calphurnio Piſone Coſſ. *h*, ut equitibus Romanis in Theatro quatuordecim gradus proximi darentur; quod præter ea, quæ Cicero pro Muræna dixit, probat idem Tullius in II. Philippica. *Tenes ne memoria, prætextatum te decoxiſſe? Sediſti in quatuordecim ordinibus, cum eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet.* Poſtmodum vero lex Julia Theatralis lata eſt ſub Tiberio Aſinio Pollione, & C. Antiſtio Vetere Coſſ. qua identidem cautum, ne quis jus aureorum anulorum habere poſſet, niſi is, qui avum, & patrem habuiſſet ſeſtertia 400. profeſſos, & decimo quarto loco ſedentes in Theatro, quod ad Circum etiam fuiſſe traductum probat Petrus Faber in Semeſtribus *a*. Senatoribus autem, ut infimus, ita præ aliis honeſtiſſimus, & commodiſſimus erat ad caveam locus, vel ad eam Theatri partem, quæ ſcenæ proxima erat, & Orcheſtra dicebatur; quam rem exacte explicat, & uberrime enucleat de Theatro Julius Cæſar Bulengerus *b*. Ergo ex his omnibus liquet, eum, qui neque Senatorium, neque Equeſtrem cenſum habuiſſet, inter plebejos fuiſſe numeratum; ac inter eos, qui minus, quam quinquaginta aureos habebat, pauper dicebatur; non eo ſenſu, ut hæc quædam paupertatis taxatio ſit, cum ſæculis, regionibus, perſonis varie id æſtimetur, ſed ut ex hoc judex habeat aliquid certi, & determinati, quod ſequatur *c*.

b Sueton. in Auguſt. cap. 41.

c Dio. Caſſ. lib 55. Hiſt. § nos autem Inſtit. de ſuſpectis &c.

d Alciat. lib. diſpunct. 3 cap 9.

e leg. nuper 43. ff de donat. inter virum &c.

f Sueton in Julio c. 33.

g Val Max lib. 2. cap. 1

h Dion. Caſſ. lib. 36.

a lib. 2. c 6.

b lib. 2. c 5.

c Ant Matthæ de Delictis lib 48. Tit 13 cap. 1 n 9.

CAP. XX.

De Carcerum cuſtodibus, Commentarienſibus, Optionibus, Clavicularii, ac de eorum Officio.

Delinquentium in carcerem impactorum curam variis pro officii diverſitate perſonis fuiſſe antiquitus demandatam, certo certius eſt. Nam primo crimina ad Triumviros deferebantur: Triumviri criminoſos cuſtodibus demandabant; & delata crimina ad Prætorem referebantur. Prætor Judicum conſilium, conſeſſumque cogebat, judiceſque in conſilium mittebat; Denique Triumviri rurſus decretum Conſilii exequebantur *d*. Quare quod Pomponius J. C. reſpondit, Triumviros Capitales carceris cuſtodiam habuiſſe, non id eo pertinet ut Commentarienſium, aut Claviculariorum miniſterio fungerentur; ſed ut carceribus præeſſent, tamquam Magiſtratus, ut dicimus, Criminales *e*. Itaque cum Triumviri iſti Capitales haberent Officiales ſub ſe, quorum curæ, & executioni cuſtodia carcerum demandabatur, ideo de his ſingillatim dicendum eſt. Quare Commentarienſes, quorum etymon dedimus ſupra cap. 10. erant carcerum Præfecti, hoc eſt ii, qui exoſa miſeris clauſtra cuſtodiebant, ut loquitur Imperator Valentinianus Senior ad Probum ſcribens *f*. Unde Athanaſius ſub finem Apologiæ; *Ita ut Frumentius Axumos ex eo loco abductus ſit; & ego inquiſitus ſim uſque ad loca Barbarorum, & miſſus in Præfectorum Commentaria;* Hoc eſt inter Commentarienſium commentaria relatus, quibus vincti, & incluſi recenſebantur. Nec non Caſſiodorus *g*: *Heliodorus Commentarienſium fungatur officio. Digne ſiquidem ejus integritati committimus, quæ cuſtodienda eſſe cenſemus.* Quam ob rem per translationem Commenta-

d Val Max. li. 5. cap. 4.

e leg. 2. § Triumviri ff de O. J.

f l. omnis. C Theod. de iis, qui adminiſtrantibus, &c.

g lib. 11. Epiſt. 28.

rienses appellantur Cornicularii a nonnullis. Erant enim Cornicularii, non qui Corniculo merebant, ut Brissonius existimavit, sed, quemadmodum Turnebus notat *a*, qui Corniculo Tribuni militum præerant; nam ut in exercitu, & arce dicitur Cornu, ita in cohortibus Tribunorum militum Corniculum. Verumtamen ponuntur Cornicularii, & Commentarienses tamquam diversa; utrumque tamen eum significat, qui principatum officiorum gerit *b*. Cæterum in Commentarienses istiusmodi carcerum Præfecti erant, ita & Adjutores suos habuisse, qui operam illis suam in re gerenda commodarent, & aliquam laborum partem in se reciperent, patet ex Manilio *c*.

a lib. 5. Advers. c. 10.
b Jul. Firmic. l. 3. cap. 6. & d. l. omnis.
c lib. 5.

—— immitis veniet pœnæque minister Carceris, &c.

Non possum mihi temperare, quin Valentiniani, Valentis & Gratiani rescriptum referam in hac re *d*. *Ad Commentariensem receptarum personarum custodia, observatioque pertineat:* & paulo post: *Si vero Commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, adjutorem ejus pari jubemus invigilare cura, & eadem statuimus jure severitate constringi.* Jam vero ex ea lege patet, additos fuisse Commentariensibus adjutores; quod & probat etymologicum Græcum in illis verbis; *qui serviunt judiciis criminum, quos comitantur ii, qui statum Principis curant, & cubicularii cum lictoribus multis, & ferreis vinculis, & instrumentis supplitiorum, quæ metu judicium replent.* Nec non Firmicus loco supra citato: *Erunt*, inquit, *cornicularii, aut commentarienses, quibus damnatorum cura committatur, seu clavicularii, vel carcerum custodes, & quibus catenarum cura mandatur*; quos Galli dicunt *Claviers*. Ideo autem Commentarienses dicuntur judiciis criminum inservire, quod Commentariensis, cum rei interrogandi essent, eos ad Tribunal Præfecti Urbi, vel Prætoris adducebat; acta delinquentium, & eorum responsiones in commentarios referebat; unde Commentariensis dictus, præter allusiones supra relatas creditur *e*. Præterea Adjutores isti appellabantur Optiones, quasi adoptati, & electi, ut ait Nonius, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, aut alia ex causa, tamquam adoptati eorum solerent vicariam operam præstantes universa curare *f*. Quamquam Optionis vocabulum latius patet, & ad omnem familiam Commentariensium extenditur, ut satellites, &c quod ex Ulpiano de Officio Proconsulis conjicio, statuente, neque speculatores, neque Optiones sibi desiderare debere spolia, quibus exuitur reus, quo momento punitur *g*. Quod vero reliquum est, officium Commentariensium erat, eorum scilicet qui carceribus erant præpositi, ut trigesimo quoque die Judici insinuare deberent numerum, varietatem, ordinem inclusorum *h*. Non me latet, Græcorum sententiam in Basilicis esse, ut singulis diebus teneretur Commentariensis

d l. ad Commentariensem Cod. de cust. reor.
e Synodo 7. Act. 7.
f Veget. l. 2. cap. 7.
g l. divus 6 ff. de bonis damnat.
h l. de iis 6. Cod. de cust. reor.

A notationes hujusmodi, & nomenclaturas conficere, non vero intra triginta dies. Putaverim tamen, tametsi non habeam, qui manu ducat, utrumque verum esse; videlicet Adjutores carcerum debuisse inter Commentariensium acta singulis diebus referre numerum, varietatem, ordinem, ætatem vinctorum, quæ singula intra triginta dies debebat postea Commentariensis ad Judices deferre. Et hæc est procul dubio illa Theodosii Magni constitutio de tempore, seu lex juvans vinctos, quod attinet, cujus meminit Libanius in
B Oratione De vinctis, seu captivis, qua Imperatorem hortatur ad sanciendam legem, qua carcere inclusi humanius, & suavius habeantur. Sicut enim Commentariensis tenebatur judici carcerariam rationem reddere; ita intra hoc idem unius mensis spatium jusserat jam Constantinus, custodias audiri inquisitione completa; *ne, si delati criminis causam segnius judicantis lenitudo distulerit, reciprocos pœnæ sortiatur incursus a*. Insuper ad Præfectos carceri pertinebat victualem substantiam
C non habentibus ministrare, cujus rei intuitu libellæ duæ, vel tres diurnæ illis assignabantur, quibus ad alimoniam, & lavacrum vinctorum pauperum uterentur *b*; Sed de hoc dixi cap. 18. Qui vero carcerum custodes erant, hi sedulam omnino diligentiam præstare in vinctis custodiendis debebant: nam si is, qui captus est, ob Adjutoris negligentiam, vel ebrietatem aufugerit, iisdem pœnis custos plectendus esset, quibus custodia ipsa fuisset affecta *c*: quod tamen intelligendum est, si dolo corruptus fuerit carceris custos; nam
D si ex simplici negligentia passus fuerit sine vinculis agere custodiam, vel ferrum, venenumve in carcerem inferri, removendus est ab officio; alias arbitrio judicis puniendus *d*. Antequam autem manum tollamus e tabula, venit in mentem statuere, quodnam fuerit Commentariensium salarium, seu merces. Qua in re licet certi aliquid statuendum non occurrat, fas tamen est suspicari, eos militum instar quodammodo meruisse: erant enim custodes ex quodam militiæ genere delecti, ut supra dictum est plus quam satis. Ut autem
E militum stipendium pro tempore varium tum in pecunia, tum in frumento, tum etiam in vestibus fuisse luculenter pertractat Lipsius in Electis *e*, ita illum adeat, qui de hac re meliora requirit. Utut sit de quantitate emolumenti Commentariensibus debiti, certi juris est, illud ex ærario publico esse præstandum; non quidem eo tantum casu, quo, inquisitione præcedente, reus captus fuerit, verum etiam si accusatore id requirente *f*; & ratio est, quia ad Principem, ejusque Præfectos
F pertinet malis hominibus Provinciam purgare *g*. Hinc is, cui munus publicum judiciale concessum est, tenetur propriis sumptibus, & expensis illud expedire: nam tributa, & vectigalia ideo Magistratibus exsolvuntur, ut ipsi æquo jure imperent, jurisdictionem, ac merum imperium exerceant, & adversus facinorosos modo debito animadvertant *h*. Quibus rationibus accedit augmentum Fisci ex bonis vacantibus contingens *i*. Et licet jus apprehendendi

a l. hi quos 7. C. Theod. de accusat.
b l. judices 10. Cod. de Episc. aud.
c l. ad commentariensem 4. Cod. de cust. reor.
d l. 12. 14. ff. eod.
e lib. 1. c. 2.
f Const. Carolina Art. 204.
g l. congruit 13 ff. de off. Præsid.
h Nov. 43. cap. 2.
i l. 1. 3. C. de bon. vac.

bona vacantia Regalibus annumeretur a Consultissimo Viro M. Antonio Peregrino Concive nostro *a*, tamen multis in locis illi Magistratus, qui merum imperium exercent, jus occupandi bona vacantia sibi vindicare solent, ut exinde sumptus judiciorum desumi queant. Quare Carpzovius testatur in Praxi, Magistratus Ordinarios criminalium judiciorum sumptus Commentariensium, Actuariorum, Carnificum, & similium perferre debere *b*. Quod tamen Jure Veneto non servatur: ut enim omnia Magistratus commoda ad ærarium Principis referuntur; ita & incommoda ejusdem Magistratus ad idem ærarium Principis spectant.

a lib. 4. de Jure Fisci c. 3.
b Part 3 qu. 148. n. 39. & seq.

CAP. XXI.

Apud quos Magistratus olim jus fuerit vinciendorum reorum in Urbe.

ETsi supra cap. 3. ubi de Origine Carceris plura dedimus, nonnulla ad hoc caput pertinentia attigimus; attamen non abs re puto disserere, apud quos Magistratus olim jus fuerit vinciendorum reorum in Urbe; nam de Magistratibus Provincialibus capite sequenti dicemus. In primis autem separandas esse causas censeo, ob quas possunt rei in carcerem conjici. Cum enim possit hoc fieri vel ob æs alienum, quæ causa civilis est, vel ex causa delicti, quæ causa est criminalis, consequens est, ut singula sejunctim ostendamus. Modo decretum Carcerationis (inconditum sane vocabulum, sed ad rem declarandam accommodatum) in causa civili penes quoscumque Magistratus fuisse, etiam simplicem jurisdictionem habentes, haud invita jurisprudentia asserere ausim *c*: quippe in civilibus causis bonum quemque civem deceret agnoscere bonam fidem & sententiæ ultro parere, ac satisfacere: sed propter moratores, & improbos homines, qui alias jurisdictionem eluderent, necessum fuit, ut adderetur jurisdictioni portio quasi ex Imperio decerpta, qua jurisdictio munita Magistratus dignitatem, & auctoritatem suam tueretur nec non sententias executioni mandaret, ac ea faceret, sine quibus jurisdictio illusoria redderetur *d*. Porro isthæc injectio in carcerem, quæ adversus debitorem non solventem a Judice decerni solet in causa civili, loco pœnæ non est, sed ut ipse tædio carceris perculsus promptior, & ad solvendum alacrior esse possit. Jam vero quod spectat ad causam criminalem, altius petenda res est. Sciendum itaque est, primum in Urbe Roma nullum ordinarium Magistratum fuisse, qui in sontes animadverteret: quandoquidem Valeria lex lata est primo ab exactis Regibus anno, qua ne Consules quidem, apud quos summa Imperii erat, poterant injussu populi in caput civis Romani animadvertere *e*, cui Valeriæ legi Portia quoque lex accessit; de quibus Cicero, & Livius noster *f*. Itaque quotiescunque admissum quid esset, quod publice vindicandum videretur, de eo aut ad Senatum, aut ad populum referebatur, ut vel Senatus consulto, vel lege quæstio mandaretur Magistratibus, qui jus in Urbe dicerent; veluti Consuli, aut Prætori, qui tamen notionem tantum haberent: nam de ea re iterum apud Populum agendum erat, ut Centuriatis Comitiis de Civium capite judicaret *a*. Quo sensu existimarunt nonnulli primum L. Syllam Dictatorem quæstiones publicas constituisse *b*: labuntur tamen, petita dixerim venia, quia longe ante Syllam Quæstores perpetua jurisdictione constituti sunt, qui hoc ipso, quod is honos iis delatus, capitis animadversionem habebant, ac ob id potissimum Quæstores Parricidii nuncupati a Quærendo, quod maleficia conquirerent *c*. Hos Asconius in 2. Verrina Quæsitores nominat, auctoritate Tulli pro Roscio, & Judices quæstionis Martianus J.Consf. appellat *d*. Parricidii autem vocabulo hic homicidium intelligendum. Veteres enim Romani, ut scelus illud atrocius videretur, omne homicidium, teste Festo, parricidium dixerunt. Quod indicat lex Numæ Pompilii Regis in hæc verba: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, Parricida esto*. Et ante eum Romulus homicidium omne Parricidium vocavit, teste Plutarcho in Romulo ante finem. Igitur totam rem hanc sic expendamus. Cum lege Valeria non esset permissum Consulibus in caput civis animadvertere, quotiescumque casus obtulisset, speciali lege in singulis causis id aliis, aliisve Magistratibus mandabatur. Postea Quæstores perpetua jurisdictione constituti sunt, Censorino, & Manilio Coss. ut inquit Cicero in Bruto de Carbone loquens, quicquid cavilletur Cujacius pro illius textus emendatione: *Quæstiones*, inquit, *perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ antea nullæ erant. L. enim Piso Tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis tulit*: ac propterea quæstiones perpetuæ dicebantur, tum quod lege erat præscripta forma quædam perpetua judicii de his rebus exercendi, ut nova semper lege opus non esset; tum quod annuam provinciam de his quæstionibus exercendis illi Prætores peragebant, non, quemadmodum antea fieri solebat, cum ita casus tulisset, ut quærendum videretur, tunc crearetur, qui quæreret, statimque, eo absoluto judicio, potestatem de eadem re quærendi non haberet. Ergo antequam Sylla Romæ tyrannidem exerceret, Prætores ordinarii creati sunt, qui de criminibus cognoscerent, de quibus non videbatur extra ordinem quærendum esse; ut repetundarum, ambitus, Majestatis, peculatus. Quod si tunc quoque aliquid accidisset, de quo extra ordinem primo quoque tempore propter criminis gravitatem, aut novitatem quærendum videretur, ad populum ferebatur, ut, quem vellet, de ea re quærere juberet; ac tunc veteri more creabatur Quæstor Parricidii; sicut lege Pompeja extra ordinem suffragio populi creatus est quæstor L. Domitius, Ahenobarbus, qui de vi, cujus Milo postulabatur, quæreret. Horum igitur Quæstorum officium fuit, non solum, ut

c l. unica ff. si quis jusdicenti &c.
d l ult §. ul ff de officio ejus &c.
e Ant. Aug. in l. Valeria. Muretus de Jurid.
f in Orat. pro Rabirio. Hist. l. b. 10.

a l. 2. §. exacti s ubi DD. ff de O. J.
b l 2. §. deinde Cornelius ff. eod.
c Varro lib. 4. de Lingua Latina.
d l. 1. §. 1. ff. ad l. Cornel. de Sicar.

Auctor ad Herennium scribit, accusatorem, defensorem, & testes in officio suo continere, ut scilicet accusator crimina inferret, dilueret defensor, dicerent testes quæ scirent, aut audivissent; verum etiam reo de quacumque quæstione publica diem dicere, &, causa cognita, convenienti supplitio illum afficere. Quo respexit Virgilius Æneidos 6.

Quæsitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque, & crimina discit.

Dum autem dicimus, Prætores quæstionibus destinatos de criminibus cognovisse, non est hoc ita intelligendum, ut Prætores Urbani etiam de criminibus quærerent. Quinimo miror satis, Budæum, Virum alioqui bene doctum, in suis annotationibus lapsum esse, qui criminalibus in causis Prætorem Urbanum solum quæsivisse opinatus est, eumque tunc, nomine mutato, judicem quæstionis dictum esse putavit. Quare certissimum est, aut me omnia fallunt, judicum quæstionis duo genera fuisse; alterum eorum, qui, cum Prætores essent, quæstionis etiam judices appellabantur; Alterum rursus illorum, qui, etsi non essent Prætores, capitali tamen de crimine quærebant. Quocirca Judicem quæstionis Junium, qui Prætor non erat, quæsivisse de veneno Oppianici in causa, monet Pædianus his verbis: *Junius Quæsitor fuit in Cluentii causa, Verre Prætore.* Jam vero Junium non fuisse Prætorem, patet ex Cicerone pro Cluentio: *In hanc flammam recentem C. Junium, qui illi quæstioni præfuerat, injectum esse memini, & illum hominem ædilitium jam Prætorem opinionibu hominum constitutum* (quod eum Prætorem futurum homines opinarentur) *de civitate esse sublatum.* Posterioris istius generis judices Prætor Urbanus sortiebatur, & subsortiebatur, quibus uterentur Prætores habentes quæstiones publicas ex lege, ut per eos in causa capitali cognosceretur *a*: & hi sunt, qui judices quæstionis nuncupantur, vere, & proprie a Magistratibus separati *b*. Porro ad hanc judicum sortitionem puto referendam esse quamcumque sortis mentionem, cujus apud Poetas frequentissimus, & omnino obvius solet esse usus.

Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita judicet Ossa pila c.
Improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam d.

[a] Cujacius li. 15. Observat. 39 Brisonius lib 2 select antiq. cap. 1.
[b] l. 1 §. 1. ff. ad l Corn. de Sicar. Cujacius ad l 1. ff. de off ejus, &c.
[c] Propert. l. 4.
[d] Juvenal. Satyr. 14.

Hanc speciem judicum quæstionis recenset Manutius de legibus Romanorum, quorum jus cognoscendi erat, & subsortiendi; veluti si unus ex judicibus sorte primum eductus rejiceretur; ut ex accusatione in Verrem apud Tullium apertissime liquet, quo in loco Q. Curtium Judicem quæstionis appellat Cicero in causa Verris repetundarum, de qua Prætor M. Acilius Glabrio cognoscebat; eumque Curtium ait Asconius Pædianus per Ciceronem fuisse rejectum. Quoniam vero de judicibus, qui sortito eligebantur, incidit sermo, placet numerum eorum referre, qui erat quinque, & septuaginta virorum, ut ex Tullio in Pisonem: *An ergo expectem, dum quinque, & septuaginta tabellæ de te diripiantur? &c.* Cæterum quæ fuerit judicum sortitio, & subsortitio, ac sub qua forma fieret, id, congestis Asconii in Divinatione testimoniis, differit, & ostendit satis aperte, ac ordinate Budæus *a*. Firmato itaque quod quæstiones perpetuæ ante Syllam fuerint, nihil habet difficultatis Enchiridion Pomponii, qui auctorem facit Cornelium Syllam publicarum quæstionum *b*, quia, ut Coccejus ait, non induxit primus quæstiones publicas, sed priorum aliquas repetiit, auxit, adjecit: nam ante Syllam quatuor tantum erant. Et hanc solutionem egregie probat Taciti locus *c*, ubi ait: *Lucius Sylla Dictator, abolitis, vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium ei rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus.* Cicero quoque in Oratione pro Cluentio: *Postea,* inquit, *Lucius Sylla homo a populi causa remotissimus, tamen cum hujus rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore judicatis, &c.* loquitur de lege a C. Graccho promulgata contra Senatores, qui coiissent, ut quis judicio publico condemnaretur; cujus rei quæstionem ea ipsa lege a Sylla postea constitutam dicit. Quæstiones autem a Sylla constitutas, quomodo accipiendum sit, declarant eadem Taciti verba; cum scilicet, abolitis, & conversis prioribus legibus, plura addidisse eum dicit. Debemus etiam intelligere, constitutas quæstiones ex eo, quod judicia ab Equitibus Romanis ad Senatores transtulit Sylla; quod Asconius in Verrem sæpe admonet, & ita Ciceronis verba frequentissima de constitutis judiciis interpretatur. Quæstio enim hoc loco judicium significat; & constituere quæstionem est, judicio peragendo certam formam præscribere. Postea vero Triumviri capitales in locum Quæstorum Parricidii instituti sunt tunc primum, cum Curius Dentatus Consul, Samnitibus cæsis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit, quemadmodum ex Epitome Livii constat *d*: fueruntque ad hoc creati, ut carceris custodiam haberent. Sed ante eos Duumviri erant; quorum historiam narrat Fenestella *e*, qui tamen habebant jus in solo perduellionis judicio. De Triumviris vero constitutum est, cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret *f*. Neque tamen carceris sollummodo cura ad officium illorum spectabat; sed si in aliquem animadvertendum erat, supplitio etiam sumendo præerant, illorumque interventu animadversio expediebatur. Unde Cicero *g*: *Vincula sontium servanto: capitalia vindicanto*: & de carceris custodia Livius; *In timore,* inquit, *Civitas fuit: itaque & Romæ vigiliæ per vicos servatæ: jussique circumire eas minores magistratus, & Triumviri Carceris Latomiarum intentiorem*

[a] Annot. post ad l 13. 6. judicandi ff. de muner. & honor.
[b] l. 2. § deinde Cornelius ff. de O. I.
[c] Annal. 3.
[d] lib. 11. Histor.
[e] de Magistrat. cap 5.
[f] l 2. §. eodem tempore 30. ff. de O. I.
[g] lib. 3. de legibus.

custodiam habere jussi a. Præcipuum itaque Triumvirorum capitalium officium latius erat, quam Duumvirorum. Iis jus fuit in facinorosos, si quid scelere, aut perfidia deliquissent, animadvertere: ideoque Cajus Fascenius Triumvir Cajum Cornelium, quod cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis oneratum in carcere mori coegit *b*. Sic Alexandrum Fannii servum, quod in suspicionem Caii Facci Equitis Romani occisi venisset, a judicibus damnatum, & a L. Calpurnio Triumviro in crucem actum esse, Valerius Maximus auctor est *c*. Virgines tamen, & impuberes, immaturasque puellas, licet capitali pœnæ obnoxias, Triumvirali supplitio affici non potuisse Tacitus dicit *d*, ubi de filia Sejani agens; *Tradunt*, inquit, *temporis ejus auctores, quia Triumvirali supplitio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice laqueum juxta compressam: exin oblitis faucibus id ætatis corpora in Gemonias abjecta*: quod parum aliter Dion quoque scriptis mandavit *e*. Denique consuevisse etiam ex lege L. Papirii Tribuni Plebis sacramenta exigere, judicareque Sextus Festus indicat De verborum significatione; suntque Papiriani illius plebisciti ex Scaligeri restitutione verba hæc: *Queicumque Prætor posthac factus erit, quei inter ceiveis jous dicet, Tres viros capitaleis Populum rogato: iique Tres virei capitaleis, quicumque posthac factei erunt, sacramenta exigunto, judicantoque, eodemque joure sunto, uti ex legibus, plebeique Sciteis exigere, judicare, esseque oportet*. Cæterum cognoscebant Triumviri capitales utplurimum de servis, furibus, & aliis hominibus vilioribus, & apud Columnam Mæniam eosdem puniebant, ut alibi diximus. Oppressa postmodum, & ad unius arbitrium redacta Republica, quæ potestas penes populum fuerat, apud Imperatores esse cœpit; qui etiam dederunt Præfecto Urbi jus quærendi de criminibus, & in sontes pro admissi modo animadvertendi *f*. Sane Præfectos Urbi sub regibus fuisse, quibus ipsi absentes curam Urbis commendarent, constat; quod institutum fuisse a Romulo Dionysius Halicarnasseus lib. 2. auctor est; & Tacitus annalium 6. Postea aliis Magistratibus provisum fuit, ne absentibus Consulibus necesse esset Præfectum creare *g*: & tamen apud Livium lib. 3. mentio est Fabii Præfecti Urbi creati absentibus Consulibus; ut videatur hoc arbitrarium fuisse, & receptum aliquando, ut utroque absente Consule Præfectus crearetur *h*: idque confirmat etiam Tacitus scribens: *Antea profectis domo Regibus, ac mox Magistratibus, ne urbs sine Imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur i*: Augustus autem primus, quod ex eodem Tacito discimus, perpetuum hunc Magistratum fecit, quod cæteri Imperatores sequuti sunt. *Quoque plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, Præfecturam Urbis, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi*

a l. b. 24. post medium.
b Val. Max. lib. 5. cap. 1.
c lib. 8. c. 4.
d lib. 5. Annal.
e lib. 58.
f l. 1. ff. de Off. Præfecti Urbi.
g l. 2. §. cumque 27. ff. de O. I.
h l. 2. §. & hæc omnia ff. de O. I. Dion. Cass. l. 29. in fin
i Annal. l. 6.

turmas equitum a; quæ omnia sic accipio, ut præsentibus quoque Magistratibus intercedere Præfectum voluerit his rebus, & curis tumultuariis, quibus absentibus Magistratibus vacare consueverat *b*; quæque imperio magis, quam jurisdictione continentur, & ad quietem Civitatis, ac ad populares exemplo cohibendos pertinent. Ideo pleraque his similia officio Præfecti Urbis sub titulo Pandectarum adscribuntur. Nam per antiquæ consuetudinis vestigia Præfecturam Urbis paulatim ad hæc pervenisse apparet: & hæc ratio est, ob quam delicta maxime a Præfecto puniuntur. Nam credibile est, huic potissimum curæ antiquitus intendisse Præfectum, ut commissa absentibus magistratibus, quorum de ea re notio esset, crimina e vestigio vindicaret, & seditionum materiam in primis tolleret, ac abrogaret: quibus omnibus adstipulatur Tacitus: *Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quod reos, ne apud Præfectum Urbis arguerentur, ad Prætorem detulisset: interim specie legum mox prævaricando ultionem elusurus c*. Cæterum quanto in honore posterioribus temporibus habiti fuerint Præfecti Urbis, cognoscitur ex iis, quæ de hoc Magistratu uberrime congessit Alexander ab Alexandro *d*. Hi autem non semel Custodes Urbis appellantur a Seneca *e*: *Lucius Piso Urbis Custos, cujus officio tutela Urbis continebatur*; & Juvenalis *f*:

> *Hæc quota pars scelerum, quæ Custos Gallicus urbis*
> *Usque a lucifero donec lux occidat, audit.*

Sunt tamen quædam crimina, quorum cognitio ad Præfectum Urbi non pertinebat: veluti cognitio de domino a familia occiso, quæ ex S. C. Syllaniano fuit nominatim commissa Prætori Urbano sub Augusti Imperio, Dolabella, & Syllano Consulibus, an. ab Urbe condita 762. *g*; & cognitio de incendiariis, furibus, raptoribus, & receptatoribus ab eodem Augusto nominatim tributa fuit Præfecto Vigilum *h*; quæ omnia puto contigisse exemplo veteris Senatus consulti, quo singulorum criminum cognitio Magistratibus hinc inde mandabatur, ut dixi: cujus Senatus Consulti ea ferme verba esse solebant: *Dent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti capiat i*. Unde Cicero in Catilin. *Ad mortem*, inquit, *te Catilina duci jussu Consulis jampridem oportebat; habemus enim Senatus consultum in te, Catilina, vehemens, & grave. Non deest Reipublicæ consilium, neque auctoritas hujus Ordinis. Nos, nos, dico aperte, Consules desumus. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Consul videret, ne quid Respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit. Mox interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus clarissimo Patre natus, avis majoribus: occisus est cum liberis M. Fulvius Consularis. Simili Senatus Consulto C. Mario, L. Valerio Coss. permissa est Respublica. Num unum diem postea L. Saturninum Trib. Pleb. & C. Servilium*

a Suet. in Augusto c. 37.
b Gell. lib. 14. cap. 8. Halicarn. lib. 6.
c Annal. lib. 14.
d lib. 6. Genial. dier. cap. 20.
e Epist. 12.
f Sat. 13.
g l. 1. ff. ad S. C. Syllanianum. Cujac. lib. 1. Observa. 18
h l. 3. §. cognoscit ff. de off. Præf. Vigil.
i Sigon. lib. 1 de antiq. jure civ. Rom. c. ult. lib. 3 de antiq. jur. Prov. c. 10.

Prætorem pœna remorata est? Et Sallustius in conjuratione ejusdem Catilinæ ait: *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, Senatus decrevit, ut darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum more Majorum Magistratui maxima permittitur; exercitum parare, bellum gerere, coercere modis omnibus socios, atque cives, domi militiæque summum imperium, atque judicium summum habere. Aliter sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus est.* Accedit Cæsar: *Decurritur ad illud extremum, atque ultimum Senatus Consultum, quo, nisi pene in ipso Urbis incendio, atque in desperatione omnium salutis, latorum audacia, numquam ante discessum est. Dent operam Consules, Prætores, Tribuni Plebis, quique Consulares sunt ad urbem, ne quid Respublica detrimenti capiat* *a*.

a de Bello Civili lib. 1.

C A P. XXII.

De Magistratibus Provincialibus, apud quos jura Carcerum antiquitus erant.

Aristoteles, quem, excepto Platone haud scio, an recte dixerim principem philosophorum (ut cum Tullio de Finibus loquar) in magnis, & opulentis familiis ait ministeria esse distincta, ita ut singuli singulis tantum muneribus præpositi sint: ut alii veluti dispensatores sint, alii cellæ penuariæ, culinæ alii, alii rei vestiariæ, alii aliis rebus præfecti; quorum cuique sua, & a cæteris separata curatio est. At in domibus pauperum necesse est, ab uno plura munera sustineri, ut idem sæpe sit & coquus, & pistor, & unctor, & tonsor, qualem idem Philosophus ait fuisse Gladium Delphicum *b*. In Urbe, tamquam in domo splendida, & opulenta, Magistratuum munera distincta erant; ita ut alii civilia, alii criminalia judicia exercerent. In Provinciis, tamquam in tenuioribus familiis, Proprætores, aut Proconsules, aut denique Præsides, legati Cæsaris erant, quasi gladii Delphici: omnium enim Magistratuum Urbanorum vice fungebantur; quæque Romæ varios habebant judices, ea omnia in Provinciis ad officium Præsidis pertinebant *c*. Equidem scio, ut Urbs Roma habuit Senatum, Consules, Tribunos Plebis, ita & alias Civitates habuisse pro Senatu Curiam, pro Consulibus Duumviros, pro Tribunis plebis Defensores plebis, vel defensores tantum *d*: verumtamen circa hæc non moramur, cum hi Municipiorum, non populi Romani magistratus sint, apud quos non erat, nisi levis quædam criminum cognitio; majora enim ad Præsidem remittebant *e*. Cæterum Provinciales Magistratus, qui regendæ provinciæ præerant, vel Proconsules erant, vel Proprætores, aut Præsides; cujus denominationis consuetudinem Sigonius in quatuor tempora distribuit: unum ab institutione Provinciarum usque ad L. Pisonem Trib. Pleb. alterum a Pisone ad L. Syllam Dictatorem: tertium a Sylla ad C. Cæsarem Dictatorem: postremum a Cæsare ad Augustum Imperatorem *a*. Horum autem omnium ea summa est, Provincias singulas sub Romana ditione constitutas Proconsulares, aut Prætorias sub Republica dictas fuisse; Imperio autem confecto, aliæ Populi Romani, aliæ Cæsaris factæ sunt ex divisione, quam Augustus Imperator primus excogitavit non tam serio, quam in specimen libertatis, pro captanda populi benevolentia *b*. Manente itaque Republica, ita se res habuit, ut qui Consul pridem fuisset, Consularem, qui vero Prætor fuerat, Prætoriam potestatem nanciseretur, & diceretur Proprætor; donec Republica in Monarchiam mutata, qui a Principe mittebantur, Præsides, & qui a Populo, Proconsules adhuc dicti sunt: quo pertinent duo illi Pandectarum Tituli, quorum alter de Officio Præsidis, alter de Officio Proconsulis inscribitur; & amplius Venulejus *c*, *Accusare*, inquit, *non licet legatum Imperatorium, idest Præsidem Provinciæ*. Sed non puto istas separationes Provinciarum observasse sequutos Principes, & Provincias pacatas Senatui, & Populo reliquisse, cum Suetonius, & Dion citatis locis attestentur, ipsum Augustum sæpe Provincias permutasse; & possit quis existimare nihilominus ita postea obtinuisse, ut quicumque in Provincias populo olim relictas ab Augusto mitterentur, etiam a Principe veteri illo nomine appellarentur Proconsules: quod innuit Ulpianus de Legato Proconsulis agens *d*: *Sic autem*, inquit, *mandare, & non mandare est in arbitrio Proconsulis; ita adimere mandatam jurisdictionem licet quidem Proconsuli, non autem debet inconsulto Principe hoc facere*. Quorsum tamen hæc spectat Oratio? Quia soli Præsides antiquitus gladii insignia a Principibus obtinebant, quo gladio merum imperium designabatur *e*. Postea vero ex recentiorum Imperatorum auctoritate (quorum fit mentio in Pandectis nostris) Proconsules quoque gladii potestatem habuerunt, non quidem ut eo accingerentur, sed ut in sontes ex vi meri imperii gladio animadvertere possent *f*: gladius namque meri imperii erat insigne in judiciis rerum capitalium, ut in pecuniariis hasta. D. Cyprianus: *Et inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum. Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est* *g*. Cur autem gladius tam celebris sit etiam in suppliciis, ne solum ad nobilitatem instrumenti referas, sed magis ad acumen, D. Hilarius Episcopus Pictaviensium Commentario in Matthæum: *Gladius*, inquit, *telorum omnium acutissimum est, in quo sit jus potestatis, & judicii severitas, & animadversio peccatorum*. Atque hac, ut puto, ratione motus Ulpianus ait *h*: si quis damnatus fuerit, ut in eum gladio animadvertatur, non securi, vel telo, vel fuste, vel laqueo, vel aliquo alio modo, sed gladio tantum animadverti oportere: quod sic accipiendum puto, ut ne jussu quidem Præsidis pœnæ sententia comprehensæ genus vel augeri, vel immutari ullatenus queat, cum Proconsulis Tabella sententia sit, quæ semel lecta neque augeri littera una, neque minui potest; sed, ut-

b lib. 1. Polit. cap. 2.

c l. si in aliquam ff. de off. Proconsul. l. ex omnibus l. omnia l. sed licet ff. de off. Præsid.

d l. in hac. Cod. de Donationibus. Novell. 15. de Defens. civit. Cujac.

e l. defensores 7. Cod. de defens. civit. l. defensores 5. Cod Theod. de exib. reis.

a lib. 2. de antiq. jur. Provin. c. 1.

b Dion. lib. 53. Strabo lib. ult. Sueton. cap. 47. in Augusto.

c l. hos accusare 12 ff. de Accusat.

d l. solent 6. §. 1. ff. de off. Proconsulis &c.

e Scip. Gentil. de Jurisdict. l. 3. c. 2.

f l. illicitas §. qui universas ff. de off. Præsidis.

g lib. 2. Epistol. 2.

h l. aut damnum §. 1. ff. de pœnis.

cumque recitata est, ita provinciæ instrumento refertur, ut Appulejus scribit lib. 5. Floridorum, ad finem. Quamobrem Antonius Caracalla, in cujus conspectu Papinianus percussus est, & a militibus occisus, percussori securem adhibenti dixit; *Gladio te exequi oportuit meum jussum*; ut Spartianus prodidit in Caracalla. Ex his infertur, quod, quemadmodum jus gladii meri imperii erat insigne, ita & qui jus gladii habebant, quæ meri imperii sunt, sibi vindicarent, hoc est causarum criminalium cognitionem, & animadversionem, ex quibus merum imperium constat *a*. Consequitur hinc, veriorem esse Interpretum opinionem statuentium, carceris custodiam ex causa admissi criminis adhibitam meri imperii esse, tum quia (cum a præparatione ad præparatum, & contra *b*, ratiocinari soleamus) cujus est jus gladii ad animadvertendum in facinorosos homines, ejus esse videtur jus detrudendi eosdem in carcerem, ut in illos animadvertatur *c*; tum quia, quemadmodum ea, quæ specialiter lege, vel Senatus consulto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur, utpote quæ meri imperii sunt *d*; ita Justinianus Cæsar fatetur, potestatem detrudendi in carcerem reos mandata jurisdictione non transire *e*; profecto non aliam ob causam, nisi quia jus detrudendi reos criminum in carcerem ad merum imperium accedit. Sunt tamen, qui id negent, ea adducti ratione, quod Defensoribus (Magistratibus scilicet Municipalibus) Civitatum, saltem ex recentioribus constitutionibus, concessum sit, ut audiant leviora crimina, & castigationi competenti contradant; & eos, qui in majoribus criminibus capiuntur, detrudant in carcerem *f*. Nihilotamen minus Municipalibus Magistratibus non competere jus gladii, perspicuum est, & in confesso apud omnes *g*. Verum solutio ex eodem apparet textu; siquidem Magistratus Municipales possunt in carcerem conjicere reos non ex vi imperii, sed potius modo quodam executivo, ut Præsidibus, vel Proconsulibus postea sub fida, & idonea prosecutione rei hujusmodi contradantur, ut ab Honorio, & Theodosio rescriptum est *h*. Quam ob rem in Villis, & vicis ad id haberi carceres scimus, non quod ibi judicent quemquam, sed ut servatum remittant ad superiorem magistratum; ut de Christo Domino a Judæis factum est, qui etsi confessi fuerint, sibi non licere occidere quemquam, attamen ad eum vinciendum accesserunt. Itaque Magistratus Populi Romani, qui ad regendas Provincias mittebantur cum mero Imperio, jus habebant reos in carcerem deducendi.

a l. imperium 3. ff. de Jurisdict.
b l. ordinari Cod. de Rei vend.
c l. imperium 3. ff. de Jurisdict. &c.
d l. 1. ff. de off. ejus &c.
e §. si vero etiam Auth. de exhiben. reis
f §. audient. Auth. de defens. civit.
g l. magistratibus 12 ff de jurisdict
h l. defensores 5 Cod. Theod de exhib. & transmitt. Reis.

CAP. XXIII.

De Lictoribus, seu Satellitibus, Ingenui ne fuerint, an libertini; & de eorum officio.

Accensum, viatores, apparitores, lictoresve pro modo jurisdictionis, lege, aut moribus datos Magistratui fuisse, neminem fugit. Nam qui vocationem in jus habebant, his accensus dabatur, viatores, apparitores; qui prehensionem, lictoribus utebantur *a*; quia Accensus vocationis erat insigne; lictor vero prehensionis. Quoniam itaque simulacrum jurisdictionis caput habet in Magistratibus positum, manus item, pedesque constitutos in ministeriis, cum de capite, seu Magistratibus dictum sit, ordo postulat, ut de Ministeriis agamus, hoc est de satellitibus. Equidem scio, Petrum Gregorium Tholosanum Consultissimum, & Eruditissimum Virum profiteri, plura esse satellitum vocabula *b*; frequentius tamen apud Auctores illud receptum est, ut Lictores, vel Statores appellentur, ut Satellites dicuntur in Sacris Paginis *c*; *Misit ergo Saul Satellites suos, ut custodirent eum, & interficeretur mane*. Nonius Marcellus a ligando dictos Lictores putat; & cum Nonio idem sentit Valgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit De rebus per Epistolam quæsitis; eo quia ligo, ligere, & ligui fuerit antiquis; ut frico, fricui, frictum, plico, plicui, plictum; quemadmodum advertit Lipsius more suo *d*; ut miretur, quod Tyro Tullius Marci Ciceronis libertus Lictores a limo, vel licio dictos malit: quamquam sint, qui existiment, lictorem, quasi legis auctorem dictum esse: *Lictor, viro forti adde virgas, & in eum primum lege age*; Livius: & Valerius Maximus: *jusso Lictore lege agere e*. Quibus tamen neque manum porrigo, neque pedibus in sententiam eo: etenim aliud est allusionem aliud vero derivationem indagare. Æque controversa est apud auctores eorumdem Lictorum origo: nam Livius noster Romulum, cæteris Regiæ potestatis insignibus adhibitis, etiam duodecim Lictores instituisse testatur; quod tamen Plinius Tullo Hostilio tribuit *f*. Porro qua conditione Lictores fuerint, liberi, an servi, dubitat Lipsius loco allegato; & pro liberis tabellam dat; ita tamen, ut nomine liberorum ingenuos intelligat; quod probare non possum (venia petita.) Nam quod arguit pro ingenuis ex Livio nostro lib. 11. nihil plane ad rem facit: *Quatuor, & viginti lictores apparere Consulibus, & eos ipsos plebis homines: nihil contemptius, neque infirmius, si sint qui contemant*. Mehercules quod dicantur *plebis homines* esse lictores, non probat, ingenuos esse magis, quam libertinos. Minus obstat, quod de Gemello opponit ex Valerio Maximo *g*. *Æque flagitiosum illud convivium, quod Gemellus Tribunicius Viator ingenui sanguinis, sed officii intra servilem habitum deformis, Metello Scipioni Consuli, ac Tribunis plebis magno cum rubore Civitatis comparavit*. Etenim illud singulare fuit in Gemelli persona: nam cum potuisset domi suæ instituere lupanar stupris nefandissimis fœdum, mirum certe non est, ex ingenua conditione ad servile viatoris officium declinasse; quare Valerius dicit, Gemellum ingenui sanguinis intra servilem habitum officio viatoris vilissimo se deformasse, quod ne iis quidem temporibus viatoris ministerium viris ingenuis conveniret. Itaque magis probo,

a Gellius l. 13. cap. 12. Sigon. lib. 2. De antiq. jur. Prov. cap. 1.
b lib. 47. Syntagm c. 40 n 4. & 1c 1
c lib. 1. Regum cap 19
d lib. 1. Elector. c. 23.
e lib. 6. Decad. 3 lib. 3. cap. 8.
f lib 9. c. 39.
g lib. 9. c. 2.

bo, lictores non fuisse umquam ingenuos, sed semper ex libertina conditione desumptos; quod Lipsius ad Taciti tempora restringit, aut paulo supra, scilicet ab eo ævo ex libertinis, aut libertis delectos lictores fuisse; quod ex eodem Tacito manifestissimum putat *a*. *Hinc*, ait, *plerumque tribus, decurias, ministeria Magistratibus, cohortes etiam in Urbe conscriptas esse*. Etenim frequens Senatus sub Claudio habitus est, ut adversus male meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur; cui quidem parti adversantes nonnulli opponebant; *Hinc tribus, decurias, ministeria magistratibus, & Sacerdotibus cohortes etiam in Urbe conscriptas: & plurimis equitum, plerisque Senatoribus non aliunde originem trahi*. En itaque quam longe deducit singula Tacitus, quæ ad propinquiora tempora Lipsius restringit. Perdiu enim receptum Romæ erat, ut libertini homines magistratibus, & sacerdotibus ministerio essent. Hinc Livius l. 9. *Potitia gens*, inquit, *cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii delegandi causa solemnia ejus sacri docuerat*; & lib. 43. *Censores signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negaverunt, se quidquam negotii publici gesturos*. Paterculus lib. 2. *Injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium jussu Duumviri productus est, ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus*. Unum est, quod obstare nobis videtur, vetus S. C. a Frontino de aquæ ductibus relatum, quo servos publicos a lictoribus diversos fuisse probatur: ait enim; *Placere Senatui, eos, qui aquis publicis præessent, cum ejus rei causa extra Urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos, præconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur*. Dicimus tamen, ibi servos publicos a lictoribus separari, tum quia servi publici ad singula Magistratuum ministeria adhibebantur, quod luculenter Pignorius noster ostendit; tum quia Comites formarum (sic enim appellabantur, qui usibus aquarum publicarum præerant) ut ullam vix imaginem jurisdictionis præseferebant, ita lictorum, præter pompam, ad reos præhendendos usu non indigebant *b*. Propterea lictorum ex libertinis electorum consuetudo vetustissima fuit; quod patet ex Hirtii loco lib. 1. De Bello Alex. in quo de Conjuratione in Q. Cassium Legatum: *Cassius eos, qui nominati erant conscii cædis, jubet comprehendi; nec diu moratur dolorem suum, quin eos interfici jubeat. Minutium libertis tradit excruciandum; item Calpurnium Salvianum, qui profitetur judicium*. Et hoc evidentius ex Tullio in Pisonem deduco: *Togulæ*, inquit, *lictoribus ad portam præsto fuerunt, quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, & catervam Imperatori suo novam tribuerunt*. Redierant enim ex bello, ideoque sagati. Neque sane dubitandum est, quin de libertinis Tullius sit accipiendus: etenim toga donabatur, qui modo majori (ut diximus) seu solemni manumittebatur, ut patet ex Quintiliano *c*. *An vero*, ait, *ma-*

a lib. 13. Annal.
b Bulenger. De Imper. Rom. lib 5. cap 20.
c Declam.

A *jus in hoc putamus momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si habitum, stolamque dederis, quod ne manumissis quidem omnibus contingit?* Imo Tertullianus *a*: *Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxiæ retro fuerunt, idcirco ne eadem pati oportebit? non opinor. Atquin & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & Patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur*: & Plautus: *b*

B *At candidatus cedit hic mastigia*; loquitur de Olympione villico jam liberto. Ut autem probo, albam togam, tamquam communiorem civium vestem, libertis in usu fuisse domestico, ita cum ad officium aliquod publicum adsciscerentur, vestes mutasse indicat apertissime Theodosii Magni lex anno 382. lata, ajentis: *Officiales quoque, inter quos statuta complentur, ac necessaria peraguntur, uti quidem penulis jubemus, verum interiorem vestem admodum cingulis observare; ita tamen, ut di-*

C *scoloribus quoque paliis pectore contegentes, conditionis suæ necessitatem ex hujusmodi agnitione testentur c*. Quod autem de veste discolori Theodosius ait ab officialibus adhibenda, cum quid jussu Magistratuum exequuntur, id eleganter confirmat Petronii locus, ubi de furto per Lancem, & Licium agit: *Intrat stabulum præco cum servo publico, aliaque sane non modica frequentia, facemque fumosam magis, quam lucidam quassans*; & paucis interjectis: *Nec longe a Præcone Ascyltos stabat, amictus discolori veste d*; Neque

D objicias, de viatore, Præconeque Petronium loqui: præterquam enim quod viatorum, lictorumque arctissima affinitas est, nisi quod illi vocationem in jus, isti præhensionem habebant *e*, accedit, viatorem ibi pro lictore esse accipiendum; nam ex Collegio viatorum lictor deligebatur *f*: ait enim Arbiter, viatorem attulisse secures; quæ profecto a lictoribus, non a viatoribus deferebantur. Nec infrequens est viatorum pro lictoribus usurpatio: nam Latinus Pacatus; *Nec otiosa viatoris manus plebem verbere submovebat, &c.* & tamen

E submovere turbam non ad viatorem, sed ad lictores pertinuisse, nemo est qui nesciat. Cæterum non est prætereundum, quod Petronius ait, servum publicum pro lictore adhibitum fuisse, cui Livius, & alii respondent citatis locis; & hoc ipsum Tullius longe antea dixit Philipp. 3. *Quos Antonius deliciarum causa loris in convivio cædi jubebat a servis publicis*. Igitur quia lictores non paulo ante Taciti tempora ex libertinis deligebantur, sed vel in ipso hujusce ministerii exordio. Quid e-

F nim servi publici erant tum in Urbe, tum in Provinciis, nisi servi, quos populus Romanus, aut Civitas manumittebat *g*, ut eorum ministerio, & opera magistratus uterentur? Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, velim intelligamus, quod Ulpianus de officio Proconsulis respondit, neminem Proconsulum statores suos habere posse, sed vice eorum militum ministerio in Provinciis fungi *b*: quorum verborum sensus est, Proconsulem non posse habere

a De resurrect. carn. cap. 57.
b in Casina Act. 2. Sc. 8.
c l. 1. Cod. Theod. De habitu, &c.
d in Satyrico cap. 57.
e Columel. de re rust. l. 1.
f Gell. lib. 12. c. 3.
g Varro lib. 7 de Ling. lat. l in tantum C. ff de R. D. t. 1. §. servum ff. de quæst.
b l. observare 4 § 1. ff. de off. Proconsul.

ſtatores domeſticos, atque a ſe in id miniſterium conſtitutos, quemadmodum de ſtatoribus privatis eſt mentio frequentiſſima apud Tullium ad Familiares. Etenim ſtatores ſuos dixit Ulpianus proprios, & privatos, ut alibi dixerat idem Ulpianus, eum, qui juriſdictioni præeſt, neque ſibi jus dicere poſſe, neque uxori, vel liberis ſuis, neque libertis, vel cæteris, quos ſecum habet *a*. Et ratio piorum eſt, ne forte ad obſequium Proconſulis tamquam domeſtici ſtatores hujuſmodi reos vel facile elabi ſinerent, vel excruciarent, vel pecunias a miſeris extorquerent, vel demum ne plus quam ſatis oneraretur Provincia, ſi enormem domeſticorum gregem ſtatorum loco Proconſul adduxiſſet. Igitur Statorum vice militibus uti debebat, ideſt officialibus, ut bonus Accurſius quoque interpretatur. Eodem ſenſu, ac alibi Tertullianus: *In reos Majeſtatis, & publicos hoſtes omnis homo miles eſt*; nempe officialis jure, & miniſterio fungitur. Jam vero Officiales hujuſmodi, qui Provincialibus Magiſtratibus inſerviebant, Brutiani appellabantur. Nam cum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet, & aliquot pugnas Populo Romano adverſas pugnaviſſet, primi totius Italiæ Brutii ad Annibalem deſciverunt. Id Romani ægre paſſi, poſtquam Annibal Italia deceſſiſſet, ſuperatique Pœni ſunt Brutios ignominiæ cauſa non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant, ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parere, & præminiſtrare ſervorum vicem juſſerunt. Itaque ii ſequebantur Magiſtratus, tamquam in ſcenicis fabulis, qui dicebantur Lorarii; &, quos erant juſſi, vinciebant, aut verberabant *b*. Publici namque ſervi vel a Provinciis, unde adducti, appellabantur, ut Brutiani, Cyprii, vel a Ducibus, qui vicerant, qui ve adduxerant, ut Corneliani, Portiani, & his ſimiles. Quod ſi tandem aliquando munera lictorum quæramus; hæc tria eſſe Lipſius teſtatur; ſubmotionem, animadverſionem, præitionem. Addamus, ſi lubet, quartum, nempe prehenſionem; niſi mavis, animadverſionem continere prehenſionem quoque. Et ſane præter faſces, atque ſecures, quæ Magiſtratuum erant inſignia, lictores habuiſſe etiam funes, patet ex Tullio pro Rabirio. *Lictor, colliga manus*. Idemque in Catilinaria 4. *Cum filium ejus Impuberem ligatum a Prætore maſum in carcerem necandum eſſe dixit*: Et Seneca *c*: *Eadem catena univerſos circumdedit, alligatique ſunt etiam, qui alligaverunt*. Sed de hoc infra, ubi de modo adducendorum reorum uberius dicemus. Illud ſolummodo addendum puto, lictores unum habuiſſe, qui cæteri aliquo modo præerat, & Proximus lictor appellabatur, ſive quod carior, quam reliqui, Magiſtratui eſſet, eique ſemper præſto occurreret, ſive quod inter reliquos ſui ordinis primus appareret: unde primus lictor a Tullio ad Q. Fratrem dictus eſt: niſi ſi quis proximum primo adjunctum putet, & quaſi ſecundum: quod non placet Turnebo *d*. His tamen omnibus officit factum a Fl. Joſepho proditum de Tiberio, qui cum Macroni imperaſſet, ut injiceret Agrippæ vincula, is a prætorianis, ita ut

a l. o i[illegible] juriſdictioni ff. de juriſdict.
b Gell. lib. 10. cap. 3.
c lib. 1. de tranquil. c. 10
d lib. 11. Adverſ. cap. 9.

A erat purpuratus, in vincula tractus eſt *a*. Solvimus tamen expeditiſſime: ut enim ſtante Romana Republica per Triumviros, Urbiſve Præfectos vincula, & pœnæ per lictores ingerebantur, niſi forte in caſtris per milites, ac Centuriones; ita poſtquam Reipublicæ ſumma ceſſit unius imperio, atque libidini, qui Princeps, & Imperator diceretur, omniumque Magiſtratuum munia uſurparet, non jam Triumvirorum, lictorumve opera, & miniſterio, ſed plerumque per centuriones, tribunos, milites vincula, & ſupplitia B inferre ſolitus fuit, quia ſpeciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis converſus, ut Taciti verbis utar *b*. Unum pro cunctis, quod a Pilati militibus Servatorem noſtrum vinctum, & Cruci ſuffixum omnes Evangeliſtæ ſignificant.

CAP. XXIV.

Quibus modis reus ad Carceres cogi poſſet.

SI reus præſens ſit, & omnino de admiſſo crimine appareat, nec non ſi C conſtet judici, ubi ille lateat delinquens, per lictores eum eſſe apprehendendum, luce meridiana clarius eſt. *c* Neque intereſt, utrum in publico deprehendatur, an domi ſuæ: nam quod quidam exiſtimarunt, non licuiſſe olim domo extrahere reum, id falſum eſt: regula enim, quæ id vetat, ad cauſas civiles, non ad crimina pertinet *d*. Dummodo loco ſacro non protegatur, ut ex jure Aſylorum proditum eſt, quod De remediis vitandi Carceris in Secunda parte oſtendemus. Præſen- D tem vero cum dico, non eum intelligo, qui coram ſit, ſed qui ſub eo Judice ſit, apud quem criminale judicium inſtitutum fuerit *e*. Ut autem apprehendere reum nihil aliud erat, quam exhibere; ita nemo exhibere reum poterat, niſi juſſus preceſſiſſet illius, qui jus quærendi de crimine haberet; aut niſi perſona fuiſſet, cui id muneris demandatum, ut rei apprehenderentur, de quibus diximus Capite proximo. Excipiuntur tamen duo caſus. Alter eſt, ſi tua intereſt; veluti ſi furem exhibeas, vel debitorem fugitivum, vel adul- E terum: quod ideo placuit, quia in mora periculum eſt *f*. Secundus caſus eſt, ubi lex ipſa id permittit, puta in latronibus, & graſſatoribus nocturnis, deſertoribus militiæ, falſariis, aut in fragranti crimine deprehenſis *g*. Quod ſi reus præſens non ſit, tunc duos caſus diſtinguendos eſſe arbitror: Primum, ſi non conſtet, quo loci degat, ac latitet; quo caſu edictali in jus vocatione opus eſt, quam Citationem noſtrates appellant. Eſt autem ea nihil aliud, niſi edictum Magiſtratus, quo reus F vocatur, ut, die dicta, compareat, & ſe a crimine, quo impetitur, purget. In mitioribus delictis domum mitti ſolet per viatores, apparitores, executoreſque, & Citatio ad informandum, vel excuſationes proponendas vulgo dicitur: In gravioribus criminibus vero e publico loco per Tibicinem fieri ſolet, & *Proclama* vernaculo ſermone nuncupatur; quaſi Proclamatio: eſt enim a verbo proclamo, quod eſt palam, & valde clamo, ut apud

a lib. 18. c. 8.
b Annal. [illegible] in fine.
c l. 2. & 3. Cod. De ex[illegible]
d l. plerique 18 ff. de In jus vocando. l. nemo 103. ff. de Reg. Juris.
e l. ult. Cod. De præſcri[illegible] temp. Con[illegible] lib. 3. cap. 14. n. 9.
f l. 56. §. [illegible] ff. de furtis. l. 10. §. 16. ff. quæ in [illegible] Jul.
g l. 12. Cod. [illegible] l. Cod. De falſa moneta [illegible] Gail. lib. [illegible] Obſerv. 54. n. 3.

palam, & valde clamo, ut apud Grammaticos usitatissimum est *a*. Porro citatio istæc legitimis edictis fieri per trinundinum solebat, ut, si reus compareret, lege interrogaretur; sin minus, bona ejus annotarentur, & obsignarentur; quæ, si reversus fuisset intra annum, seque purgasset, recipiebat: sin minus, post annum in fiscum cogebantur, neque recuperabantur, etiamsi innocentiam probare posset; quod tamen hodie apud nos receptum non est. Annus vero exinde computabatur, ex quo annotatio vel edicto, vel alio simili modo innotuisset *b*. Ut autem hæc annotatio bonorum, sive obsignatio ab aula recessit; ita in ejus locum annotatio personæ relata est, quam Forenses Veneti *Signaturam Banni* appellant, sed veteribus non ignotam. Nam Suetonius in Caligula; *Cum ad saginam ferarum muneri præparatarum*, inquit, *carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos annotavit: & custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, a calvo ad calvum duci imperavit c*. Neque tamen obsignatio ista bonorum incivilis videri potest. Nam & in pecuniariis causis, si reus die dicta in jus non venisset, actor mittebatur in possessionem bonorum ejus, quæ Ex primo Decreto appellatur in Scholis: scilicet ut contumacia absentis excutiatur amissione rei suæ: cujus tamen non prius incipit per longum tempus dominium capere is, qui ex hac causa in possessionem missus est, quam ex Secundo Decreto a Prætore Dominus constituatur *d*. Verum ne ab eo, quod propositum est, longe aberret Oratio, secundum casum expendamus. Est autem, cum Judex absentem quidem reum certo loco habitare scit, alterius tamen Provinciæ: quo casu scribet Judex ad Præsidem ejus provinciæ, ut reum cum prosecutione idonea ad se remittat, quod requirere reum interpretor *e*. Quemadmodum contra illud a quibusdam observari solet, ut, cum cognoverint, & constituerint, remittant illum cum Elogio ad eum, qui Provinciæ præest, unde is homo est *f*. Itaque cum reus absens sive requisitus sit, sive non, soleat cum prosecutione idonea remitti, non requisitus autem cum prosecutione, & elogio; operæ pretium facturum me puto, si de prosecutione, & elogio aliqua non inutilia proponam. Jam vero a Persecutione, vel Prosecutione (neque puto laborandum esse, num prosecutio legendum sit potius, quam persecutio) Prosecutores dictos esse nemo non videt, quos vernaculo idiomate *Guardias* appellamus, quive publico nomine, ac mandato prosequebantur ea, quæ terra marique transmittebantur de loco ad locum *g*. Unde Cassiodorus de Prosecutoribus frumenti mentionem faciens ait, eorum periculo non esse imputandum, si illud vi tempestatis perierit; inquit enim: *Propositum nostræ pietatis est injuste periclitantium sublevare fortunas: Quia quod aliena vi constat impositum, trahere non possumus ad delictum. Iniquum est enim, ut hominis vitio deputetur, quod ejus voluntate non regitur; & illud imputetur periclitanti, unde raro datur evadere. At-*

a Jodo Damhud. Prax. cap. 13.
b l. 1. 3. 4. 5. ff. de requir. reis.
c cap. 27.
d l. si finita 15. § Julianus ff. De D. I.
e l. solent, 7. ff. de custodia reorum.
f l. non dubium 11 ff. 3. ff. eodem.
g Gothfred. ad Rub. C. Theod. De annona, &c.

A *que ideo sublimitas tua Prosecutores frumentorum, qui de Sicilia fuerant ad Gallias destinati, lacrymabili nos aditione pulsasse cognoscat, dum susceptum onus promovissent in pelagus, adversis flatibus fuisse susceptum: ubi fatiscente compage trabium, omnia vis undarum absorbuit: nec quicquam miseris de aquarum nimietate, nisi solas lacrimas restitisse. Unde illustris sublimitas tua, præsenti auctoritate commonita, modiationem tritici, quam sub hac sorte periisse probaverint, supradictis Prosecutoribus sine aliqua* B *faciat cunctatione reputari. Crudelitatis enim genus est ultra naufragium velle desævire: & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania pericula cessisse a*. Porro si ad res publicas deducendas prosecutores isti adhibebantur, hi vel ex Curialium numero, vel ex Palatinis deligebantur, quorum personale munus erat *b*. Si vero ad reos criminum transmittendos milites a Præside, vel a Proconsule forte fortuna vocabantur, hi proprie, & apposite milites dicti erant, ut Gotho- C fredus notat *c*: quibus omnibus eleganter respondet Symmachus in Epistolis *d*. Elogium vero secundum Hotomanum, erat testificatio de certo homine, ut de inquisitione criminum alicujus rei, quæ ad Magistratum, cujus de ea re notio est, mitti solet; quod Brissonius Informationem appellat: unde Tertullianus in Apologetico; *Vestros enim jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis, tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur e*. Et ad Scapulam. *Prudens etiam* D *missum ad se Christianum cum elogio, negans, sine accusatore se auditurum secundum mandatum &c.* Amabo, secundum quod mandatum? mehercule secundum illud, quod ab Imperatore dabatur Præsidibus, cum provincias sibi demandatas susciperent; de quibus loquitur Martianus de Judiciis publicis, cujus non possum non referre integrum responsum: etenim mirum in modum cum textu Tertulliani convenit, ubi ait: *Divus Hadrianus Julio secundo ita rescripsit, & alias re-* E *scriptum est, non esse utique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos ad Præsidem remiserunt. Idem & de Irenarchis præceptum est: quia non omnes ex bona fide elogia conscribere compertum est. Sed & caput mandatorum extat, quod Divus Pius, cum Provinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit; ut Irenarchæ, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis, & receptatoribus; & interrogationes literis inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum eo elogio mittuntur, ex integro au-* F *diendi sunt, etiamsi per literas missi fuerint, vel etiam per Irenarchas perducti. Sic & Divus Pius, & alii Principes rescripserunt, ut etiam de iis qui requirendi annotati sunt, non quasi pro damnatis, sed quasi re integra, quæratur, si quis erit qui eos arguat. Et ideo cum quis examinationem negotii faceret, juberi oportet venire Irenarcham; & quod scripserit exequi. Et si diligenter, ac fideliter hoc fecerit, collaudandum eum. Si vero parum prudenter, non exquisitis argu-*

a lib. 4. Var. Epist. 7.
b l. ult. § 3. ff. de muneribus, &c. l. 48. Cod. De cursu pub. l. 2. C. Theod. De Judæi. l. 161. Cod. Theod. de Decu.
c in l. 7. C. Just. De Defens. civit.
d lib. 10 Epist. 49.
e cap. 44.

mentis, simpliciter denotare, Irenarchas minus retulisse. Sed si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit, vindicet in exemplum, ne quid & aliud postea tale facere moliatur a. De iisdem Elogiis loquitur Suetonius loco supra allegato. Elogium itaque est criminis comperti asseveratio, & quasi damnatio rei: unde per translationem exhæredatio filiorum a Parentibus facta Elogium non uno loco appellatur *b*. Ita de D. Paulo Apostolo Actuum Apostolorum 23. legitur, ad Felicem Præsidem cum Elogio missum fuisse ab Anania Principe Sacerdotum. Quidquid sit, illud certissimum est, in criminalibus causis numquam a captura reorum causam esse inchoandam *c*. Constare igitur prius debet de delicto, & ex indiciis de delinquente etiam. Si tamen reus sit de fuga suspectus, constet oportet, saltem summarie, de hac fugæ suspicione, & postea detineatur; quod decretum a nonnullis appellatur *Caute ducatur*: a quo tamen abhorrere se per litteras ad me scripsit Joannes Guidozzi inter hujusce Serenissimi Dominii Assessores eruditione, ac legali prudentia celebratissimus Vir; eo sane omine infausto, quod his vocibus usus fuerit Proditor pessimus: *Tenete eum, & ducite caute*. Jam autem ligati, secundum ea, quæ diximus Capite superiori, in carcerem deducebantur rei. Apud nos tamen qui rei ex Decemvirali Decreto in vincula conjiciebantur, obducto capiti pallio trahebantur: res quidem veteribus non ignorata: quandoquidem de Tito Sabino Majestatis reo Tacitus ait *d*; *Trahebatur damnatus, quantum obducta veste, & adstrictis faucibus niti poterat, &c.*

a l. Divus 6. ff. de custod. reor.

b l. 1. § idem 9. ff. de Carb. Edicto l. 37. §. Sæjam ff. de legat. 3. l. 4. C. Theod. de leg. t. hæred. l. 18. C. de Judæis.

c l. nullius Cod. de exhib. reis.

d Annal. 4.

CAP. ULT.

Quibus remediis tædia subeundi Carceris vitarentur; quorum occasione plura de Origine Asylorum.

Non me latet, receptissimum esse in jure nostro, jusdicentis potestatem tum in civilibus, tum etiam in criminalibus causis in invitos quoque referri: quod tamen intelligendum esse, nisi a lege sit definita exceptio aliqua, qua impune ab obedientia judici debita declinetur, certo certius est. Hinc verum utique est, reum criminis vel invitum posse ad carceres rapi, nisi tamen loci religione ab juris executione immunis sit, & exemptus, quod jus Asylorum ab Interpretibus dictum est. Primum, qui Asylum olim aperuerit, Cadmum Thebarum Conditorem extitisse, fide historica proditum est *e*; ad quod quisquis confugisset sive liber, sive servus sine ullo discrimine tutus erat. Quicquid tamen ille senserit, certissimum est ex Sacris litteris, ante Cadmum fuisse Asylorum jus institutum, cum sex Urbes Moyses in præsidium, & tutelam fugitivorum, qui nolentes sanguinem alterius fudissent, Divina præceptione designaverit *f*. Id vero ipsam Thebarum originem aliquot annis utique præcessit, cum Cadmus primis Judicum Hebræorum temporibus floruerit, qui nempe Moysem illius legis auctorem subsequuti sunt *a*. Non desunt tamen, qui cum Herodoto lib. 2. a Prognatis Herculis aliquanto post Asylum primo institutum asserant; idque innuit Servius 2. Æneidos ad illud Virgilii;

e Alex. ab Alex. lib. 3. Genial. dier. cap. 29. ubi Tiraquellus.

f Num. cap. 35.

a Dionys. Petav. part. 1. c. 9.

Et jam porticibus vacuis Junonis Asylo.

Et ante illum Statius lib. 7.

Fama est, defensos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundasse nepotes.

Quod templum Misericordiæ dicatum fuisse, Samuel Petitus posteritati mandavit *b*. Certe post hoc in Rhetæo litore fuit Asylum Ajacis, de quo idem Servius in 6. Æneid.

b In legibus Atticis lib. 1. Tit. 1.

Hunc egomet tumulum Rhetæo in litore inanem
Constitui.

Et in Sygæo Asylum Achillis, teste Strabone lib. 3. Quorum exemplo Romulus, & alii Asylum aperuere, quo accedentes impunitate gauderent. Neque minus certum est, subsequentibus a Romulo temporibus, ubique fere gentium Asylorum jus invaluisse; quod tamen non ubique locorum, nec temere, sed in ipsis potissimum Deorum aris constituere: idque primo a Molossis, & Samothracibus factum fuisse, testis Plutarchus in vita Themistoclis, & Pauli Æmilii; ac Diodorus Siculus lib. 11. & sequenti; quo fortasse respexit Juvenalis, ubi pro sanctissimis, inviolatisque aris, aras Samothracum posuit.

..... jures licet & Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Diis ignoscentibus ipsis.

Cum vero apud Græcos percrebuisset licentia, atque impunitas Asyla statuendi, intra quæ non pessima tantum servitia, sed obærati etiam adversus creditores, suspectique capitalium criminum recipiebantur; neque ullum satis validum imperium esset coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut cæremonias Deorum, protegentis, hinc ipsorum pleraque a Tiberio sublata; iis solum relictis, quæ aut majore religionis specie, aut certioribus niterentur initiis; qua de re prolixe Tacitus annalium 3. Fecit hoc idem paulo ante & Augustus de Ephesini templi Asylo, quod ad stadium usque ab Alexandro productum fuerat; ne scilicet (ait Strabo l. 14.) proposita impunitatis spes facinoribus causam daret. Hinc ad statuas confugere, vel ad imagines Principum in injuriam alterius fuisse prohibitum, Callistratus Jur. Consult. testatur *c*. Cum enim leges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuant, merito visum est, injuria potius alterius, quam suæ defensionis gratia ad statuas, vel imagines Principum confugi; nisi si quis in vinculis, vel custodia detentus a potentiori-

c l. capitalium 28. §. ad statuas 7. ff. de pœnis.

busad hujusmodi præsidium confugerit; his enim venia tribuenda est. Ne autem ad statuas, vel imagines quis confugiat, Senatus censuit; eumque, qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica coercendum Divus Pius rescripsit *a*. Verumtamen antequam hæc Senatus consulta, & Constitutiones Principum ederentur, certissimum est, statuas, & imagines Cæsarum jus Asyli habuisse, & in militaribus signis, ut præsentia numina coli consuevisse; arasque etiam in Castris erectas illis fuisse *a*. In Urbe vero tantæ religioni, ac venerationi habitas æque constat, non modo ut extrahere, rapere, violare eos, qui ad eas confugissent, easve prætulissent, sed ne conflare quidem eas, ac vendere sine capitis periculo liceret. Hos enim in majestatis crimen, judiciumque vocari voluere, si Principum statuas, & imagines consecratas vendidissent *c*. Quod si consecratæ non fuissent, citra piaculum vendebantur: etenim non videri contra Majestatem fieri ob imagines Cæsaris nondum consecratas venditas, Severus, & Antoninus rescripsere *d*. Sed & illud temperamentum additum est, ut, quamquam specialiter, & per se vænire statuæ Principum non possent, domus tamen, vel horti, vel prædii venditioni accedere sine discrimine possent *e*. Quod tamen dubitatione primum non caruit. Enimvero Falanio Equiti Romano objectum ab accusatore Cornelius Tacitus lib. 1. narrat, quod, venditis hortis, statuam Augusti simul mancipasset; quamquam is Tiberii rescripto periculum aufugerit, quo non ideo contram religione fieri Consulibus rescripsit, quod effigies Augusti, ut alia Numinis simulacra venditionibus hortorum, vel domuum accederent. Iisdem quoque temporibus L. Ennium Equitem Majestatis postulatum, idem Auctor lib. 3. refert, quod effigiem Principis ad promiscuum usum argenti vertisset; quem tamen inter reos recipi, Attejo Capitone Jurisconsulto contra sentiente, Tiberius vetuit. Plane eo imperante, in judicium adductum quemdam, Majestatisque accusatum Suetonius cap. 58. Tiberii prodidit, quod Statuæ Augusti caput dempsisset, ut alterius imponeret; damnatoque eo, hoc genus calumniæ paulatim eo processisse, ut hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum servum cæcidisse, vestem mutasse, nummo vel anulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanari intulisse. Unde Seneca lib. 3. de Beneficiis narrat, Tiberio imperante, Prætorium quendam virum in anulo insculptam Cæsaris imaginem habentem, cum matellam sumpsisset, Majestatis postulatum, quod imaginem obscænis admovisset. Ut autem, tamquam e diverticulo in semitam redeamus, Regum quoque statuis jus Asylorum fuisse concessum, probat insignis locus Livii nostri lib. 23. ubi refert, Decimum Magium, Cyrenas tempestate delatum, securitatis gratia ad Ptolomæi Regis statuam confugisse. Sed & Heroum quorundam simulacris jus idem apud Athenienses præstitum, ex Plutarcho didicimus in vita Thesei; quemadmodum apud Romanos Militaribus signis: unde Munatius Plancus, quo seditiosorum militum se furori subtraheret, militaria signa complexus est. Tacitus annalium I. Et de alio Ammianus Marcellinus prope finem lib. 25. Quando vero apud Romanos id moris inductum fuerit, ut Cæsarum statuæ Asylum præberent, nemo, quod sciam, hactenus definivit. Ejus tamen rei origo satis deprehendi potest ex Dione Cassio lib. 47. ubi narrat, a Triumviris templum Julio Cæsari extructum, cujus ad statuam ibi cunctis perfugium esset. Ante enim in libera Republica, præter unum Asylum Romuli, ut placuit ibidem Dioni, vel etiam Dianæ Aventinæ, ut Halicarnasseo l. 4. nullum aliud Asylum fuisse constat. Hæc inter Ethnicos communi fere omnium gentium consensu servata ad Christianos etiam fuere postmodum traducta, ingenio tamen potius, quam ullius legis sanctione. Nam cum Constantinus Magnus Christianam religionem amplexus sit anno Christi 310. (7) nulla tamen exinde lex reperitur, quæ de Ecclesiarum immunitate quicquam præceperit ante annum 414. quo Honorius, & Theodosius generaliter statuere, nemini licere confugientes ad Ecclesias Sacrosanctas abducere; ea conditione, ut, si quis contra hanc legem venire tentasset, sciret, se Majestatis crimine esse retinendum *a*. Porro ultima, quæ in corpus juris relata est constitutio, Justinianum Cæsarem auctorem habet, anno 536. qua adulteris, homicidis, aliisque id genus delinquentibus jus Asylorum denegatur *b*: ex quo textu notabile est, jus Asylorum fuisse primo in oppressorum subsidium introductum, licet postea ad reos etiam tractum, deductumque fuerit: non enim, ut ibidem ait Justinianus, possibile est utrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem, & læsum. Hæc Asylorum immunitas, licet apud Ecclesias haberetur per quingentos, ac triginta sex fere annos, non nisi Cæsarum rescriptis promota, nulla Ecclesiastica sanctione per totum illud tempus subnixa fuit, qua ad universas imperii Provincias extenderetur. Nam licet Ilerdense Concilium anno 507. canonem protulerit adversus clericos, qui servos, sive

a l. Senatus consulto 38. ff. de injuriis.

b Tacit. lib. 14. Veget. l. 2. c. 5. 6.

c l. qui statuas ff ad l. Jul. Majest.

d l. non contrahit in f. ff. eod. tit.

e l. in modicis ff. de cont. Empt.

a l. 2. Cod. de iis qui ad Eccles.

b Auth. de Mand Princi. cap. 11.

(7) Ait noster Auctor, nullam Cæsaream extitisse legem ante annum Æræ Christianæ CDXIV. quo Honorius, & Theodosius Junior imperabant, quæ Templis Christianorum sacri jus Asyli tribueret. Veruntamen Baronius adeatur sub annis CCC. LXXXXVIII. & CCC. LXXXXIX. patebitque legenti, vetustius fuisse in Ecclesia Sacri jus Asyli, si Cæsarum legibus aperte non constitutum, eorum tamen introductum pietate, tum diuturna consuetudine confirmatum. Nam si Arcadius Imperator Eutropii, Ethnici, impiique hominis impulsu legem tulit, qua jus sacri Asyli Christianorum Templis, atque Altaribus negavit, non diu lex obtinuit; obsolevit enim proximo anno, tum scilicet, cum idem Eutropius, ut immutati in se Cæsaris indignationem effugeret, ad Templum, violatasque ante ab se aras, tutelæ suæ caussa, se contulit, qui patrocinio, & auctoritate Sanctissimi Viri, ac Patriarchæ Joannis Chrisostomi defensus, abrogatam eam legem, redditosque Templis, atque Aris Christianorum honores vidit, maximoque cum beneficio in se collato conjunctos expertus est. (*Diar. Litt. Ital. Tom.* XVIII. *pag.* 100.

discipulos ab Ecclesia extraxissent: illud sane Concilium Ilerdæ, quæ est Urbs Taraconensis Hispaniæ, celebratum est, postquam illæ Provinciæ a Romano Imperio se subduxerunt: deinde nulla adversus laicos innovatione facta, clericos tantum Ecclesiasticæ auctoritatis censura coercuit *a*. Verum quinque post annos in Concilio Aureliensi, quo tempore ipsæ quoque Galliæ sui juris evaserant, statutum est, ut ab Ecclesiæ atriis, & domo Episcopi reos extrahere nullo modo liceat *b*. Certum igitur est, idque manifeste ostendit Historia usque ad annum 850. Ecclesiarum immunitatem tum laicorum, tum Ecclesiasticorum Principum consensu fuisse promotam, & per varia tempora diversimode fuisse servatam. Ut vero a synodicis constitutionibus ad Pontificum sanctiones progrediar, habemus Circularem, ut vocant, Epistolam Nicolai primi, qui circa annum Domini 858. scripsit Episcopis, qualiter Ecclesiarum immunitas servanda sit *a*. Sequitur Gelasius II. anno 1118. qui plura circa idem Asylorum jus cavit, atque constituit *b*. Post prædictos cannones ante annum 1200. emissos prodiere plures subsequentes summorum Pontificum Constitutiones, seu Decretales Epistolæ; veluti Innocentii Tertii, Gregorii Noni, & Joannis 22. ut videre est in libris Decretalium sub Rubrica de Immunitate Ecclesiarum *c*; quibus omnibus partim statuta ab Antecessoribus firmantur, partim vero excipiuntur delicta atrociora. Ad extremum promulgavit Gregorius 14. Bullam anno 1591. die 17. Junii, quæ totam Asylorum Sacrorum materiam exacte adeo complectitur, ut jam ad priores Canones respiciendum amplius minime videatur. Se de his alibi.

a c. 19. nullus 17. q. 4.
b c. id constituimus ead. q & c.

a c. sicut antiquitus 17. q. 4.
b c. frater. c. ad [illegible] c. [illegible] c. [illegible] ead.
c c. inter alia 6. c. penult. & ult.

FINIS.



CHRISTIANI SCHOETTGENII
HISTORIA LIBRARIORUM,
ET
BIBLIOPOLARUM
VETERIS ET MEDII ÆVI,
EX IDONEIS MONUMENTIS
COLLECTA.

PRÆFATIO.

LECTOR BENEVOLE.



Ndecim effluxere jam anni, ex quo in Academia Lipſienſi Diſſertationem de Librariis, & Bibliopolis Antiquorum publice defendi. Quæ præter omnem ſpem & exſpectationem eruditiſſimis & clariſſimis viris ita ſe probavit, ut illius publicis in ſcriptis mentionem facere haud dubitaverint. * Nonnulla quidem obgannire non nemo tentavit, ** cujus nomen hic referre judico indignum, qui arbitratur, antiquos neque Bibliopolas, neque Librarios habuiſſe. Scriptum vero illius, tum temporis promiſſum, nondum, quod ei quidem gratulor, lucem vidit. Et bene illum rebus ſuis conſulturum eſſe exiſtimo, illum ſi nunquam in lucem prodire juſſerit. Omnes, a me excitati Auctores, neque de me, neque de Diſſertatione mea aliquid reſciſcere potuerunt: hanc ergo refutaturus oſtendat, ea non affirmare Auctores, quæ ex iis a me ſunt adducta. Nunquam, qui ſapit, hoc aggredietur, & ſi quis id aggreſſus fuerit, oleum & operam ſe eſſe perditurum ſciat. Certis ex cauſſis eam in germanicam converti jam linguam, ſed alio, ut poteſt videri, ordine. Additamenta quoque paſſim acceſſere, cum in his rebus dies diem doceat. Cætera non curabo judicia. Harum enim rerum non prorſus imperitus juſtum huic ſtatuere pretium haud ignorabit. Vale.

* JO. ALB. FABRICIUS in Bibliographia Antiquar. c. XXI. §. 7. REIMMANNUS in idea Syſtematis Antiquitatis litterariæ p. 60. HERMANNUS in Conſpectu reipublicæ litterariæ c. 3. p. 38. FALSTERUS in cogitationibus Philologicis p. 93. IOECHERUS part. 1. Analectorum de Philoſophorum potiſſimum veterum variis ſtudendi modis §. 10.

** In Novis litterariis, quæ Germanica prodeunt lingua. Lipſiæ. A. 1718. p. 547.

CHRI-

CHRISTIANI SCHOETTGENII HISTORIA LIBRARIORUM, ET BIBLIOPOLARUM.

CAPUT I.

De Librariis Veterum Hebræorum.

§. 1. Librorum mercatura sine dubio tam antiquos habet natales, quam Libri ipsi. Ex quo enim tempore libros conscribere cœperunt eruditi, illos aut sua, aut aliorum caussa descripserunt. Sua caussa veterum Scribas aut parum, aut nihil descripsisse ex eo apparet, quia artem scribendi vetustissimis temporibus paucissimi callebant. Hinc aliorum opera plurimos fuisse usos facile est conjectu. Gratis nemo, ut constat, libenter suscipit laborem. Hinc adduci non possum, ut credam, extitisse quemdam, qui Scribarum operam satis laboriosam gratuito sibi expetiisset. Illorum igitur opera aut argento, aut rebus pretiosis redimenda erat. Ex quibus facile patet, antiquissimo etiam ævo Librorum mercaturam fuisse in usu, quæ potissimum in eo consistebat, ut libri describerentur, aliisque, pretio soluto, concederentur.

§. 2. Antiquissima, de qua certi quid ex historia novimus, gens est Hebræa, aut Judæa. Inquiramus nunc, utrum mercaturæ librariæ species quædam apud eam extiterit. Ex iis, quæ jam adduximus, hoc facile colligi potest. Ostendendum adeoque est, quales præcipue libros habuerint Hebræi. Scientiæ, quas hodie excolimus, ipsis non adeo erant cognitæ; duo tantummodo librorum genera habuerunt, nimirum libros *Historicos*, in quos Majorum acta retulerunt, & *Sacros*, vel Legem, & Vatum Sacrorum Scripta. Ex antiquissimis libris Historicis duo in primis sunt cogniti: Liber bellorum Domini, & Liber Recti. Prior bella inter Israelitas, & Ammonitas ultra Jordanem adhuc gesta in se continebat, id quod ex eo apparet, quod jam ante ingressum Judæorum in Palæstinam adducitur (*a*) quem Librum postea continuasse Judæos, non est, de quo dubitemus. Posterior vero, scilicet Liber Recti Heroum, aliorumque inter Judæos illustrium virorum facta, ut arbitror, recensuit, eo forsitan modo, ut Liber Aurelii Victoris de Viris illustribus Romanorum illustrium facta describit. Et hunc continuatum fuisse colligo, quia diversis citatur temporibus. (*b*) Et si etiam hic Liber ex sententia aliorum (*c*) in tabulariis, sive ut vocant, Archiviis asservatus esset; nobis tamen conjicere licebit, & inter Judæos fuisse nonnullos harum rerum cupidos, qui illum describi curarunt. Hoc ergo negotium quidam in se suscipere debuerunt, qui istiusmodi Libros descripserunt, illosque divulgarunt.

§. 3. Alterum librorum genus spectabat ad sacra, inter quos lex agmen ducebat. Hæc quidem lex ab ipso Mose litteris consignata erat, quæ Israelitis, quamdiu locis in desertis commorati sunt, suffecisse videtur. Quamprimum vero illi adepti sunt Palæstinam, firmumque ibi posuerunt pedem, plura proculdubio illius exempla necessaria erant. Judæi tradunt, in urbe Kiriath Sepher, cujus in Libro Josuæ & Judicum fit mentio (*d*) tabularium, & communem Gentis Judaicæ Bibliothecam extitisse. Alii in hac Urbe Academiam, vel Scholam publicam Judæorum inveniunt. (*e*) Ego vero arbitror, hanc urbem antea Debir dictam ea ex causa קרית ספר urbis librorum nomine insignitam fuisse, quoniam ibidem Sopherim, vel Scribæ alebantur, qui legem describere debebant, quibus deinde ab hoc munere nomen Scripturæ periti adhæsit. Hi ergo homines pro more erant eorum Bibliopolæ. Sed studio alio pro more eorum. Quamvis enim tabernas librarias publicas non habuerint, neque nundinas frequentarint; descripserunt tamen libros, aliisque libros descriptos pecunia vendiderunt.

§. 4. Sequentibus temporibus סופרים, seu Scribæ maxime sunt noti, quibus ab eruditis nimium credulis, & fabulis Judæorum seductis prorsus alia adscribuntur munera, sed minus recte. Nonnulli enim eorum nomen a ספר numerare derivare cupiunt, quia omnes litteras legis numerassent. (*f*) Fueruntne autem Sopherim illi regii Davidis Seraja (*g*) Seja (*h*) Salomonis Elioteph, & Ahija filii Sisæ, (*i*) Hiskiæ Sebna (*k*) etiam istiusmodi homines, qui omnes edictorum regiorum litteras numerarunt? Nihilne ipsis præterea faciendum erat? & quem, quæso, in finem hæc numeratio suscepta est? Tempora hodierna ab antiquioribus probe sunt discernenda. Hodie omnes fere litteras pingere norunt, sed olim non erat sic. Scribæ iisdem temporibus subire munus eximio habebatur honori, ut testantur Scriptores profani. (*l*) Duplex itaque genus Scribarum apud Hebræos erat. Nonnulli res regum scribebant, sed de his in præsenti non est sermo. Alii vero legem, origines familiarum, populi Hebræi, necnon eruditorum libros confectos describebant, hinc accipiebant stipendia, & alimenta.

§. 5. Sopherim, seu Scribæ, ab initio ex fa-

(*a*) Num. XXI. 15.
(*b*) Josuæ x. 13. Sam. 18. Vide Dissertationem Cel. Abichtii de Libro Recti. Lips. 1714.
(*c*) Jacquelot de la verité, & de l'inspiration des liures sacrez part. 1. chap. 20. p. 205.
(*d*) Josuæ XIII. 15. 16. Jud. I. 11. 12.
(*e*) Plura dabit Christoph. Henr. Ritmeier Progr. de Kiriath Sepher, Helmp. 1711. editum.
(*f*) Chagigah fol. 15. 2.

(*g*) 2. Sam. VIII. 17.
(*h*) 2. Sam. XX. 15.
(*i*) Reg. IV. 3.
(*k*) 2. Reg. XIX. 2. Jerem. XXXV. 10. seqq.
(*l*) Festus in Scriba. Corn. Nepos XVIII. l. 5. Florus l. 10. 5. Curtius VII. 3. 4. & VIII. 11. 5. Plura Barthius advers. 50. 1. Freinshemius ad locum Flori. Lomeierus dier. genial. Dec. 1. diss. VI. p. 253.

milia Kenitarum in Tabe habitantium erant, quam Sacra Scriptura appendicis quasi loco Stirpis Kaleb adjungit. (*a*) Hinc etiam ea, quæ a nobis §.3. sunt dicta, haud exiguum accipiunt robur, quod nempe urbs Kiriath Sepher a Kaleb expugnata his Scribis, ut ibi habitarent, concessa sit. Nec est, quod objicias Kenitas, & Kehabitas perpetuo in tentoriis solummodo habitasse. Primo observes, velim, illos quoque tentoria intra muros urbium figere potuisse; (*b*) deinde hæc omnia ante tempora Jonadabi filii Rehabi acciderunt, quibus illius vallum nondum factum erat. Non abnuo, plures hujus generis Scribas etiam in aliis extitisse familiis, antiquitatis vero monumenta de iis plane silent.

§. 6. Ex his Sopherim, sive Scribis post captivitatem Babylonicam in primis celebratur Esdra, qui in lege Domini סופר מהיר Scriba velox vocabatur. (*c*) Cave, ut credas, illum solummodo Scribam fuisse. Fuit enim præterea Sacerdos, qui populo verbum Dei non solum prælegit, sed etiam explicuit. Ex his igitur adductis, & quia vocabulum סופר apud Hebræos generatim eruditum denotat (*d*) luculenter apparet, Lutherum vocem antea commemoratam Hebræam, & præcipue Græcam γραμματεὺς in Novo Fœdere occurrentem commode satis per (Schrifftgelehrten) Scripturæ S. peritum reddidisse: qui nempe homines non describebant tantum legem, sed etiam in illa optime erant versati. Nullum alium scripta melius describere posse illo, qui ea rite intelligit, qui negabit, putamus esse neminem. Judæi igitur ad legem Divinam describendam non homines vilioris conditionis, sed eruditos, & in auctoritate constitutos eligebant viros. Et huc spectant verba Christi. (*e*) Omnis Scripturæ peritus regni cœlestis res edoctus similis est homini patrifamilias, qui ex promptuario suo & recentia, & vetera depromit.

§. 7. His, & sequentibus temporibus Chaldaica, seu Rabbinica vox לבלר in usu erat, quæ Libellarium, seu librarium denotat. Deprehenditur hoc vocabulum in Sacris paginis de Scribis in aula Persarum usurpatum, qui regia edicta ad Judæos pertinentia scribebant. (*f*) Apud Judæos adhibetur de iis, qui repudii libellos litteris consignabant. (*g*) Huc sesquipedalia verba Rabbi Elieseris referenda sunt qui de se ipso ita scribit. (*h*) Si omnia maria atramentum omnesque calami pennæ, si cœlum, & terra libri, omnes homines לבלרים, Scribæ essent, insignem tamen meam, quam ex lege hausi scientiam verbis, & litteris exprimere haud valerent. Quæ Thrasonica, & hyperbolica locutio etiam in Thalmude de permagnis Israelitarum miseriis occurrit. (*i*) Hi Laslarim quoque inter præcipuos locum occupant. Referuntur enim, ut assessores Synedrii inter Medicos, Chirurgos, & Professores. (*k*)

§. 8. Ex his Laslarim Judæorum celebratur quidam nomine הלבלר נחום Nahum Scriba. Mentio illius injicitur in Thalmude. (*l*) Narratur ibidem, illum fuisse discipulum R. Measæ, assedisse Synedrio Hierosolymitano, & ad dubias sibi propositas quæstiones respondisse. (*m*) Ex quibus discimus, non multum post Hillel, & Sihammai, & brevi tempore ante nativitatem Christi illum vixisse. (*)

§. 9. Hæc tantum de Librorum mercatura vel quasi apud veteres Hebræos scimus. Probatum dedimus semper apud illos extitisse nonnullos, & plerumque magni nominis viros, qui libros descripserunt, & aliis postea pecunia vendiderunt, vel ex publico ærario propter hoc munus sustentati sunt.

§. 10. De conditione librorum paucissima adhuc supersunt dicenda. Hebræorum veteres plerunque inscripserunt membranis Pergamenis, quas deinde convolvebant, quam consuetudinem & alii habebant populi. Exactissime autem hi libri legis erant describendi, ut & hodie videmus. Hujus rei luculentum invenies testimonium apud Vuallichium, qui de Codice olim 6 D. Mayeri, nunc vero in Bibliotheca Paullina Lipsiensi obvio ita pronunciat: (**) Adversus מקרה, Orientem invenies „ ארון הקודש, arcam sanctam, in qua ספר תורה, Liber legis asservatur. Quinq; libri Mosis accuratissime sunt descripti a סופר, quodam scriba, &c, si etiam diligentissime inquisiveris, ne punctum, aut litteram, multo minus verbum in illis deesse deprehendes. Lubens profiteor, me, qui olim apud Judæos סופר, Scriba fueram, hunc Codicem vix tertio mirari potuisse, quod Judæi rem tam sacram cuidam גוי (Goi) permiserint, quum אסור (Asur) Judæis prohibuerit nudis hanc legem attingere manibus. Præterea Judæi religioni sibi ducunt סת פסילה Sepher Tharah Pesilla Thora haud idoneum Karaito vendere. Inter rarissima rerum Judaicarum monumenta Bibliothecæ hominis Christiani privati hunc codicem omnino referendum esse censeo, quum inter ipsos Judæos ad describendum solummodo Thorah sine membrana pergamena plusquam 100. requirantur imperiales. „

CAP. II.

De Librariis, & Bibliopolis Veterum Græcorum.

§. 1 GRæcorum monumenta parum hac de re nos instruere constat: in scriptis, tamen eorum deprehendimus, βιβλιογράφυς, vel etiam βιβλιαγράφυς (*n*) fuisse librarios, vel

(*a*) 1. Chron. 11. 55.
(*b*) id, quod ex l. c. Chron. & 1. Sam. xxx. 29. probat Andr. Murray diss. de Kinæis Ienæ 1711. habita §. 11.
(*c*) Esdræ vII. 6.
(*d*) Vide Progr. Christoph. Ludovici de סופרים Jubilæo Academiæ Lipsiensis 1709. conscriptum.
(*e*) Matth. xIII. 52.
(*f*) Esther III. 12. & vIII. 9. וקריאו סופרי המלך Et vocati sunt Scribæ regii.
(*g*) Gittin fol. 9. 1.
(*h*) Schir hascirim rabba fol. 6. 2. Editio Francof. Viadr.
(*i*) Schabbath fol. 11. 1.
(*k*) Sanhedrin fol. 17. 2.
(*l*) Massecheth Peah fol. 4. 1.
(*m*) Et quidem in לשכת הגזית, de quo vide Auctores de Synedrio Hebr.
(*) Fuchasin fol. 20. 1. Relandus in Notis ad Othonis Historiam Doctorum Mischnicorum p. 91.
(**) Vualichs Mayerifichæ Synagogæ, hoc est Synagoga Mayeriana §. 8. p. 6. 7. cujus verba Germanica in Latinum convertimus sermonem.

(*n*) Vox hæc inter Atticistas controversa est, quum alii eam pro Attica habeant, alii vero condemnent. Glossæ Gregorii, citante Lederlino ad Pollucem 7. 33. n. 211. βιβλιογράφοι, qui describendis libris operam locabant, librarii, libelliones. Thomas Magister, βιβλιογράφος ὀ βιβλιογράφος. Λιβάνιος ἐν τῷ περὶ τῆς ἑαυτȣ͂ τύχης. Τρέπε μὲν ἐπὶ τȣ͂το τῶν βιβλιογράφων δέκα. Locus extat apud Libanium tom. II. pag. 39. Edit. Morelli, qui hanc vocem etiam ita scribit p. vI. 51. Contra Phrynichus Eccl. Attic. pag. 14. βιβλιαγράφος ȣ͂τω λέγȣσιν ἐν πέντε συλλαβαῖς, καὶ διὰ τȣ͂ α, ἀλλ' ȣ͂ τετρασυλλάβως διὰ τȣ͂ ο. Ad quem Nunnesius p. 13. hanc scriptionem defendit, & Pollucem quoque citat, qui testatur, vocem βιβλιαγράφος extare apud Antiphanem in Sappho. Verum locus ille in mendo cubat, quod apertum est, & varie ab eruditis est tentatus. Verba Pollucis sunt βιβλιογράφον δὲ παρὰ κρατίνω ἐν χείροσι. βιβλιογράφος δὲ παρὰ Αντιφάνει ἐν Σαπφοῖ. Salmasius, teste Kichnio pro ultimo βιβλιογράφος substituit βιβλιοῤῥάφος; Nunnesius vero, ut jam dictum est βιβλιογράφος. Si adhuc extaret Antiphanes, non diu dubitandum nobis esset, quænam ibi vox sit legenda. Nec tamen is ego sum, qui loco huic Pollucis mendam me adhibere pos-

librorum ſcribas, qui etiam ἀντιγράφοι, qui deſcribebant (*a*) & καλλιγράφοι, qui litteras pingebant, (*b*) appellabantur. Inveniuntur etiam in illorum ſcriptis vocabula βιβλιώπολης (*c*) βιβλιοκάπηλος (*d*) & κάπηλος τῶ βιβλίων, (*e*) hoc eſt, Bibliopolæ, qui venditione librorum lucrum quærunt.

§. 2. Hi Bibliopolæ igitur alebant ſcribas, qui varios deſcribebant libros (*f*) eruditis vendendi cauſa. Publica illos habuiſſe Bibliopolia extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. (*g*) Et Diogenes Laertius expreſſis narrat verbis (*h*) Zenonem Philoſophum, poſtquam naufragium fecerat, iterumque ad terram appulerat, Athenis ſediſſe juxta Librarium in Bibliopolio, & hac data occaſione Crateti innotuiſſe, Bibliopolam vero eruditis ἀπομνημονεύματα Xenophontis prælegiſſe. Ex quibus ſimul illorum temporum mos apparet, qua ratione eruditi de libro judicium ferre potuerant, cujus ſæpe unicum exemplum in urbe erat. Convenerunt ſcilicet eruditi in tabernis publicis Bibliopolarum, ubi ipſis liber prælegebatur.

§. 3. Quamquam ſæpius libri ab imperitis ſcribis multis erroribus maculati erant; tamen Bibliopolæ merces ſuas laudabant, hinc etiam inemendatos libros nonnunquam pro emendatiſſimis rudi lectori vendebant (*i*). Nonnulli eorum non tam multum in ſcientiis intellexiſſe videntur, quibus hoc exprobravit Lucianus. (*k*) Pretia librorum quod attinet, nonnunquam illa ſatis immoderata erant. Ad deſcribendum non ſolum multi requirebantur ſumptus, ſed exempla librorum fuerunt etiam rara. Sic Plato tres libros Pythagoricos pro centum minis ſibi comparavit. (*l*) Si igitur mina Attica xv. Thaleros valet, (*m*) tota ſumma erunt 1500. thaleri, quod pretium ſatis eſt grande pro tribus libris. Ariſtoteles Libros Speuſippi tribus talentis emit (*n*). Si ſtatuas, talentum Atticum valere 750. Thaleros, (*o*) erit ſumma 2250 Thalerorum. Apud Græcos tandem proverbium erat in uſu de eo, qui alterius opera contra auctoris voluntatem divulgabat, illorumque editione lucrum quærebat:

Λόγοισιν ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται,

Diſcurſuum mercaturam facit Hermodorus.

Hic Hermodorus erat auditor Platonis, & illius ſermones calamo excepit, quibus deinde in Sicilia magnam pecuniæ copiam lucratus eſt. (*p*) Et hæc ſufficiant,

ſe fatear. Sed quodvis aliud potius verbum vellem ſubſtituere, quam τὸ βιβλιαγράφος, quod ſe mihi nunquam probabit, quia compoſitio illius omni plane analogiæ contraria eſt. Sive enim ἀπὸ τῦ βιβλίυ deducas, erit βιβλιογράφος ſive ἀπὸ τῆς βίβλυ, erit βιβλογράφος, quam vocem etiam habet Phrynichus Arrabius in Apparatu Sophiſtico apud Montfauconium Bibliothecæ Coſlinianæ part. II. pag. 466. βιβλιοπώλης, καὶ βιβλοπώλης καὶ βιβλογράφος. Porro non facile apud quemquam Græcorum cujuſcunque etiam ſæculi aliter ſcriptum invenies, quam βιβλιογράφος, id, quod præter jam citata Libanii, & Cratini loca probamus etiam ex Luciano adv. indoctum, qui multos libros coemebat. Tom. 2. p. 420.

(*a*) Artemidorus 4. t. p. 198. ad filium: μεμνημένος ὅτι σοὶ προσπεφώνηται τὸ βιβλίον ὅπως ἂν αὐτὸς ἔχῃς χρῆσθαι καὶ μὴ πολλοῖς κοινωνῇς ἀντιγράφοις. Vertit Corrarius. Memineris autem, tibi inſcriptum, ac dedicatum eſſe, quo ſcilicet ipſe eo utaris, & exemplar non multis communices. Debebat ponere, *non cum multis, qui deſcribant*.

(*b*) du Freſne Gloſſar. Græc. p. 552. 553.

(*c*) Uſus eſt hac voce Ariſtomenes, qui Ariſtophani fuit æqualis. Pollux l. c. καὶ βιβλιοπώλην μὲν παρὰ Ἀριστομένει εὑρήσεις ἐν Γόησι.

(*d*) Lucianus adv. indoctum, qui multos libros coemebat Tom. II. p. 408. & 420.

(*e*) idem l. c. p. 405. Prior, & tertius locus mox redibit, quos inſeramus. Adde Suicerum Eccl. v. βιβλιοκάπηλος.

(*f*) Strabo lib. XIII. pag. 419. βιβλιοπῶλαί τινες γραφεῦσι φαύλοις χρώμενοι, καὶ ἐλ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πρᾶσιν γραφομένων βιβλίων, καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. Bibliopolæ quidam Librariis malis uſi, neque exemplaria deſcripta conferentes, quod & aliis libris accidit, qui vendendi cauſa ſcribuntur & hic (Romæ) & Alexandriæ. Alexandria Ægypti intelligitur, in qua tunc lingua Græca florebat.

(*g*) Pollux 9. 5. quem locum ita legendum cenſeo. Ἐν δὲ κοινῶν βιβλιοθῆκαι, καὶ ὡς Εὔπολίς φησιν, οὗ τὰ βιβλία ὤνια. ὃν τόπον καὶ ἁπλῶς βιβλία ἐκάλυν οἱ Ἀττικοὶ ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλυς τόπυς ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς πιπρασκομένων. Verto ita: Inter publica autem loca (de iis enim agit hoc capite Pollux) ſunt Bibliothecæ, &, ut Eupolis dicit, ubi libri ſunt venales, h. e. Bibliopolium, quem locum etiam ſimpliciter βίβλια vocant Attici, quemadmodum & reliqua loca ab iis rebus, quæ ibi venduntur. Qui hæc cum nupera editione conferet, videbit nos varia mutaſſe, idque vel ex noſtra conjectura, vel ex veſtigiis Codicum MS. quos adduxerunt doctiſſimi Commentatores. Τὸ καὶ autem reponimus pro ἢ, quod ibi legitur, nequis fortaſſe putet, locum, ubi venales ſunt libri, dictum fuiſſe Bibliothecam. Non hoc voluit Pollux; ſed dum enarrat loca publica, meminit primo Bibliothecarum, deinde Bibliopoliorum. Latinis tabernas illas libellas dictas fuiſſe notat ad Catulli Epigr. 56. Joſephus Scaliger. Verba Catulli ſunt.

Te quæſivimus in minore campo,

Te in circo, te & in omnibus tabernis.

Ita vulgo editur, ſed in MS. & antiquis editionibus legitur libellis, quod quidam ex mente Scaligeri perverſe mutarunt in labellis. Puta autem ille, libella μετωνυμικῶς pro tabernis librariis dici Attico more, qui ἐν ἰχθύσιν, ἐν λαχάνοις dicebant pro ἐν ἰχθυοπωλείοις, ἐν λαχανοπωλείοις. Probamus hanc Scaligeri conjecturam tum ex verbis Pollucis paulo ante citatis, tum ex iis, quæ apud eum ſequuntur: ὡς εἰ φαῖεν, inquit, ἀπῆλθον εἰς τὸ ὄψον καὶ εἰς τὸ οἶνον καὶ εἰς τοὔλαιον, καὶ εἰς τὰς χύτρας, καὶ κατὰ τὸν Εὔπολιν περιῆλθον εἰς τὰ κρόμμυα, καὶ τῶν λιβανωτὸν, καὶ εὐθὺ τῶν ἀρωμάτων, καὶ περὶ τὰ γέλγη. Ut, cum dicunt: abierunt in obſonium, in vinum, in oleum, in ollas. Et ſecundum Eupolim: tranſierunt in alium, & cepas, thus: Tum & aromata, & merces: Ut vertit Seberus. Quin & ſequiorum temporum ſcriptoribus hoc in uſu fuiſſe teſtatur Huguitio in Gloſſis: Unde hoc librarium locus: & libellus diminut. & libellulus diminut. Et hoc libellium.

(*h*) Lib. VII. pag. 367. Edit. Amſt. 1692. 4.

(*i*) Lucianus l. c. p. 405. Edit. Baſil. 1545. 8. μάλιστα δὲ οὐδὲ τὰ κάλλιστα ὠνῇ ἀλλὰ πιστεύεις τοῖς ὡς ἔτυχον ἐπαινοῦσι, καὶ ἕρμαιον εἶ τῶν τὰ τοιαῦτα ἐπιψευδομένων τοῖς βιβλίοις, καὶ θησαυρὸς ἕτοιμος τοῖς καπήλοις αὐτῶν. Hoc eſt: Maxime vero neque optime adeo emis, ſed credis iis, qui forte fortuna librum commendant, & deridiculus es iis, qui talia mentiuntur, promtus præterea Bibliopolarum theſaurus.

(*k*) Idem pag. 408. Τίς δὲ τοῖς ἐμπόροις, καὶ τοῖς βιβλιοκαπήλοις ἤρισεν ἂν περὶ παιδείας τοσαῦτα βιβλία ἔχουσι, καὶ πωλοῦσιν. Ἀλλ' εἴγε διελέγχειν ἐθέλοις ὄψει μηδ' ἐκείνυς πολύσυ τὰ ἐς παιδείαν ἀμείνυς, ἀλλὰ βαρβάρυς μὲν τὴν φωνὴν, ὥσπερ σὺ ἀξυνέτυς δὲ τῇ γνώσει οἵους εἰκὸς εἶναι τοὺς μηδὲν τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν καθεωρακότας. Quis autem cum Bibliopolis de eruditione certabit, qui tot libros habent, & vendunt? Sed, ſi forte mecum diſceptare velis (quare tibi hoc objiciam) videbis eos, quod ad eruditionem ſpectat, te non multo eſſe meliores, ſed barbare eos loqui, ſicut tu quoque ſoles, & nihil plane intelligere, quales illi ſunt, qui nihil boni, aut mali unquam cognoverunt.

(*l*) Diogenes Laertius lib. 3. pag. 169. λέγουσι δέ τινες ὅτι Δίωνι ἐπέστειλεν εἰς Σικελίαν ὠνήσασθαι τρία βιβλία Πυθαγορικὰ παρὰ Φιλολάυ μνῶν ἑκατόν. Dicunt vero quidam, quod Dionem in Sicilia per litteras rogaverit, ut tres Libros Pythagoricos ſibi emeret a Philolao centum minis.

(*m*) Vide Lexicon noſtrum Antiquitatis p. 783. 1183. Lingua Germanica editum Lipſ. 1719. 8.

(*n*) Diogenes Laertius Lib. IV. pag. 130. ἐν δευτέρῳ ἀπομνημονευμάτων Φαβωρῖνος φησὶν ὡς Ἀριστοτέλης αὐτοῦ τὰ βιβλία τριῶν ταλάντων ὠνήσατο. Phavorinus ſecundo memorabilium ſcribit, Ariſtotelem Libros Speuſippi tribus talentis emiſſe.

(*o*) Zenobius Proverb. Cent. V. n. 6.

(*p*) Suidas in Hermodorus.

CAP. III.

De Librariis, & Bibliopolis Veterum Romanorum.

§. 1 Apud Romanos Librorum mercaturam in usu fuisse non difficile erit probatu, quia majorem nobis suppeditant notitiam Scriptores Latini, quam Græci. Apud Romanos & nomen Librariorum Bibliopolarumque, & rem ipsam deprehendes. Librarius est, qui Libros describit, Bibliopola, qui vendit. Quamquam non negem, & has voces aliquando confundi, unumque pro altero poni, ut ex infra dicendis apparebit. Nonnunquam vocantur *Antiquarii*, quia vetera scribebant. (*a*)

§. 2. Istiusmodi Librarios plerumque viri dignitate, & eruditione apud veteres Romanos conspicui habebant, adeo, ut ante Imperatorum tempora nullæ Bibliopolarum publicæ tabernæ inveniantur. Eorum conditio plerumque erat servilis, quemadmodum Medicorum, Bibliothecariorum, Pædagogorum &c. (*b*) Ex servis autem librariis illi, qui bene se gerebant, aut dominis suis quocumque modo placebant fieri poterant liberti (*c*) in familia tamen dominorum suorum perpetuo adhuc erant, officiaque sua præstabant, sed non ut servi habebantur amplius. Inter varia autem, quæ a librariis scribenda erant principalem fere locum obtinuerunt Epistolæ (*d*) sicuti de Julio Cæsare legimus, illum aliquando quatuor, aliquando septem Librariis uno, eodemque tempore dictasse epistolas. (*e*) Quia vero librarii fere perpetuo ad manus dominorum esse debebant, inde librarii ad manum vocabantur. (*f*) Ut vero varia sunt diversorum hominum ingenia, quorum alius in hac, alius in alia arte felicius versatur, ita quoque apud Librarios fuisse constat. Unde nonnulli, qui in Græca saltem Lingua exacte scribenda excellebant, *Librarii Græci* vocabantur (*g*). Ex quibus, & ex supra citato exemplo Julii Cæsaris videmus, viros dignitate illustres apud Romanos sæpe plures habuisse librarios. Multi vero eorum admodum erant rudes, & de litteris plura, quam eas scribere, non norant. Est hæc quærela, quam omnes hodie eruditi repetunt, quotiescumque antiquos Codices inspiciunt, de Librariorum scilicet ruditate, & imperitia, aliquando cum festinatione conjuncta. (*h*)

§. 3. Mentio etiam fit mulierum, quæ Librariorum opera faciebant. Juvenalis (*i*) dum sævas perstringit mulieres, turbas in domo excitantes, inter alia refert, has & in Librarias invexisse. Et mulier in antiqua inscriptione expressis verbis vocatur Scriptrix Libraria (*k*). Quid? quod Origenes, quum magnus esset librorum helluo, semper ad manum habuit librarios una cum puellis, quæ concinne, & nitide scribere didicerant. (*l*)

§ 4. Temporibus Imperatorum Romanorum deinde proprie sic dicti Bibliopolæ introducebantur, qui librorum mercaturam exercebant, & de his nunc plura dicenda sunt. Horum quidem primum erat officium, ut scribas litterarios haberent paratos, qui libros recte, & accurate describerent; cujus rei causa & Tryphonem Bibliopolam monuit Quintilianus, ut in manus hominum libri sui quam emendatissimi venirent. (*m*) Quia vero nonnulli horum Scribarum satis emendate, ut supra vidimus, scripserunt; (*n*) tantam de se quidam concipiebat opinionem, ut titulum Doctoris Librarii affectare non dubitaret (*o*). Hi non scribebant solum litteris, vel notis, sed etiam libros nonnunquam picturis exornabant ad majorem ipsis comparandum splendorem. Præterea Bibliopolarum erat Indices in libros vel conficere, vel conficiendos curare (*p*) quos Syllabos appellabant *ἀπὸ τῦ συλλαμβάνειν* comprehendere, quod

(*a*) Isidorus Orig. VI. 14. Librarii autem iidem, & Antiquarii vocantur. Sed Librarii sunt, qui nova, & vetera scribunt; Antiquarii, qui tantummodo vetera, unde & nomen sumpserunt.

(*b*) Cicero ad Atticum IV. 4. Etiam velim, mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utitur glutinatoribus ad celera administris: iisque imperes, ut sumant membranulam, &c. Ulpianus l. 15. §. 1. ff. de usufructu, & quemadmodum quis utatur, fruatur: Mancipiorum quoque usus fructus legato non debet abuti, sed secundum conditionem eorum uti. Nam, si librarium rus mittat, & qualum, & calcem portare cogat, Histrionem, balneatorem faciat -- abuti videbitur proprietate.

(*c*) l. 7. §. 5. ff. de operis libertorum. Dabitur & in impuberem, cum adoleverit, operarum actio: sed interdum, quamdiu impubes est: Nam hujus quoque est ministerium, si forte vel librarius, vel nomenculator, vel calculator sit, vel histrio, vel alterius voluptatis artifex.

(*d*) Cicero ad Atticum IV. 16. Epistolæ nostræ tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus.

(*e*) Plinius H. N. VII. 25. Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare (solitum) aut, si nihil ageret, septenas.

(*f*) Gruterus p. DLXXXIV.

IVCVNDVS. DOMITAE
BIBVLI * LIBRARIVS.   * scil. filiæ
AD. MANVM.

Nescio, quam ob causam Pignorius de servis p. 228. inter duas litteras vocis AD punctum posuerit hoc modo A. D. MANVM. Hærebam primo, quum hæc adspicerem, putavi autem postea, voces esse singulas, & notare A. Domino, vel Domina MANUMissus. Postea vero observavi, utramque Gruteri editionem, ut & Gutherium de Officiis Domus Augustæ 3. 7. p. 570. & Hoffmanum quoque in Lexico ita legere, ut huc transcribi curavi. Ad Manum autem est, quod alii dicunt *a manu*. Ramiresius Pentecontarcho c. 12.

(*g*) Cicero filius ad Tyronem inter Epistolas Fam. XVI. 21. Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis Hypomnematis.

(*h*) Martialis Epigr. II. 8.

Siqua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum;
Non meus est error: nocuit Librarius illis,
Dum properat versus annumerare Tibi.

(*i*) Juvenalis Sat. VI. 475.

———— periit Libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas ————

(*k*) apud Gruterum p. DXCIV. 3.

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA.

(*l*) Eusebius Hist. Eccl. VI. 23.

(*m*) Quintilianus Præfat. Instit. Orat. Multum autem in tua quoque fide, ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissime veniant.

(*n*) Galenus de dignoscendis, & curandis animi morbis c. 9. citante Pignorio de servis p. 230. Attamen video, te ne in res quidem egregias insumere quicquam audere: non in coemptionem, comparationemque librorum, non in eos qui scribunt, exercendos, sive notis, & signis id faciant, ut citius, sive exquisitis figuris, ut pulchrius: sicut ne in eos quidem, qui emendate recteque legant.

(*o*) Inscriptio apud Reinesium Class. XI. 123.

CN. POMPEIVS
PHRIXVS
DOCTOR
LIBRARIVS DE
SACRA VIA
FECIT SIBI

(*p*) Cicero ad Atticum IV. 4. Etiam velim, mihi mit-

totam libri materiam brevi complexu comprehenderent; non tamen, ut nostri, secundum alphabeticum ordinem concinnati, sed contenta saltem capitum erant principio libri adscripta, quemadmodum ex Plinii, & Solini indicibus constat. Probe vero notandum est, ne fallamur, indicem alias etiam denotare Catalogum. (*a*) Quo autem errores calami lectorem non offenderent, liberque in eruditorum conspectum emendatus prodiret, curarunt Bibliopolæ, ut Libri scripti ab auctoribus ipsis relegerentur, & cum priori exemplo conferrentur. Id, quod testatur Martialis, quando affirmat, suos libros ideos majoris æstimandos esse, quia illi ab ipso revisi, & emendati essent. (*b*) Hæc collatio Scripturæ sive facta fuerit, sive minus, tamen Bibliopolæ libros suos emendatissimos prædicabant, & rudes emtores decipiebant. Apud Gellium legimus, Librarium in quodvis pignus vocasse, si in una uspiam littera Codicis cujusdam delictum esset. (*c*)

§. 5. Romæ istiusmodi tabernas librarias, & plures quidem, quam unam, fuisse, nulli est dubium. Meminit Gellius & Librariæ apud Sigillaria, & Librorum Æneidos Virgilii sigillariis emtorum. (*d*) Fuit vero vicus quidam Romæ, quem Sigillaria dicebant, eo quod ibi imagunculæ Deorum, & aliarum rerum (quas signa, sigilla, & sigilliola dicebant) (*e*) vendebantur. (*f*) Per Sigillaria in loco Gellii intelligendum esse Festum Romanorum post Saturnalia mense Decembri ce-

A lebratum (*g*) probare quidem conatur eruditus quidam anonymus; (*h*) verum minus recte. Apud Gellium enim extat, Librum emtum esse in *Sigillariis*, minime vero *Sigillariis*. Differentia igitur iis, qui Linguam Latinam intelligunt, haud incognita erit. Prior enim significat locum, posterius autem tempus. Alia taberna libraria erat in Argileto ad forum Cæsaris, Julii scilicet, quam aream Julius Cæsar adhuc Proconsul Galliæ ad hoc forum parandum emit. (*i*) Situm vero erat Argiletum regione XI. (*k*) Quo in loco libri Martialis fuerunt venales. Iterum alia Libraria Secundi liberti Lucensis fuit Romæ regione IV. juxta templum
B Pacis, & forum transitorium, ubi quoque Martialis libri prostabant. (*l*) In vico Sandaliario quoque fuerunt tabernæ librariæ. (*m*) Imo invenies, istiusmodi tabernas iisdem temporibus Lugduni quoque in Galliis, (*n*) & Brundusiis in Regno Neapolitano fuisse. (*o*)

§. 6. In his tabernis solebant Bibliopolæ nomen, seu titulos librorum januis affigere, ut eruditi primo statim intuitu omnes libros nosse potuerint, qui in ea taberna fuere venales. (*p*) Nonnulli pilas quoque, seu columnas suarum tabernarum exornabant titulis librorum, (*q*) uti etiam in Germa-
C nia hoc fieri videmus. Eruditi etiam his in tabernis conveniebant, colloquia ibidem habebant, (*r*) & aliquando, ut supra annotavimus, Libros prælegere audiebant.

§. 7. Ut autem Bibliopolæ Libros suos cariori

tas de tuis librariolis —— iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιλλύβους appellatis.

(*a*) Berneggerus in Epist. ad Jo. Buxtorphium post Buxtorphii Catalecta pag. 409. 410.

(*b*) Epigr. VII. 16.

Septem quos tibi misimus libellos,
Aucto is calamo sui notator
Hæc illis pretium facit litura.

(*c*) Gellius V. 9. Grammaticus autem quispiam e nobilioribus ab emptore ad spectandos libros adhibitus repe risse unum in libro mendum dicebat. Sed Librarius quoc vis pignus vocabat, si in una uspiam littera delictun esset.

(*d*) Gellius V. 4. & II. 3.

(*e*) Arnobius advers. Gentes Lib. VI. pag. 204.

(*f*) Suetonius in Nerone c. 28. Hunc Sporum Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum & circa conventus, mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus est identidem exosculans. Vides hoc loco, Sigillaria, & mercatus conjungi, quia in Sigillariis magnus erat mercatus, & semper frequens multitudo. Plura, ne extra ordinem simus copiosi, dabunt Cujacius observ. II. 30. Marcellus Donatus ad Suetonii Claudium c. 5. Phil. Caroli ad posteriorem Gellii locum, & Cuperus in Harpocrate p. 86.

(*g*) De quo Macrobius Saturn. l. II. Torrentius, & Marcellus Donatus ad Suetonii l. c. Lips. Saturn. I. II. Brodæus Misc. III. 12.

(*h*) Commentator Gellii incertus in Editione Gronoviana 1706. 4.

(*i*) Mart. I. 118.

Quod queris propius petas, licebit,
Argi namque soles subire letum,
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc, & inde totis,
Omnes ut cito perlegas Poetas.
Illinc me pete.

Asconius in Milonianam: Populus, duce Sexto Clodio Scriba, corpus P. Clodii in Curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus & Codicibus Librariorum: qui nimirum juxta Curiam, & ad forum, & ad manum erant. Quem locum una cum ejus explicatione debeo Barthio Advers. VI. 12. De Argileto testatur iterum Martialis I. 4. ubi librum suum ita alloquitur:

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.

(*k*) Nardinus Roma antiqua VII. 4.

(*l*) Martialis I. 2. ubi lectorem docet, quo loco libri ii venales sint quærendi.

Libertum docti Lucensis quære Secundum
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

D (*m*) Galenus in tractatu de Libris Edit. Basil. 1538. part. IV. p. 361. ἐν τῷ γὰρ σανδαλιαρίῳ καθ᾽ ὃ δὴ πλεῖστα τῶν ἐν Ῥώμῃ βιβλιοπωλείων ἐστὶν ἐθεασάμεθα τινὰς ἀμφισβητοῦντας εἴτ᾽ ἐμὸν εἴη πιπρασκόμενον αὐτὸ βιβλίον, εἴτ᾽ ἄλλου τινός· ἐπεγέγραπτο δὴ γὰρ Γαληνὸς ἰατρός· ὠνουμένου δέ τινος ὡς ἐμὸν ὑπὸ τοῦ ξένου τῆς ἐπιγραφῆς κινηθείς τις ἀνὴρ τῶν φιλολόγων ἐβουλήθη γνῶναι τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ. Καὶ δύο τοὺς πρώτους στίχους ἀναγνοὺς εὐθέως ἀπέρριψε τὸ γράμμα τοῦτο μόνον ἐπιφθεγξάμενος, ὡς οὐκ ἔστι αὕτη Γαληνοῦ, καὶ ψευδῶς ἐπιγέγραπται τουτὶ τὸ βιβλίον. Hoc est: In Sandaliario vico, ubi quamplurima Romæ sunt Bibliopolia, vidimus aliquando quosdam inter se disceptantes, utrum meus sit ille liber, qui tunc prostabat, an vero alterius. Inscriptum quippe erat nomen Galeni Medici. Quum vero aliquis Librum tanquam a me scriptum emeret, ob falsam inscriptionem ita commotus aliquis Philologus volebat scire, quænam in li-
E bro sint contenta. Sed quum tres priores sectiones perlustrasset, statim abjecit Librum, hæc solum addens, stilum non esse Galeni, & fictitiam esse Libri inscriptionem.

(*n*) Plinius Epist. IX. II. 2. Bibliopolarum Lugduni esse non putabam: ac tanto libentius ex litteris tuis cognovi, venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in urbe collegerint, delector.

(*o*) Gellius IX. 4. Ex amicis hoc non tam præfracte adseverare velimus, quum Gellius tantum testetur, in porticu Brundusino fascem librorum fuisse venalem, quod & casu quodam contingere potuit.

(*p*) Horatius Sat. I. 4 71.

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

F Et de Arte Poetic. v. 372.

—————— Mediocribus esse Poetis
Non Dii, non homines, non concessere columnæ.

i. e. Ex tabernarum columnis, quibus meorum Poematum titulus nunquam affixus cernitur, inter alia etiam apparet, me non magnopere a doctis emi, atque adeo vix inter mediocres Poetas locum invenire.

(*q*) Vide locum Martialis supra §. 5. not. (a)

(*r*) Gellius V. 4. apud Sigillaria forte in Libraria ego, & Julius Paullus Poeta vir memoriæ nostræ doctissimus, comedimus.

pretio venderent, hanc nonnunquam fraudem committebant, ut clarissimi cujusdam viri nomen titulo inscriberent, & bonis Scriptoribus quam sæpissime inutiles libros supponerent. Galenus testatur, Romæ alterius libro suum nomen inscriptum fuisse; Philologum vero, cui stilus Galeni cognitus erat, hanc fraudem detexisse. (*a*) Nec silentio prætereunda sunt pretia librorum, quæ aliquando pro ratione illorum temporum satis æqua fuerunt; nonnunquam etiam præcipue eorum librorum, qui sæpe ab emtoribus requirebantur immoderata. Exemplum unum occurrit apud Martialem (*b*) qui commemorat, primum librum suorum Epigrammatum ab Atrecto Bibliopola quinque denariis vendi. Romanorum denarius plerumque valebat 10. asses, hoc est, nostræ monetæ Misnicæ duos grossos, & sex nummos (2. gr. 6.). (*c*) Constitit itaque primus Liber Martialis (12. gr. 6.) duodecim grossos, & sex nummos. (*d*) Pretium hoc si consideramus, non adeo grande est pro primo Libro Martialis. Sunt Epigrammata enim 121. & versus præter propter 720. Pro his describendis Scriba forsitan accepit sex grossos. (6. gr.) Tantum membranæ in qua tot versus conscribi possunt, hodie incertum an etiam olim, constat quatuor grossos. (4. gr.) Tam veteres, qui opisthographa raro admodum habebant, alterum tantum necessario requirebant: habes sex grossos. (6. gr.) Bibliopola ergo parum est lucratus. Quod si totum opus Martialis eodem pretio emendum fuerit, quod XV. constat libris, summa tota fuisset circiter 8. vel 9. Thalentorum. (8. 9. [illegible]) Aliquando viliori adhuc pretio emebantur libri, id quod antea adductus Martialis probat, (*e*) dum nos facit certiores, librum suum XIII. qui Xenia inscribitur, Tryphonem Bibliopolam pro 4. nummis vendidisse. Nummi sunt h. l. sestertii nummi, quorum quatuor denarium constituunt, h. e. 3. grossos. (3. gr.) Et tamen sibi ipsi obiectionem format Poeta, quasi nimium sint quatuor nummi; posset enim constare duobus; & tamen Bibliopolam lucrum facere posse.

§. 8. Pretia vero librorum interdum etiam majora fuerunt, quam par erat, si auctor libri clarus, emptor vero ignarus erat. Prius iterum testatur Martialis (*f*) fuisse quidem nonnullos, qui Lucanum non æstimassent Poetam, Bibliopolam vero, apud quem illius opera prostarent, ex distractione exemplarium potuisse cognoscere, carmina illius non esse contemnenda. Lucianus indoctum quemdam (*g*) qui multos libros coemebat, ideo cavillatur, quod ex inscitia Bibliopolis plus numeraret pro libro, quam æquum sit. Et hanc ob causam fiebat, ut Bibliopolæ, quotiescumque bonum aliquem, & clarum Scriptorem nossent, cupide admodum virum sollicitarent, ut libros suos mox ederet. Testis est Quintilianus, a quo Tryphon summo studio efflagitavit, ut libros suos de Institutione Oratoria emitteret. (*h*) Inveniebantur etiam homines, qui ex amore erga librum, aut auctorem majus solvebant pretium, ac par erat. Sic refert Gellius (*i*) Romæ pro Libris Virgilii Æneidos, quia ab ipso auctore scripti credebantur, XX. aureos fuisse solutos. Aureus secundum nostram computandi rationem valet 3½. thaleros. 70. ergo thaleri fuerunt. Multi, ut arbitror, hanc pecuniæ summam pro iis solverent, si certo scirent, propria manu illos esse scriptos.

§. 9. Supersunt Librariorum, & Bibliopolarum nomina. Atrectus occurrit apud Martialem. (*k*) Decius Sexti Librarius a Cicerone memoratur. (*l*) M. Ulpius Aug. Lib. Dionysius in antiqua inscriptione (*m*). Tettienus Felix occurrit apud Gruterum. (*n*) Jucundus Domitiæ Bibuli scilicet Filiæ Librarius ad manum ibidem. (*o*) Secundus Libertus Lucensis apud Martialem (*p*). Sosii fratres duo, incertum, an Librarii, an vero Bibliopolæ apud Horatium (*q*). Præcipuus, & maxime cognitus est Tryphon, cujus jam sæpius mentionem fecimus; (*r*) Pollius Valerianus Martialis Libros procuravit; (*s*) Mulier Libraria fuit Sextia Xanthia. (*t*)

CAP. IV.

De Bibliopolis, & Librariis ævi medii.

§. 1. De Mercatura medii ævi Librorum locuturi incipiamus ab irruptione Barbarorum in Romanum Imperium, filumque perducamus usque ad Typographiam inventam. Laborem nostrum in duas periodos dividere placet; in priore de Temporibus non adeo crassæ barbariei; in posteriore vero de temporibus summæ barbariei loquamur.

§. 2. In priore periodo medii ævi deprehendi-

(*a*) Locus extat §. 5. not. (d)
(*b*) Epigr. I. 118.

De primo dabit, alterove nido
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.

(*c*) Vide Lexicon nostrum Antiquitatum p. 427.
(*d*) Raderus ad h. l. Martialis statuit, denarium Romanorum idem valere, quod 8. cruciatos, (vel 2. Zatzen) hoc est nostræ monetæ, (2. gr. 8.) Primus adeoque liber ex Raderi sententia constitit tredecim grossos, & quatuor nummos (13. gr. 4.)
(*e*) Epigr. XIII. 3.

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor emta Tibi.
Quatuor est nimium: poterit constare duobus.
Et faciet lucrum Bibliopola Tryphon.

(*f*) Epigr. XIV. 194. in Lucanum.
Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poetam,
Sed, qui me vendit, Bibliopola putat.

Posteriorem versum ita legit Glossator M. S. in Bibliotheca Paullina Lipsiensi.

Sed mea qui vendit, B. p. *Bono sensu.*

(*g*) Adv. indoctum p. 420.
(*h*) Quintilianus præfat. ad Tryphonem Bibliopolam, quem sic alloquitur: Efflagitasti quotidiano convitio, ut libros, quos ad Marcellum meum de Institutione Oratoria scripseram, jam emittere inciperem. Et postea: Sed, si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur.
(*i*) Gellius Noct. Attic. II. 3.
(*k*) Martialis Epigr. I. 118.
——— *ne roges Atrectum,*
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.
(*l*) Epist. ad Fam. V. 6.
(*m*) apud Fabrettum x. 386.

M. VLPIVS. AVG. LIB.
DIONYSIVS
BIBLIOPOLA
F. S. ET S.

(*n*) p. XCIV. II. T. TETTIENUS. FELIX. AUGUSTALIS. SCRIBA. LIBRARIUS.
(*o*) Vide supra §. 2. not. f.
(*p*) Vide §. 5. not. c.
(*q*) Horatius de Arte Poetica v. 345.
Hic meret æra Liber Sosiis.
H. e. hic Liber tam avide ab emtoribus arripitur, ut magnum lucrum Sosiis afferat.
(*r*) Vide supra §. 4. 7. 8.
[*s*] Martialis I. 114.
A Valeriano Pollio petes Quincto,
Post quem perire non licet meis nugis.
(*t*) Vide supra §. 3. not. k.

A mus, Episcopos, & Patres Ecclesiæ habuisse Scribas, (*a*) qui nonnunquam Antiquarii, (*b*) nonnunquam Bibliopolæ vocantur (*c*) etsi libros non vendebant, sed tantummodo describebant. Horum munus erat, ut non solum litteras eleganter pingerent, (*d*) sed etiam, ut recte, fideliterque libros describerent. De accurata eorum diligentia agit Basilius Epistola 180. quam exaravit ad Καλλιγράφον, sive Librarium, quem sic admonet: ὀρθὰ γράφε καὶ χρῶ τοῖς στίχοις ὀρθῶς καὶ μήτε ἀνωρείσθω πρὸς ὕψος ἡ χεὶρ μήτε φερέσθω κατὰ κρημνῶν, μηδὲ βιάζου τὸν κάλαμον λοξὰ βαδίζειν ὥσπερ τὸν παρ' Αἰσώπῳ καρκίνον, ἀλλ' εὐθὺ χώρει ὥσπερ ἐπὶ στάθμης βαδίζων τεκτονικῆς ἣ πανταχοῦ φιλάττει τὸ ἴσον, καὶ πᾶν B ἀναιρεῖ τὸ ἀνώμαλον. Τὸ γὰρ λοξὸν ἀπρεπές. Τὸ δὲ εὐθὺ τερπνὸν τοῖς ὁρῶσιν, οὐκ ἐῶν ἀνανεύειν, καὶ καταναδεύειν ὥσπερ τὰ κηλώνεια τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀναγινωσκόντων· ὁποῖόν τι κἀμοὶ συμβέβηκε τοῖς γράμμασιν ἐντυχόντι τοῖς σοῖς· τῶν γὰρ στίχων κειμένων κλημακηδὸν ἡνίκα ἔδει μεταβαίνειν ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον ἀνάγκη ἦν ἐξορθοῦν πρὸς τὸ τέλος τοῦ προϊόντος· ἐν ᾧ μηδαμοῦ φαινομένης τῆς ἀκολουθίας ἀνατρέχειν ἔδει πάλιν καὶ τὴν τάξιν ἐπιτηρεῖν ἀναποδίδοντα καὶ παρεπόμενον τῷ αὔλακι καθάπερ τὸν Θησέα τῷ μίτῳ τῆς Ἀριάδνης φασί. γράφε τοίνυν ὀρθῶς καὶ μὴ πλάνα τὸν νοῦν τῷ πλαγίῳ καὶ λόξῳ τῶν γραφομένων. Latinam hujus Epistolæ versionem addere C supersedemus. Ex quibus videmus, qualem curam veteres adhibuerint, ut eorum Libri eleganter, & accuratissime describerentur; sed omnibus hac in re negligentiores reperiuntur Græci, ut ii testari poterunt, quibus Græcos Codices M.S.S. inspicere licuit. Instrumentum, quo utebantur librarii, vocabatur regula, quam celeberrimus Schvuatzius Professor Altdorfinus jam descripsit. (*e*)

§. 3. Exactissima igitur diligentia, & fidelitas maxima ab his Librariis requirebatur. Quia enim istiusmodi describebant libros, qui capita Religionis Christianæ in se continebant; permultum Christianis intererat, ne illi mutilati, aut vitiosi in manus D Paganorum venirent. Hinc sunt illæ admonitiones S S. Patrum, ut recte scriberent, suoque officio fideliter fungerentur librarii. Quas inter eminet illa adjuratio Irenæi, quam Libro περὶ τῆς ὀγδοάδος adjecit, quam integram ex Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis adscribimus. (*f*) Adjuro Te, qui transcribis librum istum per Dominum Jesum Christum, & per gloriosum ejus adventum, quo judicaturus est vivos, & mortuos, ut conferas, postquam transcripseris, & emendes illum ad exemplar, unde scripsisti, diligentissime, hanc quoque adhortationem fideliter transferas, ut invenisti in exemplari. Istiusmodi fere admonitionem invenies quoque in Apoc. XXII. 18. 19. ubi quoque interdicitur, nequid Sacræ Scripturæ addatur, vel detrahatur. (*g*) S. Hieronymus etiam requirit a Librariis, ut ea, quæ emendasset rite observarent. (*h*) Et alio in loco affirmat, se aliis credere libros eleganter descriptos, auro, argentoque ornatos, dummodo ipsi permitterent, non tam pulchros, quam emendatos Codices. (*i*) Hinc poscebant veteres a Scribis, seu Librariis, ut descripta diligenter reviderent, (*k*) quam operam nonnunquam duo simul in se suscipiebant, alter autographum præ se habebat, alter apographum legebat.

§. 4. Et hoc adhuc de medio ævo annotandum est, hos Librarios, vel Bibliopolas omnem navasse operam, ut libros vel optimos, vel admodum raros in lucem recens editos sibi compararent, lucrumque iis facerent. Postumianus apud Sulpicium narrat, (*l*) vita Martini a Sulpicio Severo scripta nihil promtius, nihil carius fuisse venditum: hinc etiam a Bibliopolis avidissime illam fuisse quæsitam. E contrario quoque legimus, aliquando negligenter satis hos scripsisse, & istiusmodi Scribas habuisse, qui erant admodum rudes. (*m*) Alii libros nullius momenti sub titulo celebriorum Patrum Ecclesiæ vendebant; hinc etiam hodie tam multa habemus opera Cypriano, Ambrosio, Augustino, aliisque falso adscripta. (*n*)

§. 5. In posteriore periodo medii ævi deprehendimus non solum consueta nomina Librariorum, & Bibliopolarum, sed etiam nova sunt orta, scilicet Bibliator (*o*) & Stationarius. (*p*) Prius vocabulum denotat generatim Bibliopolam, posterius vero eum, qui publicam habebat tabernam.

§. 6. Iisdem temporibus præter Scribas, & Bibliopolas etiam alii homines non *Librarii* gesserunt. Fuit enim *Librarius* dignitas Ecclesiastica in Ecclesiis Cathedralibus, eadem forte, quæ Cantoris, Custodis, Thesaurarii, aliorumque. Is igitur vocabatur *Librarius*, cui cura Bibliothecæ Collegii Cathedralis demandata erat: Quales Librarii Metis fuerunt. (*q*) *Librarius* præterea in iis dictis Monasteriis idem erat, ac Bibliothecarius, de cujus officio amplissimum locum ex rarissimo libro Umberti in Regula, seu modo vivendi Fratrum Prædicatorum cap. 23. adducere possemus. Sed in

E (*a*) Sidonius Apollinaris Epist. v. 17. Nec plus moratus suo Scriba, qui pugillarem juxta tenebat, vocabat.

(*b*) Cassiodorus Divin. Lect. c. 30. Tot vulnera Satanas accipit, quot Antiquarius Domini verba describit. Isidorus Orig. vi. 14. Librarii autem iidem, & Antiquarii vocantur: Sed Librarii sunt, qui & nova, & vetera scribunt: Antiquarii, qui tantummodo vetera, unde & nomen sumpserunt. Similia quoque habet Joh. de Janua in Catholico, & Ricardus de Buri in Bibliopolio c. 16.

(*c*) Isidorus: Librarios constat ante Bibliopolas dictos: Libros enim Græci βίβλια vocant. Jo. de Janua. Et iidem (Librarii) dicti sunt Bibliopolæ, & Antiquarii. Sidonius Epist. v. 15. Officii sermone præfato Bibliopolam vestrum non gratiose, sed judicialiter expertus insinuo. Idem ix. 7. Scribam tuum, seu Bibliopolam.

(*d*) Petrus Damianus Epist. vii. 19. Et quoniam scribendi peritus extitit, non pauca nobis librorum volumina F pollucibiliter exaravit.

(*e*) Diss. 1. de ornamentis librorum §. 3. & quos ille citat.

(*f*) Extat c. 45. necnon apud Eusebium H. E. v. 20. & Treculphum Lexoviensem Chron. 11. 2. 22.

(*g*) Vide, quæ ad eum locum notarunt Grotius, & Hammondus.

(*h*) Hieronymus præfat. in Esdram: Siqui fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar admonentes, ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte, & per intervalla transcribant. Nihil enim proderit emendasse librum, nisi emendatio Librariorum diligentia conservetur.

(*i*) Idem præfat. in Jobum: Habeant, qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis, auro, argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris onera magis exarata, quam Codices; dummodo mihi, meisque permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros Codices, quam emendatos. Confer Clericum Art. Crit. cui hæc duo Hieronymi loca debemus.

(*k*) Sidonius Epist. v. 15. Librum igitur jam ipse deportat Heptateuchi scriptum velocitate summa, summo nitore quanquam & a nobis relectum, & retractatum. Defert & volumen Prophetarum, licet, me absente, decursum, sua tamen cura, manuque de supervacuis sententiis eruderatum. Nec semper illo contra legente, qui promiserat operam suam: credo, quia infirmitas fuerit impedimento, quominus pollicita compleret.

(*l*) Dial. I. 23. 4. Primus eum (librum) Romanæ Urbi vir studiosissimus tui Paullinus invexit. Deinde, cum certatim tota ur e raperetur, exsultantes librarios vidi; quod nihil ab his quæstuosius haberetur: siquidem nihil illo promtius nihil carius venderetur.

(*m*) Evolve Programma nostrum de Statu Scholarum ante Reformationem §. 12.

(*n*) Cave in Prolegom. Hist. Litt. Script. Eccl. Sect. 4.

(*o*) Huguitio in Glossis, & Jo. de Janua in Catholico.

(*p*) du Fresne Glossar. Tom. III. col. 1093.

(*q*) Charta Henrici III. Imperatoris A. 1056. apud Meurrissium in Episcopis Metensibus p. 360. Videlicet, ut electionem Primicerii faciant, sive Decani, Cantoris, Librarii, atque Custodis Ecclesiæ S. Stephani. Du Fresne Tom.

præsenti non agimus de Bibliothecariis. Conſtat enim, viros in magna auctoritate conſtitutos Librarios, ſeu Scribas non infimæ ſortis habuiſſe. Sic Heddæ Epiſcopi Viſo-Saxonum Librarius fuit Abbas Vuigfridus, vel Vilfridus ex Comitatu illius. (*a*)

§. 7. De Stationariis pauca dicenda reſtant. Supra §. 5. illos breviter deſcripſimus, nunc addimus, fuiſſe quoſdam, qui propriam exercuerunt mercaturam, (*b*) quoſdam vero miniſtraſſe Academiis. Poſteriores famuli erant, ſalaria accipiebant, & cæteris famulis Bedellis, Notariis, & Nuntiis æquiparabantur. (*c*) Tales non ſolum tota Academia, ſed etiam quædam facultas alebat. (*d*) Hi in manus Rectoris jurare tenebantur, quod in emendis, & vendendis, aut taxandis Libris juſte ſe habere vellent. (*e*) Schedulam tandem membraneam tabernis ſuis affigere debebant Stationarii, ut quilibet ſtatim videre poſſet quos Libros venales haberent. (*f*)

§. 8. Et ſic ſatis, ſuperque probatum dedimus, etiam medio ævo Bibliopolas fuiſſe, qui partim Libros deſcripſerunt, partim vendiderunt, vel ſaltem nomine aliorum venum expoſuerunt; Uti hoc pluribus ex adductis Locis Auctorum apparebit.

II. part. 2. p. 317. Quod vero vir illuſtris hunc *Librarium qui & Armarius* dicitur eumdem cum Cantore fuiſſe ait, in eo fallitur; nam verba chartæ citatæ cuivis eam attendenti contrarium edocent.

(*a*) Felix in vita S. Guthlaci Anachoretæ c. 4. n. 32. Tom. II. Act. Sanct. April. p. 46. Unde iterum notandus eſt Car. du Freſne, qui illum Vuilfridum Guthlaci Librarium dicit.

(*b*) Richardus de Buri in Philobiblio c. 8. p. 35. Præter has opportunitates omnes prætactas, Stationariorum, ac Librariorum notitiam non ſolum intra natalis ſui provinciam, ſed per Regnum Franciæ, Teutoniæ, & Italiæ comparavimus. Statuta Synodalia Nicolai Gelant Epiſcopi Andegav. p. 2. 2. ipſi, & eorum quilibet infra primi anni Synodum S. Lucæ ſcribi faciant in quaterno Statuta eadem, quorum exemplum poni penes Joannem Benchies, vel alium Stationarium faciemus: apud du Freſne Tom. III. col. 1053.

(*c*) In Privilegiis Academiæ Viennenſis rubr. 42. apud Lambecium Bibliothec. Vindeb. lib. II. p. 117. Famuli, Bedelli, Notarii, Nuntii, Librarii, Scriptores, cæterique hujuſmodi Servitores conjunguntur.

(*d*) Eadem Privilegia rubr. 22. p. 113. Volumus inſuper, & ordinamus, quod libri ipſorum (ſtudentium) decedentium ante diffinitionem præmiſſorum remaneant apud Librarium ſuæ facultatis. Statuta Facultatis Juridicæ tit. 13. §. 6. apud eumdem pag. 183. Item, quod Librarius, vel Bedellus Facultatis nullum Librum in hoc Loco Viennenſi per ſe emat, & carius eum vendat, quodque vendentes non angariabit, nec ab ementibus pro proxenitico, vel labore ſuo ultro quadrageſimum denarium extorquebit.

(*e*) Statuta Univerſitatis Vindobonenſis A. 1384. Scripta tit. 4. §. 6. apud eumdem Lambecium l. c. p. 101. Item Librarii jurent in manus Rectoris in præſentia Univerſitatis quod in emendis, & vendendis, aut taxandis Libris juſte, & legaliter ſe habeant erga ſuppoſita Univerſitatis, omni dolo, & fraude excluſis, ſecundum tenores Privilegiorum Univerſitatis, Statutum Univerſitatis Magiſtrorum, & Scholarium Pariſienſium de Stationariis, ſive Librariis de a. 1275. ibidem p. 254. 255. Ut Stationarii, qui vulgo appellantur, ſive Librarii, annis ſingulis, vel de biennio in biennium, vel alias, quando Univerſitate fuerint requiſiti, corporale præbeant juramentum, quod libros recipiendo venales, cuſtodiendo, exponendo eoſdem, & vendendo, & alias ſuum miniſterium circa ſtudium exhibendo fideliter, & legitime ſe habebunt. Item, quoniam nonnulli de Librariis inſatiabili cupiditati ſtudentes ipſi ſtudio ingrati quodam modo ſunt, & graves, dum in libris habendis, quorum uſus maxime neceſſarius eſt ſtudioſis, difficultatem inducunt, & emendo vilius, & vendendo carius, & ſupprimendo, vel celando, aliiſque excogitatis fraudibus, libros ipſos cariores efficiunt, ſtatuitur, ut Librarii jurent, quod intra menſem a die, quo libros venales recipient, numerando bona fide eos ad vendendum exponent, &, ſi requiſiti fuerint a venditoribus, æſtimabunt, & dicent bona fide quantum credent, in veritate libros ad vendendum oblatos juſto, & legitimo pretio poſſe vendi; Libri etiam venalis pretium, & nomen illius, cujus Liber eſt, ponent in aliqua parte, ut pateat intuenti. Jurabunt etiam quod, cum Libros vendiderint, eos non aſſignabunt ex toto, nec transferent in emtores, nec pretium recipient pro eiſdem, donec denuncient venditori, vel mandatario ſuo, ut veniat pretium recepturus, &, quod de pretio pro Libris oblato puram, & ſimplicem ſine fraude dicent veritatem venditori, & ejuſdem mandatario. Item, licet dignus operarius mercede ſua, quia tamen a librariis frequenter modus exceditur, ſtatuitur, ut iidem ſtationarii, ſive librarii jurent, quod ultra quatuor denarios de libra, & de minori quantitate pro rata, pro ſalario venditorum librorum non exigent, & quidem, non a venditore, ſed ab emtore. Item quoniam ex corruptis exemplaribus, & mendoſis diſpendia multa proveniunt, ſtatuitur, ut dicti Librarii jurent, ſe præſtituros curam, & operam efficacem cum omni diligentia, & labore, ut exemplaria vera habeant, & correcta; item, quod pro exemplaribus aliud ultra juſtum, & moderatum ſalarium, vel mercedem, ſeu ultra id, quod ab Univerſitate, vel Deputatis ab ea taxatum fuerit, non exigent.

(*f*) Juramentum Stationariorum, ſive Librariorum Univerſitatis Pariſienſis de A. 1202. apud eumdem Lambecium p. 257. primo, quod de cætero quilibet Stationarius habeat tabulam de Pergameno ſcriptam bona littera, & patente poſitam ad feneſtram ſuam in qua ſcripta ſint omnia exemplaria, quibus utitur, &, quæ ipſe habeat, cum pretio taxationis eorum. Secundo, ſi contingat, quod habeat aliqua exemplaria non taxata, ea non communicabit, quo uſque Univerſitati oblata fuerint, & taxata; Tertio, quod Librorum utilium pro ſtudio cujuſcumque facultatis exemplaria, prout melius, & citius poterunt, procurabunt ad commodum, & utilitatem ſtudentium.

F I N I S.

JO. ANDREÆ ESCHENBACHII
DE
SCRIBIS VETERUM ROMANORUM
DISSERTATIO.

JO. ANDREÆ ESCHENBACHII
DE
SCRIBIS VETERUM
ROMANORUM
DISSERTATIO.

§. I.



Vocabulum *Scriba* a scribendo descendere, nemo, quod sciam, ambigit: undenam autem ipsum verbum *Scribo* originem suam habeat, diversas apud Grammaticos invenio sententias. Celeberr. *Vossius* cum *Nunnesio*, a Græco *γράφειν* hoc vocabulum deducit. *γ.* in c. converso, & s. capiti apposito, quomodo, inquit, a *γλύφω*, sculpo, a *γρύπη*, scruta. Vel, dicit, est Scribo a *σκάριφος*, stilus, scriptura: quid? quod & ab Hebraico ספר deduci posse arbitratur, quod verbum, recensere, vel scribere, significare dicit. *Goropius Becanus*, lib. II. Hieroglyphicῶn hanc vocem accersit a Belgis, quibus scribere est *schriiven*: affine nostro *Schreiben*. Quæ derivatio forte non adeo ridicula est, ut nonnulli arbitrantur: maxime, si inter hodiernos Philologos, viros undiquaque doctissimos audire velimus, qui non tantum Latinam, sed etiam Græcam Linguam, maximam vocabulorum suorum partem Germanis Celtis & Scythis debere, partim probabilibus satis rationibus, partim etiam propria, tam Græcorum quam Latinorum confessione, clare satis ostendunt. Inter quos Celeberrimos viros suo merito commendandus est *Daniel Georg. Morhof.* Kilonien. Academiæ illustre decus, *im unterricht von der Teutschen sprache, und Poesi* Cap. II. III. & IV. Neque etiam probare possum ridiculam nonnullorum opinionem, qui in nostra vernacula lingua vocabula invenientes cum Latinis convenientia, subito Generosos Germanos furti reos arbitrantur: quasi vero Germani, ante etiam quam Latina Lingua illis innotuit, non habuerint propria, quin, si accuratius inspicias, eadem quæ nunc vocabula, quibus animi sui sensa explicare potuerint; & ideo illa a confluxis ex Græcis & Barbaris Latinis mendicare demum debuerint? Nos, quemadmodum ex linguis, quæ hodie supersunt, nullam agnoscimus reliquarum linguarum matrem, ita etiam nihil certi determinare audemus in tanta difficultate, quænam lingua ex his duabus suas voces alteri debeat, admirantes potius miram omnium fere linguarum inter se convenientiam.

§. II. Cum igitur a Scribendo descendat Scriba, generalissima & simplicissima notione, cum A *Glossatore Juris Græci Basilicorum*, a Carolo Labbeo publicato, Scribam dicemus *γραφέα*, qui scribendo se sustinet, & ab eo suo munere potissimoque labore, (secundum *Isidorum*, *Origin.* lib. VI. cap. XIV.) hoc nomine indicatur. Et ita hac voce usus est *Julius Firmicus*, Matheseωv lib. III. c. VI. *Malitiosos*, inquit, *facit*, *malevolos*, *pessimosque in omnibus actibus; sed aut advocatos, aut Jurisperitos, seu scribas vel exceptores, aut hortorum præpositos, vel aquarum distributores*. Ubi certe scriba nil aliud notat, quam talem hominem, qui quodcunque etiam, literis seu notis exscriptum, lectioni traducit, & quomodocumque rem B quampiam chartis mandat, concipit aut excipit. Hi, observante *Barthio*, ex Gellii Noct. Attic. Lib. VI. c. IX. *Scriptum facere* dicebantur. Verba Gellii sunt: *Cn. Flavius, patre Libertino natus, scriptum faciebat, isque in eo tempore Ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles subrogantur, eumque pro tribu ædilem curulem renunciaverunt. At ædilis, qui Comitia habebat, negabat recipere, neque sibi placere, qui* scriptum faceret, *eum ædilem fieri. Cn. Flavius Annii filius, dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse; isque ædilis curulis factus est. Scriptores* item generaliter apC pellabantur, quod *Donatus* docet, in Adelphorum prologum: *Indifferenter*, inquit, *omnes, qui aliquid scripsissent, Scriptores a veteribus dicebantur*.

§. III. Hi Scribæ, antiquitus alii erant *Publici*, qui Magistratibus potissimum adparebant; *Privati* alii, qui cuivis privatim, qui illorum opera indigebat, serviebant. Et hi, pro diversitate officiorum, quæ obibant, diversa etiam sortiebantur nomina. *Librarii*, Scribæ a Libris, qui nempe libellos & libros quosvis patronis suis describebant. Unde etiam in Glossis, *βιβλιογράφοι*, Librarii interpretantur: & *D. Hieronymus*, E- D pist. ad Niceam, Omnes Scriptores a libris arborum, librarios vocatos fuisse, docet. Quamobrem non audimus *Isidori* distinctionem, plane non necessariam, quam libro VI. Origin. habet, quando dicit: *Librarii, iidem & antiquarii vocantur; sed Librarii, qui nova & vetera scribunt. Antiquarii, qui tantummodo vetera*. Nam (1) ex nomine librariorum facile patet, eorum usum & nomen latissime patere, eorumque totam artem circa chartas & libros occupatam fuisse; quippe quos describebant & vendebant. Quin *Horatii Interpres*, in Arte, librarios cum Scriptoribus conjungit; Scriptor, Librarius, Bibliopola. (2) *An-*

A *tiquarii* autem non ſolum ii dicebantur, qui tantummodo vetera ſcribebant, ſed in univerſum omnes γράφοντες εἰς κάλλος. Ita enim *Gloſſæ* vett. quas Wowerus, cap. V. Polymath. adducit: Antiquarius, ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. Hi Librarii, dicebantur quoque *Librarii Scribæ*. De quo Inſcriptiones: T. CECIENVS. FELIX. AVGVSTALIS. SCRIBA. LIBRARIVS. Alia: Q. LVCRETI. QVINTIANI. SCRIBAE. LIBRARII.

Alia rurſus:

B

L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHI-

LVS. SCRIBA.

LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATI-

NA. APOLLINIS.

Hi quoque Librarii ſcriptores, diſtinguebantur in *Græcos* & *Latinos*, utroque, aut altero tantum C nomine cenſiti; obſervante Barthio. Græci talis Scribæ mentionem injicit Inſcriptio vetus:

AGRIAE. TRIPHOSAE. VESTIFICAE.

LIVIVS. THEONA. AB. EPISTOLIS.

GRAECIS. SCRIBA.

§. IV. Privati hi Scribæ, *Notariorum* quoque nomen accipiebant; quando nimirum verba di-D ctantis vel etiam loquentis, celeritate manus, & varia compendioſe ſcribendi ratione aſſequebantur & chartis mandabant: de quibus *Manilius*, libro IV. Aſtronomic.

Hic & Scriptor erit velox, cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.

Græcis, tales dicebantur γράφοντες εἰς τάχος διὰ σημείων, qui *Novell.* XV. ταχυγράφοι, & *Plutar-*E *cho in Catone*, σημειογράφοι audiunt. Quales intelligit *Hieronymus*, *ad Julianum*, quando ſcribit: Appoſito notario cogebat loqui, quæ velociter edita vox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent ſigna verborum. *Euſebius* quoque hos indicat, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. VI. c. XXI. Ταχυγράφοι δὲ γὰρ αὐτῷ (Origeni) πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν τῷ ὑπαγορεύοντι. Χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἥττους, ἅμα καὶ κόραις ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. Ex quo etiam loco illud patet, βιβλιογράφους, ſeu Librarios ea, quæ Notarii notis conſignabant, in literas redegiſſe. Quod ex-F preſſius adhuc indicat *Suidæ* locus, in ΩΡΙΓΕΝΗΣ. ὑπηγόρευε τοῖς ταχυγράφοις, καὶ οἱ βιβλιογράφοι σὺν γυναιξὶν ἔγραφον ἐπὶ τὸ καλλιγραφεῖν ἐξησκημέναις. i. e. *Dictavit notariis*, & *librarii ac mulieres edoctæ eleganter ſcribere deſcripſerunt*. Pulcherrime autem idem hoc innuit *Paulus JCtus* Cap. XL. de Teſtamento Militis: *L. Titius miles, Notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit*, & *antequam literis perſcriberetur vita defunctus eſt*. Ipſas autem has Notas compendiariæ ſcriptionis, ſi curioſus lector penitius cognoſcere cupit, adeat Mich. Meiſneri Syntagma Philologicum de Adnotamentis Criticorum; ſive, De notis Sententiarum. Ejuſdemque Apoſpaſma Philologicum de Notarum Signis Curiæ Variſcor. ſor. 8. Anno CIↃ IↃC XXII. M. Valerii Probi, Grammat. de Notis Rom. interpret. libellum: item Magnonis, Petri Diaconi, & Papiæ, de Notis literarum libros. Prettenium, de Notis, & Siglis Antiqq. f. 12. Cizæ. 1660. Trithemium, Libb. VI. Polygraph. Joh. Baptiſt. Portæ, Libb. VI. de occultis Literarum notis. Joh. Mabillon, de Re Diplomatica, ſub fin. Lib. I. & Lib. V. p. 456. 457. Lutet. Pariſ. fol. Regal. 1681. Adjectæ quoque ſunt Inſcriptionibus Gruterianis, Tironis, Liberti Ciceronis, & L. Ann. Senecæ Notæ ſeu characteres, quibus utebantur Romani Vett. in Scriptura Compendiaria.

§. V. In hunc quoque cenſum veniunt, quos JCti *Actores Servos* vocant, qui nempe reditus dominorum a colonis exigebant, peculio præerant & rationes conſcribebant. Theophilo, in Inſtitutionum paraphraſi, talis vocatur διοικητὴς πάσης οὐσίας: h. e. ut Plautus loquitur in Aſinaria: *cui omnium rerum herus ſummam credidit*. Ita dictus, quod ei omnium rerum *actus* incumbat. Horum mentio l. 1. §. ult. ff. *de ſervo corrupto*: Deteriorem facit Servum, ſi actori ſuaſit, ut rationes dominicas intercideret, vel adulteraret, vel etiam, ut rationem ſibi commiſſam conturbaret. Iidem & *Diſpenſatores*, ab antiquo æris pendendi modo, dicebantur, teſte *Reineſio*, Epiſt. ad Hofmann. & Rupert. XXXV. Ubi etiam ex hac ſententia aliquot Inſcriptiones veteres illuſtrat. Sed & eos Actores Servos appellatos fuiſſe dicit, qui Servis aliis præponebantur: ac proinde *Columellam*, l. 1. cap. 1. per Actorem, ordinarium ſervum, qui reliquos moderaretur indicare ait: per familiam vero, vicarios mediaſtinoſque cum omni fæce. Hac notione quoque utitur *Petronius*, in deſcribenda Trimalcionis familia. Actorum vero ſervorum meminit etiam Fabularum Mileſiacarum conditor, lib. II. his verbis: *& converſa philodeſpotum requirit actorem, & ei præcipit bono cuſtodi redderet ſine mora præmium*. Græci, hos ſervos dicebant πράκτορας. Ita enim Heſychius: πράκτορες, ἀπαιτηταί.

§. VI. Officium talium ſcribarum, non adeo ſplendidum erat; uti etiam conditio minus honorata. Et ad officium quidem quod attinet, vel dictantis verba compendiariis notis excipiebant, vel excepta, in litteras redigebant vel libellos tantum patronis ſuis vel libros etiam in Bibliothecas poſtea vel privatas vel publicas, Auguſtam etiam domum referendos, deſcribebant: taleſque ſtante adhuc Republica Proceribus fuiſſe, *Varro*, de Re Ruſtica, libro III. cap. II. teſtatur: *Ibi vidi*, inquit, *greges magnos anſerum, gallinarum, columbarum, gruum, pavonum; nec non glirium, piſcium, aprorum*, & *cæteræ venationis, ex quibus rebus Scriba librarius, libertus ejus, qui apparuit Varroni*, & *me, abſente patrono, hoſpitio accipiebat, in annos ſingulos plus quinquaginta millia e villa capere dicebat*. Invenies etiam, qui ſolis Epiſtolis ſcribendis apparuerunt: quod colligi poteſt ex Inſcriptione IV. ſuperius §. III. adducta. Rationes quoque villaticas eos curaſſe, patet ex iis, quæ §. proxime præcedente V. de Servis Actoribus diximus. Denique etiam Magnates comitabantur cum pugillaribus, ut ſi quid forte notandum incideret, literis conſignare illico poſſent. Teſtis eſt *Sidonius*, Libr. V. Epiſt. XVII. *Nec plus moratus, mox ſuo ſcriba, qui pugillarem juxta tenebat, ad me vocato, ſubditum ſic Epigramma compoſui*.

§. VII. Conditio autem eorum admodum Vilis & contemta erat. Unde etiam nonnemo ex Satyricorum numero, Viles vocat scribas:

—— Cum multa rei tulerint incommoda, tandem
Grande lucrum referunt! quale hoc? Lucrentur ut assem,
Tota resignatis fundunt patrimonia fiscis.
Quid quod multa ferunt Servis indigna? Suique
Obliti generis, nunc vilis ad ostia scribæ
Mane sedent, illumque forum comitantur euntem.

Julius etiam *Firmicus*, Matheseωv lib. III. c. VI. verbis jam superius adductis, vilibus eos hominibus accenset. Sed & *Corn. Nepos*, in Eumene, hoc indicat, quando ita scribit: *Itaque eum habuit ad manum, scribæ loco, quod multo apud Græcos honorificentius est quam apud Romanos. Nam apud nos, revera, sicuti sunt, mercenarii scribæ existimantur.* Nec mirum, contemptos fuisse homines; multi enim ex illis mancipia & servi erant. Inscriptio vetus superius adducta:

L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS.
SCRIBA.

LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA.
APOLLINIS.

Cicero quoque, lib. V. Epist. ad Familiares XX. *Ita accepi librum a meo servo scriba, ut eundem acceperim a fratre tuo.* Sufficiant hæc de privatis Scribis, quis enim omnia hic exponat? ad publicos nunc accedimus.

§. VIII. Publici Scribæ fuerunt, qui apparuerunt singulis magistratibus, eo nomine, ut rationes Publicas in tabulas referrent, & leges, actaque omnia describerent. Hi plerumque inter Apparitores Magistratuum numerantur. Ita *Cicero*, lib. 3. de legibus: *Animadverto quosque in Magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint.* Hoc autem in loco Ciceronem de Scribis loqui, ostendit *Sigonius*, ex Plutarcho, lib. II. de Antiquo jure Civ. Rom. c. VIII. Hi Publici Scribæ, non minus etiam *Librarii* vocantur *a Festo. Librarii*, inquit, *qui rationes publicas scribunt in tabulas. Tabelliones* etiam ab *Isidoro*, lib. IX. cap. IV. Originum: *Tabellio vocatur eo quod sit portator tabellarum. Idem exceptor, idem & scriba Publicus, qui ea tantum quæ gestis publicantur, scribit.* Sed audiamus de his *Excellentissimum Dn. D. Schubartum*, Patronum meum maximum, Tractat. de Comitibus Palatinis, pag. 254. hac de re egregie differentem: *Tabularios*, inquit, *vocabant Romani, qui per singulas civitates rationes, atque chartas rei tributariæ curabant, nomina debitorum prodebant, breves conficiebant ac λογαριακὰ exactoribus danda. Tale hominum genus nostris etiam moribus non inusitatum est. Scribarum nomine publicorum veniebant, quibus acta publica & pericula magistratuum commissa. Ævo Cassiodori adhuc suo munere fungebantur, qui formulam hujus elegantem in variis habet* (locus est Lib. XII. Epist. XXI. inferius adducendus) *ubi tamen inscriptio, de scribarum seu tabellionum officio, recentioris manus est, veraque & antiqua hæc substituenda*, Scribæ Ravennati. *Tabelliones erant, qui tabellas, literas, cautiones atque obligationes conficiebant, contractuum & testamentorum instrumenta conscribebant, forensibus negociis se accommodabant.* Suidas & Glossæ Nomicæ *describunt*: Ταβελλίων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος, δυξαντε πολλὴν ἐπὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ ἔχων, ἅπαντα ἐπιτελεῖ τὰ τῶν γραμματεία, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζων αὐτὸς οἰκείοις γράμμασιν.

§. IX. Nomina porro, Scribæ Publici, varia olim sortiebantur a Magistratibus, a quibus vel lecti erant, vel quibus adparebant: quod testatur *Reinesius*, Epistol. XXXI. ad Rupertum p. m. CLXVIII. Conf. Sigonium l. c. Pontifices enim, Duces, Imperatores, Consules, Proconsules, Ædiles, Quæstores, & plerique cæteri Magistratus, certos suos sibi Scribas adsciscebant, qui negocia eorum curabant scriptis, & Rationibus præerant consignandis, quæ, magistratu finito, Reipublicæ offerebantur. Unde postea *Scribæ Pontificum, Ducales, Imperatorii, Consulum, Proconsulum, Ædilium, Quæstorum* &c. quin & *Juris peritorum* & *Advocatorum* appellabantur. Quæ nomina accurate collegit *C. Barthius* Advers. lib. LX. qui liber Commentarium continet in Civitatem Dei Augustini. Non tamen inter illos apparet Scriba *Prætorius*, forte, quia Auctores Indicis Inscriptionum, a Grutero collectarum, negarunt hujus generis scribam inveniri? Sed accuratissimus Reinesius loco paulo ante citato, in Lapide Ladestano Liburniæ reperisse se testatur inscriptionem, in qua Prætoriani Scribæ mentio occurrat.

C. MODIVS. SCR. PR. VERONA
ANN. XX.

addit postea: *Et cum ædilium, quæstorum, tribunorum, fuerint Scribæ, vel quod lecti ab hisce Magistratibus, vel quod iis adparerent appellati; cur Prætorum nulli fuissent? Fuerunt fortassis huic magistratui magis necessarii, & plures quam illis.*

§. X. Facile, spero, ex hactenus dictis apparet, ingentem Scribarum numerum fuisse in Civitate. Factum inde, ut in multas *Decurias* sint translati, Quæstoriorum nempe, Ædilitiorum, Prætoriorum, prout a Quæstoribus, Ædilibus aut Prætoribus fuissent lecti: & pro ratione illarum decuriarum, in quam quisque lectus erat, percipiebat emolumenta. Cujus rei testis esse poterit fragmentum tabulæ æneæ Rom. cujus verba habentur apud Gruterum, p. DCXXVIII. in qua Quæstor Urbanus, qui ærarium provinciam obtinet, jubetur Scribis mercedem solvere. Sed ecce verba:

Q. VRB. QVEI. AERARIVM. PROVINCIAM. OPTINET. EAM.
MERCEDEM.
DEFERTO. QVAESTORQVE. QVEI.
AERARIVM. PROVINCIAM.
OPTINEBIT. EAM. PECVNIAM. EI.
SCRIBAE. SCRIBEISQVE.
HEREDIVE.
EIVS. SOLVITO. IDQVE. EI. SINE.
FRAVDE. SVA. FACERE. LICETO.
QVOD
SINE. MALO. PEQVLATV. FIAT.
OLLEISQVE. HOMINIBVS. EAM.
PECVNIAM. CAPERE.
LICETO.

Cum autem hi Scribæ sæpius cum Patronis suis in provincias ire cogerentur, (nam in comitatu Præsidum in provincias euntium, omnes illi adjuto-

res, ministri, comitesque erant, quos, cum usus ratioque provinciæ, tum dignitas ipsa magistratuum ac reipublicæ postulavit, v. g. Legati, Tribuni Militum, Centuriones Præfecti, Decuriones, aliique militarium operum rationumque adjutores atque ministri: præterea vero Scribæ, accensi, præcones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, & contubernales &c.) inde sæpius decuriæ istæ a Scribis vendebantur, ab aliis vero emebantur. Qua de re rursus *Reinesius*, Epistola citata. Talis emtionis meminit *Cicero*, in Varum: *Ad eos*, inquit, *me Scribas revoca, si placet; noli hos colligere, qui numulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. Eos Scribas tecum disceptatores hujus criminis habebo, qui istos Scribas esse moleste ferunt. Tametsi cum in eo ordine videamus esse multos non idoneos qui ordo industriæ propositus est, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo esse, quo cuivis licet precio pervenire?* Jus autem Scribas in decurias legendi præcipue penes Prætores, Quæstores ac Ædiles fuisse, indicat Sigonius, & quidem ex Ciceronis Cluentiana, ubi hæc occurrunt: Nuper hominem tenuem scribam ædilicium, D. Matrinium, cum defendissem apud M. Junium, Q. Publicium, Prætores, & M. Plætorium, C. Flaminium, Ædiles curules; persuasi, ut scribam jurati legerent eum, quem iidem isti Censores ærarium reliquissent. Affinia his habet *Livius*, Lib. XL. Q. Petillius, Prætor Urbanus, eos libros a L. Petillio scriba sumsit. Et erat familiarius usus, quod scribam eum quæstor Q. Petillius in decuriam legerat.

§. XI. Officia Scribarum Publicorum, præcipue hæc erant: (1) Apparere Magistratibus, quod præter illa, quæ jam adduximus, confirmat etiam locus Plutarchi, in Catone, qui in Latinam linguam translatus, sic sonat: *Cato, cum quæsturam iniisset, ministros & scribas coercuit, qui publicas tabulas legesque tractantes, cum adolescentes nacti essent quibus magistratibus apparerent, quod ii propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant magistratus. Eos vero Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit: Cum alios fraudis, alios inscitiæ insimularet.* (2) Omnia ea, quæ magistratus e scripto volebat publicata, publice populo prælegere & præconi subjicere edicenda. De quo *Philippus Beroaldus*, in lib. IX. Apuleii. (3) Quæ publicabantur e gestis & in ea referebantur, consignabant, excipiebant & tabulis inferebant: unde *Isidorus*, l.c. Tabelliones eos dictos scribit, quod ea, quæ gestis publicabantur, scribebant. (4) Pericula Magistratuum illis commissa erant, quod *Cicero*, l.c. testatur: *Est vero honestus ordo, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magistratuum committuntur.* Quid autem per Pericula Magistratuum hic intelligatur, explicat *Barthius*: Quod his verbis, inquit, Cicero dicit pericula Magistratuum scribis commissa, docet, quæ instrumenta, contractus, conventiones, pacta, aut ultimæ voluntates, aliave talia, publicæ fidei credita forent, apud Scribas fuisse deposita. (5) Leges quodammodo in manibus habebant, & ex iis magistratibus jus suggerebant, quod ex *Ciceronis* loco, Lib. III. de Legibus, colligi potest: *Animadverto quosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint.* Quod manifestius indicat *Plutarchus*, in Catone: *Cato*, inquit, *cum quæsturam iniisset, ministros, & scribas coercuit, qui publicas tabulas, legesque tractantes, cum adolescentes nacti essent, quibus magistratibus apparerent, quod ii propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant magistratus. Eos vero Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit.* Elegantissimus denique est *Cassiodori* Locus, quo Scribas hos Publicos condecorat, lib. XII. Variarum, *Scribarum*, inquit, *officium securitas solet esse cunctorum: quoniam jus omnium ejus sollicitudine custoditur: alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiva surreptio, nonnullis negligentia perit quod diligens auctor acquirit: Sed de fide publica robustissime reparatur, quicquid a privatis amittitur. Armarium ejus, Fortuna cunctorum est, & merito refugium omnium dicitur, ubi universorum securitas invenitur.*

§. XII. Hæc & alia officia, ardua licet satis, quamvis obierint, nihilominus tamen primis illis temporibus, stante adhuc republica, non in magna auctoritate erat Scribarum ordo: Tribunorum enim ærarii ordini, quibus, ut *Varro* ait, attributa erat pecunia, ut militi redderent, postponebatur, &, quemadmodum Tribuni ærarii, ita etiam Scribæ e plebe fuerunt. Quin libertos quoque scribarum munus obiisse (quamvis rarius id acciderit) patet ex eo, quod Cicero, M. Tullio, liberto suo, scriba usus est. Unde etiam *Nepos* in Eumene, scribarum munus multo apud Græcos honorificentius fuisse quam apud Romanos scribit: verba ejus hæc sunt: *Itaque eum habuit ad manum, scribæ loco, quod multo apud Græcos honorificentius est quam apud Romanos. Nam apud nos, revera sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur.* Omnium autem vilissimus erat *Navalis* Scriba; quod Festus indicat: *Navalis*, ait, *scriba, qui in nave apparebat, inter aliud genus scribarum minimæ dignitatis habebatur, quod periculis quoque ejus ministerium est objectum.* Quæ verba *Barthius* ita interpretatur: Cum omnes scribæ non sint magnæ existimationis antiquorum moribus, nimirum distincti ea ab officiis quique suis, minimi tamen illi merito habentur, qui ministerium illud suum etiam cum mortis periculo facessunt, operam scilicet suam locantes in naves; classibus puta peregre belli aut negotiationis gratia euntibus. Qui etiam ex Jacobi Cujacii Commentariolo ad Pomponium, de Origine Juris, ostendere conatur, neminem ex scribarum ordine in Senatum legi potuisse.

§. XIII. Neque tamen inter contemtos aut abjectos homines reputabantur: nam & ordo illorum *honestus* erat, quod *Cicero V.* in Verrem testatur, *Est vero*, inquit, *honestus ordo, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committuntur*; Et honorifice de iis loquitur in Oratione pro domo sua, quando dicit: *Scribæ, qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rem publ. beneficiis suum judicium decretumque esse voluerunt.* *Barthius* etiam, Adversar. lib. L. in Inscriptionibus se legisse testatur, scribarum titulis additam vocem HON. quæ honestam talium hominum opinionem indicaret. Adducit etiam in hanc rem, ex *Wolffgangi Lazii* Commentar. Reipubl. Romanæ. Lib. V. cap. XVII. hoc monumentum: D. M. M. ATINIO. AEL. F. PAL. PATERNO. SCRIBAE. AEDILI. CVRVLI. HON. VSVS. AB. IMP. EQVO. PVBLICO. HONOR. PRAET. CON. II. BRACHAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X. Ex *Ingenuis* quoque illorum Ordinem maximam partem constitisse, confirmat *Carol. Sigonius* lib. II. de Antiquo Jure Civ. Rom. Cap. XV. *Scribas*, inquit, *ex hoc numero eximimus; non quod non apparitorum numero fuerint, sed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam*

ex libertinis conſtitiſſe animadvertimus. Si quidem & antiquus ille ſcriba Pontificum, Cn. Flavius, non libertinus fuit, ſed libertini filius, & Cicerejus Scriba Scipionis, prætor legi non potuiſſet, niſi ingenuus fuiſſet. Neque etiam ſtante rep. magiſtratus ulli libertinorum ordini patuerunt. Neque etiam *aditum* omnem *ad honores* illis interclusum fuiſſe, ex dictis, apparet. De hoc enim Cicerejo, Scipionis Africani ſcriba, *Valerius* teſtatur, eum, cum in campum Africani filium candidatum, prætoriis Comitiis deduxiſſet, ſeque omnibus centuriis Scipioni anteferri vidiſſet, e templo deſcendiſſe, abjectaque candida toga competitoris ſui ſuffragatorem agere cœpiſſe, ut ſcilicet Præturam melius Africani memoriæ concederet, quam ſibi vendicaret. Quin, ſi magnis Viris fidem habemus, ab his aliiſque talibus indivulſis ſummatum magiſtratuum Comitibus ἐξ ὅπερ ἡ Ρωμαίων δυναϛεία μετέπεσεν εἰς μοναρχίαν, prognati tandem ſunt, cum præmiorum loco certis poſtea terris donarentur, & ab iis titulos caperent, quos hodie, Honoris titulo, *Comites* appellamus.

§. XIV. Sed, ne ultra terminos huic diſſertationi præfixos excurramus, hic calamum figimus, longe enim diverſam & honoratiorem ſortem Scribarum ſub Imperatoribus, maxime vero Græcis, fuiſſe, nemini ignotum eſſe poterit, qui varias Imperii Notitias aliaque hujus farinæ ſcripta diligens evolverit. Quos vero honores obtineant quibuſque in dignitatibus hodie jure ſuo verſentur Scribæ, imprimis Publici, ob inſignia in omnes reſpublicas merita, quamque longe melius illorum grata in ſuos officia agnoſcant hodierni rerum publicarum moderatores quam ſuperbi olim Quirites, quibus omne fere literarum opus ſervile erat, notius eſt, quam ut hic demonſtrari debeat. Nobis igitur hac vice de Scribis Veterum Romanorum hæc dixiſſe ſufficiat.

F I N I S.



JOANNIS CLERICI

BARONIS ÆRARII SCOTICI
APUD BRITANNOS

DE

STYLIS VETERUM,

ET

Diversis Chartarum generibus

DISSERTATIO.

JOANNIS CLERICI DISSERTATIO DE STYLIS VETERUM, ET *Diversis Chartarum generibus*



Um ex ſcriptis antiquorum, velut ex fontibus, omnes fere artes & ſcientiæ manaverint; operæ pretium nobis videtur inſtrumenta quædam ſtudioſis rerum antiquarum apponere, quæ ſcriptionibus antiquis inſerviiſſe colligimus.

Veteres, ante pennarum uſum, inſtrumentum ad ſcribendum adhibebant, quod a Græcis γραφὶς, vel γραφίον, a Latinis STYLUS, vel GRAPHIUM, appellabatur: inde Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 11.

B

Quid digitos opus eſt graphium laſſare tenendo?

& de ſtylo ſic loquitur Cicero, *Cedat forum caſtris, otium militiæ, ſtylus gladio.*

Styli interdum ex auro, argento, ære, fabricabantur; ſed vulgariores fuerant ex ferro, vel oſſibus.

C

Forma eorum varia fuit, ſed in hoc omnes conveniebant, ut ab imo acuti eſſent, & a ſummo plani & obtuſi: igitur Sympoſius, Æn. 1. ſtylum hiſce verſibus optime deſcribit:

De ſummo planus, ſed non ego planus ab imo:
Verſor utrinque manu, diverſo munere fungor:
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

D

Pars acuta ſtyli ad ſcribendas, ſeu verius ad exarandas, effodiendas, vel incidendas literas inſerviebat: igitur interdum hoc inſtrumentum γλύφιον a Græcis, & a Latinis *cælum*, & *celtis*, a *cælando*, vocabatur.

Pars altera ſtyli quæ plana erat, ad delenda, corrigenda, vel obducenda, & mutanda ea quæ ſcripta fuerant, inſerviebat; inde a Philoſophis in-

A terdum *pars melior ſtyli* appellabatur. Itaque D. Hieronymus, *Stultus ego, qui me putaverim hæc abſque Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem legerim quæ deleret, quam quæ ſcriberet.* Quod ad ſcripta mutanda & corrigenda attinet, officium hoc eſt eorum, qui opera terſa & limata in publicum edere volunt: itaque præceptum hoc aureum ex Horatio habemus, lib. 1. Sat. 10.

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus: ———

cæterum *vertere ſtylum*, proverbialiter interdum dixerunt Romani, quando ea quæ prius affirmata vel negata fuerant, in contrarium ſenſum poſtea proferebantur.

Diximus ſtylos vel graphia quædam ex ferro vel ex oſſibus fuiſſe. Qui primi generis erant, ſæpe pro pugionibus utebantur. Igitur Suetonius in vita Julii Cæſaris, cap. 82. *Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio trajecit.* Idem quoque in vita Caligulæ, cap. 28. *Caligula, cum diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornavit qui ingredientem curiam, repente hoſtem publicum appellantes, invaderent, graphiiſque confoſſum lacerandum cæteris traderent.* Seneca lib. 1. de clementia, cap. 14. *Erixionem Equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit.* Eodem ſenſu ſtylus uſurpatur a Cicerone, in oratione pro Muræn. *Et ſi meus ille ſtylus fuiſſet.*

Styli ex oſſibus, ut minus acuti & periculoſi, inter pueros & mulieres obtinebant, ne ſcilicet in rixis alii alios vulnerarent, vel confoderent.


Attamen ferreis ſtylis, ut videtur, occiſus fuit Caſſianus a pueris ſuis: nam Prudentius Hymn. 11. de Caſſiano Martyre hæc habet,

Inde alii ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur:
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.
Hinc foditur Chriſti confeſſor, & inde ſecatur:
Pars viſcus intrat molle, pars ſcindit cutem

A Tabula nostra ænea stylos aliquot, nuper in Scotia prope Vallum Antonini Pii repertos, exhibet: nam quod styli sunt potius quam alia instrumenta, ex sequentibus intelligi possit; quæ judicio lectorum relinquimus.

Quæ Num. 1. & 2. notantur, ejusmodi sunt, quæ perperam a Montfauconio fibulæ ad connectendas vestes appellantur. Hic doctissimus vir de his opinionem suam dictitat verbosa sane pertinacia, „ nam hæc habet. „ Non multis excutiam de„ pellamque eorum opinionem, qui hactenus pu„ taverunt hujusmodi fibulas stylos esse ad scri„ bendum: nec defuere inter viros doctos qui eam B „ propugnarint sententiam: res enim eo processit, „ ut ex Museo Petavii, quod publicatum erat An„ no 1610. manus hominis repræsentata fuerit cum „ hujusmodi stylo scribentis: sed cum ex illo tem„ pore magnus stylorum numerus emerserit ex te„ nebris, errore illo levati sunt ex Antiquariæ rei „ studiosis multi, puto paucos hodie esse qui ita existiment. —— Nam styli, quibus olim scribe- „ bant erant virgæ acutæ, multoque longiores fi- „ bularum aculeis. „

Sed his non obstantibus, Petavio vel ejus editoribus accedimus: manum scribentis in tabula apposuimus, eaque instrumenta stylos esse putamus: nam quod longiores styli fuerint fibularum aculeis parum ad rem facit, siquidem alii longiores, alii breviores fuerint ad libitum utentis. Viri militares interdum cum pugionibus scribebant, & inde voces *styli* & *pugiones* confundi cœperunt. Sed qui pacis artes colebant, scribæ scilicet, notarii aliique privati stylis procul dubio utebantur, qui pro pugionibus vix usurpari poterant. Cæterum hic vir doctissimus, si ad marmora antiqua & statuas suas vestitas attendisset, quarum aliquot centenas refert, ne vel unam earum invenisset, cujus vestimenta hisce fibulis suis cincta, vel ornata essent: quod si alii aliter sentiant, Græcos & Romanos suos ita cinctos habeant, non invidebimus.



1 & 2. Styli qui ab aliquibus Fibulæ vocantur
3 Stylus
4 Theca graphiaria ex ære
5 Stylus

Literis A B C pars styli designatur quæ ad delenda scripta inserviebat.

E Nunc ut in descriptione nostrorum stylorum pergamus. Ex summa parte ejus qui notatur num. 1. aculeus exiit, qui ad formam aliquorum cultellorum, quibus hodie vulgo utimur, ita in imo condi & involvi possit, ut procul a periculo sine theca graphiaria gestaretur. In stylo altero, num. 2. fractum aculeum illum habemus, sed in utroque locus ille planus ad literas A & B conspicitur, adeo a Philosophis decantatus. Verum ad lit. A paulo imperfectior videtur; restat enim solummodo clavus, qui partem illam ad delendum ex alia materia factam retinebat. In eo tamen, ad literam B. omni pulchritudine conspicitur ea pars, ex tesseris scilicet parvulis variegatis, ad modum operis

musivi confecta. Porro stylorum alter diversis coloribus incrustatus, alter in quibusdam partibus argento distinctus cernitur.

Figura tertia exhibet nobis stylum perfectissimum, nam præter cuspidem acutam, locum habet illum planum ad lit. C. valde conspicuum. Figura quarta exhibet thecam graphiariam ex ære, in qua condebatur stylus, num. 5. notatus. Operculo clauditur, quod clavi quædam species figura avis ornati affixum retinebat. De hoc autem stylo dubitandi magis locus est: nam etiamsi inter instrumenta militaria vix adnumeranda sit, attamen ad auguria captanda inserviisse potuerit, sub nomine *extispicii*, quo augures animalium exta explorare solebant. At si instrumentum hoc quoque stylum esse pronuntiaremus, haud multum aberraverimus; cum enim thecæ graphiariæ in usu fuerint apud veteres, hanc nostram ejusmodi fuisse, & usum instrumenti in ea conditi denotare, vix dubitamus. De thecis istis graphiariis ita loquitur Martialis lib. 14. Epig. 2.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro,
Si puero dones, non leve munus erit.

Et Suetonius in vita Claud. cap. 35. *Et vix remisit ne cuivis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur.*

Diximus stylum interdum pro instrumento ad scribendum, interdum pro pugione ad vulnerandum & occidendum usurpatum fuisse, nunc & aliam significationem dabimus; nam frequenter ad formam & methodum rei scriptæ & tractatæ, sive structuram verborum, transferri solebat. Hoc sensu loquitur Terentius in Prolog. And. *Dissimili oratione factæ sunt & stylo.* Cicero de clar. orat. cap. 45. *Orationes Attico stylo scriptæ*; & Plinius lib. 1. Epist. *Stylus pressus & demissus*: & hanc quoque formam loquendi Britanni atque aliæ gentes plures ad suas linguas transtulerunt.

Nunc ad chartarum genera, in quibus scribebatur, veniamus. Chartæ omnium antiquissimæ fuerant corticeæ, membranaceæ & pugillares. Veteres primum in corticibus arborum scripserunt. Igitur Isidorus, lib. 6. orig. cap. 14. *Liber est, interior tunica corticis, quæ ligno adhæret, in qua antiqui scribebant*: de qua Virgilius, Ecl. 10.

*—— Alta moriens liber hæret in ulmo.**

unde & *liber* dicitur in quo scribimus, quia ante usum chartæ, vel membranarum, de libris arborum volumina fiebant. Hujus chartæ paucæ reliquiæ hodie supersunt, nisi papyrum Ægyptiacam speciem ejus esse agnosceremus.

Papyrus apud Græcos Βύβλος vel Βίβλος vocabatur, & inde libri Βίβλοι, vel Βιβλία nominantur. Facta erat hæc charta ex planta quæ pelliceas tunicas habebat multas: eæ, testante Plinio, acu separabantur; & deinde ita conglutinatæ, ut firmitatem acquirerent, & ad scripta retinenda aptæ redderentur. Ars conficiendæ papyri floruit maxime Alexandriæ, ut innuit Hadrianus Imperator in Epistola sua apud Vopiscum, *Civitas opulenta*, inquit, *dives, fecunda, in qua nemo vivit otiosus; alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur.*

Ex papyro librorum quædam fragmenta in Bi-

* In aliquibus editionibus legitur, *aret in ulmo*.

A bliothecis inveniuntur; & hujus generis est Evangelium S. Marci, quod Venetiis conservatur.

Chartæ membranaceæ dicuntur, quæ ex pellibus animalium conficiuntur: pelles enim vel subigebantur ad modum earum, quibus pro chirothecis utimur, vel ut pergamena moderna parabantur. Primi generis chartæ vulgo apud Judæos ad leges Mosaicas exarandas locum obtinebant. Inde vox, *volumen*, desumpta, eo quod pelles istæ convolutæ fuerant, sicut hodie in quibusdam locis inveniuntur. Sed vulgarioris usus erant membranæ, quas Varro & Plinius volunt Pergami primum confectas fuisse ex æmulatione orta inter B Ptolemæum Ægypti & Eumenem Pergami Reges circa Bibliothecas suas. Nam cum Ptolemæus papyrum Ægyptiacam exportari prohibuisset, Eumenem tradunt membranaceis libris Bibliothecam suam composuisse. Verior tamen opinio mihi videtur, Eumenem non auctorem membranarum fuisse, sed earum usum frequentiorem reddidisse, & hac de causa membranaceam chartam vulgo *Pergamenam* dictam fuisse. Igitur ante illorum Regum tempora membranas in usu fuisse apud Herodotum invenimus, ait enim, *Iones & aliarum gentium homines in membranis caprinis & ovillis scribere C solitos fuisse.* Tradit quoque Josephus, lib. 12. Antiquitatum. „ A Judæorum summo Pontifice „ missos ad Ptolemæum senes libros sacræ legis ex„ pectantem, membranas suis involucris extractas „ ostendisse, aureis literis perscriptas, tenuitatis „ admirandæ, ac sic compositas, ut visu discerni „ commissuræ non possent. „ Ex quo loco videtur membranas etiam ante Ptolemæi tempora in usu apud Judæos fuisse. Ad antiquitatem membranarum facit quoque hoc proverbium, *Diphthera antiquiora.* Vid. Erasmum: nam a Græcis membranæ διφθέραι appellabantur: & hujus generis sunt codices fere omnes antiqui, qui in variis biblio- D thecis conservantur.

Pugillares etiam ab antiquissimis temporibus obtinuisse certissimum est: igitur Homerus Iliad.

Πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ᾽ ὅγε σήματα λυγρά,
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Sed misit ipsum in Lyciam, deditque is literas perniciosas scriptas in tabella complicata animæ exitialibus multis. Idem apud Romanos testatur Plau- E tus, in Bacchid. A. 4. S. 4. *Effer cito stylum, ceram & tabellas.*

Ex varia materia erant pugillares, scilicet ligno quovis, citro, buxo, etiam ex ebore & membranis cera obductis: unde *tabulæ ceratæ* interdum vocabantur. Igitur Martialis, lib. 14. Epig. 3.

Secta nisi in tenues essemus signa tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

F Epig. 5.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Et in Epig. 7.

Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis quoties scripta novare voles.

Colore etiam diversi erant, prout cera rubra, lutea, viridi, crocea, alba, &c. liniti essent: ita facile exarabantur stylo, & deinde scripta ea quæ minus placebant, styli parte plana & obtusa mutabantur, vel delebantur. Sed & pugillares, & rationem in iis scribendi, optime describit Alahelmus in hoc ænigmate,

Melligeris apibus mea prima processit origo,
Sed pars exterior crescebat cætera sylvis:
Calceamenta mihi tradebant tergora dura:
Nunc ferri stimulus faciem proscindit amœnam,
Flexibus & sulcis obliquat adinstar aratri.

Pugillares interdum ex auro, argento, ære vel plumbo facti erant, & tum stylo ferreo scriptitatum fuit: namque literæ sculptæ & incisæ potius videbantur quam scriptæ: igitur ex antiquissima Scripturarum sacrarum versione hæc habemus in libro Jobi, c. 19. ver. 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte, sculpantur in silice?* Apud Plinium volumina plumbea memorantur, sed eorum pauca in bibliothecis hodie conspiciuntur.

Pugillares vulgo duabus paginis, ternis, aut quinis, vel pluribus constabant, unde *duplices, triplices, quincuplices*, vel *multiplices*, appellabantur: Græci δίπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα, & πολύπτυχα dixere.

In diptychis, & triptychis cera illitis scripta fuerant solummodo ea quæ ad usum familiarem spectabant: sed in cæteris, omnia quæ chartis vel membranis committi solebant. De hisce primis intelligenda sunt hæc ex Ovidio, lib. 1. Amor. Eleg. 12.

Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tanquam minio, penitus medicata rubebas.
Ille color vere sanguinolentus erat.

Et hæc quoque ex Prudentio in Hymno de Cassiano Martyre,

Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt; relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Pugillares aliquando *palimpsesta* vocabantur, a Græcis παλίμψηστοι, a ψάω, *tergo, abstergo*: nam palimpsesta ita fabricabantur, ut scripta in iis facile abstergerentur vel delerentur: quare Cicero ad Trebatium, lib. 7. Epist. 18. *Nam quod in palimpsesto, laudo equidem parcimoniam: sed miror quod in illa chartula fuerit, quod delere malueris, nisi forte formulas tuas; non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas.*

Hæc de chartarum generibus antiquissimis sufficiant: nam ad posteriora secula referendæ sunt chartæ linteæ & bombycinæ. De linteis ita loquitur Plinius, lib. 13. cap. 11. *Mox & privata linteis confici cœpta.* Et ex Vopisco in vita Aureliani patet in Ulpia bibliotheca libros linteos extitisse.

Charta bombycina a Græcis Βομβυκὴν dicta fuit,

A ἀπὸ τῦ Βόμβυκος, a *bombyce*, sive *gossipio*, Angliae *Cotton*: ex qua materia conficiebatur: sæpe autem *bombycina* pro *serico* usurpatur, ut ex Plinio constat.

Ex charta bombycina tandem pervenit usus & opificium chartæ, qua hodie vulgo utimur, ex pannis scilicet linteis contritis: & hanc annis abhinc sexcentis obtinuisse credimus.

In his omnibus chartis, nisi pugillares excipiamus, calamo vel arundine, & postea penna, scriptitatum fuit. Igitur Plinius, *calami Ægyptii maxime & Gnidii chartis serviunt*. Hi calami vulgo junci fuerant, ex Nili ripis excerpti, & ad scri-
B bendum aptati. Græci calamis ex Perside allatis scribere solebant. Sed & calami argentei interdum in usu erant: namque his & Patriarchas & alios plures scripsisse vulgatissimum erat. De penna hæc habet Isidorus, lib. 6. cap. 14. *Instrumenta scribæ* calamus *& penna; ex his enim verba paginis infiguntur, sed* calamus *arboris est*, penna *avis, cujus acumen dividitur in duo*. Imo ad prisca tempora penna ab aliquibus refertur, ait enim Juvenalis, Sat. 6.

C *Anxia præcipiti venisset epistola penna.*

Nisi hic *penna* figurate pro *ala* dicatur, & celeritas epistolæ potius quam instrumentum quo scripta fuit, intelligatur.

Liquoribus ex diversis coloribus literæ adnotabantur, sed inprimis atro, quod *atramentum* vocabatur, Græce μέλαν, vel μελάνιον. Variis modis a veteribus confectum erat, scilicet interdum ex succo loliginis, vel sepiæ; interdum ex fuligine fornacum ac balnearum. Apelles nigrum colorem ex ebore combusto fecit, quod aliquando *E-*
D *lephantinum* vocabatur. Apportabatur etiam Indicum atramentum ex India, *exploratæ inventionis*, ut ait Plinius, lib. 35. cap. 6.

Tituli capitum & articulorum, & sæpe librorum inscriptiones minio, sive rubro purpureoque colore notabantur; igitur Ovidius,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Hinc tituli legum Romanarum vulgo *rubricæ* ap-
E pellabantur. Igitur Paulus in l. 2. §. reciperandæ, ff. de interdictis, *Reciperandæ*, inquit, *possessionis causa interdicta proponuntur sub rubrica*, unde vi. Et Juvenalis, Sat. 14.

—— —— *Perlege rubras*
Majorum leges. —— ——

Purpureus color, species erat rubri eximia. Apud Byzantinos scriptores in magno usu erat, & Κινάβαρις dicebatur. Erat cinabaris liquor ex co-
F cto murice & trito conchylio, vel ex muricis sanguine, ut Plinius vult. Hoc colore Imperatores fere omnes antiqui utebantur, eo nomina in vexillis inscripta habuerunt, eo sæpe scripserunt, purpura vestiti fuerunt, & frequenter purpura insigne erat Romanorum magistratuum. Imo adeo invaluit vox, ut *induere purpuram* pro ipso Imperatorio munere fungendo acciperetur. De his omnibus multa passim apud veteres habemus. Nam, ut obiter dicam, poetis usque adeo placuit hic color, ut quicquid eximium esset *purpureum* dicere-

tur. Hinc Horatius, lib. 4. Ode 1. cygnos, licet sua natura candidos, *purpureos* vocat.

Purpureis ales oloribus.

Idem quoque de nive dictum invenimus, & inde crediderunt aliqui purpuram quoque albam fuisse. Namque Xenophon Cyro fuisse ait *χιτῶνα πορφυρῶν μεσόλευκον*; & huc referenda sunt verba Ana- A creontis Ἀφροδίτη πορφύρα, *Venus purpurea*. Porro & viridis color aliquando in scriptionibus usurpabatur: nam qui in spem imperii nati fuerant, Imperatorum scilicet & Regum filii, vel eorum tutores, hoc colore scripserunt.

Liquore etiam aureo scriptitatum fuisse ex multis codicibus antiquis manifestum est: sed qui plura de scriptis veterum cognoscere volunt, eos ad Mabillonium *de re diplomatica*, & *Palæographiam Græcam* Montfauconii, remittimus.

F I N I S.



LAURENTII PIGNORII
PATAVINI
DE SERVIS,
ET
Eorum apud veteres ministeriis
COMMENTARIUS.

In quo familia, tum urbana, tum rustica, ordine producitur & illustratur.

Amplissimo Spectatissimo Doctissimoque Viro D. D.

PAULO AB UCHELEN
ANDREAS FRISIUS
S. P. D.



ITa sese res habet: Magni ad civilis usum vitæ momenti est, aliorum res gestas novisse; sed longe maximi antiquos Romanorum ritus moresque perspectos habere. Etenim cum universi quoddam quasi compendium Roma fuerit, restat ut omnia noverit, quisquis hanc bene novit. Et quid quæso est quod ad acquirendam civilem prudentiam desiderari ultra possit? Bella quærimus & bellorum leges, segetem rerum hujus unius Urbis res gestæ dabunt. Pacem desideramus & pacis artes; nullibi major, sive publica, sive privata spectes, exemplorum copia occurret. Breviter. Quicquid a Germanis fortiter & generorose; a Gallis audacter & prompte; ab Hispanis prudenter & lente; ab Africanis latenter & versute; ab Asiaticis molliter & delicate; a Græcis eleganter & erudite dictum vel factum est, id Romani omnium fere Domini usu suum fecerunt. Atque hoc ipsum in causa est, cur eruditissimi quique Viri suam in describendis hujus populi rebus industriam exhauserint: inter quos haud postremum suo jure locum occupat Pignorius, cujus hunc de SERVIS tractatum egregii publici causa, recudendum suscepimus. Nec vero diu deliberandum nobis fuit, cui dedicandus esset hic tanti Viri cum cura recensitus labor. Cui enim potius, Amplissime Vir, quam tibi? quem non generis modo familiæque splendor, sed ingenii etiam summaque morum & vitæ elegantia, nec non rara hoc seculo, bonæ artes, & propensissimus in omnia ingenuæ mentis exercitia affectus suo jure commendant. Et hæc quidem tua virtus, & bene agendi facultas tanto in te magis admiranda est, quanto, quibus benignior fortuna arridet, in alia omnia facilius prolabuntur. Macte tali animo, talique habitu Vir Amplissime, & si quid preces nostræ apud te valent, non tam hunc, quem Tibi nominique Tuo consecramus librum, quam illum, quo tibi offertur affectum, & promptissimam ad omne genus officiorum voluntatem æstima; & quando ea divini numinis ergo nos benignitas fuit, ut, superato graviore lethalique morbo, salvum te sospitemque videamus, de quo tibi ex animo gratulamur, id agas velim, ut quam divino beneficio nactus es prosperam valetudinem, amplissimæ familiæ & publico omnium bono, quam id fieri potest, accuratissime tuearis & conserves. Ego, quod unice possum, feram tibi ætatem & prospera quæque, ut debeo, precor. Vale.

ANDREAS FRISIUS
LECTORI.



Ix jam deferbuere typi, ex quo artem Gymnasticam Mercurialis tibi dedimus: & en tibi nova veste donatum Pignorii de Servis & Popmæ de servorum operis *tractatum. Non est moris vel instituti nostri, ut aliorum conatus elevando nostros decantemus. Si tamen cuiquam placuerit, Italicam editionem cum hac nostra conferre, videbit quid inter utramque intersit. Ut enim de chartarum characterumque, quibus usi sumus, elegantia hic nihil dicam; mille modis laborandum, & universa fere Scriptorum cohors adeunda nobis fuit, ut quod egregii publici causa susceptum erat, non sine publico omnium commodo prodiret: ita omnia distorta erant, nec quicquam temere occurrebat, quod medicam manum non requireret. Nec tamen hic stetit conatus noster, sed si quid antiquitatem redoleret, nec ubivis obvium esset, dedimus operam uti id omnium oculis subjiceretur. Habes ergo hic* aulæa triclinaria, pugillares tabulas, thecam pugillarium, abacum numerarium Augustanum, Sistri, Penulæ, Carpentariorum *figuras, aliaque his similia. Tu benigne Lector his utere, fruere, & conatibus nostris favere perge.*

LAUR. PIGNORIUS
LECTORI
P. F.




Commentarium Lector, quem nunc primum grandiusculum jam, nec omnino implumem, evolare patior de nidulo suo, fuisse compressum mihi supra nonum annum, sciunt plerique amicorum, qui argumento olim delectati, & amori nimis indulgentes, jam urgere non destiterunt, ut perficerem porro quod inchoaveram. Monebant autem, e re tum mea tum aliorum esse, diligenter & accurate tractari, quæ non exiguam portionem antiquitatis, ut ipsi quidem profitebantur, illustratum irent. Neque vero mihi propositum est hac præfatione, aut excusare quod secus, aut prædicare quod sedulo fecerim. Delegabo nimirum hoc arbitrium aliis, ut dispiciant an constiterim intra conatum, an excurrerim longius. Quæ tractanda mihi sumpsi, dubio procul ex obvia passim vetustate sunt, quam qui non novit, ille vero puer dici jure merito potest. Romanam, Græcam, atque adeo barbaram historiam qui primoribus labris degustarunt, sciunt nullum fere auctorem reperiri, in quo non de Servis, & eorum ministeriis sermo habeatur. Poetæ, Grammatici, Oratores, Jurisconsulti, graviorum doctrinarum Professores, Theologi ipsi, hæc ideo attigerunt, quia usus poscebat; & quia privatim, & publice ingenuos omnes, domos & earum singulas partes, vicos, regiones, opera publica, publicas voluptates, templa, fora, basilicas, curias, collegia, negotiationes, artificia, totas urbes, rura universa, orbem denique Romanum, nec non & circumfusam barbariam, hoc genus hominum perpetuo agmine obsederat. Et quamvis nusquam gentium, ut scripsit (*a*) Anaxandrides, civitas Servorum exstaret, jus tamen belli, & turpis hic quæstus, delicatorum hominum intemperantiæ innixus, adeo referserant omnia, ut liberorum capitum solitudo, servilibus copiis arte & consilio occultanda videretur. (*b*) Seneca: *in Senatu dicta est aliquando sententia, ut servos a liberis cultus distingueret, deinde apparuit quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos cœpissent.* Nimirum hoc erat curare, ut Dominorum hostes (ita vulgo audiebant servi) agnoscerent vires suas, & armis arreptis, turbarent omnia miscerentque. De (*c*) Euno (*d*) Athenioneque legimus, ut Siciliam vastarint, ut Prætores exuerint castris, ut insignia Regia arripuerint. Neque hæc mirabitur, qui norit (ut de ergastulis nihil dicamus) urbana & rustica mancipia inexhaustam materiam bello præbere potuisse. Jure namque scripsit (*e*) Seneca, ad pascendam servorum turbam, *transmarinarum regionum fuisse optandam fertilitatem:* neque finxit supra fidem Petronius, Emolpi familiam tam magnam per agros Numidiæ sparsam fuisse, ut posset vel Carthaginem capere; (*f*) Plinius ipse testatus est, in domos mancipiorum legiones, & turbam externam ita conjectam, ut servorum causa nomenclator ipsi domino habendus esset. Pervulgata sunt illa, T. (*g*) Minucio equiti Romano quadringentos servos fuisse; totidem cessisse filiis suis (*h*) Pudentillam matronam provincialem; (*i*) Proculum arrepto imperio armasse eorundem duo millia; C. (*k*) Cæcilium, C. L. Isidorum reliquisse supra quatuor millia; M. (*l*) Crassum maximam suorum turbam domi aluisse; (*m*) Demetrio Pompejano *numerum quotidie servorum velut Imperatori exercitus referri solitum*; (*n*) ab Hermete præfecto urbis eodemque martyre, mille ducentos quinquaginta manumissos fuisse die Sancto Paschatis. Hæc inquam sunt pervulgata, & nota satis. Quæ subjungemus penitiora erunt fortasse, neque ideo tamen incredibilia, seu falso memoriæ prodita. Ab (*o*) Ovinio videlicet Gallicano martyre clarissimo, quinque millia servorum libertate fuisse donata, octo millia a (*p*) Melania juniore; &, quod mirandum nostris moribus valde sit, duodecim millia puerorum (*q*) Belisarium habuisse. Quæ sane faciunt, ut credam, non augendæ rei gratia, sed plane pro veritate, legi in (*r*) Actis Juliani martyris: *hæc dicente Præside, advenit mater ejus cum innumerabili familia utriusque sexus.* Jam vero illa (*ſ*) Aristotelica vix fidem invenient apud plerosque nostrorum, qui vetera e præsentibus metiuntur; in Ægina Insula, & illa quidem satis angusta, nec admodum magni (*t*) ambitus, quadringenta septuaginta millia servilium capitum fuisse; ut etiam illa Ctesiclis, Athenis in censu Demetrii Phalerei, quadringenta millia servorum fuisse recensita. Italiam sane nostram his omnibus anteferre hac etiam in parte certum est; sedem nimirum, & domicilium Imperii augustissimi, quod oppressit sui majestate quidquid uspiam olim mirum fuit. Ideoque non immerito MARTINUS SANDELLIUS politissimus amicus noster, Rempublicam & Imperium quæ Romæ viguerunt, humanæ magnitudinis finientes vel horizontas appellare solitus est. Confirmatur autem sententia hæc nostra (*u*) Pliniano encomio. *Ergo in toto orbe, & quacunque parte cœli convexitas vergit, pulcherrima est omnium rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix parensque mundi altera, viris, fœminis, ducibus, militibus,* SERVITIIS, *artium præstantia, ingeniorum claritatibus &c.* Huc pertinent illa D. (*x*) Hieronymi, labente jam & inclinato pene Imperio scripta: *quis crederet, ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret? ut ipsa suis populis & mater fieret & sepulcrum? ut tota* ORIENTIS, ÆGYPTI, AFRICÆ *littora, olim dominatricis urbis* SERVORUM & ANCILLARUM *numero complerentur?* Quod si Romæ (*y*) Libertini, qui e servili segete manipuli aliquot fuerunt, non unam aut alteram tribum, sed tres & quatuor occuparunt, si ibidem (*z*) legibus latis manumissiones cohibitæ sunt, ne Rempubl. pessundarent illi, quos domini quotidie servos esse non patiebantur, quid tandem servorum dicemus Romæ fuisse? quid in Italia universa? quid in universo Imperio? hinc profecto

a *Apud Athenæum lib.6.* b *Lib. 1. de clementia c. 24.* c d *Diodori Sic. excerpta lib. 34. & 36.* e *Epist.17.* f *lib. 33. c. 1.* g *Excerpta Diodori lib. 36.* h *Appul. Apo. 2.* i *Spartian.* k *Plinius lib. 33. cap. 10.* l *Plutarchus.* m *Seneca de Tranquill. cap. 8.* n *Surius Tom.3.* o *Terentianus in Actis SS. Joh. & Pauli.* p *Palladius.* q *Aimonius & Regino apud Lipsium* r *apud Sur. tom. primo.* ſ *Athenæus lib. 6.* t *stadior.* CLV. *ex Strab. lib. 8.* u *lib. ult. cap. ult.* x *Epist. ad Eustachium.* y *Sigonius de antiquo Jure lib. 2. cap. 14.* z *Institution. lib. 1. Tit. 6. & 7.*

effluxerunt non minus veri quam familiares auctoribus hæc explicandi modi, miniſter POPULUS, longus ORDO, GREX, AGMEN, NUMERUS, COHORS, & LEGIO ſervorum. Romæ autem antiquitus, cum integra eſſet, valeretque recte publicæ rei dignitas & majeſtas, paucis admodum (*a*) ſervis contenti erant. At poſt everſas (*b*) Carthaginem & Corinthum, cum vitia facto agmine in urbem victricem influxiſſent, & privata luxuria publicam magnificentiam concutere cœpiſſet, tunc irrupit vis & multitudo ſervorum, qui rei familiaris animata inſtrumenta, & oculi, aures, manus, pedes, omnia denique dominorum eſſent. Jam vero miniſteria eorundem adeo diſtincta & peculiaria fuerunt, ut non ab re ſcriptum exſtet apud juniorem (*c*) Plinium, Servis Rempublicam quandam & quaſi civitatem, domum eſſe. Et hæc certe omnia noſtri ordinis hominibus hactenus ita deſpecta fuerunt, ut pudeat me plerumque delicatum illud dominorum faſtidium in ſervos non cum ipſa vetuſtate conſenuiſſe. At hæc minuta ſunt (inquiunt) præ Militia, Triumpho, Comitiis, Ludis. Demus eſſe, & ſane ſint. At minuta quædam etiam parum utilia ut Myrmecidis Quadrigæ, & Formicæ neſcio cujus Callicratis, nonne ſuos amatores invenerunt? Me autem addictum ex vitæ inſtituto ſtudiis ſacris, non uſquequaque dedecebat hæc pertractare. Ex his enim copiis, quot cælo recepti liberalem animum geſtarunt in ſervili corpore? Referti ſunt prædicandis horum nominibus ſacri Faſti, in quibus tyranni calcati, cupiditatum lenocinia deſpecta, vitiorum illecebræ inſuper habitæ, opum ingeſtarum contemptus inſignis, ſpecioſis & veris elogiis immortalitati commendantur. Nimirum in his Apoſtolicæ voces, celebres illæ & decantatæ, mirum in modum enituerunt; (*d*) ὀ γάρ ἐςι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. Quid? quod CHRISTUS dominus ſermones ſuos ſervilibus miniſteriis implevit? ut videlicet ad deſpectum noſtri nos informaret, ut obſequium doceret, ut oſtenderet e re noſtra eſſe, id demum velle, id nolle, non quod liberet, ſed quod expediret. Horum ego omnium tenuem deſcriptionem ſcriptis hiſce meis complexus ſum, non ut gloriolam aliquam aucuparer, ſed ut pleraque mihi ſparſim adnotata, in unum veluti corpus redigerem, tironibus noſtris (ſi non veteranis) uſui aliquando futura. Et vero mihi ſatis ſuperque erit functum eſſe indicis partibus, & alicui monſtraſſe feracem olim agrum, nunc vero ceſſantem, qui impenſam coloni laboremque magno poſſit fœtu remunerari. Hanc etenim Ilotarum noſtrorum Spartam, quiſquis e prima philologorum nobilitate non aſpernatus fuerit, næ ille operam non ludet; tum quia Latinæ linguæ & nobiliſſimis ſcriptoribus afferet lucis non parum, tum quia excitabit alios ad hujuſmodi laudatæ conſcriptionis genus perſequendum, quo mores & inſtituta veterum magno cum fructu, nec minore cum temporis compendio in conſpectu habemus. Deſinere hic eſt animus; neque diutius tuam; mi Lector, patientiam in hoc veſtibulo fatigare. At percurre quæſo hæc pauca, & quidem excerpta e Phœbi cortina. Quidquid ego in hunc meum commentarium retuli, illud omne annotatum, diſpoſitum, explicatum mea opera eſt. Evoluti mihi ſunt boni ſcriptores non pauci, & plures fortaſſe, quam rationes otii mei patiebantur. Inſpicere omnes neque potui, neque ſane volui: tantum abeſt ut me adeo lynceum præſtare auſim, ut perviderim omnia. Quid tum? inquies; hoc unum, quod volo neſcius ne ſis, me non ideo compilaſſe ſcrinia aliorum, quod alii alibi hæc & his ſimilia notaverint. Quid enim? num furti aut plagii damnabimus illam apem, quæ in prato patente florem hodie inſederit, libatum heri & nudiuſtertius uni aut alteri comitum ſuarum? Num ideo pagani minacibus edictis arcendi ſunt ab aquatione, quod majores eorum, jam inde ab extructo pago, de unico & perenni fonte hauſerint? Non opinor. At quod his ultro damus, demus & nobis non inviti. Communem & nos (ut eſt in vetere parœmia) Mercurium habemus. Eoſdem Auctores volutamus. Ex iiſdem ſeligimus, & colligimus ſinguli. Novos & adulterinos mihi conflare aut cudere conſilium non fuit, & virgula divina ad manum haud erat, quæ defoſſos & latentes erueret. Edere autem, quæ acumen fugerint hactenus criticorum noſtrorum, paucis admodum contigit, in tanta præſertim eruditorum hominum copia, quæ hoc noſtro ævo facit, ut nihil ſemel dicatur, quod non prius, ter & amplius dictum ſit. Hæc, neque admodum multa, Lector habebis, quæ proponas illis, qui ut putentur ſapere, cælum vituperant. Tu bene vale, & conatui noſtro fave.

a *Val. Max. lib. 4. cap. 3. Athenæus l. 6.* b *Strabo l. 14. apud quem numerus venalium in emporio Deliaco expoſitorum, ad paradoxon videtur accedere.* c *lib. 8. ep. 16. Seneca epiſt. 47.* d *D. Paulus.*

L. PIGNORII PATAVINI DE SERVIS COMMENTARIUS.



Etuſtiſſimum SERVITII nomen eſſe, & a Noe uſque temporibus deductum, ſacra Biblia (*a*) teſtantur: *maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis*. Expreſſit autem eleganter (*b*) Alcimus Avitus:

> —— *primum inde repertum*
> *Servitii nomen: cuncti nam ſemine ab uno*
> *Prodiimus, patremque omnis ſibi vendicat unum*
> *Poſteritas: deque ingenuo mala crimina ſervum*
> *Efficiunt* ——

Et hoc ab ipſo Noe totum effluxiſſe, ut canit Alcimus, argumento eſt celebris deinceps facta mentio ſervorum, ut in illa (*c*) Abram ſubitaria copiarum domeſticarum recenſione, ad fratrem e captivitate eximendum; in præſcripto (*d*) circumciſionis & impleto ritu: & (*e*) alibi; ubi ancillarum, vernarum, emptitiorumque memoria extat. Ad nomen quod attinet, (*f*) SERVI ex eo appellati ſunt a noſtris, *quod Imperatores captivos vendere, & per hoc ſervare, nec occidere ſolent*. MANCIPIA *vero dicta ſunt, quod ab hoſtibus manu capiuntur*. (*g*) Eandem Etymi vim latiore aliquanto verborum ambitu circumſcripſit antiquus neſcio quis Juris (*h*) ſtudioſus, *qui in hoſtibus captis, & in ſervitute redactis* ſcribit *eſſe obſervatum, quod utile erat & benignum. Eos enim ſervari, & non occidi benignitatis eſſe, ſervire utilitatis, occidi neutrius*. Ita ſane Latini, alii alia; quæ nos tranſiliemus, ne Lector in ipſo pene limine hæreat. Captivitas ſane novitium inventum non fuit: ſiquidem effluxit ab ipſo uſque Nemrod. Quæ enim leguntur in Geneſi: *porro Chus genuit Nemrod; ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus* (*i*) *venator coram Domino*; illa interpretatur D. (*k*) Auguſtinus, de oppreſſione & captivitate intelligi. (*l*) Joannes Sareſberienſis aperte: *traditur hic* (Nemrod) *in tantam elationis erupiſſe vecordiam, ut non vereretur jura temerare naturæ, cum conſortes conditionis & generis, quos ingenuos illa creaverat, hic addiceret ſervituti*. Non improbat hanc ſententiam (*m*) Pererius, quam etiam tutatur (*n*) Conradus Rittershuſius. Et hoc profecto non dedecebat idololatriæ repertorem, & Politicorum patrem. (*o*) Alii autem Nino attribuunt, qui primus intulit bella finitimis, ut facile fuerit Semiramidi ejus uxori metalla primum invenire, & captivis eorum tractationem mandare, ut ſcribit Suidas. Duplici autem jure aliquis ſervus fiebat; (*a*) civili, *quando major viginti annis precii participandi cauſa ſe vænire patiebatur*; gentium, *quando ab hoſtibus quis capiebatur, aut ex ancilla naſcebatur*. Dominatio enim ex gentium jure introducta eſt, inquit (*b*) Juriſconſultus, quod & (*c*) Luctatio Placido viſum eſt ad illa Statii:

> *Ne triſtes Dominos, orbamque inimica reviſam*
> *Eurydicen* ——

Natura enim ſervum eſſe quempiam (*e*) paucis viſum eſt omnino. Juris civilis capita ampliavit maximus Imperator (*d*) Conſtantinus, qui ſancivit, Libertos homines ingratos recidere in ſervitutem, quam evaſiſſent, (*e*) Claudium imitatus, quod & (*f*) Nerone imperante agitatum eſt. Imo & in patriam ingrati, qui olim militiam detrectabant, ad dilectum non reſpondentes, ut proditores libertatis, in ſervitutem (*g*) redigebantur. Et horum auctariorum alia quidem (ut vidimus) culpæ, & noxæ imputanda ſunt, alia egeſtati, & pietati. Conſtituit enim idem (*h*) Conſtantinus, licere patribus, filios inopiæ cauſa diſtrahere; jure nimirum antiquiſſimæ a Romulo invectæ patriæ poteſtatis; cujus meminerunt (*i*) Dionyſius Halicarnaſſæus, (*k*) Cicero, (*l*) Dion Chryſoſtomus, & alii. Hi tamen precium, aut vicarium offerendo, (*m*) vindicabantur in libertatem; quam compenſationem ſuſtulit (*n*) Valentinianus Imperator, quod ſervitium (diceret) ingenui, etiam minimi temporis ſpatio, remunerationi precii facere ſatis. Et idem jus videtur fuiſſe obſervatum in (*o*) expoſitis liberis, quos θρεπτοὺς appellabant. Eorum enim Libertatis maximam habendam rationem reſpondit Imperator (*p*) Trajanus. At cum anno (*q*) Domini CDXLVII. fames univerſam Europam vexaret, Italici homines filios, & parentes vendiderunt, quos (*r*) Placidius Valentinianus redimi præcepit ſub quintæ adjectione. Quibus tamen optimorum Imperatorum ſanctionibus malæ huic mercaturæ obviam penitus itum non eſt, cum in (*ſ*) Lucanis, conventu Leucotheæ, natali D. Cypriani, a parentibus liberi paſſim diſtraherentur. SERVITUTIS autem conditio iniquior fuit, quam ratio humanitatis ſervo, & domino communis exigeret. *Eſt autem infima conditio, & fortuna ſervorum*, inquit (*t*) Cicero. *Caput enim ſervile*, ait (*u*) Paulus, *nullum jus habet, caret nomine, cenſu, tribu*. (*x*) Fabius

a *Gen.* 9. *Aug. de Civit. Dei lib.* 19. *cap.* 5. b *Lib.* 4. c *Gen. cap.* 14. d *Ibid. cap.* 17. e *Ibid c.* 20. *&* 22. f *Leg.* 4. *ff. de ſtatu hominum.* g *Epitom. jur. civ.* h *Epitome jur. civ. ex edit. Pariſ.* 1599. i *Geneſ. c.* 10. K *Lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 4. l *Lib.* 1. *Policrat. c.* 4. m *Lib.* 15. *in Geneſin.* n *Schol. ad Oppian.* o *Juſtinus & Oroſius.*

a *Leg.* 5. *de ſtat. hom.* b *Leg.* 64. *ff. de condict. indeb.* c *Lib.* 5. *Theb.* d *Ariſtot. lib* 1. *Politicor. cap.* 3. *&* 4. e *Leg.* 2. *Cod. de Libert. & eorum liberis.* f *Suet. cap.* 25. g *Tacit. lib.* 13. *Annal.* h *Leg.* 4. *de re milit.* i *Leg.* 2. *Cod. de patrib. qui filios diſtra.* K *lib.* 1. l *lib.* 1. *de Orat.* m *Oratione* 15. n *Eadem Leg.* 15. o *Leg. unic. c. Theod. eod.* p *Apud Bithynos.* q *Plin. lib.* 10. *Epiſt.* 72. r *Marcellinus.* ſ *Novell.* 11. *Valent.* t *Caſſiodorus lib.* 10. *Variar.* u *Lib.* 1. *offic.* x *Leg.* 3. *ff. de capite minutis.*

major de addicto, cujus manumissio erat controversia; *ante omnia Servus hic habet nomen, est in censu, est in tribu; quorum nihil (ut opinor) deprehendi in servo potest.* A militia præterea (*a*) arcebantur, & quidem proposita capitali pœna. (*b*) Marcianus, *ab omni militia servi prohibentur: alioqui capite puniuntur*. (*c*) Trajanus Imperator de servis inter tyrones repertis: *lecti si sint, inquisitor peccavit; si vicarii dati, penes eos culpa est qui dederunt, si ipsi, cum haberent conditionis suæ conscientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit*. Et hoc adeo receptum fuit, ut cum ex inopia liberorum capitum, Imperatores ad ultimum prope desperatæ Reipublicæ auxilium adigerentur, tunc non legerent in militiam servos, nisi (*d*) liberos factos. Nunc ex his, quæ diximus, intelligi dabitur, quid sibi vellet Plinius, cum se confectum scribit infirmitatibus, & mortibus suorum, illud solatii habere, quod *permitteret servis quoque* quasi (*e*) testamenta *facere, eaque ut legitima custodiret*, Quæ testamenta appellat ea, quæ Jus civile testamenta esse nolebat. Qua ratione (*f*) Ulpianus servam servo *quasi dotem* dare scripsit; (*g*) Paulus peculium servi *quasi patrimonium*; servi conturbernalem, vernæ filii (*h*) *quasi novercam* appellavit. DOMINIUM vero in ipsos tum summi juris, tum summæ injuriæ erat. Pecudum enim potius, quam hominum numero censebantur. (*i*) Cajus: *ut igitur apparet, servis nostris exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero sunt* (*k*) Seneca; *alia interim crudelia, & inhumana prætereo, quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam jumentis abutimur*. Et, *nolo in ingentem me locum immittere, & de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus*. Ideo recte excepit (*l*) Cicero: *servus est nemo (qui modo tolerabili conditione sit servitutis.)* fuerunt enim qui intoleranda erant conditione, etiamsi ad Legis Æliæ Sentiæ capita Cicero minime respexisset, Cibum enim adurere, mensam evertere, dicto tardius audientem fuisse, cruce, aut flagellis ad minus (*m*) expiabantur. Dixisses, omnes penitus dominos professos fuisse Stoicam sectam, adeo illis alte insederat, omnia servorum peccata æqualia esse. Quo factum est, ut servi nuper empti non quærerent, an superstitiosum, vel invidum, sed an iracundum herum nacti essent. (*n*) Seneca: *quid est, quare ego servi mei hilarius responsum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem usque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem?* (*o*) Petrus Chrysologus suavissimus, & eruditissimus Tractator, verissimo epiphonemate sententiam concludit: *Quidquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nescius, circa servum fecerit, judicium, justitia, lex est: imperantis ira subdito jus est, & ad libitum domini vocem non habet conditio servitutis*. Et has serviles delicias tangit eleganter Geta (*p*) Terentianus:

—— herus si redierit,
Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciundum ——

a *Servius lib. 9. Æn.* b *Leg. 11. de re milit.* c *apud Plin. Epist. 39. lib. 10.* d *Livius lib. 22.* e *lib. 8. epist. 16.* f *Leg. 39. de Jur. Dot.* g *Leg. 47. in fin. de peculio.* h *Leg. 14. de ritu nuptiar. ibid.* quasi nurus & quasi socrus. i *Leg. 2. ff. ad leg. Aquiliam.* k *Epist. 47.* l *4. Catilin.* m *Plut. de ira cohib.* n *Lib. 3. de ira cap. 24.* o *Serm. 141.* p *Phorm. Act. 2. sc. 1.*

ubi hæc Donatus: *facete enumerat servus universa supplicia suæ conditionis, excepta cruce & furca, quarum pœnam verbis extenuare non potuit*. Et ex horum suppliciorum frequentia honoraria illa manarunt servorum epitheta, Furciferi, Mastigiæ, Flagrionis, Verberonis, & Cruciarii. Ab hoc eodem capite est Domitii (*a*) Ulpiani sententia, *licere servis naturaliter in suum corpus sævire*. Quam bonus censor, justitiæque sacerdos, ad liberos etiam homines transtulit (*b*) aliquando: ut hic obiter animadvertere liceat, quantopere jus humanum divini juris lumine destitutum cæcutiret. Discussit sane aliquoties natura caliginem hanc: ita ut (*c*) Paulus viderit, *difficile dignosci posse liberum hominem a servo*: at hoc non diu mansit, siquidem plerique ita sentiebant, ut illa apud (*d*) Juvenalem garrit:

O demens, ita servus homo est. ——

Quod ne quis Satyrice dictum putet, audiat L. (*e*) Florum: *enimvero servilium armorum dedecus feras: nam & ipsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt*. Quæ si apud politos, & humanitatem professos obtinuerunt, quid mirum a rudioribus fuisse recepta? Leges (*f*) Ripuariorum: *quod si servus servum, ictu uno, vel duobus, seu tribus percusserit, nihil est, sed tamen propter pacis studium tremissem, idest, quattuor denarios componat*. Non igitur mirandum est, si (*g*) Ulpianus servitutem morti adsimilaverit. Et olim quidem potestas dominica necem ipsam servorum complectebatur. (*h*) Cajus: *nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse*. Et profecto, sanguinarium hoc jus notaverunt apud Germanos (*i*) Tacitus, apud Persas (*k*) Ammianus. Et hujus sane juris illa fuit vis, ut (*l*) Hadrianus Imperator *servos a dominis vetuerit occidi, eosque jusserit damnari per judices, si digni essent*. Quod & (*m*) Antonino Pio Hadriani successori placuit. (*n*) Constantinus autem, sub cujus humano imperio immanitatem olim exuit orbis Romanus, rescripsit, *reum homicidii fore, qui servum, barbarorum sævitiam imitatus, in ipsis adegerit cruciatibus vitam relinquere*. Egregie quidem Constantinus. At neque ideo domini jus sibi suum eripi passi sunt. (*o*) Salvianus: *homicidia quoque in servis rara sunt, terrore, ac metu mortis, in divitibus assidua, spe ac fiducia impunitatis, nisi forte iniqui sumus, hoc, quod divites faciunt, ad peccatum referendo: quia illi, cum occidunt servulos suos, jus putant esse, non crimen*. Lenioribus autem animadversionibus frequenter domini utebantur. (*p*) Juvenalis,

—— hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica, ——

Baltea vero, quæ vocat (*q*) Juvenalis, Lora interpretatur Scholiastes antiquus. Quam utique operam navasse conservos argumento sunt (*r*) LORARII, qui apud Plautum catenas, & vincula injiciunt vinciendis. Imo & conservi apud Ap-

a *Leg. 9. de pecul.* b *Leg. 11. ff. de his qui not. inf.* c *Leg. 5. ff. de contr. empt.* d *Sat. 6.* e *lib. 3. Histor. cap. 20.* f *Tit. 23.* g *l. 18. de cond. & dom.* h *Leg. 1. de his qui sui, vel alieni sunt juris* i *De mor. Ger.* k *lib. 23.* l *Spartianus.* m *Leg. 1. & 2. de his qui sui vel alien. sunt jur.* n *Leg. un. C. de emend. serv.* o *de Gubern. lib. 4.* p *Sat. 6.* q *Sat. 9.* r *Lib. 10. c. 3. Gellius.*

pulc-

pulejum, (*a*) Myrmecen vinciunt; & Sollicitudo (*b*) Tristitiesque Veneris ancillæ, Psychen misellam flagellis affligunt, & ceteris tormentis excruciant. Et quidem flagella in peculio servorum erant. Imo & ad Libertos pertinebant aliquando, injurio tamen jure. (*c*) Ulpianus: *nam interdum etiam ex causa famosa Pædius putat, permittere debet patronum in jus vocari a Liberto, si eum gravissima injuria affecit, vel flagellis forte cecidit*. Neque vero mitiores fuerunt in servos Magistratus, quam domini. (*d*) Hermogenianus: *& servi quidem flagellis cæsi dominis restituuntur, liberi vero, humilioris quidem loci, fustibus subjiciuntur: ceteri autem vel exilio temporali, vel interdictione rei certæ coercentur*. Recensuit autem (*e*) Aristophanes catalogum servilium aliquot tormentorum. *Extensionem videlicet in tabula, suspensionem, scuticam e pelle histricis, verbera, torturam, aceti in nares infusionem, & laterum impositionem*. Ubi notat Scholiastes, Liberos porri, & gythii caule cædi consuevisse. Hujus vero loci indicium debeo VINCENTIO CONTARENO, qui splendorem humaniorum litterarum, quas profitetur publice, humanissimis moribus pene obruit. Huic eidem dominicæ licentiæ adscribamus necesse est enarrationem illam Donati Grammatici ad (*f*) Terentianam parœmiam.

—— at enim in me istbæc cudetur faba.

quosdam videlicet consuevisse, *male coctam fabam, & quæ non maduerit, supra caput coqui saxo comminuere*. Item supplicium (*g*) villici, quem dominus melle perlitum, formicis cruciandum objecit. Ab hujusmodi sævis, & sanguinariis hominibus, *qui* (*h*) *fame, verberibus, & acerbo dominatu familiam suam vexarent, ne oblata recipiat Episcopus*, serio admonet Clemens Constitutionum Apostolicarum lib. 4. Quod utique monitum perneceſſarium tunc temporis visum est, cum domini non raro adeo asperi, & immites invenirentur, ut *macelli specie* (utar (*i*) Capitolini verbis) *domus eorum cruentarentur sanguine vernularum*. Nota est immanitas (*k*) Vedii Pollionis, quam Augustus festivo talione contudit. Vere demum (*l*) Juvenalis:

—— hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt quæ tortoribus annua præstant.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum;
Et cædit: longi relegit transacta diurni;
Et cædit, donec lassis cædentibus, exi
Intonet horrendum, jam cognitione peracta:
Præfectura domus Sicula non mitior aula.

Et hujus carnificinæ scenam repræsentat nobis non obscure (*m*) Galenus, apud quem legimus, *famulos tum calcibus appetitos, tum graphiis compunctos: eisdem confractos dentes, oculos stylo, & calamo erutos; eosdem gladio percussos*; (*n*) *ancillas morsu dominarum cruentas*. Imo quidquid

A tetrum, sævum, horribile in Christianos olim excogitatum, & exercitum est, illud omne [ut ego quidem censeo] a servis ad illos transivit. Idem enim (*a*) Galenus alibi scribit, *dominos fugitivorum crura adurere, cædere, lacerare: furum manus, edacium ventrem, garrulorum linguam torquere consuevisse*. Jam vero colaphi, & alapæ præ his fuerunt nugæ meræ. Quæ tamen & ad nostros matyres pertinerunt. Et hæc inclementia in FUGITIVOS præsertim eminuit, quos per amicos, vel per fugitivarios conquisitos, stigmatibus notatos, vel trudebant in custodiam publicam ad tempus, vel in pistrinum,
B vel interficiebant. (*b*) Cicero: *cum eum fugitivum postea esse ex Æsopi litteris cognosceret, hominem comprehendit, & in Custodiam Ephesi tradidit; sed in publicam vel in pistrinum, non satis ex litteris ejus intelligere potuimus*. De FUGITIVARIIS (*c*) Florus præter alios; *itaque qui per Fugitivarios retrahi debuissent, Prætorios duces profugos prælio, ipsi sequebantur*. Pistrini elegans descriptio legitur apud (*d*) Appulejum: *ibi compluríum jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia; nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorsus instabili machinarum vertigine*
C *lucubrabant pervigilem farinam*. At quales pistrini habitatores? pergit idem auctor; *homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quam obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati*. Quod si latitarent fugitivi PRÆCONIO illos indagabant. Petronius: *intrat stabulum Præco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia; facemque fumosam magis, quam lucidam quassans, hæc proclamavit. Puer in balneo paulo ante aberravit, annorum circa sexdecim, cri-*
D *spus, mollis, formosus, nomine Gyton: si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille*. (*e*) Lucianus & alii eadem habent. Quidem etiam inquirebant Libello proposito. (*f*) Curius Fortunatianus; *cujus servus fugerat, Libello proposito, vel per Præconem nuncians dixit, daturum se - x - ∞ ei, qui ad se servum perduxisset*. LIBELLI speciem exprimunt auctores proxime citati, & (*g*) Propertius egregie:

Quas si quis mihi rettulerit donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliqua propone columna.
E *Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.*

Huc pertinent verba (*h*) Juliani J. Cti. *Solent qui noverunt servos fugitivos alicubi celari, indicare eos dominis, ubi celentur, quæ res non facit eos fures: solent etiam mercedem hujus rei accipere, & sic indicare*. Porro Libellus γραμμάτιον (*i*) Luciano est. At eousque progressa est dominorum sævitia, & proclivis servorum fuga, donec ad publica sacra populi Romani perveniret, (*k*) Plinius: *Vestales nostras hodie credimus, nondum egressa urbe mancipia fugitiva retinere inlicio precationis*. (ita enim
F ibi videtur legendum.) Hoc utut verum fuerit, homines tamen Vesta valentiores, non carmina modo, sed & custodias evadebant. Quod ut publice perniciosum, publico etiam jure coercitum est. (*l*) Ulpianus: *Senatus censuit ne fugitivi ad-*

a *Lib. 9. Metamorp.* b *Lib. 6. Metamorph.* c *Leg. 10. de in jus voc. & Leg. 7. de injuriis.* d *Leg. ult. de injur. & fam. libel.* e Βάτραχ. f *Eunucho.* g *Appul. lib. 8. Metam.* h *Ex hoc capite gulam & furta servorum excusat Salvianus lib. 4.* i *Macrino.* k *Seneca Lib. 3. de ira cap. 40. Idem de clem. cap. 18.* l *Satyr. 6.* m *De dignosc. cur. an. morb. cap. 4.* n *cap. 8.*

a *Lib. 6. de Decr. Hipp. & Plat.* b *Lib. 1. Epist. ad Q. Fr.* c *Lib. 3. Histor. cap. 19.* d *Lib. 9. Meta.* e *in fugitivis & amore fugit.* f *Lib. 1. Art. Rh. Schol.* g *Lib. 3. El. 21.* h *leg. 19. de præscr. ver.* i *in Demonacte.* k *Lib. 18. cap. 2.* l *Leg. 1. de ser. fugit.*

mittantur in saltus, neve protegantur a villicis, vel procuratoribus possessionum, & mulctam statuit. Infra. *Senatusconsultum Mo..lo Consule factum, ut fugitivos inquirere volentibus, litteræ ad Magistratus dentur, mulcta etiam centum solidorum in Magistratus statuta, si, litteris acceptis, inquirentes non adjuvent: sed & in eum, qui quæri apud se probibuit, eadem pœna statuta. Est etiam generalis epistola Divorum Marci, & Commodi, qua declaratur & Præsides, & Magistratus, & milites stationarios dominum adjuvare debere.* Hinc apud (*a*) Plinium juniorem legimus, Appulejum militem e statione Nicomediensi de servo scripsisse, qui ad statuam confugerat. Statua scilicet miseris perfugium erat, tunc enim Magistratus de querelis ipsorum cognoscebat, & venire eos jubebat, ne in potestatem dominorum (*b*) reciderent amplius. Ideoque neque fugitivi censebantur, qui in (*c*) asylum, aut ad statuam confugiebant. Asylum autem est templum religione, & jure sanctum; quod servitiis etiam pessimis patebat aliquando. Quare Senatusconsulto abolita quæpiam asyla sunt, quibusdam modus præscriptus apud Cornelium (*d*) Tacitum, cui nos alibi lucis aliquid attulimus. Statua quibus ad manum non erat, illis ara non deerat, ut notarunt viri docti ad Tibullum, & elicitur ex (*e*) Cornelio Nepote, *fanum Neptuni, & Tænari, quod violare nefas putant Græci, eo ille index confugit; in ara consedit.* Hæc autem fugæ cognitio, vel Præsidis, & Proconsulis in Provincia, vel Præfecti vigilum Romæ fuit. (*f*) Labeo; *tamdiu autem custodiuntur, quamdiu ad Præfectum vigilum, vel ad Præsidem deducantur, eorumque nomina, & notæ, cujus se quis esse dicat, ad Magistratus deferantur.* Quod si a dominis agniti non fuissent, per officium Præfecti vigilum distrahebantur, ut asserit Julius (*g*) Paulus. Neque de fuga tantum Præfectus vigilum cognovit, sed & de (*h*) furtis servorum, excepto adulterio in domini uxorem commisso, quod ad notionem Præfecti (*i*) urbis spectabat. Et sane (*k*) Ulpianus, cum servos pro maleficiis oblatos Præfecturæ scribit, vix de alia quam vigilum Præfectura videtur intellexisse. Animadvertebant autem in servos & Triumviri capitales. Monet Asconius in commentario ad primam in Verrem, quæ divinatio dicitur, fures, & servos nequam apud Triumviros capitales, apud columnam Mæniam puniri solere. (*l*) Horatius in Mænam Pompejanum;

Sectus flagellis hic triumviralibus,
Præconis ad fastidium.

Ubi Porphyrion animadvertit, Poetam speciali elocutione usum pro generali: neque enim Triumviro tantum, sed & aliis potestatibus jus esse alienos servos flagellare. Sosia apud (*m*) Plautum stat a Triumviris;

Quid faciam nunc, si Tres viri me in carcerem compegerint?
Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum?

(*n*) Val. Maximus: *Fannii servus Alexander, cum in suspicionem C. Fl. equitis Romani occisi venisset, sexies tortus pernegavit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde atque confessus, & a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio Triumviro in crucem actus est.* Imo & fugitivi ad eos perducebantur, ut diximus. (*a*) Asconius Pædianus: *Munatius, & Pompejus Tribuni plebis in rostra produxerant Triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum cædes facientem deprehendisset; ille dormientem in taberna pro fugitivo prehensum, & ad se perductum esse responderat.* Triumviri autem non servorum, & humilium tantum, ut quibusdam placuit, sed & liberorum, nobiliumque maleficia conquirebant, carceris custodes erant, animadversionique intererant, ut ex (*b*) Varrone, & (*c*) Pomponio didicimus Livius autem, & Gellius diserte. (*d*) Ille, fugientes Bacchanalium conscios a Triumviris in carcerem conjectos fuisse scribit: (*e*) Hic, Nævium, ob assiduam maledicentiam, & probra in principes civitatis, de Græcorum Poetarum more dicta, in vincula Romæ a Triumviris conjectum esse. Servos retractos a fuga STIGMATIBUS notabant. (*f*) Ausonius:

Pergame, non recte punitus, fronte subisti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce:
Injustum, falsos excruciare reos
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere dextram,
Aut profugos, ferri pondere, necte pedes.

(*g*) Columella Lepidium circumscribens, cecinit:

Ponitur, & lactis gustum quæ condiat herba,
Dejectura quidem fronti data signa fucarum,
Vimque suam idcirco profitetur nomine Graio.

(*h*) Juvenalis de Xerxe:

Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum, atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non & stigmate dignum
Credidit ——

At credidit, si (*i*) Herodoto credimus. Quod sane factum indicat antiquitatem stigmatiarum, ut & capitalis ille (*k*) Tabellarius ab Histiæo missus ad Aristagoram, & (*l*) Artemisiæ trophæum apud Rhodios. Imo & Phocylides præcipit;

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.

Et his notis insignes videntur fuisse Pagasæi δοῦλοι, quos Hermippus apud (*m*) Athenæum recensuit. Et hoc fuit inscribere, ut apud Ausonium vidimus. (*n*) Claudianus,

Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo ——

Locus inustionis fuit frons, ut monstrat (*o*) Lucianus, qui fugitivos nescio quos Philosophos, typo vulpis, aut simiæ, censet in ea parte vultus

a *Lib. 10. Epist.* b *Leg. 2. de his qui sui vel alieni sunt juris.* c *Leg. 17. §. 22. de Ædilitio edicto.* d *lib. 3. annal.* e *Pausania.* f *Leg. 1. ff. de serv. fugit.* g *Lib. 1. sent. tit. 14.* h *Leg. 15. de condict. causa data.* i *Leg. 1. de off. præf. urb.* k *Leg. 24. de pignor. act.* l *Epodon Ode. 4.* m *Amphitrione* n *Lib. 8. cap. 4.*

a *Lib. 8. cap. 4.* b *Lib. 4. de lingua Lat.* c *Leg. 2. de orig. jur.* d *Lib. 39.* e *Lib. 3.* f *Epigr. 15.* g *Lib. 10.* h *Sat. 10.* i *Lib. 7.* k *Herodotus lib. 5.* l *Vitruv. lib. 2. cap. 8.* m *Lib. I. Deipnosoph.* n *Lib. 2. in Eutrop.* o *Reviviscentibus,*


inuri debere. (*a*) Diphilus quoque nescio quem insectatur, qui comam se alere Deo dicebat, ut capillis promissis obvelaret frontem inustam notis. At quænam hæ notæ? Fuerunt, qui statuerunt φ & F: quod utique nobis non improbatur. Illud injicit scrupulum, quod Petronius narrat, Eumolpum implevisse frontes Eucolpii & Gytonis ingentibus litteris, quas appellat notum fugitivorum epigramma. (*b*) Val. certe Maximus memoriæ prodidit, servum Restionis inexpiabili litterarum nota, per summam oris contumeliam inustum; ubi vox illa litterarum minus apte ad unicum φ vel F videtur referri posse. (*c*) Martialis & ipse scrupulum non eximit. Cum enim nescio quem liberum se, & fortunatum mentientem, carmine insectaretur, Rufum monuit, ut personam fronti detraheret, neque permitteret, ut imponerent sibi manus Sardonychata, Lacernæ Tyriæ, toga candida, unguentorum fragrantia, & cætera, quæ apud ipsum videre est. Latitare enim sub his omnibus servum, eumque inscriptum, & pro nequitia litteratum; hujus porro frontem numerosis spleniis insignem, ut respiciat hortatur, concluditque,

Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.


Splenia profecto numerosa videntur adhibita, ut contegerent numerosas inscriptas litteras. Quid ergo? num frontem implebant repetita littera F vel φ? Ego quidem nihil habeo, quod statuam. Arbitror tamen inscriptionem fugitivorum fuisse conceptam illis verbis, quæ in eorundem collaria, & æreas lamellas incisa, Romæ ab hinc triennium vidi. Cum enim (*d*) Constantinus Aug. ad normam ejus humanitatis, quam profitebatur, vetuisset in facie noxiorum scribi, quod dedeceret faciem maculari, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis esset figurata, non defuerunt lenes domini, qui obsequerentur, & frontis contumeliam in ea, quæ diximus, transferrent. Collaria enim fuisse apta fugitivis, testatur & (*e*) Lucillius.

Cum Manicis, Catulo, Collarique ut fugitivum
Deportem ——

Collare autem vidi Romæ, ut dixi apud LÆLIUM PASCALINUM cum hujusmodi inscriptione: TENE ME, QVIA FVGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO A ☧ ΩX. Extat apud eundem ærea lamella utrinque inscripta:



Sunt vero illæ, quæ in ipsa adversa leguntur, literæ non prominentes, sed incisæ, & quidem non ineleganter, at quæ in eadem aversa conspiciuntur, in summa velut cute, cultelli acumine videntur exaratæ negligentius. Et ex hoc demum capite famosa erat olim collaris ferrei gestatio, ut notat Metaphrastes in actis SS. martyrum Carpi, Papyli, Agathodori, & Agathonicæ; ut quæ liberos homines deceret. Vidit & (*a*) BENEDICTUS ÆGIUS Romæ olim apud Maffæios laminam æneam, in qua legebatur.



Neque vero non poterant verba in fronte commode imprimi, cum (*b*) Theophilus Iconomachus, detestabili solertia, XI. versus Theophanis, & Theodori fratrum martyrum frontibus inscripserit. Et hæ lamellæ, ut ego quidem sentio, clavis capitatis ad collaria affigebantur, ut indicio suo proderent fugitivos. Et ut priora illa Christianorum sunt, e nota ☧ quæ CHRISTI nomen indicat, & e mentione Acolythi, & Dominici Clementis (Dominicum enim ædes sacra est) ita posterior hæc inscriptio habet nonnihil, de quo ambigamus. Basilica enim Pauli, & ad Titulum Pauli via Ostiensi (ut nominat Prudentius) potest referri, & ad insignem illam Basilicam, quam L. Æmilius Paulus in medio foro extruxit. Ego tamen ad res nostras pertinere arbitror. Quod enim Constantinus damnatos in ludum, vel in metallum inscribi vetuerit, id homines nostri mites, & innocentes, videntur & in fugitivis recepisse. At hæc, non ut asseramus, dicta sint; sed ut disseramus, eruendæ studio veritatis. Porro de universa stigmatum ratione tractarunt (*c*) CÆSAR BARONIUS,

Quem nunc, emeritæ permensum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet, mundusque piorum:

& (*d*) HIERONYMUS ALEANDER meus, Mysta ille Musarum. Neque his tantum finibus conclusum fuit supplicium fugitivorum, dati enim sunt non raro ad pugnam bestiarum. Androclus apud Appionem, seu (*e*) Gellium ita de seipso ait; *ad dominum ex Africa Romam deductus, is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit*. Ab hac impia consuetudine profluxit (*f*) Caii Imperatoris immanitas, qui *multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit*. Fugitivi nimirum ad manum non erant, quos feris objiceret, substituit igitur honestiores homines, sed inscriptos prius, ut fronte saltem fugitivos ementirentur. Præterea fuerunt in ludum conjecti, quod solemne fuit M. (*g*) Opelio Macrino Imperatori, quam ob causam illa (*h*) Juvenalis,

a *Lib. 6. Deipn.* b *Lib. 6. cap. 8.* c *Lib. 2. 29.* d *Lib. 11. Cod. Theod. de pœnis.* e *Nonius ex lib. 29.*

a *Ex autographo ipsius.* b *Baronius in Not. ad martyrol. 22. Dec.* c *Loco citato.* d *Comment. in instit. Caii.* e *Lib. 5. cap. 14.* f *Suetonius Cajo cap. 27.* g *Capitolinus.* h *Sat. 8.*

—— sed in magna legatum quære popina ;
Invenies aliquo cum percussore jacentem ,
Permistum nautis , & furibus , & fugitivis ,
Inter carnifices , & fabros Sandapilarum .

Ad Gladiatores retulit antiquus Grammaticus . Imo & non fugitivi , atque adeo innocentes , ut de Spartaco & ejusdem sociis tradidit (*a*) Plutarchus , cui adstipulatur (*b*) Lactantius ; *hac consuetudine* , inquit , *imbuti* (efflagitandi homines ad lanienam) *humanitatem perdiderunt . itaque non parcunt etiam innocentibus ; sed exercent in omnes , quod in malorum trucidatione didicerunt .* Quæ sane arbitrii dominici impotentia impulit (*c*) Hadrianum Aug. ut vetaret , Lanistæ servum vendi , causa non præstita . Crux ipsa , ut ad fugitivos revertamur , non infrequens his posita fuit . (*d*) Val. Maximus : *quoniam quidem id egerit , ut qui cupiditate vitæ adducti , cruce dignissimis fugitivis , trophæa de se statuere concesserant , liberatique suæ servili manu flagitiosum imponi jugum non erubuerant , &c.* Idem (*e*) Auctor : *hos enim* (Romanos) *tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit* . Et hoc dominicum jus non vitam modo , sed & alia omnia servorum complectebatur . (*f*) Cajus ; *igitur quod servi nostri ex traditione nanciscuntur , sive quid stipulentur , vel ex qualibet alia causa acquirant , id nobis acquiritur ; ipse enim , qui in potestate alterius est , nihil suum habere potest* . Itaque filios etiam servos procreabant , inter ipsos enim non matrimonium , sed contubernium erat , ut illi quidem opinabantur . (*g*) Paulus J. C. *idem tamen quod in servilibus cognationibus constitutum est , etiam in servilibus affinitatibus servandum est , veluti ut eam , quæ in contubernio patris fuerit , quasi novercam , non possim ducere .* (*h*) Plautus :

Sunt hic , quos credo nunc inter se dicere ,
Quæso hercle quid isthuc est ? serviles nuptiæ ?
Servine uxorem ducent , aut poscent sibi ?
Novum attulerunt , quod fit nusquam gentium .

Et hoc demum jure nititur Diocletiani , & Maximiani AA. (*i*) rescriptum , servos ob violatum contubernium , adulterii crimine accusari non posse . Si quis autem servi alieni corpus , animumve corrupisset , ex edicto Prætoris , & lege (*k*) Aquillia pœnam facti dominus exigebat . Non igitur mirum est , si domini servos pignori dabant , si addicebant , si deferebant in censu . De pignore (*l*) Papinianus ; *Servo pignori dato , peculium ejus creditor , citra conventionem specialiter super eo conceptam frustra distrahit* . Servum autem oppigneratum fiduciarium appellat Julius Paulus . De addictione (*m*) Martialis :

Addixti servum nummis here mille ducentis ,
Ut bene cœnares , Calliodore , semel .

De censu (*n*) Ulpianus hæc habet ; *in servis deferendis observandum est , ut & nationes eorum , & ætates , & res , & officia , & artificia specialiter deferantur* . Plerumque vero homines etiam liberi addicebantur a Prætore creditoribus ex Lege XII. tabularum , cujus verba sunt apud (*o*) Gellium , & meminit (*p*) Quintilianus . Hi autem licet in vinculis essent , servi tamen non erant . (*q*) Fabius major contra addictum , qui se testamento manumissum fuisse protestabatur : *ante omnia servus hic habet nomen , est in censu , an in tribu* : infra , *hunc ex quo genere servorum ponitis ? domi natum esse se non dicit , ne emptum quidem , aut hæreditate relictum ; pendet igitur omnis hæc conditio ex fœnore ; quid sequitur ? ut nomen sit* . Et hi omnes vel pactione , vel debiti repræsentatione liberabantur ; *quod ipsum* (inquit Fabius) *servi non est , habere in sua potestate , quando desinat servire* . At quia nomina quædam , ut appellant Grammatici collectiva , servilia hæc recensentes observavimus , nostrum erit illa indicare . FAMILIÆ *appellatione omnes , qui in servitio sunt , continentur* , inquit (*a*) Ulpianus . Huc pertinet (*b*) Rubrica , *si Familia furtum fecisse dicatur* : & Festi epitomator , cum eodem (*c*) Ulpiano , etiam alibi in idem consentiunt . (*d*) Phædrus ironice ;

Æsopus domino solus cum esset familia .

Cum unus homo (ut inquit (*e*) Cicero) *familia non sit* . (*f*) XV. autem servis constabat familia ad minus . *Domini patresfamilias , servi familiares appellati sunt* [inquit (*g*) Macrobius] *a majoribus nostris , quod vellent his vocibus omnem dominis invidiam , omnem servis contumeliam detrahere .* FAMULITII nomen idem penitus expressit (*h*) Capitolinus ; *Supervenerunt autem Pertinaci , cum ille aulicum famulitium ordinaret* . (*i*) Spartianus ; *& postera die occurrente omni famulitio aulico* . Famulitium a famulo : Famulus a Famel , seu Famul Osco verbo deducta sunt ; & meminerunt Festus , Nonius , Ennius , Lucretius . GREX idem significabat . (*k*) Seneca : *hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges* . (*l*) Juvenalis ;

Alter enim , si concedas mactare , vovebit
De grege servorum magna , aut pulcherrima quæque
Corpora ——

Et quidem Comœdos signanter , & Histriones . Petronius ;

Grex agit in scena mimum : Pater ille vocatur
Filius hic : nomen divitis ille tenet .

Donatus in Adelphos ; *hæc sane acta est Ludis scenicis funebribus L. Æmilii Pauli : agentibus L. Ambivio , & L. Turpione , qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant* . PUER , & PUERI eadem ratione . (*m*) Paulus : *Pueri appellatio tres significationes habet , unam cum omnes servos pueros appellaremus , &c.* (*n*) Cicero : *nam puer festivus Anagnostes noster Sositheus decesserat , meque plus , quam servi mors debere videbatur , commoverat* . Huc referenda sunt Festi verba : *Quintipor servile nomen frequens apud antiquos erat , a prænomine domini ductum , ut Marcipor , Caipor* . (*o*) Huc Plinii : *singuli Marcipores , Luciporesve , dominorum gentiles , victum in promiscuo habebant* . Huc Fabii (*p*) Quintiliani ; *in servis jam intercidit illud genus , quod ducebatur a domino : unde Marcipores , Publiporesque* . Hinc lucem accipit vetus inscriptio , quæ & ad Libertos hoc transferre videtur .

a *in Crasso* . b *lib. 6. c. 20.* c *Spartianus* . d *lib. 2. c. 7.* e *Loco prax. citat. num. 12. vide & Polyb. lib. 1. Histor.* f *Leg. 10. de acq. rer. dom.* g *Leg. 14. de ritu nupt.* h *Casina Prologo* . i *Leg. servi C. ad l. Jul. de adult.* k *Leg. 2. D. hoc Tit. Leg. 1. de serv. corrupt.* l *Leg. 1. de pigno.* m *l. 10. 31.* n *Leg. 4. ff. de censi.* o *lib. 20. cap. 1.* p *lib. 3. cap. 8.* q *Declam. 311.*

a *Leg. 25. ff. de ædil. edict.* b *lib. 47. Dig.* c *Leg. 195. de verb. sign.* d *lib. 3. Fabul.* e *pro Cæcinna* . f *Appulejus in Apol.* g *Lib. 1. Saturnal. cap. 11. Plautus in Epidico in prin.* h *Pertinace* . i *Severo* . k *Epist. 110.* l *Sat. 12.* m *Leg. 204. de verb. sign.* n *lib. 1. ad At.* o *lib. 33. cap. 1.* p *Lib. 1. cap. 4.*

P. RVBRIO. LATINO
SICINIVS. P. FOR. PATRONO
SVO, B. M

Marcipores autem, & Publipores dicebantur, quasi Marci, & Publii pueri, ut docet (*a*) Priscianus, pueri id est servi. Quo spectat forte (*b*) Varronis objurgatio; *quotusquisque jam servos babet priscis nominibus?* Quæ omnia faciunt, ut servi nomen apud (*c*) Asconium restituendum putem; *& cum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quæstionem ita babuisse, ut eum articulatim consecaret*: pro Alicore lego Aulipore, ad præscriptum eorum, quæ diximus. PÆDAGOGII etiam nomine venerunt servi, licet non omnes promiscue. (*d*) Ulpianus; *si instructum fundum legasset, ut cum eo venisset, præsto essent in triclinio, legato continentur.* (*e*) Seneca: *quare Pædagogium preciosa veste succingitur?* (*f*) Idem: *omnium Pædagogia oblita facie vehuntur, ne Sol, ne frigus teneram cutem lædat.* (*g*) Tertullianus; *cum de Pædagogiis aulicis, nescio quem, cynædum deum facitis.* (*h*) Ammianus Marcellinus de Procopio tyranno; *stetit itaque subtabidus [excitum putares ab inferis] nusquam reperto paludamento, tunica auro distincta, ut regius minister, indutus a calce ad pubem in pædagogiani pueri speciem, purpureis opertus tegminibus pedes, hastatusque; purpureum itidem pannulum læva manu gestabat, ut in theatrali scena simulachrum quoddam insigne, per aulæum, vel mimicam illationem subito putares emersum.* Ex his patet, opinor, e quo genere servorum Pædagogium constaret. SERVITIUM, & SERVITIA familiam universam complexa sunt. (*i*) Cicero: *quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam omne servitium permissu Magistratus liberatum, in alteram scenam immissum?* (*k*) Columella, *Villicum fundo, familiæque præponi convenit, ætatis nec primæ, nec ultimæ; nam servitia sic tirunculum contemnunt ut senem.* At si servos homines non esse nonnullis (ut vidimus) aliquando placuit; non ideo tamen ablatum etiam illis hominis nomen est. HOMO enim absolute servum expressit. (*l*) Cato: *Villicum, Villicam, operarios V. Bubulcos III. Subulcum I. Asinarium I. Opilionem I. summa bominum XIII.* (*m*) Catullus;

—— ære comparasti
Ad Lecticam homines ——

Alii passim. Domi autem natos VERNAS appellabant. (*n*) Adamantius Martyrius: *si enim Berna domi genitum significet, id est, οἰκογενής.* Et ab hac voce VERNACULI, quibus infensus fuit Imperator (*o*) Vitellius: quorsum enim ibi substituamus *divinaculos*, aut *veraculos*? Signat autem Suetonius plebeculam Romanam, de cujus dicacitate hæc habet (*p*) Tertullianus; *ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana?* Notavit pridem & (*q*) Martialis:

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis.

Et hæc est vernacula multitudo (*r*) Tacito; *quæ militaribus numeris per dilectum inserta, lasciviæ sueta, laborum intolerans, seditionem concivit:* &, hæc Taciti non sunt, *in castris insignem illam, quæ Germanicum Cæsarem, florem illum domus Augustæ, non tralatitie exercuit.* Tetigit & Cicero aliquando, ut cum recensuit imaginem antiquæ, & (*a*) vernaculæ festivitatis, saporem (*b*) vernaculum, crimen domesticum, ac (*c*) vernaculum. Et quidem (*d*) Felix Romulum, Picum, Tiberinum, Consum, Pilumnum, Picumnum, eadem ratione Romanorum dixit vernaculos Deos; eadem (*e*) Petrus Diaconus Ætnæ incendium Siciliæ, appellavit vernaculum genus monstri: domesticum videlicet quidpiam, & nativum cupiebant significare. Hinc natum proculdubio est, ut vernaculos nominarent domesticos servos. (*f*) Marcianus Capella: *famulitium Veneris, vernaculæque Bromiales, tantos cachinnos concussis admodum tulere singultibus, ut quamplures alios connisos cohibere risum, hoc maxime in petulantis proruptionis sonitum effusi; cachinni licentia provocarint.* [*g*] Appulejus; *quam salve agit* [inquit] *Demeas noster? quid uxor? quid liberi? quid vernaculi?* (*h*) Paulus Diaconus; *Didymus & Viridianus acceptis propriis servulis, & vernaculis &c.* Sacræ (*i*) Genesis interpres, & acta Synodi Rhemensis. Et sane aliquando & ipsa Vernæ vox latiore aliquanto, quam diximus, notione accepta est. (*k*) Martialis:

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer.

Ubi notandum est, Manciparios, Mangones, Venalitiarios, Catastis asservasse pueros venales. Idem (*l*) Martialis:

Sed quos arcanæ servant tabulata Catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

(*m*) Plinius: *talem in Catasta videre Chrysogonum Syllæ.* (*n*) Suetonius; *Laberius Hiera emptus de Catasta.* Eorundem venalium nota erant gypsati pedes. (*o*) Tibullus;

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gypsatos ferre Catasta pedes.

(*p*) Ovidius:

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus,
Despice gypsati crimen inane pedis.

(*q*) Plinius de creta disertis verbis: Iidem Mangones (& erit loco appendicis) *servos novitios apud Publicanos profitebantur.* (*r*) Marcianus; *quoties quis mancipia invecta professus non fuerit, sive venalia, sive usualia, pœna commissi est: si tamen novitia mancipia fuerint, non etiam veterana* (*s*) Fabius major de Mangone, qui novitium puerum prætexta induit; *circumscribere vectigalia P. Romani voluisti: specie prætextati imponere Publicano voluisti.* Novitia vero mancipia ideo vectigalia erant, quia a venalitiariis pluris, quam veterana vendebantur. (*t*) Suetonius de Cæsare, *servitia recentiora, politioraque immenso precio, & cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.* (*u*) Ulpianus:

a *Lib.* 6. b *Lib.* 8. *de LL.* c *In Milonianam.* d *L. Quæsitum ff. de instruct. legat.* e *de beata vita cap.* 17. f *Epist.* 123. g *in Apologetico.* h *lib.* 26. i *de harusp. resp.* k *Lib.* 11. l *Tit.* 10. m *Carm.* 12. n *apud Cassiodorum.* o *Sueton. c.* 14. p *Apol.* q *lib.* 10. r *lib.* 1. *annal.*

a *lib.* 9. *ad famil.* b *de clar. orat.* c *V. in Verrem.* d *in Octavio.* e *lib.* 4. *Hist. misc.* f *lib.* 8. g *lib.* 1. *metamor.* h *lib.* 13. *de gest. Rom.* i *Cap.* 14. & 15. k *Lib.* 6. 29. l *Lib.* 9. *epigr.* 59. m *lib.* 35. *c.* 18. n *de illustr. Gramm.* 13. o *Lib.* 2. *Eleg.* 7. *Marcilius ad Sat. ultim. Persii. Gallonius de cruciat. SS. mart. Baron. in not. ad martyrol.* 16. *Martii. Pamelius ad Cyprian. epist.* 33. p *lib.* 1. *Amor. El.* 8. q *lib.* 35. *cap. antepenult.* r *Leg.* 16. *ff. de Publ. & Vect.* s *Declam.* 340. t *cap.* 47. u *Leg.* 36. *ff. de ædil. edict.*

præcipiunt Ædiles, ne veterator pro novitio væneat. Et hoc edictum fallaciis venditorum occurrit: ubique enim curant Ædiles, ne emptores a venditoribus circumveniantur: ut ecce plerique solent mancipia, quæ novitia non sunt, quasi novitia distrahere, ad hoc scilicet ut pluris vendant. Quod autem tangit Ulpianus de cura Ædilium, id vero confirmat (*a*) Gellius dum scribit, venalitiariis edicto Ædilium præceptum fuisse, ut proponerent titulum suorum singulorum, in quo *morbi, vitiave eorum continerentur: an errones, an fugitivi, noxave non soluti essent.* Veterator autem ille est ex (*b*) Venulejo, *qui ex venalitio novitiorum emptus, alicui ministerio præpositus: novitium autem non tyrocinio animi, sed conditione servitutis intelligi: nec ad rem pertinere Latine sciat necne, nec ob id veteratorem eum esse, si liberalibus studiis eruditus sit.* At (*c*) Marcianus contrahit hæc in favorem Publicanorum; *Sunt* (inquit) *veterana, quæ anno continuo in urbe servierunt; novitia autem mancipia intelliguntur, quæ anno nondum servierunt.* Fallacias, & præstigias venditorum, quarum meminit Ulpianus, indicabit nobis unico argumento (*d*) Plinius, cum recenficat, non semel artes mangonariorum, qui avertebant pubertatem venalium. Ad quam turpitudinem præterea institutæ fuerunt in urbibus (*e*) officinæ, ubi molles pice obliti a vulsoribus, depiles, & glabri fiebant. Nec alio pertinebant in Commodiana suppellectili (*f*) Samnitica vasa, calefaciendæ, seu (*g*) tabefaciendæ resinæ, ac pici. Neque male omnino (*h*) Ælianus, qui Tarentinos notat, & Tyrrhenos ex viris studuisse, ut mulieres facerent. Primi quippe Tarentini cutem corporis lævigarunt, ut apud (*i*) Athenæum tradit Clearchus. Emptores vero morbos, & vitia mancipiorum sedulo explorabant. (*k*) Appulejus: *cum incensus Gagates lapis (ut apud Physicos lego) pulcre, & facile hunc morbum* (comitialem) *exploret; cujus odore etiam in venalitiis vulgo sanitatem, aut morbum venalium experiantur. Etiam orbis a figulo circumactus, non difficile ejusdem valetudinis hominem vertigine sui corripit.* (*l*) Claudianus,

—— quot jura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit?
Nudatus quoties, Medicum dum consulit emptor?

D. (*m*) Hieronymus ex Theophrasto: *Equus, Asinus, Bos, Canis, & vilissima mancipia, vestes quoque & lebetes, sedile ligneum, calix, & urceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur.* Neque his tantum experimentis venditorum fraudes cohibitæ sunt; sed & (*n*) cautionibus de sanitate servorum interpositis, quas excogitavit fortasse Manilius (sive ille Mamilius) cujus leges venalium vendendorum tetigit (*o*) Cicero, quarumque apud (*p*) Varronem videtur exstare vestigium. Hæ tamen ab illis non videntur receptæ, *qui ad (q) Castoris negociabantur, nequam mancipia ementibus, vendentibusque, quorum tabernæ pessimorum servorum turba erant refertæ.* Cæterum quisquis specimen venditionis mancipiorum intueri volet, is legat (*r*) Lucianum, apud quem præconia quæ venditor non tenebatur præstare, exprimuntur; emptoris nomen & patria in tabulas referuntur, cum solemni

a *lib. 4. cap. 2.* b *Leg. ult. ff. de Ædilit. edict.* c *Leg. 16. ff. de pub. & vect.* d *lib. 21. cap. 26. lib. 30. cap. 5. lib. 32. cap. 10.* e *Clemens Alexandr. Pæd. lib. 3.* f *Capitolinus in Pertinace.* g *scriptura veteris codicis.* h *lib. 13. de Hist. an.* i *lib. 12.* k *in Apologia.* l *Lib. 1. in Eutrop.* m *L. 1. advers. Jovinian.* n *Lex mandatis.* o *L. de Orato.* p *Lib. 11. de RR. cap. 3. 5. 7.* q *Seneca in sap. non cad. injur. cap. 13.* r *In vitarum auctione.*

illa præfatione, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, quæ respondet illi alteri apud nostros, quæ * B. & F. notabatur. Atqui (ut eo revertamur, unde sumus digressi) Libellos domi natos (*a*) Martialis vernulas vocat, qua eadem voce non semel utitur (*b*) Petrus Chrysologus, eruditissimus, & suavissimus tractator, laxiore tamen significatione: *erat homo peccati servus; erat captivus mortis: erat mancipium dæmonum: erat idolorum vernula: erat vitiorum verbero: erat criminum compeditus,* (*c*) Idem: *in homine agebat Deum, in servo dominum; ut esset vernula temporis, qui erat & factor, & cognitor seculorum.* Ipsi autem servi hac sibi videntur vernæ appellatione blanditi. Romæ legebatur:

FVSCVS AVGG.
NOSTRORVM
VERNA
VILLICVS
TVTELÆ
VOTVM
REDDIDIT

Ibidem:

LVCIDÆ AVG. VERNÆ MARITÆ. INCOMPARABILI.

Ibidem in veteri monumento post alia legitur, LEONAS AUGG. VERNALIS scilicet occinere illis licebat, ut apud (*d*) Statium est;

Hinc domus, hinc ortus, dominique penatibus olim
Carus uterque parens ——

Alioqui vernilitas male audivit. Vernæ enim nomine scurram accepit (*e*) Martialis:

Urbanus tibi, Cæcili, videris;
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.

Et verniliter dicere quidpiam, adulatorie dicere est; quod vernæ adulari consuevissent & scurrari. Alludit (*f*) Horatius;

Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem: veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes; nec non venaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne, quod affert.

Reliquum est postremum cultioris, & junioris familiæ nomen; COMATORUM videlicet, CRINITORUM, seu CAPILLATORUM. (*g*) Martialis;

O quantum Diatheca valent, & quinque comati!
Tunc, cum pauper erat, non sitiebat Aper.

(*h*) Virgilius:

—— cithara crinitus Iopas
Personat aurata, ——

ubi Servius; *aut puerum intellige, aut imitabatur Apollinis formam, cujus fuerat etiam artis imitator.* (*i*) Seneca; *nam si pertinere ad te judicas quam crinitus puer, quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.* *παῖδας κομήτας* appellat Lucianus. (*k*) Claudianus,

* BONUM FACTUM. a *libro 5.* b *Sermone 6.* c *Serm. 162.* d *Lib. 2. Sylv.* e *Lib. 1. 41.* f *lib. 2. Sat. 6.* g *Lib. 12. 70.* h *lib. 1. Æn.* i *epist. 119.* k *de bello Gildon:*

Crinitos inter famulos, pubemque canoram,
Orbatas jubet ire nurus ——

Cultioris familiæ dixi, quoniam apud divites & fortunatos tantum spectabantur hæ deliciæ. (*a*) Juvenalis de cœna pauperis;

Plebejos calices, & paucis assibus emptos,
Porriget incultus puer atque a frigore tutus;
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit in magno, cum posces posce Latine,
Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.

ubi vetus interpres illa verba, *tonsi rectique*, explicat, *non comati*. Dixi junioris familiæ nomen, quia vel ex voto crinem, quem Deo pascebant tondere consueverant, vel in ipso virilitatis adventu, ut indicant (*b*) Martialis, (*c*) Lucianus, (*d*) Censorinus. Addamus & novæ nuptæ imperium, & manum non regiam sed tonsoriam in hujusmodi capillatos. (*e*) Martialis:

Flammea texuntur sponsæ, jam virgo parata est.
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Verum quoniam apud ICtos nostros, nec non & apud alios quosdam auctores, observavimus communes aliquot, & quidem non infrequentes, servorum appellationes; ideo & has illis subjungemus. Sunt autem, Usuarii, Fructuarii, Vicarii, Vicariorum vicarii, Peculiares, Communes, Dotales, Receptitii, Hæreditarii, Castrenses, Ordinarii, Peculiati, Vulgares & Publici. De PUBLICIS notandum est, publico ære fuisse (*f*) emptos, plerisque Magistratibus (*g*) apparuisse, horum & lictorum fuisse functos (*h*) officio, quandoque etiam (*i*) Scribarum. Horum aliqui voce valde apta, sed pene obsoleta, LIMOCINTI appellati sunt, ut legimus in antiqua ærea tabula, apud CÆSAREM NICHESOLAM patricium, & Canonicum Veronensem, qui nuper defunctus, nobis triste sui desiderium reliquit.

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQVILLIANI
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR AP VB
CVRATORI. VICETINOR
APPARITORES. ET
LIMO CINCTI
TRIBVNALIS. EIVS.

(*k*) Tiro Tullius Ciceronis Libertus *Lictorem vel a limo, vel a licio dictum* scripsit; *Licio enim transverso, quod limum appellatur, qui Magistratibus* (inquit) *præministrabant cincti erant*. (*l*) Isidorus; *hinc & limus vocabulum accepit, cingulum, quo servi publici cingebantur obliqua purpura*. Idem; (*m*) *Limus est vestis, quæ ab umbilico usque ad pedes producitur. Hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est fluxuosam, unde & nomen accepit; nam limum obliquum dicimus*; & alibi; (*n*) *Limus est cinctus, quem publici habent servi; & dictus Limus, quia transversas habet purpuras, id est limas*. Hi autem servi publici pro quolibet civium (*o*) stipulabantur, pecuniam publicam a debitoribus (*a*) exigebant, custodias (*b*) adservabant. Sacra curasse argumento est factum (*c*) Potitiorum, qui servos publicos sacra Herculis docuerunt, cujusmodi videntur fuisse & Martiales (*d*) Larinates ministri publici, Marti deo sacri; nec non & Calatores, qui apud Festum leguntur, si Scaligerum audimus. Eorum fuit aliquis in triumpho usus. (*e*) Juvenalis:

—— *magnæque coronæ*
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Et hæc sunt (ni fallor) quæ (*f*) Labeo vocat publica ministeria. An vero eadem ratio sit Publici, qui apud (*g*) Longobardos legitur, aliorum esto judicium. Luitprandus Rex; *insuper & Publicus in quo loco factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas decalvare & frustrare per vicos vicinantes*. Et sane Leges ejus gentis non semel Publici meminerunt. Hujus generis servos possidebant (*h*) Civitates, & Provinciæ. Romæ in veteri Elogio:

DIS MANIB
ATTICO III. PROVINCIARVM
GALLIARVM SERVO
C. LICINIVS. IANVARIVS
PARENTI OPTVMO
ET. LICINIA CALLIOPE
CONIVGI
SANCTISSIMO.

Item (*i*) Municipia, (*k*) Collegia, (*l*) Decuriæ, (*m*) Fiscus, (*n*) Societates, (*o*) fana, (*p*) Curiæ, (*q*) Corpora. Seorsum ab his, quos diximus, fuit olim Romæ familia publica, quæ incendia restingueret. (*r*) Seneca: *intervenerunt quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere VIGILES solet; sed hic modicus, qui hospites venisse significaret*. Et hi quidem Senecæ vigiles ad (*s*) Augustum pertinent, qui rejecta Triumvirum nocturnorum, Ædilium, & Tribunorum plebis cura, per se maluit huic rei consuli, instituto (*t*) Præfecto vigilum, cui id muneris demandatum esse voluit. De familia illa veteri Julius (*u*) Paulus qui scribit, *circa portas, & muros fuisse depositam, unde si opus esset, evocabatur*. Ejusdem (*x*) Augusti liberalitate factum est, ut familia aquaria legata sibi a M. Agrippa publica esset. In ea connumerabantur AQUARII, qui aquam publicam e castellis erogabant; ad quorum similitudinem erant & in familia privata, qui salientes (*y*) curarent. In publica censebantur CURATORES, qui aquas, & castella custodirent, alio nomine CASTELLARII. Antiqua inscriptio

D. M.
CLEMENTI. CAESAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO. AQVAE CL
AVDIAE &c.

Ex qua inscriptione comprobatur (*z*) Frontini di-

a *Sat.* 11. 141. b *Lib.* 1. *&* 9. c *de Syria Dea.* d *de die Natali cap.* I. e *lib.* 11. 79. f *Dionys. lib.* 1. *Livius lib.* 1. *&* 9. g *Frontinus de Aquæd.* h *Petronius.* i *L.* 3. *c. de ser. Reip. manum.* k *Gellius lib.* 12. *cap.* 2. l *lib.* 15. *c.* 14. m *lib.* 19. *orig. cap.* 22. n *lib.* 19. *c.* 33. o *Leg.* 1. *de magistr. conven.*

a *Leg.* 19. *de compens.* b *Plin. lib.* 10. *epist.* 30. c *Livius, Val. Max. & alii.* d *Cicero pro Cluentio.* e *Sat.* 10. *v.* 40. f *Leg.* 11. *de serv. fugit.* g *LL. Longobard. Tit. ex edit. Basil.* h *L.* 6. *de rer. diu.* i k l m *L.* 25. *de acq. her.* n o *Varro lib.* 4. *de L. L.* p *Terentius.* q *L.* 10. *de injur. voc.* r *Ep.* 66. s *Sueton. & Joh. Xiphilin.* t *Leg.* I. *de off. Præf. vig.* u *eodem Tit.* x *Frontinus de aquæd.* y *Jul. Paulus lib.* 3. *Sent. Tit.* 8. z *Lib.* 2.

ctum; *Aquariorum familias duas eſſe, alteram publicam, alteram a Ti. Claudio Cæſ. conſtitutam*. SILICARII ſtratas ſilice vias perrumpebant, ad ſubditos aquarum ductus reparandos, ut etiam hodie Romæ fieri vidimus. TECTORES caſtella, & opus arcuatum tegebant. VILLICI calices, & fiſtulas ſignabant, APUNCTIS ex publicis fiſtulis aquas in privatum uſum derivabant. NATIONES, *quæ ſervos promebant, emptores* (inquit (*a*) Ulpianus) *provocabant, aut deterrebant*. (*b*) Varro: *itaque in hominibus emendis, ſi natione alter eſt melior, emimus pluris*. Quædam enim probæ cenſebantur, quædam improbæ. (*c*) ALEXANDRINI nequitiis, ſalibus, cantu cæteros antecellebant. (*d*) Seneca: *pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, ſed argutias*. (*e*) Quintilianus: *verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu & oſculo excipimus*. ASIATICI forma (*f*) Juvenalis;

Flos Aſiæ ante ipſum precio majore paratus,
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci.

Inter quos nominatim PHRYGES, & LYCII. (*g*) Idem;

Non Phryx, aut Lycius, non a Mangone petitus
Quiſquam erit in magno ——

(*h*) SYRI, [*i*] MÆDI, (*k*) MŒSI, (*l*) GALLI, (*m*) BITHYNI, (*n*) CAPPADOCES, (*o*) LIBURNI, viribus valentes, ad onera, & lecticam parabantur. (*p*) CORSI feri, & ſocordes, quos domini ne exiguo quidem precio emptos vellent. (*q*) SARDI nequam. (*r*) CAPPADOCES ſtupidi. (*ſ*) BRITANI proceri: ideoque ab Auguſto ad officia theatralia donati, auctore Servio ad illa (*t*) Virgilii;

—— *utque*
Purpurea intexti tollant Aulæa Britanni.

Velarii videlicet theatrales, de quibus infra. De ſervorum NOMINIBUS, immenſa propemodum tractatio eſſet, cum pene infinita & ad libitum fuerint. Illud e (*u*) Strabone admonuiſſe ſufficiet, Dacos, & Getas apud Athenienſes fuiſſe nominum ſervilium ſegetem: cujuſmodi ſunt Myſis, Syrus, Phrygia, Lydus, Japix, ſervis impoſita a regionibus nomina. (*x*) Varro: *ſic tres cum emerunt Epheſi ſingulos ſervos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit Artemidorus, atque Arteman appellat: alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Jonia Jonem: aut ab urbe Epheſo Epheſium: ſic alius ab alia aliqua re, ut viſum eſt*. Antiquus (*y*) gloſſator Juvenalis ad illud

Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum,

verbo, inquit, *uſus eſt Comico: nam antiquitus ſervis nomina ex gentibus ſuis ponebantur, ut apud Terentium frequenter legimus*. At de his hactenus.

Privata nunc nobis producenda in proſpectum familia eſt, quod commodius fiet, ſi urbanam a ruſtica ſepoſuerimus. (*z*) Paulus ICs. quærens, qua

a *Leg. 31. de ædil.* b *lib. 8. de L. L.* c *Martialis lib. 1. Petroni.* d *in Sapien. non cad. injur. c. 11.* e *Lib. 1. cap. 2.* f *Sat. 5. 56.* g *Sat. 11. 47.* h *Martialis lib. 7. & 9.* i *Juven. Sat. 7.* k *Sat. 9* l *Clem. lib. 3. pæd.* m *Lucianus, Catullus.* n *Mart. li. 6.* o *Juv. Sat. 3.* p *Strabo lib. 5.* q *Adagium.* r *Cic. poſt. red. in Sen.* ſ *Strabo lib. 4.* t *lib. 3. Georg.* u *Lib. 7.* x *lib. 7. de LL.* y *Sat. 6.* z *Leg. 99. ff. de leg. 3.*

A ratione urbana mancipia ſeorſum a ruſticis componi poſſint, inquit, *dicendum eſt autem, quod urbani intelligendi ſint, quos paterfamilias inter urbanos adnumerare ſolitus ſit; quod maxime ex libellis familiæ, item cibariis deprehendi poterit*. Verum quia nos hujuſmodi libelli & tabulæ domeſticæ deſtituunt, eadem fortaſſe methodo rem totam inveſtigabimus. Omnes enim conjiciemus in urbanam familiam, quotquot in urbe cultui dominico, & urbicæ negociationi adhibebantur. Item eos, qui ædium partibus nomenclaturam debent; & hos ex officiorom civilium, urbanique ſplendoris ratione: cum villas, utut conſtructas ad exemplar B ædium urbanarum, deſertas tamen, & ſub unius imperio Villici, ruſticorumque tutela per anni dodrantem, non raro eſſe paterentur. Neque eos omittemus, qui & urbani, & ruſtici dici poterant: *urbana enim, & ruſtica familia non loco* (inquit (*a*) Pomponius) *ſed genere diſtinguitur*. Exordiemur autem a MEDICIS, quos familiares fuiſſe teſtantur (*b*) Suetonius, & (*c*) Seneca, qui Domitium Corfinio incluſum, a ſervo prius, quam a Cæſare ſervatum ſcribunt. Clariſſime (*d*) Paulus Oroſius; *adeo dira Romanos fames conſecuta eſt, ut Cæſar Laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, exceptis Medicis, &* C *Præceptoribus, trudi urbe præceperit*, blando nimirum miniſterio, & tunc id Auguſtus indulſit, & longe poſt (*e*) Juſtinianus, ut ſupra omnia ſervorum artificia æſtimaret. Horum aliqui CHIRURGI fuerunt, ſeu Medici vulnerum, ut appellat (*f*) Plinius. Romæ legebatur:

CHRESTÆ. CONSERVÆ. ET. CONIVGI
CELADVS. ANTINOVS. DRVSI
MEDICVS. CHIRVRG.

D &c. Et hujus forte Celadi meminit Suetonius, ſub corrupto Enceladi nomine. Aliqui OCULARII, ſeu AB OCULIS, quales P. ATTIVS. ATIMETVS. AVG. MEDICVS. ABOCVL; & Celadi Antinoi alumnus Lyrius, cujus elogium deſcripſimus Romæ prope collem Hortulorum.

TI. LYRIVS. TI. CÆSARIS
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIVS
PIVS. PARENTIVM. SVORVM &c.

Celadus enim Grammaticus, cujus meminit (*g*) Juvenalis, & (*h*) Celadus C. Cæſaris Diſpenſator, hujus loci non ſunt. Celadianus autem a Celado (ut vidimus) dictus eſt. Quæ ſane denominandi ratio admodum recepta fuit in ſervis apud noſtros, ut videlicet ab illo, qui inter ipſos familiam veluti duceret, nominarentur. Ita a Creſcente Creſcentianus, a Theamide Theamidianus, ab Euphemo Euphemianus, a Thamyra Thamyrianus. Imo & a dominorum nominibus aliquando eadem manavit appellatio; ut a Germanico Germanicianus, a F Cæſare Cæſarianus, ab Herode Herodianus. Quod enim apud D. (*i*) Matthæum vulgata editio habet: *mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis*, Evangelium Hebraicum Matthæi a (*k*) IOH. TILIO Epiſcopo Briocenſi editum, habet ad verbum; *& miſerunt ad eum diſcipulos cum ſervis Herodis*

a *Leg. 166. de verbor. ſign.* b *Nerone cap. 4.* c *lib. 3. de Beneſ. c. 24.* d *lib. 7. cap. 2.* e *Leg. 3. Cod. com. de legat. & Leg. 1. Cod. de comm. ſerv. manum.* f *Lib. 29. cap. 1.* g *Sat. 7. verſ. 215.* h *vet. inſcr.* i *cap. 22.* k *Anno MDLV.*

dis, dicentes: Magister, scimus, quod homo veritatum tu. Quod sane glossema non video, cur doctis viris placere non possit, cum a vetusto illo, quem tetigimus, more proficiscatur, & dirimat fortasse omnes de Herodianis interpretum controversias apud Evangelistam. Ocularios recensuit non semel & (*a*) Scribonius Largus, qui & (*b*) Atimetum nominat. Et de his demum medicis illud utique ejusdem (*c*) auctoris sine mendacio prædicari poterat: *multos itaque animadvertimus, unius partis sanandi scientia, medici plenum nomen consecutos.* CLINICI aliqui, CHIRURGI, & OCULARII simul; ut Eros ille, qui manumissus P. DECIMIVS P. L. EROS. MERVLA scribitur Assisii in antiquo titulo, ubi is notatur pro libertate dedisse HS. IↃↃ. (*d*) Seneca in eandem sententiam: *quid autem melius potes velle, quam eripere te huic servituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata omni modo exuere conantur; peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Clinicos non male nos Lectularios interpretabimur. (*e*) Martialis:

Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo Diaulus,
Cœpit quo poterat Clinicus esse modo.

Clinicum vocat vespillonem, ut qui lectos elatorum tractaret. Nec sane ad vivos tantum medicorum servorum opera pertinuit, sed etiam ad mortuos, quando legimus præcepisse (*f*) Josephum servis suis Medicis, ut patris defuncti cadaver aromatibus condirent. Apud Ægyptios enim moris fuit hoc exequi prævia dissectione, quæ non nisi peritis mandari poterat, ut monuerunt (*g*) Herodotus & (*h*) Diodorus. Et hoc Ægyptiorum institutum amplexati sumus & nos in Principibus viris, traditum videlicet a majoribus. D. (*i*) Gregorius: *nam Illustris vir Stephanus, quem bene nosti, de semetipso mihi narrare consueverat; quia in Constantinopolitana urbe pro quadam causa demoratus, molestia corporis superveniente, defunctus est; cumque Medicus, atque Pigmentarius ad aperiendum eum, atque condiendum esset quæsitus, & die eodem minime inventus, subsequente nocte corpus jacuit inhumatum.* Et hujus profecto classis est servus POLLINCTOR, cujus meminit (*k*) Ulpianus ex Labeone. Deligebantur autem ad ministerium funeris SUCCOLLATORES, & USTORES ex infima servitute homines, inscripti, & semirasi, cujusmodi in pistrinum, & in metallum dabantur. (*l*) Martialis:

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

(*m*) Catullus:

Cum devolutum ex igne prosequens panem,
A semiraso tonderetur ustore.

De quattuor gerulis subscribit Martiali (*n*) Petrus Chrysologus: *in obsequium divitis migrat hic tota civitas, cum funus effertur, pauper vadit solus; pauperem duorum portat miseratio bajulorum: nec quatuor ut mortuos, sed duo sub uno vecte quasi projiciendo oneri portitores addicuntur inviti:* idem Auctor: *funus divitis antecedit lugubris turba servorum.* Inter quos videntur fuisse inserti ORCINI, & PILEATI, *hesterni Quirites*, ut appellat Persius, de quibus clarissimus (*o*) CUJACIUS. Augustorum familia agnovit etiam PRINCIPEM MEDICORUM, ARCHIATRUM; quem, ut in antiquo titulo est, ipsi vocabant SUPERPOSITUM Medicorum. Neque vero Medici tantum, sed & MEDICÆ fuerunt in usu. Antiqua inscriptio:

SECVNDA
LIVILLAES
MEDICA

Et hæ videntur gynæcia curasse, & curam adhibuisse mulierum passionibus. Quare non male (ut alii etiam animadverterunt) notavit Anianus ad Paulum: *quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obstetrices, id est Medicæ, ventrem jubentur inspicere.* Jam vero TRACTATRICES quæ corpus fricabant, Medicarum ministras fuisse arbitror, ut TRACTATORES Medicorum. (*a*) Martialis:

Percurrit agili corpus arte Tractatrix.

Nec aliud intellexisse videtur (*b*) Seneca: *an potius optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum Tractatori præstitisset?* Medicis IATRALIPTAS adjungemus. (*c*) Plinius: *nec fuit postea quæstus modus; quoniam Prodicus Selymbriæ natus, discipulus ejus, instituens quam vocant Jatralipticen, reunctoribus quoque Medicorum, & Mediastinis vectigal invenit.* Romæ legebatur in veteri inscriptione,

DIIS. MANIBVS. S
TITO. FLAVIO. OLENO
SERVO. ET. PROCVRAT
BALNEI. T. FLAVI. AVG
V̄C̄T̄. MEDIASTINO &c.

(*d*) Plinius minor: *proximo anno, Domine, gravissima valetudine usque ad periculum vitæ vexatus, Iatralipten assumpsi.* Cæterum ad rem major Plinius, quæ scribit de MEDIASTINIS. Fuerunt enim illi, ut Aliptæ, & Unctores, ministri balneares. Nam quod (*e*) Juvenalis cecinit, de poetis eo desperatione adactis, ut

Balneolum Gabiis, Romæ conducere Furnos
Tentarent ——

veteres glossæ de Mediastinis & Pistoribus interpretantur. Consentit Porphyrion ad illud (*f*) Horatianum:

Tu Mediastinus tacita prece rura petebas.

Nec abit (*g*) Priscianus. Hæc eadem statio illos sibi vendicat, quibus (*h*) cura obtigerat in magna familia, ut ægros, insanosque compescerent. Et hujus muneris aliqua portione functus est (nisi nos veterum marmorum exscriptores fallunt) SEXTORIVS nescio quis, AVG. LIB. AB ÆGRIS. CVBICVLARIORVM. At quia Medicorum placita Balneas, ut vidimus, non abnuerunt, BALNEATOREM propterea hic collocabimus. Ejus ministerium pulchre tetigit D. (*i*) Zeno Episcopus & martyr: *properate, properate bene loturi fratres. Aqua viva, Spiritu sancto, & igne dulcissimo temperata, blando murmure jam vos invitat; jam balneator præcinctus expectat, quod unctui, quod tersui opus est præbiturus, sed & denarium aureum triplici numismatis unione signatum.* Balnearum

a *cap.*38. b *cap.*120. c *cap.* 120. d *Epist.*80. e *L.*1. 30. f *Genes. cap.* 50. g *Lib.*2. h *lib. pag.* 11. *cap.* 5 i *Lib.*4. *Dial.* k *Leg.* 5. *de Institor. act.* l *Lib.*8. 74. m 60. n *Serm.*121. o *Lib.* 3. *obs. cap.* 23.

a *Lib.* 3. 82. b *Epist.*66. c *lib.* 29. *cap.* 1. d *lib.* 10. *ep.*4. e *Sat.*7. f *lib.* 1. *ep.* 14. g *In Partit. vers. Æn. l.* 5. h *Seneca lib. de Tranquil.* i *Invitatione ad fontem* 11.


A vero usus supra quotidianum balneatoris ministerium adeo assiduum fecerat, ut *elixum* appellet (*a*) Martialis. FORNACATOREM instrumento balneatorio contineri scribit (*b*) Paulus; & huic a balneatore credita videtur Fornax, quæ fuit in balneo, ut ad illius arbitrium calefaceret eam, tepefaceretve. (*c*) Lampridius: *auspicium crudelitatis apud centum cellas dedit anno ætatis* XII. *nam cum tepidius forte lotus esset, balneatorem in fornacem conjici jussit, quando a pædagogo, cui hoc jussum fuerat, vervecina pellis in fornace consumpta est, ut fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret.* Qui dominum lavantem ungebant, voce Græca Latio
B donata ALIPTÆ dicebantur, nostris UNCTORES, & ministri ungendi. Seneca: *cum in alipten inertem, & hac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat.* Infra: *Aliptam cogita, tenuem & stridulam vocem, quo sit notabilior subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit.* Opelici unctoris meminit (*d*) Martialis. Panthæ, Secundionis, Erotis antiqua monumenta. Hujusmodi minister Commodum Imperatorem de medio sustulit. (*e*) Victor: *ibi per ministrum ungendi (nam forte is quoque e consilio erat) faucibus*
C *quasi arte exercitii, brachiorum nodo validius pressis, exspiravit.* (*f*) Allusit huc Horatius:

—— jusserit ad se
Mœcenas serum sub lumina prima venire
Convivam; nemon' oleum feret ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.

Aliptæ instrumenta erat Strigilis, Lintea, Guttus. (*g*) Juvenalis:

—— domus interea secura patellas
D *Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis*
Strigilibus, pleno componit lintea Gutto.
Hæc inter pueros varie properantur ——

(*h*) Horatius



—— an hic peccat; sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat Strigili? ——

(*a*) Seneca; *vetemus lintea & strigiles Jovi ferre, & speculum tenere Junoni. Non quærit ministros Deus; quidni? ipse humano generi ministrat.* Ampulla adhæc & Lenticula, cujusmodi ego Romæ nactus sum fictilem, *lenticulari* (ut ille (*b*) ait) *forma, tereti ambitu, pressula rotunditate:* cujus hic exemplum subjicio, ut & antiquæ Strigilis, quam vidi apud nobilissimum virum NICOLAUM FABRICIUM. Porro declarabit nobis Strigilis hic typus Appuleii verba in Excerptis (ita enim Florida appello) *juxtaque honestam strigileculam, recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Per tubulationem quippe ligulæ sudor dilabebatur. Ligulam autem vocat partem incurvam superiorem, quod sit non absimilis Ligulæ, oblonga, fornicata, & contracta; cujusmodi ego argenteam eleganter elaboratam Romæ spectavi apud LÆLIUM PASCHALIUM, inscriptamque CRESC ☧ ENTIA. Et hac (ut ego quidem censeo) Strigilis parte videntur usi fuisse aliquando & Medici. (*c*) Scribonius Largus; *ad auriculæ & tumorem, & dolorem sine ulcere, prodest herbæ urceolaris, aut cucurbitæ ramentorum succus tepens, per Strigilem in foramen auris dolentis infusus.* (*d*) Plinius; *medentur & aurium dolori: item succus inunctus Hyoscyami modice: item Achilleæ, & minoris Centaureæ, & Plantaginis; Peucedani cum rosaceo, & Meconio: Acori succus cum rosa; omnis autem strigili calefactus infunditur.* Aliptæ ministerium egregie ridet Epictetus apud (*e*) Arrianum. At non præficiemus unguentis peculiarem ministrum, qui promeret, & asservaret? Servius ad illa I. Æn.

—— ubi mollis Amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra;

narrat, *Amaracum puerum regium* UNGUENTARIUM *fuisse, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creaverit.* Quæ omnia (*f*) Isidorus in suas origines transtulit. (*g*) Horatius hujusmodi puerum alloquebatur;

I, pete unguentum puer, & coronas.
Et cadum Marsi memorem duelli.

Cur autem axillas olim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id vero mollitiei adscribendum est; & tetigimus nos paulo superius. Imo post Pumices, Resinam, & Volsellas eo ventum est,
E ut Psilothro, & Dropace adhibitis, pilos arcerent. (*h*) Plinius Valerianus: *sunt qui vel suis pilis, vel servorum suorum in balneo offendantur, sine ulla quidem ratione, sed illorum quoque persuasioni succurrendum est, & monstrandum, quemadmodum effici possit, ut evulsi pili non renascantur. Omni autem Psilothro sic utendum est, ut prius quam adjiciatur, Resina pili auferantur, &c.* (*i*) Martialis.

Psilothro faciemque lavas, & Dropace calvam:
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?

F A quo ministerio in veteribus (*k*) Lexicis ALIPILARIUS δρωπαχιστής appellatur; hunc ALIPILUM vocant nonnulli, inseruntque (*l*) Senecæ verbis, quæ superius retulimus. Vestimenta lavantium servabant CAPSARII, & peculiares aliquando e familia homines. Petronius: *cæterum ut movi-*

a *Lib.* 3. 7. b *Leg.* 14. *ff. de instr. vel instrum. legato.* c *Epist.* 56. d *Lib.* 12. 71. e *in editione A. Schotti.* f *lib.* 2. *Sat.* 7. g *Sat.* 3. *de his Artemidorus cap.* 66. *lib.* 1. h *lib.* 2. *Sat.* 7.

a *Epist.* 95. b *Appulejus in Floridis.* c *Comp.* 39. d *Lib.* 25. *cap. ult.* e *lib.* 3. *cap.* 26. f *Lib.* 4. *cap. penult. lib.* 17. *cap.* 9. g *lib.* 3. *Ode* 14. h *lib.* 3. *cap.* 52. i *lib.* 3. 74. K *Turnebus lib.* 27. *cap.* 10. l *Epist.* 56.

mus dextros gressus, servus nobis dispoliatus procubuit ante pedes, & rogare cœpit, ut se pœnæ eriperemus: nec magnum esse peccatum suum, propter quod periclitaretur. Subducta enim vestimenta sibi Dispensatoris in balneo, quæ vix fuissent x. HS. Notandum vero est, honestas matronas ancillarum opera uti consuevisse; ideo Romæ lapis extabat inscriptus,

ATHENAIS AVGVSTAES VNCT

Non enim universæ cum tunica pudorem posuerant, ut illa (*a*) Juvenali decantata:

—— magno gaudet sudare tumultu,
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus & cristæ digitos impressit Aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.

Ad castitatis normam Susanna, de qua ita (*b*) Alcimus Avitus:

Ecce autem viridis per mollia gramina luci
Susanna ingreditur, & famulis comitata duabus,
Quas smegma, atque oleum jubet ad se adferre, forasque
Destinat imprudens ——

TONSOR non alibi quærendus est, quem familiarem fuisse unus evincet (*c*) Ovidius:

Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus ——

Pantagathus ille, cujus epitaphium cecinit (*d*) Martialis, hoc domestico ministerio functus est. Tonstrinæ autem negocium describit nobis (*e*) Seneca: *quid? illos ociosos vocas, quibus apud Tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens, hinc atque illinc in frontem compellitur?* pergit: *quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt?* infra: *hos tu ociosos vocas, inter pectinem, speculumque occupatos?* Instrumentum notat (*f*) Lucianus, ξυρὸν, καὶ μαχαιρίδας, καὶ κάτοπτρον. Habuit & Palatium Tonsores suos. (*g*) Ammianus: *evenerat iisdem diebus, ut ad demendum Imperatoris capillum, Tonsor venire præceptus, introiret quidam ambitiose vestitus, quo viso Julianus obstupuit; ego, inquit, non rationalem jussi, sed tonsorem acciri.* Neque vero mulieribus obsepta fuit hæc ad quæstum, & dominicam gratiam via. (*h*) Martialis;

Tonstrix, Suburræ faucibus quæ sedet primis.

vetus elogium:

SEXTIÆ. L. TERTIÆ
TONSTRICI

Et in hoc ministerio apud Cleopatram Ægypti reginam gratia, & regio favore insignis fuit mulier ancilla, cui nomen Eras, ut asserit (*i*) Plutarchus. Nec aliud sibi voluit (*k*) Cicero, Dionysiii senioris miseram custodiam perstringens; qui, ne Tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Subdit enim: *ita sordido, ancillarique artificio, regiæ virgines ut Tonstriculæ, tondebant barbam, & capillum patris.* De Balneo imus in Culinam. OFFARIOS, & COQUOS veteres illi lurcones magni fecerunt. (*a*) Plinius: *at nunc Coci triumphorum preciis parantur, & Cocorum pisces: nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quam qui peritissime censum domini mergit.* Val. (*b*) Maximus: *inde ab Oceani littoribus attracti pisces: inde infusæ culinis artes,* (ita enim habent membranæ meæ) *censibusque edendis, ac bibendis reperta voluptas est.* Livius: *tum Coquus, vilissimum antiquis mancipium, & æstimatione & usu, in precio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta.* Idem (*c*) Plinius: *postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatatæ, repositoria occupent.* Coqui ideam expressit Damoxenus Comicus apud (*d*) Athenæum, apud quem culinæ instrumentum, condimentorum indiculus, porcus Trojanus, & Coqui gloriosa magisteria recensentur. Hujus artificii fuerunt Æsopi nobilis patina, cœnæ Metellianæ, Apiciana decreta, & alia hujusmodi sexcenta excogitata in perniciem censuum, & patrimoniorum. (*e*) Appulejus: *hic erat dives admodum dominus; at illorum alter pistor dulciarius, qui panes, & mellita concinnabat edulia; alter Coquus, qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita vapore mollibat.* (*f*) Juvenalis:

—— veniet, qui fercula docte
Componat, veniet qui pulmentaria condit.

quæ de Structore & Coco dicta esse testantur veteres Glossæ. Eleganter (*g*) Martialis:

Non satis est ars sola Coco servire palato,
Namque Cocus domini debet habere gulam.

Neque vero unico tantum Coquo contenti erant (*h*) Juvenalis:

—— Librarius, ARCHIMAGIRI,
Carptores ——

Inscriptio antiqua,

HIC. OSSA. SITA. SVNT
FAVSTI. ERONIS
VICARII. SVPRA
COCOS.

Et quia Coquus, & Pistor idem (*i*) antiquitus fuit, PISTORIS, seu PINSORIS hæc erit statio. (*k*) Varro περὶ ἐδεσμάτων: *si quantum operæ sumpsisti, ut tuus Pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam Philosophiæ dedisses, ipse bonus jampridem esses factus; nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum, te qui novit, nemo centussi.* Sybariticum vero possit videri illud, quod narrat (*l*) Clearchus Solensis lib. v. vitarum, *Pistorem, nescio cujus, cum tunica chiridota, & ore sudario obvoluto, jussum esse farinæ massam tractare; ne videlicet sudor stillans influeret, aut subactam farinam halitu afflaret.* Panis conficiendi ratio apud Plinium extat, qui & de Pistoribus multa. Horum alii DULCIARII, alii LACTARII; de illis (*m*) Appulejus: *hic Panes, Crustula, Lucunculos, Hamos, Laterculos, & complura scitamenta mellita.* (*n*) Martialis:

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat Apis.

de Lactariis (o) Lampridius: *Dulciarios & Lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus*

a *Sat.* 6. b *lib.* 6. *c.* 22. c *lib.* 11. *meta.* d *Lib.* 6. e *De Brev. vitæ cap.* 12. f *Adversus indoctum.* g *Lib.* 22. h *Lib.* 2. 17. i *in M. Antonio.* k *Tuscul. Disp. lib.* 5.

a *lib.* 9. *cap.* 17. b *lib.* 9. *cap.* 1. c *lib.* 10. *cap.* 50. d *Lib.* 3. e *Lib.* 10. *Metam.* f *Sat.* 7. 184. g *lib.* 14. 218. h *Sat.* 9. 109. i *Festus.* k *Gell. lib.* 15. *cap.* 19. l *Athenæus lib.* 12. m *lib.* 10. *metam.* n *lib.* 14. 220. o *Elagabalo. cap.* 27.

exhibuissent, vel Structores, vel Pomarii, illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent. PLACENTARIORUM meminit Jul. (*a*) Paulus: & Pistoris asseclas fuisse innuit (*b*) Martialis,

Hinc Pistor fatuas facit Placentas.

POMARII, & (*c*) FOCARII se hic exhiberi non moleste ferent; ut & VENATORES, vel AUCUPES, qui instruendarum gratia quotidianarum epularum habebantur. CELLARII rem gratia quotidianarum epularum habebant. CELLARII rem cibariam, quæ in penu fuit, adservabant. (*d*) Plautus:

Sume, posce, prome quid vis: te facio Cellarium.

(*e*) Seneca: *circa lucem discurritur, pueri vocantur, Cellarii, Coqui tumultuantur; quæro quid sit? dicitur mulsum, & alicam poposcisse, a balneo exisse.* (*f*) Plinius: *Apio eximunt Coci obsoniis acetum; eodem Cellari in saccis odorem vino gravem.* (*g*) Lampridius: *mittebat Parasitis per Cellarios salarii annua vasa, cum ranis, & scorpiis; cum serpentibus, & cum hujusmodi monstris.* Hinc manavit loci nomen apud (*h*) Lucæ interpretem, (*i*) Augustinum, & (K) Cassianum. Transtulit eleganter (*l*) Theodorus Priscianus; *sed Pulmonem esse veluti Cellarium spiritus ad arterias mittendi, seu replendi omnium corporis regionem, ex quo spiritu omnes nostri artus commoveantur*, hinc Cellariolum apud (*m*) Gregorium Turonensem, qui & Promptuarium vocat. Cellarium autem ministrum, PROMUM appellavit (*n*) Horatius:

Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem: nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta; foris est Promus, & atrum
Defendens pisces hiemat mare. ——

PÆNUIARIUM, antiquum (*o*) marmor, CONDUM PROMUM PROCURATOREM Peni (*p*) Plautus, quem imitatus est dubio procul (*q*) Paulus Diaconus in Distichis, quibus beatissimi Benedicti admiranda complexus est;

Cur Prome conde times stillam præbere Lecyti?
Dolia certe fluunt; cur Prome conde times?

Cellæ promæ huc referendæ sunt. (*r*) Tertullianus: *nisi quia in cellis promis caro salita, & usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore.* Hinc Cella penaria, cujus meminere Suetonius, Ulpianus, Turonensis, & alii. Verum inter Penu, & Cellarium hoc intererat, quod Cellarium paucorum dierum, Penu esset temporis longi. Notat (*s*) Servius ad illud,

Cura penum struere ——

quod & videtur Q. Scævolæ placuisse apud (*t*) Gellium, licet Fab. Planciades non ita adamussim scripserit, *Penum autem Cellarium dicimus.* Cella autem, & Cellarium auctore (*u*) Donato *a reponendis, celandisque rebus esculentis, & poculentis dicitur.* Verum Penoris nomine veniunt esculenta, & poculenta, Oleum, Garum, Muria, Mel, Acetum, & Hordeum, Ligna, & Carbones, Thus, & Ceræ; nec injuria: *est enim omne*, scribit (*a*) Cicero, *quo vescuntur homines, Penus*: & Penora dicuntur res necessariæ ad victum quotidianum. Notavit autem apud Homerum (*b*) Athenæus PENUARIAM, seu PENARIAM ancillam; quæ Græce est, ἡ ταμία. Convivium apparabant MINISTRI; hæc siquidem fuit legitima, & justa servorum tricliniarium nomenclatura. (*c*) Zeno Veronensis: *Joseph utique in Ægyptum non venisset, nec pudicitiæ tenax dominæ lascivientis insidias incidisset, non fuisset retrusus in carcerem, nec ministris Pharaonis familiarior extitisset.* &c. (*d*) Virgilius:

—— *totidemque pares ætate ministri*

(*e*) Silius:

—— *non una ministri*
Turba gregis ——

(*f*) Lucanus:

Tunc famulæ numerus turbæ, populusque minister.

Servius in Eclogam II. de Alexi; *cum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum.* Jul. (*g*) Capitolinus: *tunc viris clarioribus permisit, ut eodem cultu, quo ipse, vel ministeriis similibus convivia exhiberent.* (*h*) Petrus Chrysologus: *discumbenti homini Deus adstat in cœlestibus: epulanti servo servit Dominus, & servit accinctus; pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, & facit in Patris jam gloria constitutus.* Neque tamen negamus, quod vir eruditissimus affirmavit, ministerii appellatione aliquando intelligi omia vasa argentea Triclinio sternendo necessaria. Usi enim sunt hac vocis ejus notione, (*i*) Paulus Orosius, & (K) Petrus Chrysologus. ille: *dumque expositis opibus, attonitum barbarum, magnitudine & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait: hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt, præsume si audes, de facto tu videris.* Hic: *quid est dives? ubi sunt torrentes torcularium tuorum? ubi sunt horrea ad famem pauperis non minus cupiditatibus dilatata, quam copiis? ubi sunt vina ad inopiam pauperis, annositatibus, & ipsa temporum oblivione servata? ubi sunt effusiones, lapsus, flumina ministeriorum tuorum?* (*l*) Sidonius: *si in convivium venitur, quod quidem diebus profestis simile privato est, non ibi impolitam congeriem liventi argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit.* Scimus autem Servos quandoque in universum ministros, & ministeria dictos esse, ut a (*m*) Seneca, (*n*) Plinio, (*o*) Martiale. Qua notione ministerialis apud Latino-Gallicos scriptores servus est. Convivalem ministrum expressit (*p*) Horatius:

—— *puer alte cinctus, acernam*
Gausape purpureo mensam pertersit ——

&

—— *ut omnes.*
Præcincti recte pueri, comptique ministrent.

a *lib.* 3. *sent.* b *lib.* 11. 32. c *Leg.* 1. *Naut. Caup. Stab.* d *Captivis.* e *Epist.* 122. f *lib.* 19. *cap. ult.* g *Elagab. c.* 26. h *Cap.* 12. i *L.* 9. *conf. c.* 8. K *Lib* 4. *de instit. renunc. cap.* 8 l *Ad Euseb. lib.* 4. m *Lib.* 2 *mirac. cap.* 35. n *Lib.* 2. *Sat.* 2. o *Puteolis.* p *Pseudolo citante Fulgentio.* q *Lib.* 1. *de gest. Long. cap.* 26. r *De Resur. carnis.* s *Lib.* 1. *Æn.* t *Lib.* 4. *cap.* 1. u *Adelph. Act* 4. *Sc.* 2.

a *Lib.* 2. *de nat Deor.* b *Lib.* 1. *Deipnosoph. est autem ejusmodi Lyde apud Horatium lib.* 3. *carm. ode* 28. c *Serm. de livore & invid.* d *Lib.* 1. *Æn.* e *Lib.* 11. f *lib.* 10. g *M. Antonio.* h *Serm. cap.* 14. i *lib.* 7. *cap.* 39. K *Serm.* 122. l *Lib.* 1. *Ep.* 2. m *Lib.* 3. *de benef. cap.* 18. n *Lib.* 7. *cap.* 52. o *Lib.* 7. p *Lib.* 2. *Sat.* 8.

Hi Græce (*a*) *διάκονες* & (*b*) *διάκονοι* appellati sunt, a quibus ordo sacer nomen traxit Diaconorum. Nostri enim ex prima institutione ministraverunt mensis, ut ex Actis Apostolicis notaverunt Isidorus, & Amalarius Fortunatus. Et profecto (*c*) Arator ministros vocat;

——sit cura ministris
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero ——

Huc respexit D. (*d*) Ignatius, nostros Diaconos informans; *ὐ γὰρ βρωτῶν, καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται*. & hinc ministeria ipsa fuerunt, qui Diaconias nominarent, Auctor cœnæ D. Cypriano falso adscriptæ: *at ubi divisit vestes, Rex respiciens eos, sic ait, non ante cœnabitis, nisi singuli singulas vices feceritis: atque ita sibi præceptas Diaconias consumaverunt*. Porro insignivit hæc vox peculiare quoddam Diaconorum nostrorum ministerium, de quo agemus inferius. At vestis ministrorum Tricliniarium fuit Tunica, qua omnes, ut suo loco indicabimus, promiscue servi usi sunt, eaque sine manicis aliquando, aliquando manicata; sed leviter, & non ultra cubitum, interdum etiam ultra cubitum, totius brachii operimento, ut conspeximus in antiquis scalpturis. Ab his desumpsisse Tunicas suas, quas hodie vocamus Albas, Levitas Diaconosve nostros, quas tamen non præcingerent sibi, sed ad talos usque demitterent, non inviti suspicamur. (*e*) Philo Ecclesiam Alexandrinam describens: *ceterum in hoc sacro convivio nemo, ut dixi, servus adest, ministrant ingenui, & sponte quicquid opus est, faciunt.* infra: *discincti autem, & promissis tunicis accedunt ad ministrandum, ut absit omnis servilis species ab hoc convivio*. Et licet per hæc minus trita a nostris, in tanta annorum ac rerum caligine, timide, & suspenso gradu incedamus, monemus tamen eruendæ veritatis studiosos, B. Silvestrum Diaconis, qui Colobiis antea utebantur, Dalmaticas vestes assignasse, ut asserunt (*f*) Breviarium Romanum, & (*g*) Hugo de S. Victore: at id quare? quia nuditas brachiorum culpabatur. Ita (*h*) Albinus Flaccus, & (*i*) Expositor Romani (ut inquiunt) Ordinis. At Colobium fuit vestis sine manicis, ut asserunt (*k*) Servius, (*l*) Hieronymus, (*m*) Isidorus, & (*n*) Albinus; licet Ægyptiorum monachorum Colobia (ut prodit Cassianus) manicas, sed decurtatas, cubito tenus haberent. Fuit autem Colobium Tunica. An vero Ecclesiastici Diaconi nudis omnino incederent brachiis, ut convivales illi, non ausim omnino affirmare aut negare constanter. Culpata nuditas brachiorum videtur favere affirmanti; quam tamen ego speciem pro cetera castimonia senioris Ecclesiæ, vix animo possum concipere. Addamus, non esse omnino certam traditionem Albini, Colobia videlicet D. Silvestri jussu abolita fuisse, cum narret (*o*) Anselmus Decretorum antiguus collector, a Sancto Silvestro, & Presbyteris ejus Colobiorum usum incepisse; & Marcum, Julium, Liberium acceptum retinuuisse: post hos autem Colobia Dalmaticis esse permutata in gratiam alieni aspectus, qui in Colobio requirebat nescio quid amplius. Quæ sane confirmantur ex iis, quæ narrat (*a*) Ammianus: *post hæc* (inquit) *indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis confississque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est, ut appellant Christiani, Diaco-conus; cujus prolatæ literæ scriptæ Græco sermone, ad Tyrii textrini præpositum celerari speciem perurgebant*. In re tam perplexa quid pronunciabimus? Non liquere: & ideo ampliandum. Non ignoramus utique multa mystice de sacris Sacerdotum vestibus, a sanctissimis, & eruditissimis viris tradita esse, cum illas ab augustissimis Hebræorum ritibus derivent; neque hæc nobis convellere propositum est: sed scimus etiam multa e gentilium obvia consuetudine, atque adeo superstitione, translata fuisse ad usus nostros, tum utiliter, tum sapienter. Æqui igitur, bonique consulet, qui hæc nostra leget, studium veritatis inquirendæ, *cujus luce menti hominis*, ut ait summus Orator, *nihil dulcius*. Porro Diaconorum nostrorum (ut etiam hoc obiter tangamus) partes videntur fuisse, Eleemosynas a fidelibus oblatas in usus pauperum distribuere; & hoc jam inde a D. (*b*) Paulo, qui ministerium hoc Diaconiam appellat. Hinc Sisinnius, & Cyriacus Diaconi victum deferebant Sanctis Martyribus, ut habent (*c*) gesta Marcelli Papæ. D. certe Laurentius Archilevita hoc munere functus egregie est, transmisitque ad successores, cum (*d*) Titus Diaconus Martyr pecunias pauperibus distribuens Romæ a Barbaris interfectus it; & D. (*e*) Gregorius Bonifacium Diaconum, Ecclesiæ nominet dispensatorem. Diaconissæ autem quæ vocantur, Diaconis origine fuerunt æquales. (*f*) custodiebant vero portas introitus, videlicet Ecclesiæ in statione fœminarum: erant ad easdem (*g*) internunciæ; (*h*) ministrabantque Presbyteris in earumdem Catechismo, & Baptismate, propter honestatem; & (*i*) initiabantur ab Episcopis solemni precatione, ministerio tamen, non Sacramento. Harum videtur meminisse (*k*) Plinius Junior in consultatione de rebus nostris ad Trajanum Augustum conscripta: *quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, & immodicam &c.* Et ex hac tandem muliebri ministrandi ratione, quis non laudet pietatem nobilissimarum & sanctissimarum sororum Marthæ, & Mariæ, quarum altera non semel Domino (*l*) ministravit, altera sedere consuevit secus pedes ejusdem? nimirum submittebant illæ fastigium avitæ nobilitatis divino obsequio, & exequebantur in CHRISTO, quod clarissima heroina longe post imitata est in CHRISTI imitatore Martino. (*m*) Maximi enim Imperatoris Regina, *non opes regni, non Imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli a Martini pedibus solo strata non poterat. Postremo a viro suo poposcit, deinde Martinum uterque compellant, ut ei, remotis omnibus ministris, praberet sola convivium: nec potuit vir beatus obstinatius reluctari, componitur castus Reginæ manibus apparatus; sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat: cibum, quem ipsa coxerat, apponit: ipsa, illo se-*

a *Rabanus Maurus de instit. Cler. lib.* 1. *cap.* 7. *Ivo Carnotensis in sermonib.* b *Omnes passim.* c *Lib.* 1. d *Epist.* 2. *ad Trall.* e *de vita contemp.* f *in Silvestro.* g *Erudit. Teol. lib.* 1. *cap.* 33. h *Quid signif. vest.* i *refert Panvinius in expl. voc. Eccles.* k *lib.* 9. *Æn.* l *in Quæstion. Hebr.* m *lib.* 19. *Etym. cap.* 22. n *Loco citato.* o *Citat. Ciaccon. in notis ad Cassianum.*

a *Lib.* 14. b *Epist.* 2. *ad Corinth. c.* 8. & 9. c *apud Metaphr.* d *Prosper. in Chron.* e *lib.* 3. *Dial. cap.* 20. f *Clem. lib.* 2. *constit. c.* 61. g *Lib.* 3. *c.* 15. h *ibidem.* i *lib.* 8. *c.* 26. & *nescio quid simile extat in Ord. Rom.* k *lib.* 10. *Epist.* 97. & *notavit. Balduin.* l *Lucæ* 10. *Iohan.* 12. m *Sulpit. Severus lib.* 3.

dente, eminus secundum famulantium disciplinam, solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens servientis: miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit; finita cœnula, fragmenta panis assumpti, micasque collegit, satis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens, &c. O felices, o beatas, quibus licuit CHRISTO, & Martino ministrare, quibus CHRISTI & Martini pedibus advolvi licuit! Ministrorum primus mihi erit OBSONATOR. (*a*) Martialis eleganter de eodem:

Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum; cœna parata tibi est.

(*b*) Seneca: *adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet aspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit, quid jam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat.* Hic (*c*) Athenæo est ἀγοραστὴς, ἢ ὀψώνης, quem præceptis instruxit Lynceus Samius. INVITATOR, & VOCATOR appellationem sortiti ex munere sunt, hujus meminit (*d*) Athenæus, illius (*e*) Martialis, & antiqua Romana inscriptio:

AGATHOPVS
AVGG. LIB.
INVITATOR.

(*f*) Plinius: *indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset.* (*g*) Appulejus: *& ecce quidam intro currens famulus, rogat te, ait, tua parens Byrrhena, & convivii cui te sero desponderas jam appropinquantis admonet.* (*h*) Ammianus: *& Nomenclatores assueti hæc & talia venditare, mercede accepta, cœnis quosdam & prandiis inserunt subdititios, ignobiles, & obscuros.* Notandi hic Nomenclatores e campo in triclinium evocati, quos (*i*) Athenæus ὀνομακλήτορας, & δείπνων ταξιάρχους appellat: & videntur esse δειπνοκλήτορες Artemidoro. Invitatores expressit CHRISTUS dominus apud (*k*) Matthæum, & (*l*) Lucam. Descripsit autem (*m*) Seneca: *alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix, & expectat, quos adulatio, & intemperantia aut gulæ, aut linguæ, revocet in crastinum.* Et ab hac forte opera servum *Calatorem* in Rudente appellat Plautus, ubi tamen Lambinus a Festo non discedit. Hujus classis fuit puer qui nunciabat HORAS.

(*n*) Juvenalis.

—— clamore opus est, ut sentiat auris
Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.

(*o*) Martialis:

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.

(*p*) Sidonius: *ecce & ab Archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret, quem quidem nuncium per spatia clepsydræ horarum incrementa servantem, probabat competenter ingressum quinta digrediens.* Porro ipsi Triclinio præfectus erat servus TRICLINIARCHA, ut in veteri Epigrammate nominatur, M. ULPIVS. AVG. LIB. PHÆDIMVS. hic D. (*q*) Johanni *Archtriclinus* est, sive ejusdem interpreti (*r*) Juvenco summus minister; quod, ut inquit (*s*) Athenæus, esset ἐπιστάτης τῆς ὅλης διακονίας, servorum nimirum Tricliniarium, quorum aliqui (*t*) AQUAM in manus infundebant, aliqui fercula (*a*) INFEREBANT, INFERTORES appellati ab opera, quam præstabant.

(*b*) Juvenalis:

Aspice quam longo distinguat pectore lancem.
Quæ fertur domino squilla, & quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.

ubi habent veteres glossæ, *ministri*; *Infertoris*. Eædem ad illa ejusdem (*c*) poetæ,

Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus ——

ita explicant, *hoc est quod vult dicere, Infertor noster furtum facere ignorat.* Et hæc quidem vox in Lege Salica extat, ut videbimus infra. Ministerium tetigit (*d*) Juvenalis, & ante hunc (*e*) Horatius,

—— deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit ——

Tangit & (*f*) Zeno Veronensis: *tres pueri unanimes legumina inferunt primi, quibus, ut scitus sit sapor, salem sapientiæ aspergunt, oleum Christus infundit.* (*g*) Halotus autem ille, qui boleto Claudianam apotheosin procuravit, Prægustator itidem, & Infertor fuit: quæ ministerii conjunctio non videtur perpetua fuisse. Vini Infertorem lepide expressit (*h*) Horatius:

—— ut Attica virgo
Cum sacris Cereris: procedit fuscus Hydaspes,
Cæcuba vina ferens: Alcon, Chium, maris expers.

His de Triclinio ministris LECTISTERNIATORES accensiti sunt. (*i*) Plautus:

Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes; habes, quod facias; propera, intro abi:
Tu esto Lectisterniator.

(*k*) Seneca: *parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita.* MENSARUM DETERSORES. (*l*) Horatius:

—— puer alte cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit.

cui rei spongia aptior fuit. (*m*) Martialis:

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Utilis, expresso cum levis imbre tumet.

hinc factum nomen Parasito apud (*n*) Plautum, Peniculi;

—— quia mensam (inquit ipse)
quando edo, detergeo. Peniculi enim *spongiæ sunt*, inquit Festus, & pro spongia peniculum usurpavit. (*o*) Sedulius,

a *Lib.* 14. 215. b *Epist.* 47. c *Lib.* 4. d *Lib. cit.* e *lib.*7. 86. f *lib.* 35. *cap.* 10. g *lib.* 3. *Met.* h *lib.* 14. i *lib.* 2. k *Cap.* 22. l *Cap.* 14. m *Epist.* 47. n *Sat.* 10. o *Lib.* 8. 66. p *Lib.* 2. *Ep.* 9. q *Cap.* 2. r *Lib.* 2. *Hist. Eu.* s *Lib.* 4. t *Petronius.*

a *Athenæus lib.*4. b *Sat.* 5. 80. c *Sat.* 11. 142. d *Loco cit.* e *Lib.* 2. *Sat. ult.* f *ad Neophytos post Baptisma Serm.* 1. g *Tacitus annal. lib.* 12. h *Lib.* 2. *Sat. ult.* i *Pseudolo.* k *lib.* 2. *de ira cap.* 25. l *lib.* 2. *Sat.* 8. m *L.* 14. 142. n *Menæchm.* o *Lib.* 5.

—— quin insuper haustum
Cum peteret sitiens, unus de plebe nefanda
Peniculo infusum, calamo porrexit acetum.

Nec non & qui LUMINA sub noctem INFEREBANT. (*a*) Appulejus: *jam illatis luminibus, epularis sermo percrebuit.* (*b*) Ammianus: *malignitate simili quidam agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem invitatus, quum inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex usu,* VINCAMUS &c. At his, luxus, & vilitas opum, statuas substituit. (*c*) Lucretius:

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Quæ Coquus elaboraverat, collocabat STRUCTOR. Petronius: *superque proprium, convenientemque materiæ Structor imposuerat cibum.* Et hunc famulitii ministerialis præsulem videtur constituere (*d*) Macrobius: *inter hæc servilis moderator obsequii, cui cura vel adolendi Penates, vel struendi penum, & domesticorum actuum ministros regendi, admonet dominum, familiam pro solemnitate annui moris epulatam.* (*e*) Virgilium autem imitatur Macrobius.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

ubi Servius: *struere, ordinare, componere: unde & Structores dicuntur ferculorum compositores.* Donatus vero procurationem Cellarii, & deorum Penatium cultum interpretatur; quæ sequuntur,

Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

de Infertoribus, & Pocillatoribus accipe. Structoris enim erat componere, & servare fercula, non inferre: hic τραπεζοποιὸς, & τραπεζοκόμος a Græcis dictus est, ut apud (*f*) Athenæum vidimus, & (*g*) Clementem Alexandrinum: de eodem (*h*) Seneca: *quare ars est apud te ministrare: nec temere, & ut libet, collocatur argentum, sed perite struitur, & est aliquis scindendi obsonii magister?* SCISSOREM hic habemus, eumque una cum Structore productum, uti & apud (*i*) Juvenalem:

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes; & Chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Meminit, & Petronius: *processit statim Scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium* (*k*) *draule cantante pugnare.* CARPTOR idem, qui Scissor fuit. Petronius: *non minus & Trimalcio ejusmodi methodio lætus, carpe, inquit. Processit statim Scissor.* (*l*) Juvenalis:

—— audiet & quæ
Finxerunt pariter Librarius, Archimagiri,
Carptores ——

DIRIBITORES, qui apud (*m*) Appuleium leguntur; *Diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa, puellæ scitulæ ministrantes, pueri calamistrati, pulcre indusiati.* Panem forsan diribebant: & videntur mutuati appellationem a Comitialibus, & Judiciariis Diribitoribus. Fuit autem penes aliquem servorum Tricliniarium hæc panis distributio. (*a*) Juvenalis eleganter, ut solet:

Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem,
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
Sed tener, & niveus, mollique siligine factus
Servatur domino. ——

Et huc pertinent illa Petronii: *circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Promebant autem e canistris statutis in ipso Triclino, ut indicat antiqua Sigmatis (*b*) scalptura, quæ Romæ



trans Tiberim visitur, e regione ædis D. Chrysogoni. ideoque (*c*) Juvenalis:

—— finge tamen te
Improbulum, superest illic qui ponere cogat.
Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?

(*d*) Virgilius:

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt.

ubi hæc Donatus; *hic dispositionem familiæ regalis ostendit: alii enim, hoc est viri, aquam abluendis manibus dabant, alii mantilia porrigebant, quibus manus ablutæ tergerentur, alii canistris panem ministrabant; mos enim fertur apud veteres fuisse, ut panis non argenteis vasculis inferretur, sed canistris, hoc est speciebus factis ex vimine.* At ex his Donati verbis elicimus, in Petronio pleraque legi, quæ luxum referant non vulgarem, & tritum, sed Imperatorium, & summæ inter luxuriosos fortunæ; quale est, quod de clibano argenteo vidimus. PRÆGUSTATORES nonnihil ex herilibus eduliis præmandebant. (*e*) Cornelius Tacitus: *cujus minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare gustu solitus.* (*f*) Arnobius: *curat ut ad sensum palati, suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores: & an rite pulmenta condita sint, Prægustatoris fungitur, atque experitur officio.* Invehitur autem his verbis in Lateranum Deum focorum. Et hinc docemur, non in gratiam tantum vitæ tuendæ, sed & voluptatis, gulæque causa institutos fuisse Prægustatores. (*g*) Juvenalis tamen ad prius illud munus respexit:

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit: timidus prægustet pocula Papas.

quod quidem præmordendi munus fecit fortas-

a *Lib.* 2. *Met.* b *Lib.* 16. c *Lib.* 2. d *Lib.* 1. *c. ult.* e *Lib.* 1. *Æn.* f *Lib.* 4. g *lib.* 3. *Pæd.* h *De vita beata. cap.* 27. i *Sat.* 5. 120. k *Sat.* 9. 109. l *lib.* 2. *Met.*

a *Sat.* 5. 66. b *Edidit Fulvius Ursinus.* c *Sat. prox. cit. vers.* 73. d *Lib.* 1. *Æn. v.* 705. e *lib.* 12. *Annal.* f *Lib.* 4. g *Sat.* 6. 630.

se, ut antiquus Grammaticus illa ejusdem (*a*) poetæ

Discipuli custos præmordet Acœnonetus.

de Papate interpretatus sit. (*b*) Horatius voluptariam prægustatoris operam tetigit in fabella de rustico & urbano mure:

Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne, quod affert.

apud Cæsares procuratio Prægustatorum Liberto de more demandabatur. Vetus elogium Romæ.

DIS. MANIBVS
TI. CLAVD. AVG. LIB
ZOSIMI. PROCVRAT
PRÆGVSTATORVM &c.

Ut & vini censura in epulas dominicas, quod notavit (*c*) Plinius. Et quoniam escaria vasa aurea fuerunt, & argentea, ideo minister fuit ARGENTO præpositus, cujus meminit (*d*) Africanus Jurisconsultus. AVRO præpositorum meminit (*e*) Clemens Alexandrinus, *οἱ δὲ χρυσοφυλακοῦσιν ὡς γρύπες*. Præpositorum auro ESCARIO mentio extat in vetere inscriptione, quam vidimus Romæ in hortis JULII III. Pont. Max.

DIS MANIB
GAMVS AVG. L. PRÆP. AVRI
ESCARI FECIT SIBI ET
FLAVIÆ TYCHE CONJVGI
BENEMERENTI &c.

argentum ESCARIVM recensuit Donatus, enarrans illa (*f*) Virgilii,

Ingens argentum mensis, cælataque in auro.
Fortia facta patrum ——

inquit enim; *idcirco adjecit* mensis, *ut ostenderet escarium argentum, ne putaretur in iis speciebus esse, quæ longe essent ab usu mensarum*: cælataque in auro fortia facta: *hic multiplex argenti laudatio; nam fuit ingentis formæ, perindeque magni ponderis, insignitum auro, & decore mirabili, manu vero artifici ornatum, ut ars cum speciei precio certare videretur*. In veteri marmore legitur. Præpositus auro GEMMATO, de quo (*g*) Juvenalis:

—— *tibi non committitur aurum,*
Vel si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.

Fuit & ministerium argenti POTORII. Romæ legerunt viri docti.

OSSA
VIBIÆ. SVCCESSÆ. LIVIÆ. AVG. SER. AB. ARGENTO. POTORIO. &c.

VIATORII præterea, & BALNEARIS meminit (*h*) Juris consultus. SCÆNICI mentio extabat olim Romæ in hortis Carpensibus.

T. AELIVS. AVGVSTORVM. LIB. A MEMPTVS AB ARGENTO SCAENICO & rel.

Erat autem argentum Scænicum, *quo dominus non temere utebatur, sed commodare ad ludos, & ad ceteras apparationes solebat*, ut (*a*) Alfenus interpretatur. Vasa ipsa qui TERGERENT, & LAVARENT, hujus cohortis manipulares videntur fuisse. (*b*) Juvenalis eorumdem meminit:

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida tum tota descendat aranea tela,
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.

(*c*) Horatius:

Magna movent stomaco fastidia, si puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:
Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit.

Nunc MINISTATOR dicendus est: hujusmodi in antiquis marmoribus nominantur AMARANTHVS AVGVSTI MINISTRATOR TVRRANIANVS. ERASTVS, & ANSIO CÆSARIS MINISTRATORES. Petronius: *Vinum dominicum ministratoris gratia est.* (*d*) Seneca: *alius vini minister in muliebrem modum ornatur, cum ætate luctatur.* (*e*) Appulejus autem hæc Senecæ explicans, *pueros calamistratos, pulchre indusiatos, gemmas formatas in pocula vini vetusti frequenter offerentes*, notavit: nimirum hic fuit muliebris ornatus; indusiatum esse, & calamistratum quempiam. Idem (*f*) Seneca: *transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam cœnam discurritur*. Neque sane temere conjungit hic noster pistores, & ministratores, cum & in Notitia (ut vocant) Imperii, sub dispositione viri Sp. Comitis Castrensis, ministeriales dominici recenseantur, ad quos indicandos, inter Comitis insignia, mensa panaria, & vinaria aliquot vasa conspiciuntur. Porro, qui vinum ministrabat, a (*g*) Suetonio ad CYATHUM, & VINUM appellatur, ab (*h*) Appulejo POCILLATOR, a (*i*) Juvenale ad CYATHOS, in veteri epitaphio a POTIONE.

TI. CLAVD. AVG. LIB
GRATIO. LIVIÆ
AVG. SER. A. POTIO
NE S. T. T. L.

a (K) Gallis SCANTIO. (*l*) Græcis *οἰνοχόος* hic vinum prægustabat. (*m*) Martialis de Alexi Virgiliano:

Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis Carchesia labris.

hic idem qui a potione, fuit & a LAGENA, seu LAGUNA: & confirmat antiqui marmoris elogium:

M. VLPIO. AVG. LIB
PHAEDIMO DIVI TRAJANI. AVG.
A. POTIONE ITEM A. LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI PROXIMO ET
A. COMMENT. BENEFICIORUM &c.

vas

a *Sat. 7. 218.* b *lib. 2. Sat. 6.* c *Lib. 14. cap. 6.* d *Leg. 22. ff. de manum test.* e *lib. 3. Pæd.* f *lib. 1. Æn.* g *Sat. 5. v. 39.* h *Leg. 40. ff. de auro, & arg. leg.*

a *Leg. 28. ff. de auro & arg. leg.* b *Sat. 14. ver. 59.* c *lib. 2. Sat. 4.* d *Epist. 47.* e *Lib. 2. Met.* f *Ep. 95.* g *Cæsare c. 49.* h *lib. 6. Met.* i *Sat. 13. 44.* k *LL. Salic. Tit. 11. edit. Basil.* l *Athenæus, & Lucian.* m *Lib. 8. 55.*

vas enim vinarium fuit lagena. Prægustatores au- A tem voluptati, & securitati dominorum inserviebant: illi, temperando ad blanditias gustus; huic, prælibando ad insidias cavendas. Et hoc demum serium fuit, & solidum ministerium prægustatoris; quo fit ut (*a*) Cornelius Tacitus prudentissimus scriptor, ad hoc indicandum utatur verbo *explorandi*. Neque vero defuit CALIDÆ, GELIDÆQ. minister, ut appellat (*b*) Juvenalis. (*c*) Seneca: *inde & illud sequitur, ut minimis, sordidisque rebus non exacerbemur; parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita*. ibidem: *perpetietur hic famem, & æstivæ expeditionis sitim, qui puero male diluenti nivem, irascitur?* Et quoniam ab his B templis Bacchi, Cererisque, non æque aberant muscæ, ac ab æde Herculis in foro boario absuisse, memoriæ traditum est; ideo minister, qui MUSCAS FUGARET in triclinio fuit. (*d*) Martialis:

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello,
Fugatque muscas myrtea puer virga.

(*e*) Seneca: *quid enim est cur tussis alicujus, cur sternutamentum, aut musca parum curiose fugata, nos in rabiem agat, aut versus calix &c.* Ejusdem C ordinis videtur puer a MATELLA. (*f*) Martialis:

Digiti crepantis signa novit Eunuchus.

Matellam videlicet poscentis ex instituto (*g*) Sybaritarum. Nescio quid hujusmodi ministerii tangit (*h*) Seneca: *ut primum jussus est fungi servili, & contumelioso ministerio (afferre enim vas obscœnum jubebatur) illisum parieti caput rupit*. Ceterum hic digitorum sonus alios etiam ab his famulos excivit, ut conjicimus. Velius Longus: *nam & digitorum sono pueros ad respondendum ciemus*: ute- D batur autem & ad alia promiscue. (*i*) Tibullus:

Non labor hic lædit, referet modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.

Ceterum poppysmata, sibili, & digitis expressi soni, quibus accersebantur famuli, cum sint rationis expertes significationes, ex sententia (*k*) Clementis Alexandrini, ratione præditis hominibus omnino vitanda sunt. Ideoque apud (*l*) Gregorium Turonensem Mummolus calculosus, *tangens unum puerorum, voce tenui vasculum postulat exhi-* E *beri*. Et hoc erat, quod Martialis *signum* vocavit (ut vidimus) *digiti crepantis*, & *argutias pollicis*, alibi, *crepitumque digitorum*. Petronius graphice: *cum has miraremur lauticias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit: exonerata ille vesica, aquam poposcit ad manus, digitosque paululum aspersos, in capite pueri tersit*. Quid autem moverit dominos, ut voci parcerent, etiam cum ministeria citarent, ego quidem non video, nisi dicamus, hoc illis visum esse fastigium dominicæ dignitatis, vocem F non consociare, sed quidquid opus esset, nutu, aut manu significare. Ad hanc dominicam gesticulationem (digitorum sive manuum) referre possumus, quæ leguntur apud Regem, & prophetan (*m*) Davidem, vertentibus nostris; *ecce sicut oculi servorum in manibus* (Græce aptius εἰς χεῖρας) *dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ &c.* Quod enim hæc (*a*) Johannes Campensius de diurno; seu demenso accepit, (*b*) alii de patrocinio, id mihi quidem non æque placet, ac prior ille sensus, qui & (*c*) Genebrardo enarratori optimo non displicuit. De nutu intelligenda sunt, quæ extant in capitibus accusationis Tribuniciæ, in P. Scipionem Africanum apud (*d*) Livium; *unum hominem caput, columenque Imperii Romani esse; sub umbra Scipionis civitatem dominam orbis terrarum latere: nutus ejus pro decretis Patrum, pro populi jussis esse*. Ad quam imperandi normam directum videtur pulcrum illud (*e*) adagium, πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβον. Epulanti domino adstabant pueri AD PEDES, inde appellationem nacti. (*f*) Seneca: *servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset*. (*g*) Suetonius: *nihilo reverentior, leniorve erga Senatum, quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare, succinctos linteo passus est*. De Calvisio Sabino stulto divite hæc (*h*) Seneca: *habebat ad pedes hos, a quibus subinde cum peteret versus, quos referret, sæpe in medio versu excidebat*. Et hos ego (*i*) Ciceroni CIRCUMPEDES appellari conjicio: *servos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos, & litteratos*. Litteratos quidem, ut habuit Calvisius; formosos, ut plerique omnes e secta hominum beatorum, qui pueris forma insignibus non triclinium modo, sed & coquinam referserant. (*k*) Martialis,

Qui rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui jussit fieri te, Theopompe, cocum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina
Sustinet? has uncto polluit ungue comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit?
Qua sapient melius mixta falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros:
Juppiter utatur jam Ganymede coco.

In quibus sane versibus elucet Petroniana illa sub Trimalcionis nomine latens lautitia: ut enim ille digitos in capite pueri tersit, ita videtur Theopompi dominus ad ejusdem comas ungues unctos affricuisse, munditiæ causa. Horum, quos ad pedes vocabant, officium fuit, soleas accumbentium dominorum custodire. (*l*) Martialis:

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
Excogitavit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum:
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Hos eosdem dixerunt A PEDIBUS. (*m*) Cicero: *nec ullam ob aliam causam Pollucem, servum a pedibus meum, Romam misi*. (*n*) Martialis festive;

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Et hæc demum esset in sacris tabulis vera, & germana statio MARIÆ MAGDALENÆ, quam pictores nostri, inscitia per manus, & penicillos

a *Annal. lib.* 12. b *Sat.* 5. c *lib.* 2. *de ira. cap.* 29. d *Lib.* 3. 82. e *loco cit.* f *Lib.* 3. 82. g *Athenaus lib* 12. h *Epist.* 77. i *Lib. I. Eleg.* 2. k *lib.* 2. *Pæda.* l *lib.* 1. *miracul.* 40. m *Psal.* 122.

a *in paraphr. Psal.* 122. b *Joh. Bapt. Folengus.* c *Psal. cit.* d *Lib.* 38. e *apud Adagiogr.* f *lib.* 3. *de Benef.* g *Calig. cap.* 26. h *Epist.* 27. i *in Verr.* 2. k *Lib.* 10. 66. l *Lib.* 12. 89. m *Lib.* 8. *ad An. ep.* 5. n *Lib.* 5. 70.

tradita, conjurarunt, ut perpetuo contra fidem historiæ in triclinio Simoniano male collocarent. Jam vero quæ facies ministrorum tricliniarium esset, quis cultus, quæ frequentia, qui splendor, quæ species triclinii ipsius, nemo melius (*a*) Philone expressit. Scribit enim: *triclinia lectos: habent eburneos, aut testudineos, aut preciosioris materiæ, gemmatos plerosque, stratos auro, intertexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis, oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digestorum per suas species: præsto sunt enim scyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum, ministrantibus formosis* MANCIPIIS, *non tam ad præsens ministerium quæsitis, quam ad exhilarandos aspectu convivis oculos; ex his minores pueri* PINCERNAS *agunt, grandiores* AQUAM *afferunt, loti, & nitidi, fucatique, ac cincinnatuli, alunt enim* CAPILLITIUM, *vel omnino* INTONSI, *vel a* FRONTE *tantum præsectis in orbem crinibus, tenuissimas, candidasque præcincti* TUNICAS, *anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, utrimque mollibus tæniis adstricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera sinibus; sic ornati adstant nutus observando, quid quisque postulet; adsunt & alii adolescentes prima lanugine malas vestiti, qui paulo ante amatorum suorum deliciæ fuerant, curiose docti gravioris momenti* MINISTERIA; *mera ostentatio magnæ opulentiæ*. Hæc ille, sed Latine reddita. (*b*) Seneca & ipse concinne satis: *Convivia mehercule horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam, quam solliciti* ARGENTUM *ordinent, quam diligenter* EXOLETORUM *suorum tunicas succingant, quam suspensi sint, quomodo aper a coco exeat, quanta celeritate, signo dato*, GLABRI *ad ministeria discurrant, quanta arte* SCINDANTUR *aves in frusta non enormia: quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa* DETERGEANT: *ex his elegantiæ lautitiæque fama captatur; & usque eo in omnes vitæ successus mala sua illos sequuntur, ut nec bibant sine ambitione, nec edant*. Omnem autem hanc hujusmodi servorum operam ob oculos nobis ponet (*c*) Petrus Chrysologus: *servus namque post vigilias antelucanas, post totius diei varios & duros labores, post trepidantes & anxios concursus, & parat domino suo cœnam, & cinctus, quod paraverat subministrat: non est elatus, quia fecit, sed cum devotione singula faciens contremiscit; & apponit domino suo cibos multiplices arte tota totius saporis conditos, ipse autem semicoctam nec salitam forsitan ... gustaturus; porrigens crebra pocula, variat calices, vina mutat, ad longissimi convivii fabulas longiores stat fixus, stat moveri nescius, stat, cui lassescere non licet servituti; & cum dominus jam partem noctis insomnem deducit, peragit inquietem; servus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit, & sic in rebus necessariis immoratur, ut nihil sibi aut parum noctis ad escam reservet, & soporem; post hæc omnia nisi pervigilet in crastinum, & dominum prævenerit dormientem, fessus indefessus manicabit ad verbera; ad præsentem pœnam nihil hesterno subvenit ei de labore*. Hactenus Chrysologus. Cecidit vero percommode, ut apud ALOYSIUM CORRADINUM J. C. hominem summa prudentia, multa etiam doctrina, icunculas æreas antiqui operis nacti fuerimus, quæ servos de triclinio dubio procul effingunt, eosque pocillatores. Afferent illæ Philonis verbis non minimum lucis, dabuntque in conspectum quicquid ille de accurato CAPILLITIO, & TUNICARUM præcinctione differuit; habebunt insuper, qui perdiscendæ antiquitatis studio flagrant, quid sibi velint illa (*a*) Juvenalis;

— *vitreo bibit ille priapo*.

& ad ipsum antiquus Grammaticus.

Verum ne solus venter delectaretur, erant in triclinio SYMPHONIACI familiares, qui sunt Luciano (*b*) μυσυργοὶ. (*c*) Seneca: *in comessationibus nostris plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit*. (*d*) CHRISTUS Dominus; ἦν δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ. καὶ ὡς ἐρχόμενος ἤγγισε τῇ οἰκίᾳ ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. (*e*) Cicero: *animi, & aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu, vocum & nervorum, & tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet*. Idem (*f*) auctor: *cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis*



a de vita contempl. b de brevit. vitæ cap. 12. c Serm. 161.

a Sat. 2. 95. b in Gallo. c Epist. 84. d Lucæ 15. e pro Sexto Roscio. f lib. 3 Ac.

ministraretur: (*a*) Sidonius: *sic tamen, quod illic nec organa hydraulica sonant; nec sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat: nullus ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit.* (*b*) Suetonius: *& aut acroamata, & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos.* In convivio videlicet. Acroamata symphoniaci sunt; Aretalogi narratores. (*c*) Juvenalis,

—— attonito cum
Tale super cœnam facinus narraret Ulysses
Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus, in mare nemo
Hunc abicit, sæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrygonas, atque Cyclopas?

Ab his diversæ (*d*) acroaticæ Aristotelis commentationes: quamvis enim auditoribus cognobiles essent, continebant tamen Philosophiæ remotioris, subtilioris que summa quædam capita, quæ tum ad naturæ contemplationes, tum ad dialecticas disceptationes pertinerent. Cornelius Nepos de Attico; *nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten.* Remissior Attico (*e*) Augustus, qui si *interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset, lectoribus, aut fabulatoribus arcessitis, resumebat.* (*f*) Lampridius: *Nanos & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit.* Erit hujus loci admonere, symphoniacos etiam in navi fuisse, qui celeuma remigibus canerent; & *per assam vocem*, inquit (*g*) Asconius, *id est ore prolatam, & ut in Argo navi per cytharam.* Et sane in Argo navi testatur Hyginus, Orphea per cytharam celeuma modulatum esse; quod & (*h*) Val. Flaccus tetigit:

Ne vero Othrysius transtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo subigit, sed carmine tonsas
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.

(*i*) Idem alibi,

At ducis imperiis Minyæ, monituque frequentes
Puppem humeris subeunt, & tento poplite, proni

A *Decurrunt, intrantque fretum: non clamor anhelis*
Nauticus, aut blandus testudine defuit Orpheus.

Nauticus clamor, celeuma est, ut dicemus. (*a*) Martialis:

Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.


(*b*) Rutilius Numatianus:

His mecum pigri solabar tædia venti,
Dum resonat variis vile celeuma modis.

B Nec aliud intellexit Panegyrista, nescio quis: *ita in aquas sponte subeuntes impetum navigia fecerunt, levi modo commota nixu ducentium, quorum ad felicissimum illud exordium, magis opus erat nautico carmine, quam labore.* Nauticum carmen, *nauticus cantus* Ciceroni est, (*c*) Virgilio *nauticus clamor*: cujus illud specimen teste Servio.

Hortantur socii, Cretam, proavosque petamus.

Celeuma hodie nostris moribus, voce, vel parva fistula canitur nautis. Nunc ad domesticos symphoniacos redeamus. Musicorum corpus CHORUM
C illi appellabant, ut (*d*) Servius & (*e*) JCti. scribunt. (*f*) Seneca eleganter: *non vides, quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur; aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ, singulorum illic latent voces, omnium apparent.* Ceterum neque sine choro CHORAULES servus, neque sine CITHAROEDO convivium fuit, mittamus Virgilium, Silium, Appulejum; uno (*g*) Ammiano contenti erimus: (*h*) *cumque apponerentur exquisitæ cupediæ, & ædes pulsu nervorum, & articulato, flatilique sonitu resultarent*: loquitur autem de convivio Trajani, qui rem militarem
D in Armenia curabat. Citharœdos moris erat infibulari, tum quæstus, tum vocis gratia. (*i*) Juvenalis:



a Lib. 1. Epist. 2. b Aug. cap. 74. c Sat. 15. v. 13. d Gellius lib. 20. cap. 5. e Suet. cap. 78. f Alex. Severo. cap. 34. g ad divination. Cicer. h lib. 1. Argon. v. 470. i eod. lib. v. 184.

a lib. 4. 64. b lib. 1. c lib. 3. Æneid. d lib. 1. Georg. e Leg. 79. de leg. 3. leg. 34. de ædil. f Epist. 84. g Lib. 30. h Sat. 6. v. 73.

Solvitur his magno Comœdi fibula, sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent. ——

Infibulandi rationem monstravit (*a*) Cornelius Celsus, qui *hoc quidem sæpius inter supervacua, quam inter necessaria esse* testatus est; cujusmodi erat quod insectatur (*b*) Plinius, *adhibitas argenteas fibulas mancipiis ad transitum virilitatis*; mihi sane non nisi æreas videre contigit, & habere, quarum hic speciem exhibeo.

At quod ad figuram Citharœdicarum attinet, injicit sane scrupulum vetus glossator, qui ad illa (*c*) Juvenalis,

—— *nullius fibula durat*
Vocem vendentis Prætoribus ——

scriptum reliquit: *fibulam dicit circellos, quos Tragœdi sive Comœdi in pene habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.* At licet sciamus, glossas illas non esse omnino eas, quibus fidem tuto habere possimus, quod sint aliquando more centonum consarcinatæ, & coagmentatæ alicubi sine ullo de- C lectu, scrupulum tamen nobis eximi non ita facile patimur. Primum quia GUIDUS PANCIROLUS præceptor meus, vir optimus, & eruditissimus, cujus ea vera laus fuit, ut qui eum viderent, loquentemque audirent, redirent fere doctiores, cultioresque, is inquam in commentario illo, in quo commisit inter se *præclara reperta tum ævi veteris, tum recentioris*, arbitratus est, hasce fibulas in eo usu fuisse, ut vestes subnecterent. Accedit deinde, quod acus fibularum nostrarum ea crassitie sunt, ut perincommodæ videantur transuendæ cuti. Adda- D mus, afflicturas dubio procul pondere suo illos, quos contigerit infibulari, cum præcipiat (*d*) Celsus *leviores* tantum aptari, cujusmodi una, aut altera earum, quas delineandas curavimus, videri possint. Circelli sane, quos antiquus Grammaticus recensuit, aptiores fuerunt, & quia leves erant, minimeque onerosi, & quia audio religiosos, nescio quos, Turcarum, quos illi (*e*) *Calender* vocant, hujusmodi annulis ferreis, seu cuprinis, addo etiam argenteis, infibulare se se, ad aucupandam apud populares suos opinionem sanctita- E tis. Statuamus igitur [si placet] fibulas, quarum exempla dedimus, vestiarias fuisse, Musicos autem nostros usos circellis, quos & ipsos fibulas appellarent. Et profecto fibulas, quæ apud (*f*) Vegetium leguntur in veterinaria, circellorum speciem præsetulisse multa faciunt, ut credam. Nostræ sane [Musicorum dico] (*g*) thecam adnexam

A quandoque habuerunt, quæ nudorum virilia includeret; cujus vicem supplevit aliquando etiam (*a*) Aluta. De vestiaria fibula hæc (*b*) Prudentius:

Rex ipse Coos æstuantem murices
Lænam revulsa dissipabat fibula,

revellebatur autem acus, quæ vocabatur, & meminit (*c*) Trebellius Pollio; *fibulas argenteas inauratas duas. Fibulam auream cum acu cuprea*
B *unam.* de eadem fibula (*d*) Chrysologus, qui Johannem Baptistam vocat legis, & gratiæ fibulam, *quæ diploidem summi sacerdotis sancto patri jungebat*




in pectore. Harum apud Cæsares is numerus fuit, ut inter Palatina ministeria legatur alicubi Præpositus AFIBLIS. CITHAROEDAS indicant marmora antiqua in ministerio fuisse. Extat Romæ monocli nii



a *Lib. 7. cap. 25.* b *lib. 3. c. 12.* c *Sat. 6. v. 377.* d *lib. 7. cap. 25.* e *Menavinus Lib. 2. cap. 11.* f *lib. 2. cap. 15. & 31.* g *Martialis lib. 11. 76. lib. 7. 81.*


a *Lib. 7. 34.* b *Cathemer. 7. vers. 156. quem imitatus est Alcimus Avitus lib. 4. cap. 12.* c *Claudio. cap. 14.* d *Schm. 91.*



P. 1201

Diptychon Compendiense


















ſcalptura (ita liceat appellare) in quo mulier ſedens citharam pulſat. Confirmat vetus elogium, Auxeſis, & Nerifi (minus ingenuorum nominum) muliebria hæc ſtudia, pſallendi, & oblectandi aures, viguiſſe olim, & placuiſſe. Mentio utique apud (*a*) Horatium,

—— illæ virentis &
Doctæ pſallere Chiæ,

miniſteria noſtra propius tangit; ut & *ſcitiſſimi utriuſque ſexus canentes, & pſallentes, quos adoleſcens e terra Aſia*, apud (*b*) Gellium habuiſſe ſcribitur: pueri nimirum, ac puellæ.

D. M.
AVXESI CITHAROEDAE
CONIVGI OPTIMAE
C. CORNELIVS NERIFVS FECIT
ET SIBI


Has alii pſaltrias, fidicinas, cithariſtrias appellant. (*c*) Prudentius hoc miniſterium tetigit eleganter;

Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorumque ſonos, & conviviale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?

Citharæ autem ſpecies enumerat (*d*) Iſidorus pſalteria, lyras, barbita, & alias quadrata forma, nec non & trigonali. Nos hic aliquot delineandas curavimus, rariores illas quidem, ſed & ſtudioſis antiquitatis adjumento futuras ad cognoſcendas teſtudinis partes, *laterna, cacumina, brachia, humeros, ſcapulas, pectines, modulum, tympanum*.

Et licet Minerva tibias abjecerit, quod vultum inflantis deformarent, non defuerunt tamen TIBICINÆ, quæ abjectas tollerent. (*e*) Plautus:

Poſt ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas advexit ſecum forma eximia. ——



a *lib. 4. carm. Ode 13.* b *lib. 19. cap. 9.* c *Hamartig. v. 317.* d *lib. 3. orig. cap. 21.* e *Sticho. act. 2. ſc. 3.*

A TIBICEN autem, & FIDICEN, qui Duillio præibant a cœna domum revertenti, an ſervi fuerint, necne, alii viderint. Ego ſane non diſpicio, quid prohibeat, familiares, & vernaculos fuiſſe. Cum præſertim e grege domeſticorum FISTULATOR amanuenſis, concionanti (*a*) Graccho eburneolam fiſtulam inflaret, ad quam ille vocem, ac geſtum componeret. Hujus ſane ordinis fuit puella ex Hebræis, in regio convivio calamos inflans apud (*b*) Abdiam. SAMBUCINÆ ſunt, quas (*c*) Livius noſter ſambuciſtrias appellat. Sambuca autem fuit organi genus, in quo cordæ intendebantur, ut ait Feſtus, quamvis (*d*) Iſidorus neſcio, quid de tibiis innuat. Neque deſideratæ ſunt in
B conviviis CROTALISTRIÆ. (*e*) Propertius:

Nile tuus tibicen erat, crotaliſtria Phillis.

Crotalum autem (ut & alias monuimus) perperam confundit cum Siſtro vir doctus. Figura primum variabant omnino, hoc enim erat oblongum, manubriatum in ima ſui parte, cancellatum trajectis virgulis, & ut uno verbo dicam, laminæ, & præterea nihil: Illud (ſi (*f*) Euſtathio credimus) vas e teſta, ligno, aut ære, quod manibus tenebatur. videtur autem colliſum, ſonitum edidiſſe, ut indi-
C cat (*g*) Plinius de margaritis loquens: *ſubeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia exquiſita perditiore portatu, ſiquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum*. Calamus certe ſciſſus, cujus meminit (*h*) interpres Ariſtophanis, hujus loci non eſt. Dirimet autem hanc controverſiam Siſtri figura, quam hic apponemus, cum neſcio quibus aliis crepitaculis, depromptis ex antiquis monumentis, quæ nos proxime ad crotalum accedere arbitramur: damus & tibias, & fiſtulam, & utriculum; in quibus benevolus ſpectator ſtudium noſtrum æqui, bonique conſulat.
D At crotali crepitus onocrotali avi nomen videtur impoſuiſſe, quod vocem forſan edat ciconiæ ſimilem, quam & ipſam crotaliſtriam appellavit Petronius, at Ægyptii crotalum, ſi (*i*) Joanni Sarisberienſi fidem velimus habere, qui & addit; *crotala quoque dici ſonoras ſphærulas, quæ quibuſdam granis interpoſitis, pro quantitate ſui; & ſpecie metalli, varios ſonos edunt*. Hæc fere omnia ſymphoniacorum organa complexus eſt (*k*) Petrus Chryſologus; *venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium: denique pœnitentiæ ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris*
E *infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis ſymphoniam. Organi planctu dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ipſum conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare*. Cymbala ejus figuræ erant, qua cotyledonis folia ſunt, ut teſtantur (*l*) Dioſcorides, & (*m*) Scribonius Largus; Latini umbilicum Veneris vocant. Coxendicibus aſſimilat (*n*) Plinius, acetabulis (*o*) Iſidorus. Ambabus e-
F nim manibus (erant enim manubriata, vel anſata in extima convexitate) apprehendebantur, & comploſa concuſſaque ſonitum edebant tinniebantque: tinnitus enim cymbalorum proprius fuit. (*p*) Catullus de Satyris & Silenis,

a *Cic. lib. 3. de Orat.* b *Lib. 9. hiſt. Apoſt.* c *Lib. 9.* d *Lib. 3. Orig. cap. 20.* e *Lib. 4. eleg. 9.* f *Iliad. A.* g *lib. 9. cap. 35.* h *in Nebulis a quo Suidas.* i *Policratici Lib. 8. c. 12.* k *Serm. 93.* l *Lib. 4.* m *Compoſ. 55.* n *Lib. 25. cap. ult.* o *Lib. 3. Orig. cap. 21.* p *Argonaut. 65.*



Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

(*a*) Virgilius:

Tinnitusque cie, & Matris quate cymbala circum,

(*b*) Ovidius;

Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso Satyris comitatus ab Hebro,
(Non habet ingratos fabula nostra jocos.)
Jamque erat ad Rhodopen, Pangæaque flumina ventum,
Æriferæ comitum concrepuere manus.
Ecce novæ coeunt volucres tinnitibus actæ,
Quaque movent sonitus æra, sequuntur apes.

(*c*) Idem a libi collisionem cymbalorum tangens:


Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
Attollit mentes? Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulsa valent? ——

de tinnitu (*d*) Appulejus: *inibi vir principalis, & alias religiosus, & eximie deum reverens, tinnitu cymbalorum, & sonitu tympanorum, cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitus, &c.* (*e*) Arnobius: *etiamne æris tinnitibus, quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant?* Quod ergo D. (*f*) Paulus scripsit: γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον, recte versum Latine est, *factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*: ad organi sane cavam inanitatem respexit (*g*) Nemesianus:

a *lib. 4. Georg. 64.* b *lib. 3. Fastor. paulo ante finem.* c *lib. 3. Metam.* d *lib. 8. Metam. in fine.* e *Lib. 7.* f *Epist. 1. ad Corinth. cap. 13.* g *Ecl. 3.*

Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia cymbala mergit.

Porro mulieres, quæ cymbala quaterent, pro analogia vocabimus CYMBALISTRIAS, vidimusque eas



sæpe sæpius Romæ in scalpturis Bacchanalium sacrorum, e quibus hæc damus.

Hinc autem apparet, quomodo cymbala colliderentur; quod intelligens (*a*) Amalarius Fortunatus scriptum reliquit, *cymbala invicem tanguntur, ut sonent: ideo a quibusdam labiis nostris comparata sunt.* Materia cymbalorum fuit ex ære; quod licet satis pateat ex iis, quæ supra retulimus (*b*) Martialis tamen etiam disticho illustrabimus.

CYMBALA.

Æra Celenæos lugentia matris amores,
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

An vero Naulia cymbalorum figura essent, non est admodum dictu facile, (*c*) Ovidius sane tangit nescio quid, quod huc referri possit:

a *lib. 3. c. 3.* b *lib. 14. 202.* c *lib. 3. de arte amandi.*

Disce etiam duplici genialia Naulia palma
Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.

At hæc valde implicata sunt, egentque aliquo Alexandro, qui non gladio dissecet, sed explicet calamo, & dissolvat. Tympana qualia essent, antiqua numismata indicant, in quorum aversa parte Cybele mater Deum tympanum in sinu gerit, vel eidem innititur. Eximie descripsit (*a*) Plinius de margaritis scribens; *quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas aversis planicies, ob id tympana nominantur*. Quæ imitatus (*b*) Isidorus: *tympanum autem dictum, quod medium est: unde & margaritum medium tympanum dicitur*. Erant autem,





ut scribit idem (*c*) Isidorus pelle, vel corio superinducta. (*d*) Phædrus;

Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas,
Is cum labore & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam delicio suo,
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Hæc autem virgula percutiebantur aliquando; ideo plagarum meminit Phædrus, aliquando manu impellebantur. (*e*) Ovidius;

Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,

(*f*) Catullus;

Niveis citata cœpit manibus leve tympanum,
Tympanum, Tubam, Cybele tua mater initia;
Quatiensque terga tauri teneri cava digitis,
Canere hæc suis, ——

(*g*) Suetonius: *sed & populus quondam universus ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & assensu maximo comprobavit versum in scena pronunciatum de Gallo matris Deum tympanizante,*

Videsne ut Cynædus orbem digito temperet?

huc allusit Ausonius in Pythagorica acroasi de viro bono;

Sit solidum, quodcumque subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

D. (*h*) Augustinus; *plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent*. Tympani sonitum (*i*) Catullus expressit elegantissime, ut omnia,


a *lib. 9. cap. 35.* b *Lib. 3. Orig. cap. 21.* c *loco cit.* d *lib. 3. Fab.* e *lib. 4. Met.* f *De Aty.* g *Augusto c. 68.* h *Serm. 18. de Sanctis.* i *loco cit.*

Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,

&

Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.


Porro forma tympani hæc fuit, quam exhibemus,




prima facie cribrum referens: ut non immerito legamus in judicio coci, & pistoris

Tympana habet Cybele: sunt & mihi tympana cribri.

Est vero notandum, organum illud, cujus orbis bracteolis, & orbiculis insignitur, a nostratibus



cymbalum vocari eadem prope licentia, qua ANT. (*a*) AUGUSTINUS tympanum crotali nomine, & (*b*) VINC. CARTARIUS sistrum cymbali appellatione designarunt. Apud (*c*) Virgilium autem quæ essent *tympana* plaustrorum (ut & hoc obiter tangamus) inepte declaravit Servius, sive alius quispiam Servii nomine. Egregie Jun. Philargyrius, rotas ex solidis tabulis factas interpretatur, cujusmodi Romæ visuntur in antiquis monumentis, quæ (*d*) alii ante nos delineanda curarunt. Tympana



pulsabant TYMPANISTRIÆ. Sidonius de cœna Theodorici: *sane intromittuntur, quamquam raro, inter cœnandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur: sic tamen, quod illic nec organa hydraulica sonant, nec sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat, nullus ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit*. Meminit, & regius (*e*) Psal-

a *Dial. 2. & 5.* b *in imag.* c *lib. 2. Georg.* d *Lucas Pætus.* e *Psal. 67.*

tes juvencularum tympanistriarum, & D. (*a*) Augustinus. At quando toti nunc in his sumus, scribamus & de organo aliqua, lucem Chrysologo & Sidonio allatura. Organum *vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*, inquit (*b*) Isidorus, *hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant: ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum*. Et ad hanc Isidori regulam *organicos* vocat cytharœdos (*c*) Lucretius; *organa* cytharas (*d*) Juvenalis. Antiqui autem organa sua quandoque follibus, quandoque animabant aqua, immo & hydraulica ipsa follibus non caruerunt. (*e*) Porphyrius:

Hæc erit in varios species aptissima cantus,
Perque modos gradibus surget fœcunda sonoris,
Ære cavo, & tereti, calamis crescentibus aucta.
Quis bene suppositis quadratis ordine plectris
Artificis manus in numeros claudit, aperitque,
Spiramenta probant placidis bene consona rithmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors.
Hinc atque hinc animæque agitant.

Hæc qui tractabat, HYDRAULES, & ORGANARIUS dicebatur. Spiritalia sane nostra, & pneumatica ideo videntur prævaluisse, quod aquariorum organorum non esset facilis ratio, ut inquit (*f*) Vitruvius. Incertus quidam (*g*) auctor in annales Gallicos retulit, anno Domini DCCCXXVI. Georgium quendam presbyterum de Venetia organum hydraulicum Aquisgrani fecisse: quod argumento sit, aut desiisse prorsus jam tum, aut minus fuisse in usu. Nos hujus generis organum Romæ vidimus, in Quirinali in hortis Pontificiis, audivimusque non sine comitum admiratione, cum musicos modos variaret, nemine plectra manu tangente. Recipiebat vero sese domum a cœna luxuriosissimus Imperator (*h*) Gallienus ad organum, cum ad tibicinem processisset. Ceterum (*i*) Sidonius nonnulla, quæ nos recensuimus, ita expressit:

Juvat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo:
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce Bacchas.
Bimari remittat urbe
Thymelen, Palenque doctas
Tepidas ad officinas
Citharistrias Corinthus:
Digiti quibus canentes
Pariter sonante lingua
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulsu.
Date & æra fistulata
Satyris jam canendis.
Date ravulos choraulas,
Quibus antra per palati
Crepulis reflanda buccis,
Gemit aura tibialis.

Symphoniaci autem (ne nimis diu exorbitemus) aliquando fuerunt, & alii de triclinio servi. Apud Petronium siquidem, *pueri ad pedes, & pocillator cantant, in ipso, quo fungebantur, munere, paronychia tollendi, & vinum ministrandi*. Immo &, quod ex eodem Petronio discimus, ministeria in triclinio singula ad symphoniam exequi mos fuit. Ita Trimalcio *ad symphoniam illatus in convivium est, Diribitores symphonia strepente paleam scrutantur, Gustatoria a choro cantante rapiuntur, ad symphoniam tripudiantes superiorem partem repositorii auferunt, Scissor demum, ad symphoniam gesticulatus, obsonium lacerat:* quod & (*a*) Juvenalis cum stomacho animadvertit. Immo & Pacuvius nescio quis apud (*b*) Senecam ad symphoniam in cubiculum referebatur a cœna quotidie. O Duillios patinarios! At hæc ministeria ideo comparata sunt, ut ne silerent: ceteris indictum eo usque silentium est, ut ne mutire quidem liceret. (*c*) Seneca; *at infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet: virga murmur omne compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt; tussis, sternutamenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota jejuni mutique perstant*. Imitatus est Senecam (*d*) Macrobius, qui & hos animos dominorum tyrannicos luculenta oratione proscidit. Idem (*e*) Seneca: *quid flagella media cœna petis, quod servi loquuntur, quod non eodem loco turba concionis est, & silentium solitudinis? in hoc habes aures, ut non nisi modulata tantum, & mollia, & ex dulci tracta, compositaque accipiant?* Et hoc idem apud Persas graves illos, & tetricos notavit (*f*) Ammianus. At hæc aurium oblectatio ferri poterat. Illa oculorum digna utique fuit censoria nota, ut nudis puellis ministrantibus cœnaretur; more forsan a Tuscis petito, quibus id impingit (*g*) Timæus in I. Historiarum. Par improbitas excogitavit puellarum Gaditanarum saltationem, & cantum. (*h*) Juvenalis:

Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiant prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ.

Ubi vetus interpres *Lyristrias*, & *Pantomimas* interpretatur. Nec alio respexit (*i*) Quintilianus; *omne convivium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur*. Et hujus sane luxus vestigium extat apud scriptorem (*k*) Madaurensem, qui in convivio Byrrhenæ, *puellas scitule ministrantes* recensuit. Hæc omnia calentis in triclinio nequitiæ irritamenta, sustulit optimus Imperator Theodosius, ut Christianum decebat. (*l*) Paulus Diaconus testatur: *illa tamen, quibus Trajanus adspersus est, vinolentiam scilicet, & cupidinem triumphandi, usque adeo detestabatur, ut bella non moverit, sed invenerit, prohibueritque lege ministeria lasciva, psaltriasque comessationibus adhiberi*. Extat (*m*) lex hodieque; & tangit (*n*) Macrobius: *sic enim, Hore, qui antiquitatem nobis objicis, ante cujus triclinium modo saltatricem, vel saltatorem te vidisse meministi?* Excisa tamen utcumque luxuria, per vices pullulare non desiit. (*o*) Petrus Chrysologus, qui Marciano Imperatore claruit, convivia sui temporis objurgans hæc habet: *luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia mentium, cum Herodiadis convi-*

a *Serm. cit.* b *lib. 3. Orig. c.* 20. c *lib. 2. & 5.* d *Sat. 6.* e *in panegyr. dicto Constantino Aug.* f *lib. 10. c.* 13. g *Collection. Pithœi.* h *Capitolinus.* i *Lib. 9 ep.* 13.

a *Sat. 5.* b *Epist.* 12. c *Epist.* 47. d *lib. 1. Satur. c.* 11. e *lib. 3. de ira. cap.* 33. f *Lib.* 23. g *Athenæus lib.* 4. h *Sat. 11. vers.* 162. i *Lib. 1. cap.* 2. k *Lib.* 2. l *lib.* 12. *de gest. Rom.* m *L. 7. lib. 5. Tit. 10. Cod. Th.* n *lib. 3. Saturn. cap.* 10 o *Serm.* 127.

conviviis abscindantur. Has autem fœdas atque inquinatas voluptates quantopere amplecterentur apud antiquos nonnulli, nemo est qui nesciat. Illi ipsi, qui cohibere debuissent, invitabant palam magisteriis & præceptionibus. Gravis alioqui & nobilis rei medicæ auctor, ut ætatis vergentis inclinationi occurreret, admonuit, (*a*) *puellarum speciosarum vel puerorum similiter, servitium procurandum esse, utendum prætérea lectionibus animum ad delicias pertrahentibus, ut sunt Amphipolitæ Philippi & Herodiani, aut certe Syri Jamblici, vel ceterorum suaviter amatorias fabulas describentium*. O luem morum! COMOEDI sane & histriones, archimimi, & pantomimi familiares in convivium inducti frequenter sunt; & hoc jam inde ab Asiatica illa præda, quæ Romanam frugalitatem afflixit, seu verius perdidit. (*b*) Livius noster: *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. ii primum lectos æratos, vestem stragulam preciosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ suppellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt: tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* D. (*a*) Augustinus in eandem sententiam: *tunc enim primum lecti ærati, preciosa stragula visa perhibentur. tunc inductæ in convivia psaltriæ, & alia licentiosa nequitia.* Notat de luxu Metelli (*b*) Sallustius, *ad cænam invitato, exornatas fuisse ædes per aulæa, & signa, scenasque, ad ostentationem histrionum fabricatas*. Marius apud (*c*) eundem: *sordidum me, & incultis moribus ajunt, quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris precii coquum, quam villicum habeo.* (*d*) Plinius junior: *frequenter Comœdis cœna distinguitur, ut voluptates quoque studiis condiantur*. Pantomimorum artem delineabit nobis vetus (*e*) Poeta;

Nam cum grata chorus diffundit cantica, dulcis
Quæ resonat cantor motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat,
Inlustrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro. mirabilis ars est,
Quæ facit articulos ore silente loqui.

Est autem apud ALOYS. CORRADINUM sigillum æreum vetustissimum, quod personatum quendam ex hoc grege referat; cujus hic nos typum dabimus, & his usui futurum, quæ diximus, & carminibus (*f*) Juvenalis,



—— ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Verum ulterius etiam progrediente luxu, quam ut his finibus concluderetur, MORIONES etiam, ut ut deformes & monstrosi, in convivium animi gratia recepti sunt. (*g*) Martialis:

Opimianum morionibus nectar
Chrystallinisque murrhinisque propinat.



a *Theodorus Priscianus lib.* 2. *c.* 11.
b *Lib.* 39.

a *li.*3.*de Civit.Dei c.*21. b *lib.*2.*Histor.* c *in Jugurth.* d *l.*3. *ep.*1. e *edidit.P.Pithœus.* f *Sat.*3.*vers.*172. g *Lib.*3.*epigr.*82.

horum formam, & elegantiam tangit (*a*) idem auctor:

Hunc vero acuto capite, & auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis Morionis filium neget Gyrthæ?

stuporem vero, cujus gratia inter cetera comparabantur, (*b*) idem notavit:

MORIO.

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa.
Quisquis plus justo non sapit, ille sapit.

Ita ut beatulis hisce nostris pareat non scripsisse (*c*) Ulpianum: *fatuum, vel morionem vitiosum videri.* Hic erat nimirum luxus eruditus, nihil amœnum & molle arbitrari, nisi quod novitas, & recte sentientium contemptus viris perditis commendarent. (*d*) Plutarchus sane testatur, fuisse Romæ quosdam monstrorum conquisitores, qui venalium formositatem odio habentes, forum morionum frequentarent: hi sunt (ni fallor) γελωτοποιοί, quos (*e*) Lucianus commemorat, e quorum numero delineat; nescio quem deformem, deraso capite, pauculos capillos in vertice gestantem, eosque in cristam conformatos. (*f*) Seneca: *Harpasten uxoris meæ fatuam, scis hæreditarium onus in domo mea remansisse: ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum: si quando fatuo delectari volo, non est mihi longe quærendus: me rideo.* (*g*) Plinius junior: *accepi tuas literas, quibus quereris tædio tibi fuisse, quamvis lautissimam cœnam, quia scurræ, cinædi, moriones mensis inerrabant.* NANI quidem & NANÆ Sybaritarum deliciæ, morionibus collati, nescio quid Veneris habuerunt. (*h*) Suetonius: *Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito & clare a quodam nano adstante mensæ inter copreas, cur Paconius majestatis reus tam diu viveret.* (*i*) Lampridius: *Nanos & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit.* Hæc autem fuerant Elagabali ministeria, quæ Imperator Alexander aversabatur, ad (*k*) Augusti fortasse æmulationem, qui *pumilos, atque distortos, & omnes generis ejusdem, ut ludibria naturæ malique ominis abhorrebat.* SCURRÆ autem & ipsi mensis adstabant, convivas dicteriis ad hilaritatem provocaturi. Plinius objurgans tædium amici, qui in propudiosum illud, cujus nuper meminimus, convivium impegerat, retuleratque domum pro apophoretis nauseam & stomachum: *vis tu remittere aliquid ex nugis? equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero. cur ego non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum festivumque delectat, si quid molle a cinædo, petulans a scurra, stultum a morione profertur.* Idem in Panegyrico: *neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscœna petulantia mensis Principis oberrat, sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor.* Inter hos nobilis fuit Sarmentus ille, cujus velitationes cum Cicerro commemorat (*l*) Horatius: de quo etiam (*m*) Juvenalis;

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Gabba tulisset.

ubi glossator antiquus notat, Sarmentum forma & urbanitate demeruisse sibi plurimos. Augusto sane olim placuerat lepore & festivitate, ut notat (*a*) Plutarchus, qui etiam tradit hujusmodi pueris Romanos DELICIORUM nomen imposuisse, & quidem illi pueros urbanos, & procaces, delicias, & delicia appellabant, ut (*b*) Statius:

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul, salibusque protervum
Dilexi. ——

quod & ad passerem transtulit (*c*) Catullus, & ad columbam (*d*) Martialis. Honestarunt tamen etiam hac appellatione flagitiosam illam, & nefariam impudicitiam, quæ virilem olim sexum turpissime infecerat: testis (*e*) Prudentius;

Quid loquar Antinoum cœlesti in sede locatum?
Illum delicias nunc divi Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili?

At Græci in asotia & nequitia naviter elegantes, in tricliniis, ut testatur (*f*) Vitruvius, *ludiorum operi* locum apparabant, a quibus & hunc morem arripuisse Romanos (ut alia etiam multa) diximus nuper. Et eo sane alludit (*g*) Seneca: *vi-dcs hos* [illegible] *le. t. sun spectantes popinam suam, aures vocum sono,* SPECTACULIS *oculos, saporibus palatum delectantes? mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus, & ne nares interim cessent,* ODORIBUS *variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur.* (*h*) Silius Italicus:

Nec luxus ullus, mersæque libidine vitæ
Campanis modus: accumulant, variasque per artes
Scenarum, certant epulas distinguere ludo.

(*i*) Alcimus Avitus, ad suffimentorum, quod diximus, ministerium respiciens,

Vivida quin etiam miscebant Cynnama talli:
Et suffita domus pingui fragrabat amomo.

(*k*) Sidonius:

Manus uncta succo amomi
Domet hispidos capillos:
Arabumque messe pinguis
Petat alta tecta fumus.

GLADIATORES postremo (quod animus meminisse horret) in convivium recepti sunt a quibusdam, adeo familiariter, ut non possim non mirari præposterum philosophi (*l*) hominis consilium, qui non has tragicas cœnas, sed Ænianum in convivio improbavit ludicram pugnam. (*m*) Silius Campanis tribuit;

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro sæpe, & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

a *lib. 6. 39.* b *lib. 14.210.* c *Leg. 4. ædil. Ed.* d *De curiosit.* e *in convivio.* f *Epist. 50.* g *lib. 9. ep. 17.* h *Tiberio c. 61.* i *Alex. Sever.* k *Sueton. Aug. c. 83.* l *lib. 1. Sat. 5.* m *Sat. 5. 3. 4*

a *M. Antonio.* b *lib. 5. Sylv.* c *Carm. 2.* d *Lib. 1. 7.* e *lib. 1. adv. Sym.* f *lib. 6. c. 10.* g *de beata vita cap. 11.* h *Lib. 11.* i *lib. 3. cap. 10.* k *lib. 9. ep. 13.* l *Maximus Tyrius Serm. 12.* m *Lib. 11.*



Quam conveniunt hiſce cruentis ſpectaculis illa (*a*) Petri Chryſologi? *in arenam vertitur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convivium, fit cibus cædes, vinum tranſit in ſanguinem*. Et ut tandem aliquando de triclinio exire incipiamus, dicemus de MEDIASTINO, cujus opera præcipua fuit, in cœnatione ſcopis mundanda. Viderunt Romæ (*b*) viri docti in pavimento vermiculato hominem cum ſcopa, & caniſtro, cum inſcriptione.

CORNELIVS. SERVVS. MEDIASTIN.

(*c*) Juriſconſultus SCOPARIUM appellavit, cujus operam tetigerunt (*d*) Horatius & (*e*) Juvenalis; ille:

Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe, quantus
Conſiſtit ſumptus? neglectis, flagitium ingens.

hic:

Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea tela.

nec non & (*f*) Plautus:

Juſſin' ſceleſte ab janua hoc ſtercus hinc auferri?
Juſſin' columnis dejicier operas aranearum?

Quo pertinent illa (*g*) Ulpiani: *item centones, ſyphones, funes, perticas quoque & ſcalas, & phormiones, & ſpongias, & amas, & ſcopas contineri, plerique & Pegaſus ajunt*. Et: *item perticæ, quibus araneæ deterguntur: item ſpongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia exterguntur: ſcalæ quoque quæ ad lacunaria admoventur, inſtrumenti ſunt, quia mundiorem domum reddunt*. Et profecto mediaſtinus ſordidioris operæ videtur ſemper fuiſſe, tum in urbana, tum in ruſtica familia. Huc reſpexit D. (*h*) Bernardus: *intret ergo domum Salvator, & frequenter viſitet eam, quam penitens Lazarus*

b *Serm.* 137. b *F. Urſin.* c *Leg.* 8. *ff. de inſtru. vel inſtrum. leg.* d *Lib.* 2. *Sat.* 4. e *Sat.* 14. f *Aſinaria. act.* 2. *ſc.* 4. g *Leg.* 12. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* h *Serm.* 2. *de aſſumpt*

A *mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi. Sed forte curioſus quiſquam requirat, cur in præſenti Evangelica lectione, nulla prorſus Lazari mentio fiat? arbitror ſane, ne id quidem a propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem enim domum intelligi volens ſpiritus, ſiluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum utique comitatur: abſit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe dicatur, ut in ea proinde* SCOPA *Lazari quæreretur*. Apud Petronium hanc operam navat *Lecticarius*. *qui argentum inter reliqua purgamenta ſcopis cœpit verrere*. Hujus loci eſt (*a*) *foramen* illud, *quod*

B *in pariete triclinii, proluendi pavimenti cauſa* excavabatur, quod ad analecta & vina profuſa in pavimentum exportanda paratum fuiſſe conjicio; cui profuſioni qua ratione occurrerint Græci, exponit (*b*) Vitruvius: bibulo nimirum pavimento *ex carbonibus, ſabulone, calce & favilla mixtis*. Verum non extante foramine, aderant ſervi, qui ſputa detergerent, & reliquias ſubditi colligerent temulentorum. (*c*) Horatius:

His ubi ſublatis, puer alte cinctus, acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit, & alter
Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Poſſet cœnantes offendere —

C Ad hæc autem & ſimilia ſcobe utebantur, ut vidimus in carmine Horatiano. (*d*) Juvenalis:

Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus: & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.

Julius Baſſus apud (*e*) Senecam Rhet. *inter temulentas reliquias ſumptuoſiſſimæ, cœnæ & faſtidioſos ſub ebrietate cibos, modo exciſum caput humanum fertur: inter purgamenta & jactus cœnantium, & ſparſam in convivio ſcobem, humanus ſanguis everritur*. hi fuerunt tricliniares manipuli. Et profecto,

a *Leg.* 28. *ff. de ſervit. præd. urb.* b *Lib.* 7. *cap.* 4. c *Lib.* 2. *Sat.* 8. d *Sat.* 14. *verſ.* 64. e *lib.* 9. *controv.*

qui ministeriales hasce copias apud veteres auctores recensuerit, næ ille minus mirabitur, aliquando ministeriorum catervas, turbas aliquando & populos appellari. Donatus ad illa (a) Virgilii,

—— *totidemque pares ætate ministri*

hic (inquit) *leviter, legentes accipiunt ducentorum descriptionem, in quibus eadem ætas fuit, sed nihil magnum æstimantes, si Regina ad hanc partem officii ducentis ministris utebatur; & revera nihil fuit magnum ad divitias regales, & memorabile, si numeri tantummodo faceret mentionem, taceret de ætate; cum autem hoc ipsum adjecit dicens*, pares ætate, *illic omnibus familiæ copiam, decorem quoque & substantiam demonstravit: in evidenti est enim, quanta servorum reginæ fuerit multitudo, ex qua ducenti pares ætate deligi potuerant, digni qui curarent supradicta*; hæc ille. Jam vero ab hac mente (b) Seneca: *placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent*: familias vocat coquorum numeros, & servorum tricliniarium turmas, quarum specimen e (c) Lucano petendum est.

Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas,
Hæc Lybicos, pars tam flavos gerit altera crines,
Ut nullas Cæsar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas; pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos,
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque exsecta virum; stat contra fortior ætas
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.

GERULI etiam illi *sportularum*, non nisi e ministerio videntur fuisse. (d) Juvenalis;

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ, sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Imposita capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.

Et hæc focorum migratio erat ab ædibus divitum ad tenuiorum & pauperum domos, qui sportulam officio diurno commeruissent. Illæ autem a culina in triclinium beatorum & divitum, & in ipso etiam triclinio fuerunt, quarum meminerunt (e) Seneca & (f) Martialis. Senecæ hæc sunt; *O infelicem ægrum! quare? quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis suæ, quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie: quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur: quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est; ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina prosequitur.* notat easdem Martialis;

Cum mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros:
Transcurrunt Gabatæ, volantque Lances.
Has vobis epulas habete lauti,
Nos offendimur ambulante cœna.

Ille vero apud (g) Evangelii scriptores, lagenam, seu amphoram aquæ bajulans, hujus agminis portio fuit, velut etiam illi apud (h) Sidonium,

Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo
Epulas superbiores
Humeris ferant onustis

Notaverunt autem viri eruditi, multos ex hisce ministerialibus copiis, dominorum liberalitate, in jus & potestatem convivarum transivisse, nomine & titulo apophoretorum. Quam sane ob caussam Martialis, libro cui *apophoreta* nomen fecit, videtur inseruisse puellam Gaditanam, morionem, palæstritam, pumilionem, obsonatorem, cocum, & pistorem dulciarium: immo & notarium, qui profecto cum temulentia & nequitia convivali quid commune habeat, non capio. Non deerunt, qui referant ad indices ferculorum, quæ apponebantur; affirmante præsertim (a) Ammiano Marcellino; *poscuntur etiam in conviviis* (scribit ille) *aliquoties trutinæ, ut adpositi pisces & volucres ponderentur, & glires, quorum magnitudo sæpius delicata, non sine tædio præsentium, ut antehac inusitata, laudatur adsidue: maxime quum hæc eadem numerantes notarii prope triginta adsistant cum thecis & pugillaribus tabulis, ut deesse solus magister ludi litterarii videretur.* Si qui vero minime credent, tot homines uni triclinii ministerio fuisse addictos, quia non possent tot capita unico ædium membro contineri, hi (b) Senecam audiant; *illos* (pueros intellige) *reperti in littore calculi leves, & aliquid habentes varietatis delectant: nos ingentium maculæ columnarum, sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ, porticum aliquam, vel* CAPACEM POPULI COENATIONEM *ferunt.* Ad quam normam idem alibi, ministros appellavit *turbam concionis*. Quæ si vera sunt, ut ego quidem verissima esse arbitror, quid dicemus de Cæsarum tricliniis? D. (c) Hieronymus; *mirum dictu est, nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum* MENSÆ MINISTRAT ORBIS, ET TERRÆ AC MARIA SERVIUNT, *inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret.* Quid autem sit ministrare orbem mensæ Augustorum, ille demum intelliget, quid apud (d) Martialem hæc legerit:

Cui pater ætherius, puer o dulcissime, dicit,
Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros.
Tantaque sidereos vix capit aula mares.
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

Valeant hic hyperbolæ; ego enim mille pocillatores intelligo. Neque vero impar fuit ædificium frequentiæ ministrorum. (e) Statius descripsit:

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ superos, cœlumque Atlante remisso
Sustentare queant: stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes ascendere cœlum.
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ,
Liberior campi, multumque amplexus operti.
Æthereo & tantum domino minor, ille Penates
Implet, & ingenti Genio juvat. æmulus illic
Mons Lybs, Iliacusque nitent, & multa Syene,

a *lib.* 1. *Æneid. vers.* 709. b *lib.* 1. *tranquill. cap.*50. c *Lib.* 10. d *Sat.* 3. *vers.* 249. e *Epist.* 78. f *Lib.* 7. 48. g *Lucam, & Marcum.* h *Lib.* 9. *Epist.* 13.

a *Lib.*28. b *Epist.* 115. c *ad Salvinam.* d *Lib.* 9. 36. e *lib.* 4. *Sylv.* 11.

Et Chios, & glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species: fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cœli.

de convivio satis dictum est. Nunc percurramus reliqua cultus herilis ministeria. Offerunt autem sese SUPELLECTICARII, qui in veteribus inscriptionibus dicuntur a *supellectili*. Romæ.

NESTOR
C. CAESARIS. SER
GERMANICIANVS
A. SVPELECTI. VIX. A. XL.

Ibidem:

EVMOLPVS CAESARIS
A. SVPPELLECTILE

At in palatio fuit & SVPELLECTICARIVS CASTRENSIS, & DOMVS AVRIF. ut indicant veteres cippi sepulchrales. Et quidem *supellex* (ait (*a*) Pomponius) *est domesticum patrisfamilias instrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel vesti adnumeratur*. Quæ tamen magis dicta sunt ad regulam sæculi severioris, quam ad recentioris luxum. (*b*) Seneca: *si desiderabit aureis fulgentem vasis supellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, æs paucorum insania preciosum, & servorum turbam, quæ quamvis magnam domum angustet, jumentorum corpora differta & coacta pinguescere &c.* Supellectili adnumerant Jurisconsulti vasa ænea, qualia erant Corinthia & Deliaca, quæ adservabat e servorum numero quispiam, dictus A CORINTHIS, & CORINTHIARIUS. Romæ:

TI. TALVS. PARATVS. A. CORINTHIS.

&

CALLITYCHAE. ZOILI. CORINTHIAR
AGRIPP.

Item vasa vitrea, escaria & potoria: Item chrystallina & murrhina, fictilia etiam, idque in delicatorum tricliniis. (*c*) Vitruvius: *saporem quoque meliorem ex tubulis esse, quotidianus potest indicare victus, quod omnes extructas cum habeant vasorum argenteorum mensas, tamen propter saporis integritatem, fictilibus utuntur*. Neque vero conducendi erant CÆLATORES, & VASCULARII, cum adessent domestici. (*d*) Juvenalis:

Sit mihi præterea curvus cælator, & alter
Qui multas facies pingat cito ——

Ubi vetus interpres *cælatorem* explicat *servum argentarium, laboriosum, anaglyfarium*. Quæ tamen disparare videtur antiqua inscriptio sepulchralis, quæ Romæ legebatur:

ANTIGONVS. GERMANIC. CAESAR
ARGENTARIVS
VIXIT. AN. XLII.
AMIANTVS. GERMANIC. CAESAR
CAELATOR
FECIT.

Quæ sane faciunt, ut suspicatus aliquando fuerim, illum qui ad statuam (*a*) Augusti adscripsit, tempore proscriptionis,

PATER ARGENTARIVS EGO CORINTHIARIVS

ludere in hac etiam vocis notione voluisse, ut patrem & filium notaret, velut minus ingenuæ conditionis. FABER A CORINTHIS hujus procul dubio classis est. Romæ:

P. LVCRINVS. P. L. THALAMVS
A. CORINTHIS. FABER.

Vestem non curabant supellecticarii, ut apud Pomponium vidimus, sed VESTIARII, quos domo cum omni jure suo, sicut instructa est, legata, cedere legato scripsit (*b*) Julius Paulus. Ab eadem veste VESTIFICI sunt, & VESTISPICI. Vestimenta autem erant tricliniaria, virilia, puerilia, muliebria, communia, familiaria, scenica, & funebria, & alia, de quibus alii; huc pertinent veteres tituli.

T. STATILIVS
MALCHIO
AD VESTEM.

&

BYRAE. CANACIANAE. LIVIAE.
AVG. SER. A. VESTE. MAGN. &c.

Item:

ARION. CAESARIS. N. A. VES
TE. MATVTINA

OSSA

VIBIAE SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER.
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A VESTE.
L. VIBIVS: & rel.

nec non

DIS MANIBVS
COELIAE. DYNATE
M. VLPIVS. AVG. LIB.
VALENS. A. VESTE. IMP.
PRIVATA &c.

ut etiam

DIS MANIBVS
VENVLEIA. CLEOPATRA
FECIT. SIBI. ET
RHODANO. CAESARIS. VERNAE
A. VESTE REGIA

Veluti & A VESTE GRÆCULA, & A VESTE SCÆNICA. Et hæc demum stativa erant VESTITORUM. antiquum elogium.

PHEDIMO. VESTITORI
AVG.

Et hos, vel non valde dissimiles, (*c*) alloquitur pater filii prodigi: *ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτὸν*, &c. At quia hæc omnia seris, arculis, & clavibus cohibere consueverant, ideo clavium speciem hic damus expressam videlicet ex antiquis aliquot, quæ apud nos sunt.

a *Leg. 1. ff. de supellect. leg.* b *Ad Helviam cap. 11.* c *lib. 8. cap. 7. in fine.* d *Sat. 9. 145.*

a *Suetonius Aug. c. 70. qui tamen valide repugnat.* b *lib. 3. Sent. tit. 7.* c *Lucæ 15.*

Illarum cuſtodia penes ſervos frequenter fuit: quam ob rem (*a*) Martialis Euclidem notavit;

Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de ſinu clavis.

quod ipſe ſibi dominus eſſet, & familia. (*b*) Seneca: *quid enim eſt cur tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, aut muſca parum curioſe fugata, nos in rabiem agat, aut verſus calix, aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa?* Janitores ipſi non fuerunt ſine clavibus: & confirmat (*c*) Appulejanius ille Myrmex, qui nocturnas tenebras cauſabatur ſibi obſiſtere, quin clavem curioſe abſconditam reperiret. (*d*) Petrus Chryſologus: *au-*



diſtis hodie fratres, quemadmodum dum ſecluſit alios, ſeipſum janitor invidioſus excluſit: væ vobis, inquit, legis peritis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. A quo geſtandarum clavium munere, carcerum janitores *clavicularii* appellabantur, ut animadvertit (*e*) CUJACIUS: & ſane illas grandiores, quarum typum dedimus, vindicabant ſibi janitores, ſupellectiarii, cellarii, arcarii, & alii non pauci. Domini vero, ſi qui erant qui literis operam darent, illi mancipia erudita habebant, quibus ad ſtudia uterentur; hoc nos agmen ſervilis eruditionis diducemus, & exordiemur ab illis, qui BIBLIOTHECIS præerant. Inſtruebantur enim & apud privatos bibliothecæ. (*f*) Seneca: *quid habes cur minus ignoſcas nomen marmore atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maxime placent titulique? apud deſidioſiſſimos ergo videbis quidquid orationum, hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus extructa loculamenta: jam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque ut neceſſarium domus ornamentum expolitur.* hujuſmodi ſervum, ut ſibi reſtituendum curet, petit a Sulpitio (*g*) Cicero: *Dionyſius ſervus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit.* Apud Imperatores erant non pauci, quibus hoc munus incumberet: cum hæc ordinandarum, & publicandarum bibliothecarum cura, non omnino videretur imperii majeſtatem dedecere. In veteribus elogiis legebantur olim C. IVLIVS C. L. PHRONYMVS. A. BIBLIOTHECA. GRAECA. C. IVLIVS. FALYX. A. BIBLIOTHECA GRAECA PALAT. TI. CLAVDIVS. AVG. L. HYMENAEVS. MEDICVS. A. BIBLIOTHECIS. L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. Et hi omnes videntur fuiſſe e domo Cæſarum, apud quos liberti etiam A STUDIIS in precio fuerunt. (*a*) Suetonius: *ac ſuper hos Polybium a ſtudiis, qui ſæpe inter duos conſules ambulabat.* Eodem munere functus apud eundem Claudium eſt Lemnus neſcio quis, cujus mentio extat in veteri inſcriptione,

TI. CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI CLAVDII
AVGVSTI. LIB
A STVDIIS

Et hujuſmodi ſervos in privatorum familiis fuiſſe ſtatuamus neceſſe eſt. Huic ſtudioſorum cohorti adſcribemus & ANAGNOSTEN. (*b*) Vatinius: *dicitur mihi tuus ſervus Anagnoſtes fugitivus, cum Vardæis eſſe.* Plinius (*c*): *Encolpus quidem lector, ille ſeria noſtra, ille deliciæ, exaſperatis faucibus pulvere, ſanguinem rejecit.* Sequentur excipientes dictata dominorum, vel aliud quidpiam ſcribentes AMANUENSES, & A MANU. (*d*) Suetonius: *Thallo a manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.* (*e*) hi fuerunt precioſi, & excepti, etiam quando ſervorum numerus dominis indicebatur. SCRIPTORES appellavit (*f*) Cicero. Eandem operam navabant NOTARII, & NOTARIÆ, quorum commendatio in velocitate excipiendi fuit. (*g*) Manilius:

Hic & Scriptor erit velox, cui littera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, verſumque loquentis
Excipiens, longas nova per compendia voces.


(*h*) Seneca: *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur? viliſſimorum mancipiorum iſta commenta ſunt.* Quæ Senecæ verba impetunt dictum (*i*) Iſidori, qui aſſerit, Senecam contracto omnium, digeſtoque, & aucto numero opus effeciſſe in quinque millia notarum. D. (*k*) Hieronymus: *jam de miſſo ſynthemate equus publicus ſternebatur, & nobilem juvenem punicea indutum tunica baltheus ambiebat, & tamen ille, appoſito notario, cogebat loqui, quæ velociter edita, velox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem penderent ſigna verborum.* Notarius tamen quandoque pro amanuenſi ſumitur. (*l*) Plinius, *Notarium voco, & die admiſſo, quæ formaveram dicto, abit, rurſuſque revocatur, rurſuſque remittitur.* D. (*m*) Gregorius: *tunc vir Dei accerſito notario dictavit, dicens, Sabinus Domini* JESU *Chriſti ſervus commonitorium Pado.* Alii ab

a *Lib.* 5. 35. b *lib.* 2. *de ira cap.* 25. *Artemidorus lib.* 3. *Onirocr. cap.* 54. c *lib.* 9. *Met.* d *Serm.* 172. e *lib.* 10. *cod. Tit.* 65. f *De Tranquill. cap.* 9. g *lib.* 13. *fam. epiſt.* 77.

a *Sueton. Claudio c.* 28. b *lib.* 1. *famil.* c *Lib.* 8. *epiſt.* 1. d *Auguſto c.* 67. e *Sueton. Nerone cap.* 46. f *lib.* 1. *de Oratore, & in Bruto.* g *Lib.* 4. *verſ.* 197. h *Epiſt.* 90. i *lib.* 1. *Origin. cap.* 21. k *ad Julianum.* l *lib.* 9. *epiſt.* 36. m *Dialog. lib.*

his NOTARII PRINCIPIS, quorum meminit (*a*) Cassiodorus: erant enim principi a secretis, ut olim (*b*) Scribæ apud Græcos. Notariorum erant thecæ, quibus includebantur styli & pugillaria. (*c*) Ammianus: *maxime cum hæc eadem numerantes, notarii prope* XXX. *adsistant cum thecis & pugillaribus tabulis*. Pugillarium vero * forma fuit oblonga, & quadrata, eminenti quadam margine circumcirca conclusa, ut vidimus Romæ in

Theca Pugillarium



veteri arca sepulchrali in hortis Cyriaci Matthæii. Materies frequenter fuit e citro, buxo, acere, ebore, membranis; quibus omnibus ceram coloratam superinducebant. (*a*) Ovidius,

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis,
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tanquam minio, penitus medicata rubebas,
Ille color vere sanguinolentus erat.


(*b*) Althelmus in ænigmate de pugillaribus,

Melligeris apibus mea prima processit origo,
Sed pars exterior crescebat cetera silvis,
Calceamenta mihi tradebant tergora dura.
Nunc ferri stimulus faciem proscindit amœnam.
Flexibus, & sulcis obliquat ad instar aratri.

Tabellæ idem significaverunt, quoniam pugillar ut plurimum ligneum erat. (*c*) Prudentius in hymno de Cassiano martyre, in quo antiqua scribendi ratio ad amussim explicatur.

Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit:
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Calami vicem in his gessit graphium, sive stylus; tum e ferro, tum ex ære, ejus plane formæ, quam hic nos damus, illustraturæ dubio procul Symposii & Althelmi ænigmata, necnon & subscripta Prudentii carmina. Minusculum illud apud me est, majus illud alterum apud ALOYS. CORRADINUM. (*d*) Symposius:



GRAPHIUM.

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor utrimque manu, diverso & munere fungor:
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

(*e*) Althelmus in ænigmate, cui titulum præfixit de elementis;

Nascimur ex ferro, rursus ferro moribundæ,
Nec non & volucris penna volitantis ad æthram.

Prudentius in passione Cassiani:

Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur.
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.

Symposius expressit sane apte. Acumen enim graphii si in imo digitis complectamur, ut poscit usus, ejusdem planities seu latitudo (ut loquitur Gregorius Turonensis) erit in summo. Althelmus ferrum utrobique appellat, ut vidimus; & ferri stimulum non ineleganter, quia mucrone scribebant, planitie scriptum abradebant. (*f*) Columella:

a *Lib.* 6. 16. b *Cornelius Nepos. in Eumene.* c *Lib.* 28.

* *Pugillares tabulæ primum* (inquit Alexander Wilthemius in commentario ad diptychon Leodiense) *nec majores, quam quas pugillo contineres, duabus paginis, aut ternis, aut quinis constabant, unde duplices triplices quincuplices appellatæ. Græci* δίπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα *dixere. Quin & polyptycha fuisse, disputatum a Cujacio, Observat. lib.* IV. *cap.* XXVII. *Materia diptychorum non una, vilior, buxus: pretiosior, citrus, ebur. Diptychis porro illita cera, stylo exarabatur. Non solebant autem magni momenti scripta iis mandari, sed res, quæ haberent usum familiarem, & pene quotidianum, cujusmodi erant epistolia, magistratuum adnuntiationes, & id genus alia. Et hæc ferme fuit priscorum pugillarium seu diptychorum ratio. Postea accessit eorum magnitudini ut nonnulla pugillum multo excederent. Usus etiam in republica Christiana augmentum accepit. Fuit enim celeberrimum id diptychorum genus, quo nomina Episcoporum, qui recte munus suum administrassent, continebantur; & si quando contigeret in diptycha referri Episcopos qui minime mererentur, eradebantur eorum nomina; quibus de rebus fuere olim acerrima contentiones. Inscribebantur etiam diptychis nomina Imperatorum, eorumque qui locis Deo dedicatis dona tulissent, tum virorum, tum mulierum; ac tandem Synodorum vocabula; quæ omnia cum Episcoporum nominibus sub sacrificium recitabantur.* Hactenus Wilthemius, aggrediens interpretationem præstantissimi illius diptychi quod in Ecclesia D. LAMBERTI Leodiensis asservatur, cujus effigiem libello huic nostro inserere animus erat, nisi magnitudo figuræ cœptis obstitisset. Placuit igitur aliam, & quidem illius diptychi ideam substituere, quod in monasterio Compendiensi custoditur, & a Sirmondo in notis ad Sidonium repræsentatum est. Cui, ne quid deesset, appingi curavimus *thecam*, pugillaribus asservandis dicatam, & ab Andrea a Tornaco feliciter hac forma expressam. Reliqua apud Wilthemium invenies.

a *lib.* 1. *amor. El.* 12. b *Editus a Delrio in Octastichis, ænigm.* 1. c *Peristeph. hymn.* 12. d *ænig.* 1. e *in heptastichis.* f *Lib.* 10. *de horto.*

Nomine tum Grajo, ceu littera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur, folio viridis, pede candida, Beta.

D. (*a*) Hieronymus: *stultus ego, qui me putaverim hæc absque Philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.* Recondebatur autem in thecam, quam *graphiarium* appellat (*b*) Martialis, ut innocens haberetur, & asserit præter (*c*) Suetonium (*d*) Gregorius Turonensis. Stylus autem mucronem & aciem graphii unico nomine complectebatur. (*e*) Quintilianus: *cum vero jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas* (literas videlicet) *tabellæ quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stylus.* Et hinc usurpant non raro scriptores *stylum infigere, stylo appetere, stylum vertere, & stylo depascere.* Fuit autem graphium ad cædem etiam aptum; ita (*f*) *Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit.* (*g*) Caligula: *cum discerpi Senatorem concupisset, subornavit, qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque confossum, lacerandum ceteris traderent.* Populus Romanus. (*h*) *Erixonem equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, in foro graphiis confodit:* & (*i*) *Cassianum martyrem pueri stylis confecerunt.* Fuit autem ferreum vel æreum, ut vidimus; aureum enim, cujus meminit Marcellus medicus, veluti & chrystallina, & onychina pugillaria, extra ordinem fuerunt. LIBRARII, quos nonnulli (*k*) ANTIQUARIOS dicunt, a libris arborum appellati sunt ideo, (*l*) quia in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum, ante usum cartæ vel membranarum, antiqui scriberent: unde TABELLARII portitores literarum. Extabat in museo Carpensi Romæ antiquus titulus.

IVCVNDVS
DOMITIAE
BIBVLI. LIBRAR.
A. D. MANVM.

Librarii aliquod munus indicat nobis (*m*) Cicero: *& erit gratius si non modo libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* (*n*) Sidonius Appollinaris scribam vocavit, & bibliopolam. (*o*) Cicero filius: *sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis.* Erant in ministerio & LIBRARIÆ. Antiquus lapis:

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

(*p*) Juvenalis:

—— periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas. ——

(*q*) Eusebius diserte scripsit, Origeni ad manum fuisse librarios, una cum puellis, quæ scite & concinne scriberent. Quo fit, ut minus credam interpreti antiquo Juvenalis, & veteri nescio cui Juris civilis epitomatori, qui pondera hic & libram substituunt. Tetigit hæc eleganter (*a*) Galenus, cujus hæc sunt Latine reddita: *nam quod ad nos attinet, decima fortasse proventuum nostrorum pars impenditur, reliquæ vero partes novem substantiæ ipsi adjiciuntur: attamen video te ne in res quidem egregias insumere quidquam audere, non in coemptionem, comparationemque* LIBRORUM: *non in eos qui* SCRIBANT *exercendos, sive* NOTIS *&* SIGNIS *id faciant ut* CITIUS; *sive exquisitis* FIGURIS *ut* PULCHRIUS: *sicut ne in eos quidem, qui* EMENDATE RECTEQUE *legant.* Inserviebant librariis GLUTINATORES, conglutinandæ nimirum papyro operam impendentes; legebatur olim Neapoli:

MANNIO STICHIO
TIBERII CAESARIS
GLVTINATORI

in vetere glossario glutinator κολλητής est; meminit & (*b*) Cicero: *etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris.* Chartæ autem ipsæ papyro & glutino constabant: ideo apud Spartianum Firmus tyrannus jactabat, *exercitum se alere posse papyro & glutino*, quod chartarum quantitatem immensam haberet. Ceterum de charta & glutino late (*c*) Plinius. Neque vero in chartis tantum, sed & in membranis glutinis usus fuit, si antiquo (*d*) Persii glossatori credimus, qui bicolorem membranam ita interpretatur, quod pars altera seu facies membranæ crocea esset, glutinata altera. Libris materiam cortex olim, papyrus, carbasus, ovilla tergora, lintei, plumbum, & alia suppeditarunt, ut cuilibet animadvertere promptum est: iique, quod circum ligneum teretem surculum, vel osseum convolverentur, *volumina* sunt appellati. Surculum ipsum seu surculi capitula, quæ & cornua, umbilicum vocabant. Porro de his, & de universa scribendi ratione, contexuit insignem commentariuum VINC. CONTARENUS noster, quem ille non diu patietur a studiosis desiderari. Librariorum administri, quos vocat Cicero, videntur fuisse PUMICATORES, MALLEATORES, ORNATORES. De pumice (*e*) Catullus, (*f*) Tibullus, (*g*) Plinius: de cetero ornatu (*h*) Domitius Ulpianus. At quoniam minium in voluminum quoque scriptura usurpabatur, inde nomen factum est servo MINICULATORI. (*i*) Persius:

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

ubi glossæ veteres: *Rubricas vocat minium, quo tituli legum annotabantur.* At ut viventes bibliothecas aliquando aggrediamur, hæc erit statio GRAMMATICORUM, quos (*k*) Cornelius Nepos, & (*l*) Messala Corvinus litteratos & litteratores appellant. Quo videndum an respexerit idem Cornelius, cum in vita Pomponii Attici scribit, in ejusdem familia fuisse pueros litteratissimos. Hujusmodi fuit Mecœnati C. (*m*) Melissus, *Spoleti natus ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, qui cum se gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam asserente matre, permansit tamen in statu servitutis, præsentemque conditionem veræ origini anteposuit.* horum æstimationis index erit Daphnis ille, cujus meminerunt

a ad Domnion. [illegible] b Lib. 14. [illegible] 19. c [illegible] c. 35. d lib. 1. de mirac. D. Martini c. 14. e lib. 1. c. 1. f Sueton. Cæsar. c. 8[illegible] g Calig. cap. [illegible] h [illegible] i Prudentius loco cit. Turonensis de glor. mart. lib. 1. cap. 4[illegible] k D. Augusti. serm. 44. de verb. Dom. lib. 2. de stud. lib. [illegible] Ro. C. Th. D. Hieronym. ad Florent. Isido. lib. 6. Orig. l D. Hieronym. ad Nep[illegible] m l. 12. ad [illegible] n lib. 5. Epist. 15. & 17. o ad Tironem. p Sat. 6. vers. 475. q Eccle. l. 6. cap. 17.

a de dignos. & cur. an. morb. c. 9. b ad Atticum. c l. 13. c. 12. d Sat. 3. e Epigr. 1. f lib. 3. El. 1. g l. 36. c. 21. h L. L. de Leg. 3. i Sat. 5. Leg. ult. ff. de liber. cau. L. 7. ff. de [illegible] k l [illegible] de ill. Gramm. m [illegible]

nerunt (*a*) Plinius, & (*b*) Suetonius. PÆDAGOGI, MAGISTRI, & PRÆCEPTORES huc referendi sunt, quorum usus apprime necessarius, C. (*c*) Cassium induxit ut crederet, *hæredi quandoque remittendam esse proprii servi manumittendi necessitatem*: quod tamen receptum non est. Eadem necessitate compulsus. (*d*) Augustus, cum urbs fame premeretur, servorum maximas copias, exceptis medicis, & præceptoribus, trudi urbe præcepit. Pædagogi puerorum & puellarum ductores fuerunt, & doctores. (*e*) Plautus,

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longe a Pædagogo pedem ut efferres ædibus.

&

Inde de hippodromo, & palæstra ubi revenisses domum,
Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum assideres,
Tum librum legeres.

Hoc sibi voluit (*f*) Manilius:

Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus prætexta lege sequatur.

D. (*g*) Augustinus: *cum videamus exempli gratia, & sine tribulis areas triturari, quamvis adjuvent si adsint; & sine pædagogis posse pueros pergere in scholam, quamvis ad hoc non sint inutilia pædagogorum adjumenta*: hujus sane operæ, pueris & puellis navatæ notitia facit, ut minus miremur, cum apud (*h*) Val. Maximum legimus, *puellæ virginitatem a servo pædagogo, Fanio* nescio cui *Saturnino proditam*. Fuit autem non raro præpostera valde & translatitia parentum cura in pædagogis comparandis (*i*) Aristides: *quid autem? nonne nutrices, litteratores, ac pædagogi pueris ita dicunt: oportet te non impleri, & modeste per vias incedere, ac senioribus assurgere, & parentes amare, non tumultuari, non alea ludere, non si v s, alternare pedes: veruntamen non propterea magni se faciunt nutrices, nec philosophis se se præferunt: itaque quæcumque maximi est precii, duarum est fortasse vel trium minarum. Pædagogi vero etiam cum barbariæ quadam plerique ista docent, ac janitores aliquando pro pædagogis, cum artem deseruerunt, æquo animo fiunt*: hæc & similia docuerunt pædagogi, *ut* (*k*) *ambulare in via demisso capite; uno digito salsamentum, duobus tangere piscem, panem, carnem, sic scabere; sic vestem gerere*. Magistri pueros & puellas docebant & ipsi. D. Hieronymus: *magistrum autem pueri tui, de quo dignatus es scribere, quem plagiatorem ejus esse non dubium est, sæpe Euagrius presbyter, dum adhuc Antiochiæ essem, me præsente corripuit, cui ille respondit, ego nihil timeo, dicit se a domino suo fuisse dimissum*. Quod ad puellas attinet, extat insigne testimonium (*l*) Juliani Jurisconsulti *is a cognatis & propinquis pupillæ perductus ad magistratum, jussus est alimenta pupillæ, & mercedes, ut liberalibus artibus instituerentur, præceptoribus dare*. (*m*) Martialis;

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister?
Invisum pueris, virginibusque caput.

a *lib. 7. c. 39.* b *Lib. cit.* c *Leg. 35. ff. de Fideicomm. libert.* d *Paulus Oros. lib. 7. c. 3.* e *Bacchidib. act. 3. sc. 3.* f *Lib. 5.* g *De gest. Pelagii. Et hos videtur Oppianus* Episcopos *appellare, seu inspectores, lib. 1. & 3. de Piscat.* h *lib. 6. cap. 1. vide pædagogum cruciarium Calpurnii Flacci.* i *in Platonica 1.* k *Plutarch. virtutem doceri posse.* l *L. 4. ff ubi Pupillus educari deb.* m *lib. 5. 68.*

(*a*) Suetonius: *Q. Cæcilius Epirota, Tusculi natus, libertus Attici Satrii equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, cum filiam patroni nuptam M. Agrippæ doceret, suspectus in ea, & ob hoc remotus, ad Cornelium Fallum se contulit*. Neque vero servis ipsis defuit magister, aut pædagogus familiaris; de illo antiquus cippus Tibure,

D M
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB.
HERMETI
M. PVEROR. DOM. AVGVS.

de hoc Romæ,

FLAVI. STEPHANI
PAEDAG. PVEROR.
IMP. TITI
CAESARIS

Pædagogo CAPSARIUM adjungemus ex auctoritate (*b*) Ulpiani: *si collactaneus, si educator, si pædagogus ipsius; si nutrix, vel filius filiave alterius eorum, vel alumnus, vel capsarius &c.* (*c*) Juvenalis,

Eloquium, aut famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

ubi ex vetere Grammatico discimus, designari puerum adhuc discentem, quem arcula sequatur, in qua codices reponantur. Capsas autem & armaria librorum recensuit & (*d*) Jul. Paulus. Et hæ pueriles capsæ minusculæ videntur fuisse, utpote ad gestandum habiles: ideoque angustas vocavit Juvenalis, ad earum discrimen, quæ majores erant & statariæ, quarum videtur meminisse Jul. Paulus. Capsarii vero, qui in balneis vestimenta accipiebant custodienda, utrum servi fuerint an liberi, alii viderint. Et hi fere omnes (uno & altero excepto) servi intramurani fuerunt, ut cum Asconio nostro dicam. Nunc discribemus eos, quibus extra domesticos parietes utebatur dominus, militares primum, tum alios. ARMIGER ex (*e*) Virgilio & aliis notus satis,

—— forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit ——

isque preciosus, si (*f*) Plinio credimus de lusciniis loquenti: *ergo servorum illis precia sunt, & quidem ampliora, quam quibus olim armigeri parabantur*. Et hos heroibus Poetæ attribuunt, quos Reges & olim & hodie, in hac saltem parte æmulati sunt: testis est antiqua scalptura preciosæ illius Sapphiri, cujus typum MARQ. FREHERUS vir eruditissimus edidit & illustravit. In ea Constantinus Imperator aprum venabulo excipit: Armiger autem telum gestans, feræ impetum formidans, dat se in pedes. (*g*) Prudentius de armigero Cæsariano;

Armiger e cuneo puerorum flavicomantum,
Purpurei custos lateris, deprenditur unus.

a *de Ill. Gramm.* b *L. 13. de manum. vind.* c *Sat. 10. vers. 114.* d *lib. 3. Sent. Tit. 8.* e *lib. 9. Æneid. vers. 647.* f *lib. 10. cap. 29.* g *in apotheosi vers. 563.*

Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.

(*a*) Martialis;

Splendophorus Lybicas domini petit armiger urbes:
Quæ puero dones tela, Cupido para;
Illa quibus juvenes figis, mollesque puellas;
Sit tamen in tenera levis & hasta manu.
Loricam, clypeumque tibi, galeamque remitto. &c.

Notavit porro (*b*) Sidonius, Theodoricum regem, *arcum lateri innectere citra gravitatem regiam judicasse, & tradidisse gestandum puero*, hinc armiger in aula Constantinopolitana, qualis describitur a (*c*) Corippo Narses: hinc apud Curopalatam scutarius in eadem aula: & hinc demum in (*d*) Turcica puer ephebus, qui Sultano gerit arcum & sagittas. A qua eadem ratione notat Lampridius, Commodo imperante tres Præfectos Prætorio fuisse, inter quos libertinum, qui A PUGIONE appellatus est. Fuit autem apud Cæsares minister Palatinus, qui arma custodiret: hujusmodi A. quidam VIBIVS. HERMES. IMP. NERONI. A CVSTODIA ARMORVM in veteri monumento legitur. Duces & ipsi, regibus satis impares, armigeris non caruerunt. S. (*e*) Ferrandus in parænetico; *tunc autem dux optimus neminem lædit, si in omni Prætorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officii publici devotionem lateri ducis semper adjunctus, concessa beneficia vendere*. His armigeris affines fuerunt CACULÆ & CALONES, ita dicti auctore Festo, quod fustibus clavisque li-



A gneis armari solerent ad tutelam dominorum. Hic (*a*) Isidorum emendabimus, deformem vitio non suo. *classis* (inquit ille) *dicta est a Græco vocabulo ἀπὸ τῶν κάλων, id est lignis: unde & calones naviculæ, quæ ligna militibus portant*. lego: *unde calones & caculæ, qui ligna militibus portant*. Fuerunt autem hæc ligna fustes, ut diximus, & clavæ: quod enim Euangelistarum interpretes habent, missam fuisse cohortem ad vinciendum JESUM cum gladiis & fustibus, ita vertit (*b*) Iuvencus;

B *Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clavæ.*

Et hi (*c*) CLAVATORES dicti sunt, & (*d*) GALEARII, LIXAS (*e*) Acron Grammaticus perperam servos militum appellat, cum certum sit fuisse liberos homines. (*f*) Val. Maximus: *protinus namque lixas e castris summovit* (Metellus) *cibumque coctum venalem proponi vetuit: in agmine neminem militum ministerio servorum jumentorumque, ut arma sua & alimenta ipsi ferrent, uti passus est*. Lecticarios quoque ideo calones appellavit Seneca, (*Lectica formosis imposita calonibus*) quod C ligna seu asseres lecticæ portarent. κᾶλον enim *lignum est*, inquiunt Festus & Isidorus. (*g*) Horatius profecto aliquoties hoc nomine servos designat, sed viliores, ut videtur, veluti muliones, & hujusmodi. Et hæc de servis militaribus. Dominum domo egredientem ANTEAMBULONES præcedebant, in eum usum, quem tangit junior (*h*) Plinius; *eques Romanus a servo ejus, ut transitum daret, manu leniter admonitus, convertit se, nec servum, a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam graviter palma percussit, ut pene conciderет*. Nescio quis apud (*i*) Cornificium: *hic inquit habito: perspicit argentum, quod erat expositum,* D *visit triclinium stratum; probat, accedit servulus, dicit homini clare, dominum jam venturum, si velit exire*. (*k*) Martialis autem scribit, & ad liberos homines pertinuisse hanc operam,

Exigis a nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequar, ille feret.
In turbam incideris, cunctos umbone repellet; &c.

E Idem (*l*) Poeta;

Jam parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quamdiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto;

At quia non ad clepsydram scribimus, quisquis leget hæc ignoscat nobis, si studio veritatis eruendæ, plumbeos nummos asseremus. Hos hic noster (*m*) alibi centum quadrantes appellat,


F *Centum miselli jam valete Quadrantes,*
Anteambulonis congiarium lassi.

Et quidem ego ipse in illa opinione aliquando fui, ut putarem, & illa superius relata, & hæc ejusdem (*n*) auctoris:

a *lib.* 9. 56. b *lib.* 1. *epist.* 2. *De Helmichis armigero Alboin. Paulus Diaconus lib.* 2. *de gest. Longob. cap.* 28. c *lib.* 4. d *Menavinus l.* 3. *c.* 10. e *edidit A. Statius.*

a *Lib.* 19. *Orig. cap.* 1. b *Lib.* 4. c *Festus* d *Vegetius lib.* 3. *cap.* 6. e *ad Horat. lib.* 1. *Sat.* 2. f *lib.* 2. *cap.* 7. g *lib.* 1. *Sat.* 6. *lib.* 1. *Epist.* 14. h *lib.* 3. *epist.* 14. i *lib.* 4. K *lib.* 3. 46. l *lib.* 10. 74. m *lib.* 3. 7. n *lib.* 1. 99.


N. S. T. III. pag. 1209.
P A
QVP
S C
AIC
ALLE SPES
C C T


P. 1243.
Abacus Romanus
C
X
I

Nigræ sordibus explices monetæ : & ,
Constemus tibi plumbea selibra .

hæc inquam omnia intelligi de vili & minuta pecunia, ut apud eundem (*a*) Poetam legimus, *plumbea vina*, & *plumbea mala*. Imo & quæ apud (*b*) Plautum legeram :

Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.
(*c*) &,
Cui si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.

(*d*) item, SER. *Tace sic faber, qui cudere soles plumbeos*
Nummos.

ita interpretabar. Verum ut sententiam mutarem fecit primum fortuna obsequens, quæ obtulit mihi nummos aliquot veteres, Romæ, & alibi erutos, plumbeos omnes, quos aversos, & adversos hic in tabella dare decrevi: deinde (*e*) I. LIPSIUS, qui monetam plumbeam candide agnovit. Subsequebantur PEDISSEQUI. Et ideo myriadas servorum comparatas fuisse scribit (*f*) Athenæus, ut comitum, anteambulonum, & assectarum copia ne deesset. (*g*) Ammianus: *nonnullos fulgentes sericis indumentis, ut ducendos ad mortem, vel ut sine diritate ominis loquamur, prægresso exercitu, arma cogentes, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo servorum.* (*h*) Cimon nobilis ille Imperator, *dispensatoribus* utebatur, ut si quis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Et hi omnes pars erant, & portio officii & obsequii quotidiani. Cujus tamen corpus liberi homines constituebant. (*i*) Juvenalis:

Si vocat officium, turba cedente vehetur,
Dives, & ingenti curret super ora Liburno.

&

—— nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro.
Alter. ——

(*k*) Plinius: *paucos post dies ipse me Regulus convenit in Prætoris officio.* (*l*) Martialis:

Omnes persequeris Prætorum, Cotta, locellos,
Accipis & ceras, officiosus homo es.

(*m*) idem alibi graphice:

Condita cum tibi sit jam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo:
Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus ave.
Et sine te nulli fas est prodire Tribuno,
Nec caret officio Consul uterque tuo.

Salutatores totam hanc scenam complebant. (*n*) Seneca: *Ad quemcumque itaque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiamsi animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos, &*

a *lib.* 10. 49. & 94. b *Casina. act.* 2. *sc.* 3. c *Trinummo. act.* 4. *sc.* 2. d *Mostellaria. act.* 4. *sc.* 2. e *in Schedis.* f *lib.* 6. *de affoclis. Nonius in ASSAS.* g *Lib.* 14. h *Cornelius Nepos, sive is Æmil. Probus, in Cimone.* i *Sat.* 3. *vers.* 239. & 243. k *lib.* 1. *epist.* 5. l *lib.* 10. 88. m *lib.* 4. 78. n *lib.* 6. *de benef. cap.* 34.

A *commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum: in pectore amicus, non in atrio quæritur.* Salutatoria vox fuit, *Ave*, ut apud Martialem vidimus, & apud alios passim est videre. Hora hujus officiosæ salutationis fuit antelucana. (*a*) Juvenalis;

Quod porro officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hic meritum? si curet nocte togatus
B *Currere? cum Prætor lictorem impellat, & ire*
Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,
Nec prior Albinam, & Modiam collega salutet?

(*b*) Idem,

—— habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri Serraca Bootæ.

C (*c*) Sallustius: *C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, & cum eo L. Varguntejus Senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem.* Nisi (*d*) salutatores incidissent in aliquem sectatorem Attilii illius Butæ, qui lucem statuerat sibi somni tempus esse. Et hæc quidem pene publica fuit salutatio, illa privata, quam (*e*) Galba Sulpicius *exoletam alibi, in domo sua obstinatissime retinuit; ut liberti servique, bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.* Admittebantur autem salutatores, idque non sane
D gratis. (*f*) Juvenalis;

—— omnia Romæ
Cum precio: quid das ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento libello?

At vero præfuisse aliquem huic turbæ officiosæ, saltem in aula Cæsarum, videtur indicare marmoreæ inscriptionis fragmentum, in quo NERITO cuidam DIVI CLAUDII nescio an liberto, OFFICI IMPER. forte curatori, locus monumenti designatur. Confirmant conjecturam verba
E martyrologii Romani; *Pisis in Tuscia sancti Torpetis martyris, qui magnus in officio Neronis primum fuit* &c. An autem TISANDER quidam AUG. LIB. OFFICIALIS huc pertineat, viderint alii. Et certe nisi insigniter fallor, hoc munus admissionalium fuit, de quibus suo loco dicemus. Locus status & solemnis, ubi peragebatur hæc fabula, atrium erat. Seneca stylum acuens in has ineptas salutatorum concursationes, & quidem verbis proxime citatis: (*g*) *in pectore amicus, non in atrio quæritur.* (*h*) Idem: *quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros*
F *ædium aditus profugient?* Martialis passim. Illa antelucana potentiorum fuit; tenuiorum autem matutina. OFFICIOSORUM statio vestibulum fuit. (*i*) Gellius ex doctrina Sulpicii Apollinaris; *qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus & viam*

a *Sat.* 3. *vers.* 126. b *Sat.* 5. *vers.* 19. c *in Catilinam.* d *Sen. Epist.* 122. e *Sueton. cap.* 4. f *Sat.* 3. *nec uno in loco.* g *lib.* 6. *de benef. cap.* 34. h *De brevit. vita cap.* 14. i *lib.* 16. *cap.* 5.

medius esset, in eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant &c. Et hæc verba Gellii pene transcripsit (*a*) Non. Marcellus, qui ex Gellio emendandus est. (*b*) Donatus etiam ad illa Virgilii;

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
Luctus, & ultrices posuere cubilia curæ.

feralem (scribit) *Ditis domum, ecce quale observabat officium in primo vestibulo*. (*c*) ADVERSITORES qui dicebantur, huic servitio extramurano adcensendi sunt: hi domino foris cœnanti (teste (*d*) Donato) advorsum ibant, officii & tutelæ gratia. Sed & ACCERSITORES, ut ita dicam; & qui adventum domini præmittebantur nunciatum. (*e*) Plinius: *evigilaveram: nuncius a Spurina, venio ad te: imo ego ad te*. (*f*) Juvencus:

Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos,
Pro fratris morbo justis soror anxia curis,
Hortatur juvenem rapido percurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus servaret amicum.

Juvenis hic famulus est. (*g*) Ovidius;

Ancillæ puerive manus ferat arte tabellas:
Pignora nec juveni credite vestra novo.

Et hi erant domestici ultro citroque cursantium manipuli. (*h*) Appulejus: *misitque protinus cursorem, qui vianti marito domus expugnationem nunciaret*. At de cursoribus agemus infra. Adversitoribus illi non dissimiles fuerunt, qui (*i*) præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum domi præstolabantur, a cœna revertentem; quorum aliqui dominorum comites erant. (*k*) Val. Maximus: *Cajus autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescumque epulaturus erat, ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, a cœna domum reverti solitus est*. idem (*l*) Auctor: *M. Antonius avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur: cujus in judicio accusatores servum in quæstionem perseverantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatam contenderent*. (*m*) Juvenalis:

—— sed quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum, & abenea lampas.

Et vero sine his dominus bene potus, qui domum se contulisset? (*n*) Propertius:

Hesterna mea lux cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus;
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat: ——

Et hos AD LYCHNUM, AD FUNALE, AD LATERNAM, LAMPADOPHOROS, & TÆDIGEROS appellabimus. At *funalia* (ut

a *vestibulum*. b *Æneid. 6. vers.* 273. c *Plautus mostellaria, actu* 4. *Joh. Evangel. cap.* 4. *vers.* 51. d *in Adelphis*. e *Lib.* 1. *epist.* 5. f *Lib.* 4. g *lib.* 3. *de arte amand.* h *lib.* 10. *Met.* i *Lucæ* 22. 35. K *lib.* 3. *cap.* 6. l *lib.* 6. *c.* 8. m *Sat.* 3. *vers.* 282. n *Lib.* 2. *El.* 12.

A inquit (*a*) Servius) *ideo dicta sunt, quia ante usum papyri antiquitus funes cera circumdabant*. Quod iisdem verbis expressit (*b*) Isidorus. Antiquorum autem funalium figuram præferunt Angeli insculpti in vetere monumento e marmore Synnadico, in quo jacent sacrosancta ossa beatissimi Lu-

B



cæ Evangelistæ, in augustissimo templo D. Justi- C næ, apud nos. Et hoc dubio procul etymon habent vox Ecclesiastica, *Intortitia*, & Italicæ *Torcie*, & *Torchii*; imo & Hispanica, *Antorcha*. Funalia enim funes intortas referebant. Addamus etiam fomitem gossypinum, quem hodie cera superinducimus, a nostris appellari, *Pavero*, corrupta Papyri, cujus meminit Servius, nomenclatura. In hac autem cohorte MONITORES quidam erant. (*c*) Appulejus: *post hæc, monitu famuli mei, qui noctis* ADMONEBAT, *jam & ipse crapula distentus, protinus exurgo: & appellata propere Byrrhæna, titubante vestigio domuitionem capesso, sed cum primum plateam vadimus, vento repentino* D LUMEN, *quo nitebamur, extinguitur*.

Et horum qui admonerent ingens videtur fuisse numerus, apud homines nobiles & fortunatos. (*d*) Seneca: *nec illos quidem inter ociosos numeraveris, qui sella se & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt: quos, quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius* ADMONET; *& usque eo nimio delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non possint an esuriant*. Concinne (*e*) Plinius: *quippe multo utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat, ultimoque probro manus in cibis triumphali seni deducebatur, vel* E *in Capitolio epulanti, pudenda re, servo suo facilius parere, quam sibi*. Contra (*f*) Carneades, *qui cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliviscebatur, nisi Melissa monitrix domestica, temperato inter studia officio, manum necessariis usibus aptasset*. At de his monitoribus nonnihil egimus, cum Invitatorem & Structorem produceremus in medium. Quoties vero pedibus incedere domino non libuisset, aderant LECTICARII qui gestarent. (*g*) Seneca: *hoc itaque ipsi mihi dico, quoties tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quoties occur-* F *rit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus*: impositam dixit, quia lecticarii succollabant suppositis cervicibus. (*h*) Auctor ipse: *idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit*: & (*i*) alibi:

a 1. *Æneid. vers.* 731. b *lib.* 20. *Etym. c.* 20. c *Lib.* 2. *circa finem*. d *de brevit. vitæ cap.* 12. e *lib.* 28. *c.* 5. f *Val. Max. lib.* 8. *c.* 7. g *Epist.* 110. h *Epist.* 80 i *lib.* 3. *de benef. c.* 28.

A *quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti, in militum quidem & non vulgarem cultum subornati?* In quibus verbis notandum est, * Penulam fuisse vestem lecticariorum; tum quia pluviam arcebat, tum quia viatores ipsa utebantur promiscue. Apud nos utuntur eadem, sed laxiore & breviore cursores nostri: antiqua enim penula demissior, & adstri-



A ctior fuit; ideoque (*a*) Cicero *penula irretitum Milonem*, (*b*) Quintilianus (sive ille Tacitus) *adstrictos & inclusos penula causarum patronos* scripserunt: huc allusit (*c*) Martialis, qui cucullum papyraceum, *olivarum penulam* vocat. Fuit autem penula (*d*) pallium cum fimbriis longis, quo usi sunt Grammatici, quos penulatos magistros vocat D. (*e*) Augustinus, ut & Grammaticam ingressam fuisse Deorum Senatum penulatam affirmat (*f*) Marcianus Capella. Et Marciani quidem verbis, quæ nescio quibus deformata librariorum præstigiis, Criticis omnibus, sub specie probæ lectionis, hactenus imposuerunt, nos personam detrahere conabimur. B Quod enim vulgo legunt; *quæ femina licet in Attica, ubi majore ævi parte floruerat, se assereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo, propter Latiale numen & olim caput, propterque Martiam gentem, Venerisque propaginem &c.* ita corrigendum est; *propter Latiale nomen, & Toli caput*. Nota est narratio de capite Toli Vulcentani, evoluto ex fundamentorum sedibus in colle Tarpejo. Et mihi quidem aliquando placuit etiam (g) Varronis locum hoc Toli nomine insignire, ad ipsius etiam auctoris mentem: *Capitolium dictum, quod hic, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput Toli hominis inventum dicitur*. C Ve-

* Pænulæ formam ita describit Thomas Bartholinus. Vestis est fere rotunda, quæ, si caput, jugulum, mediaque crura, quibus terminatur, excipiamus, totum hominem operit. Strictior est ejus ora quæ collum ambit, tam laxe tamen patens, ut caput exeri possit, operiri aut involvi. Non in ea sunt manicæ. Non pectus patet; Manus & brachia veste continentur, quæ aliter expediri non possunt, nisi aut per scissuram exerantur, aut hinc inde extremis oris subjiciantur, ita ut pænula in rugas & plicas contrahatur; Pars ventrem spectans, aperta est, alioquin vestimentum clausum & rotundum esset. Hujus formam adjectæ icones ulterius explicabunt.

a *in Miloniana*. b *de causis corr. Eloq.* c *lib.* 13. 1. d *Cornutus ad Pers. Sat.* 1. *Isidorus lib.* 19. *Orig. cap.* 24. e *lib.* 1. *Confession. c.* 16. f *lib.* 3. g *lib.* 4. *de LL.*

rum hæc hujus loci non sunt. Ad penulam ut revertamur, selectiora quædam qui volet, legat commentarios ad Lampridium, & Spartianum IS. CASAUBONI. Incedebant autem lecticarii canusinati. (*a*) Martialis:

Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Penula igitur, ut vidimus, hi usi sunt, quam tunicæ superponebant: alioqui tunica solemnis vestitus servorum fuit. (*b*) Afranius;

Vos quibus cordi est intra tunicam manus læva,
dextra intra penum berile.

(*c*) Plautus:

Advenisti, audaciæ columen, consutis dolis.
SO. *Imo quidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.*

(*d*) Phædrus de Atriense:

Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta. ——

(*e*) Juvenalis,

—— *ponunt*
Cosmetæ tunicas. ——

(*f*) idem

—— *simplex ne furor sestertia centum*
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?

a *lib.* 9. 22. b *Apud Priscian. lib.* 5. c *Amphitr. act.* 1. *sc.* 1. d *lib.* 2. *fabular.* e *Sat.* 6. *vers.* 475. f *Sat.* 1. *vers.* 93.

(*a*) Gellius: *Plutarchus servo suo, nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusque Philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam detrahi, ob nescio quod delictum, cædique eum loro jussit.* (*b*) Appulejus de servis in pistrinum conjectis; *cuncti tamen ita tunicati, ut essent per pannulos manifesti.* (*c*) Ammianus Marcellinus: *stetit itaque subtabidus* (Procopius) *excitum putares ab inferis, nusquam reperto paludamento, tunica auro distincta ut regius minister indutus.* (*d*) Tranquillinus martyr Chromatium Præfectum alloquens: *postea vero tu ipse positis sericis, quibus indutus es vestibus, servilem tunicam induas.* Et hoc demum est quod innuit Lampridius, apud quem Alexander Severus Imperator, *servos suos semper cum servili veste habuit, libertos* (ita habet antiquus liber, & recte) *cum ingenuorum.* Liberti enim Cæsariani servorum loco aliquando videntur habiti fuisse. Antiqua inscriptio,

OSSA

VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. &c.

Præterquam quod (*e*) *libertinis omnibus, etiam jure aureo um annulorum donatis, imag. rum obtigit, quam status ingenuitatis.* Et hoc est, quod (*f*) Seneca *vestiarium* vocat; *est a iquid quod dominus præstare servo debeat, ut c barium, ut vestiarium: nemo hoc dixit beneficium.* Idem (*g*) auctor alibi; *Familia vestiarium petit, victumque.* At hac tunica non demissa, sed ita constricta usi sunt, ut succingerentur laciniis ejusdem. (*h*) Horatius:

—— puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit ——

(*i*) Phædrus:

Ex alticinctis unus Atriensibus.

(*k*) Seneca: *Convivia me hercule horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam quam sollicite argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant.* (*l*) Juvenalis de ancilla tabernaria:

Et cum venali Cyane succincta lagena.

Et hoc sibi voluit (*m*) Horatius:

—— ut omnes
Præcincti recte pueri, comptique ministrent.

Neque alio respexit (*n*) CHRISTUS dominus, discipulos monens, ut *lumbos præcingerent servorum in morem, qui dominum a nuptiis revertentem expectant domi.* (*o*) Petrus Chrysologus scripsit egregie: *cingulum quidem est proprie indicium servitutis; quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes.* Animadvertendum obiter hic est, vestem aliquando traditam servis fuisse, ut ea perpetuo uterentur secundum ordinem, & dignitatem mancipiorum, ut scribit (*p*) Ulpianus: aliquando ad certum usum, & ad certa tempora, ut cum deducerent dominum, vel ipsi cœnanti ministrarent, ut apud (*a*) Pomponium legimus. Et de his hactenus. Ad lecticarios ut redeamus, efferebant illi mortuos. (*b*) Cajus Gracchus: *is in lectica ferebatur, ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit, & per jocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit num mortuum ferrent?* (*c*) Ser. Sulpicius: *coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum referre.* Marcellum intelligit, quem Magius necaverat. (*d*) Cornelius Nepos: *Atticus elatus est in lecticula.* (*e*) Cicero: *at iste operta lectica latus est per oppidum ut mortuus.* (*f*) Asconius: *cadaver ejus in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant, Sex. Tædius Senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur sustulit, & lectica sua Romam ferri jussit.* Et de hoc vario lecticæ usu extant lusus aliquot apud (*g*) Martialem.

Latior hexaphoris tua sit lectica licebit:
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

[*h*] Item,

Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

(*i*) Et,

Octo Syris s..f..lta datur lectica puellæ;
Nondum sandapilæ pondus amicus erit

Imo & posterius seculum, atque adeo nostri receperunt, ut lecticarii in vespillonum agmine essent. extant Novellæ Justiniani, quas vocant XLIII. & LIX. ad quas, & ad librum XI. Codicis notavit clarissimus CUJACIUS. Hexaphorum autem, & octophorum denominarunt homines, prout sex vel octo lecticam subibant, delicatorum dominorum arbitratu: & illam quidem laxiorem ad modulum opum & luxus. Modesti sane & frugi homines quatuor tantum adhibebant, & (*k*) Marcianus Capella Philologiæ in cœlum eunti totidem adscripsit, *laborem, amorem, epimeliam, & agrypniam:* nec aliter virginem decebat, studiosam videlicet minimeque delicatam. Beatiores octo sibi parabant homines rectos, ut inquit (*l*) Catullus. Petronius Bargaten *a duobus lecticariis in mediam rixam perlatum fuisse* scribit, servo nimirum dignitatem hac etiam in re dominicam adimens, & secernens a liberis. Cæsarianorum autem lecticariorum adeo grande agmen fuit, ut nominibus & præpositis distinguerentur. Indicat in veteri epigrammate TI. CLAVDIVS nescio quis AVG. L. QVADRATVS. DEC. LECTICARIORVM. BRITANNICI. Eorum vero, qui mercede conducti operas locabant, non minor numerus fuit; siquidem apud P. Victorem, Romæ, regione XIV. trans Tiberim, legimus castra fuisse lecticariorum. At quia plerumque domini vel gratia voluptatis, vel morbi levandi gestabantur, ideo in hunc usum parabantur loca peculiaria, quæ gestationes appellabant; (*m*) Plinius junior, *gestatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* (*n*) Ulpianus Jurisconsultus, *& si forte voluptarium fuit prædium, viridaria vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habens.* Neque

a *lib. 1. cap. ult.* b *lib. 9. Met.* c *lib. 26.* d *apud Sur. in actis 13. Sebastiani.* e *Leg. unica Cod. ad L. Visell.* f *l. 3. de benef. cap. 21.* g *de Tranquill. c. 8.* h *lib. 2. Sat. 8.* i *lib. 2. fabul. 5.* k *de brevitate vitæ cap. 12.* l *Sat. 8. vers. 162.* m *lib. 2. Sat. 8.* n *Lucæ 12.* o *Serm. 24.* p *Leg. 15. ff. de usufr.*

a *Leg. 26. ff. de pecul.* b *apud Gell. lib. 10. cap. 3.* c *lib. 2. Familiar. 12.* d *in vita Attici.* e *Philip.* f *in Milon. argum.* g *lib. 2. 81.* h *lib. 6. 77.* i *Lib. 9. 3.* k *Lib. 2.* l *Epigr. 10.* m *lib. 2. epist. 17.* n *Leg. 13. ff. de usufr.*

ſub dio tantum geſtabantur, aut vectabantur, ſed & ſub tecto porticus alicujus. (*a*) Juvenalis:

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?

(*b*) Idem;

Balnea ſexcentis, & pluris porticus, in qua
Geſtetur dominus, quoties pluit, anne ſerenum
Expectet, ſpargatque luto jumenta recenti?

Adhibitus eſt autem in geſtando certus quidam paſſuum numerus, ut in deambulando Ciceronem adhibuiſſe teſtatur (*c*) Plutarchus; & patet ex antiqua inſcriptione.

IN HOC
POMARIO
GESTATIONIS
PER CIRCVITVM
ITVM ET REDITVM
QVINQVIENS
EFFICIT PASSVS
MILLE.

Geſtabantur autem *navi, lectica, ſcamno, vehiculo*, inquit, (*d*) Cornelius Celſus. *Cathedra* etiam, & *ſella*: unde CATHEDRARII ſervi (*e*) Sidonio: *ſolus Curio meus in transfugarum perfidiam invectus, cum adveſperaſceret, per cathedrarios ſervos veſpillonibus tetriores, domum raptus, ac reportatus eſt.* Delicati illi & CATHEDRALICII (*f*) Martialis iidem cum his minime ſunt. De ſella (*g*) Suetonius, qui *geſtatoriam* vocat. Et ad ſupplicium hac raptabantur rei tormentis afflicti, ut notavit (*h*) Ammianus: *indefenſi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiſcue juvenes aliique membris omnibus capti, ad ſupplicium ſellis geſtatoriis ducebantur*: portatoriam vocat (*i*) Cælius Aurelianus: *ante cibum præterea erit adhibenda geſtatio, portatoria ſcilicet ſella, ſine vehementi motu, quo partes vehementer patientes releventur*. Idem meminit ſellarum geſtatoriæ, & fertoriæ. Geſtabant autem homines duo. (*k*) Martyrologium. *Alexandriæ paſſio ſancti Juliani martyris, qui cum ita podagra conſtrictus eſſet, ut neque incedere, neque ſtare poſſet; una cum duobus famulis, qui eum in ſella geſtabant, Judici offertur* &c. Verum non erit, opinor, nobis fraudi, ſi in gratiam ſtudioſorum excurremus tantiſper in varias aliquot ſellarum nomenclaturas. *Sellæ tonſoriæ* meminit (*l*) Cælius Aurelianus. *Sella pertuſa* legitur apud (*m*) Catonem, & videtur eadem, quæ *balnearis* apud Jul. (*n*) Paulum, quam ita delineat apud (*o*) Caſſiodorum Theodoricus: *hinc deſuper ſella compoſita, quæ humanis neceſſitatibus in abſidis ſpeciem perforatur, ægros ſuſcipit interno humore defluentes*: *familiaricas ſellas* nominat (*p*) Varro, ad quem notavit JOS. SCALIGER, apud Catonem legi male (*q*) *cellas familiæ*, pro ſellis, invita ſane Criticorum Minerva. Cato enim cellas familiæ vocat *ſervorum habitationes*, quas cellas appellat (*r*) Columella. Servilia namque habitacula cellæ nomine deſignantur. (*ſ*) Seneca de Pompejano Demetrio: *cui jam dudum divitiæ eſſe*

a *Sat. 4. verſ. 5.* b *Sat. 7. verſ. 178.* c *in Cicerone.* d *lib. 2. c. 15.* e *lib. 1. epiſt. 11.* f *lib. 10. 13.* g *Nerone & Vitellio.* h *Lib. 29.* i *lib. 1. cap. 1.* k *3. kal. Mart.* l *lib. 2. cap. 1.* m *Tit. 157.* n *lib. 3. Sent. Tit. 8.* o *lib. 2. varia. 39.* p *lib. 1. de R. R. cap. 13.* q *Tit. 14.* r *lib. 1. cap. 6.* ſ *de Tranquil. c. 8.*

A *debuerant, duo vicarii, & cella laxior.* (*a*) Cicero: *conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis, ſervorum in cellis lectos ſtratos videres*, (*b*) Vitruvius: *& ex una parte equilia, ex altera oſtiarii cellas*: apud eumdem (*c*) auctorem cellæ familiaricæ, cellæ ſervorum ſunt, non penuariæ, ut quidam ſunt arbitrati. Ab his cellis monachorum habitationis nomen mutuum ſumpſerunt, quod eſſent ut illæ ſerviles, arctæ & anguſtæ, quam ſane ob cauſam D. (*d*) Hieronymus, & (*e*) Joh. Caſſianus *cellulas* appellant, velut etiam (*f*) Ennodius, *monachos cellulanos*, imo & D. (*g*) Gregorius monaſterium ipſum non raro cellam nominat. *Cellæ* vero
B *meretriciæ* ſatis notæ ſunt ex Petronio, Martiale, Juvenale, cujus carmen unius litterulæ mutatione depravatum, experiemur & nos an corrigere valeamus. (*h*) ſcribit namque:

Et dubitas alta Chionen deducere ſella.

quæ hic ſit *alta ſella*, dicant qui norunt, ego ſane *cellam* non invitus repoſuerim: alta enim cella fornix eſt: confirmat conjecturam noſtram idem (*i*) poeta, qui alibi cecinit;

C *Intravit calidum veteri centone Lupanar*
Et cellam vacuam. ——

(*k*) &

—— *ſed, quod potuit, tamen ultima cellam*
Clauſit ——

At pergamus recenſere ceteras ſellarum ſpecies. *Arquatæ ſellulæ* meminit (*l*) Arnobius, necnon & (*m*) Tacitus. Porro gloſſario veteri ſella arcuata τρόνος eſt. *Sellam muliebrem, ſolidam, curulem*, alii recenſuerunt. Et de his ſatis. Ob frequentes
D autem ſalutationes & prenſationes, aderant domino ſervi NOMENCLATORES, MONITORES, & FARTORES, quorum munus erat ſuggerere nomina obviorum; *nomen* enim, inquiunt Grammatici, quaſi *novimen* dicitur, quod notitiam faciat: e notitia autem prodit exiſtimatio & benevolentia. (*n*) Seneca: *quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia eſt, & cuicumque nomen non poteſt reddere, imponit.* (*o*) idem alibi ob oculos hæc ponit orationis penicillo: *iſti qui per officia diſcurſant, qui ſe alioſque inquietant, cum bene inſanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ullas apertas fores præterierint; cum per diverſas domos*
E *meritoriam ſalutationem circumtulerint, quotumquemque ex tam immenſa & variis cupiditatibus diſtricta, urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos aut ſomnus, aut luxuria, aut inhumanitas ſubmoveat? quam multi, qui illos cum diu torſerint, ſimulata feſtinatione tranſcurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obſcuros ædium aditus profugient? quaſi non inhumanius ſit decipere, quam excludere, quam multi heſterna crapula ſemiſomnes & graves, illis miſeris ſomnum ſuum rumpentibus ut alienum expectent, vix allevatis labiis inſuſurratum millies nomen, oſcitatione ſuperbiſſima reddent?* (*p*) Plinius
F minor: *gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras: gratum, quod equeſtris ordinis decora, honore nominum, ſine monitore ſignares.* (*q*) Horatius:

a *2. Philipp.* b *l. 6. c. 10.* c *l. citato & eod. capite.* d *in Hilarione.* e *l. 2. de inſtitut. renunc. cap. 12.* f *Lib. 1. Ep. 5.* g *Dialog. Lib. 1. & 4.* h *Sat. 3. verſ. 136.* i *Sat. 6. verſ. 121.* k *ibid. verſ. 127.* l *Lib. 2. adv. Gent.* m *annal. l. 15.* n *l. 1. de benef. cap. 3.* o *de brevit. vitæ cap. 14.* p *Panegyrice.* q *l. 1. Epiſt. 6.*

A *Si fortunatum species & gratia spectat,*
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. ——

Nec aliter intellexit major (*a*) Plinius: *alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoscimus, aliena memoria salutamus, aliena vivimus opera.* Censores & ipsi Nomenclatoribus sunt usi; indicat antiquum elogium:

B L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO.

Neque hoc ab re factum est, cum apud Censores, cives nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum, servorumque profiterentur. Et sane hic videtur censoribus nomina in memoriam revocasse, non cives citasse nominatim, quæ partes præconis fuerunt. (*b*) Val. Maximus: *ut est ad Poliam ventum Tribum, præco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset hæsitavit.* Præconem vero C comitatus est ille, qui (*c*) Buccinator nominum appellabatur. Romæ legebatur via Salaria.

L. VOLVSIO. VRBANO. NOMENCLATORI
PRAETORIO. PAPIAS. SERVOS.
PVBLICVS. BVCCINATOR. NOMINVM

PRÆCONES autem familiares fuisse, persuadent nobis antiqui lapides. Romæ:

C. RVLLI
PRAECONIS
D VENVLEIAE. Ɔ. L.
TRVPERAE &c.

Narbone:

VSINIO
PRAECONI
ANTIOPAE.

& præter hos Thalthybius, & Euribates (*d*) Homerici. At cui nam usui? (*e*) Juvenalis:

E *Ille tamen faciem prius inspicit, & trepidat, ne*
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies: jubet a præcone vocari
Ipsos Trojugenas, nam vexant limen & ipsi
Nobiscum ——

(*f*) Horatius de Vultejo Mena præcone:

—— *Vultejum mane Philippus*
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat. ——

F SCRUTARIUM dixisset (*g*) Lucillius:

Quid ni? & scruta quidem ut vendat scrutarius laudat,
Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

a *lib.* 29. *cap.* 1. b *lib.* 2. *c.* 9. c *L. ult. de jure immun.* d *Iliad. A.* e *Sat.* 1. *vers.* 98. f *lib.* 1. *epist.* 7. g *Gell. l.* 3. *cap.* 14.

At hic Censorius Nomenclator, a quo digressi sumus, translata in Cæsares Censoria potestate, Nomenclator a censibus appellatus forsan est.

DIIS . MANIBVS
TI. CLAVD. AVG. LIB
THALETIS. VINCIANI
NOMENCLATORIS
A CENSIBVS

Et is Libertus fuit juxta præscriptum domus Palatinæ. Apparuerunt Nomenclatores & Proconsulibus. (*a*) Appulejus: *quære a Nomenclatoribus tuis Maxime (quanquam est ille cauponibus, quam Nomenclatoribus notior) tamen inquam interroga, an hic Junium Crassum Ocensem viderint? non negabunt.* Hujus gregis postremi nobis, nec sane admodum merito, erunt CURSORES, & TABELLARII. Cursoris operam indicat nomen ipsum. Petronius: *hinc involutus coccina gausapa, lectica impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor.* Præcurrere itaque & præcedere cursorum fuit. (*b*) Martialis:

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno cursor ova portabat.

Sed & prænunciare. (*c*) Appulejus: *misitque protinus cursorem, qui vianti marito domus expugnationem nunciaret.* (*d*) Tacitus: *supremo quidem die momenta deficientis, per dispositos cursores nunciata constabat.* Suetonius: *& confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium salvum nunciarent.* Imo & epistolas perferre (*e*) Suetonius: *inter moras perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque* &c. Et quidquid epistolas comitabatur. (*f*) Martialis:

Cursorem sexta tibi, Ruffe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat,
Non aliter mitti debuit iste liber.

Suetonius in Nerone præcursum notavit, ut & Seneca. (*g*) ille: *numquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum.* Verum, qualesnam hæ phaleræ? num ab equis translatæ ad cursores, quod illorum vices implerent? & sane non improbo conjecturam. At apud Suetonium, Mazacum loco, Mazyces substituendi videntur. Mazyces enim Stephano Numidæ sunt, quos ita perspicuum est præcursores fuisse, ut negantem cœcum esse necesse sit. (*h*) Seneca: *O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores & Numidas, & multum ante se pulveris agentem!* Idem (*i*) auctor: *omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat comitatus, ut agmen cursorum antecedat.* (*k*) Martialis:

Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.

En cursores & Numidæ junctim recensiti. At Mazyces, ut diximus, Numidæ seu Nomades sunt, Mazaci Cappadoces, a Mazaca, si hanc inflexio-

a *Apol.* 1. b *Lib.* 3. 47. c *lib.* 10. *Met.* d *Jul. Agricola.* e *Nero cap.* 49. f *Lib.* 3. 100. g *c.* 30. h *Epist.* 87. i *Epist.* 123. k *Lib.* 12. 24.

flexionem permittunt nobis canones Grammaticorum, apud quos Mazacenus, Mazaceus, & a Mazacis, Cappadox eſt, Mazacus nihil. Mazycum meminit (*a*) Johannes Caſſianus, ad quem plura annotavit PETRUS CIACCONIUS Hiſpanorum eruditiſſimus. Verum ut una, quod dicitur, fidelia non duos tantum, ſed & tres parietes dealbemus, legamus apud (*b*) Lucanum, & quidem meo periculo,

—— tum concolor Indo
Maurus, inops Naſamon, miſti Garamante peruſto
Marmaridæ volucres, æquaturuſque ſagittas
Medorum, tremulum cum torſit miſſile, Mazyx.

apud (*c*) Nemeſianum:

Quemque coloratus Mazyx deſerta per arva
Pavit, & aſſiduos docuit tolerare labores.


apud (*d*) Claudianum:

—— nec ſpicula ſupplex
Intorquet Garamas, repetunt deſerta fugaces
Autololes, pavidus projecit miſſile Mazyx.

Noſtros tangit, ni fallor, (*e*) Martialis:

Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis? ——

Ad armillas quod attinet, damus hic earum exemplar, deſcriptum ex antiqua ærea olim inaurata, quam Romæ nacti ſumus.



Et ex hac armillæ ſpecie percipimus quid in mentem venerit (*f*) Iſidoro ſcribenti, *circulum rotundari, armillam extendi latius*. Cornua enim (ut ita dicam) armillæ abeunt a circuli perfecto illo orbe. De hujuſcemodi ſervis equitibus ſatis dictum eſt. Ad pedites veniamus, quos tinctos (ut ille ait) colore noctis, in varios uſus comparabant. (*g*) Juvenalis:

—— tibi pocula curſor
Getulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Ex eadem notione *pediſſequos* aliqui habuerunt, ut glorioſulus ille apud (*h*) Theophraſtum. Aliqui *balneatorem*, ut oſtentator neſcio quis apud (*i*) Cornificium. Nonnulli *garrulos puellos*, ut (*k*) Auguſtus. *Vini infertores* quidam, ut (*a*) Naſidienus; *panis*, ut (*b*) Trimalcio. *Scurras* alii, ut (*c*) Septimius Severus, & Phavorinus apud Philoſtratum. (*d*) Cleopatra eleganter, quæ *pueros Æthiopes, ut prælucerent convivis domum revertentibus, comparavit*. Mauros autem fuiſſe ſuſpicamur curſores illos, qui a Maximiano Aug. ad Victorem Maurum martyrem allegati ſunt, ut ei dicerent; (*e*) *deſperaſti vitam tuam, nec vis ſacrificare?* conterranei nimirum ad conterraneum de ſententia deducendum. Curſorum porro Auguſtalium meminerunt præter alios D. (*f*) Auguſtinus; *victor autem* (Theodoſius Auguſtus) *ſicut crediderat, & prædixerat, Jovis ſimulacra, quæ adverſus eum fuerant, neſcio quibus ritibus velut conſecrata, & in alpibus conſtituta, depoſuit; eorumque fulmina, quod aurea fuiſſent jocantibus, quod illa lætitia permittebat curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benigneque donavit*. (*g*) Corippus etiam;

—— prænuncius ante
Signa dedit curſor, poſita de more lucerna.

De habitu certum eſt, non omnes eodem uſos eſſe; cum (*h*) Fl. Vopiſcus tradat, Aurelianum Imperatorem *Senatoribus, curſores eodem habitu quo ipſe habebat, conceſſiſſe*. Et quidem niſi Petronius phaleratos curſores Trimalcioni attribuiſſet, in eam ſententiam propendebam, ut arbitrarer, Cæſarianos tantum phaleris uſos eſſe. Quod enim hi albati eſſent, alii ſecus, hoc ſane non diſplicet, at huic uni diſcrimini qui acquieſcam, ego non video. Fuit profecto alba veſtis Cæſarianorum, indicantibus (*i*) Suetonio & (*k*) Ariſtide. At curſores in luto & pulvere albatos vix animo concipio. Et quia lien peculiare curſus impedimentum eſt, ideo curſoribus inuri conſueverat, vel extingui potione, ut tradit (*l*) Plinius: hodie apud Turcas eximi curſoribus Regiis, teſtantur (*m*) ſcriptores rerum Turcicarum. Curſoribus ſuis Cæſares unum aliquem præficiebant, qui in veteribus elogiis appellatur PRÆPOSITUS CURSORUM. Neque vero iidem cum his noſtris fuerunt (*n*) *claſſiarii*, qui ab Oſtia & Puteolis, Romam pedibus per vices commeabant. Curſores dominum, ut diximus, præcedebant. Subſequebantur MACHÆROPHORI. (*o*) Cicero: *memini enim, cum hominem portarem ad Bajas Neapoli octophoro Aniciano, machærophoris centum ſequentibus, miros riſus nos edere, cum ille ignarus ſui comitatus, repente aperuit lecticam, & pene ille timore, ego riſu corrui*. (*p*) Aſconius: *vehebatur Clodius equo, ſervis XXX. fere expeditis, ut illo tempore mos erat, iter facientibus, gladiis cincti ſequebantur*. Affinia ſunt hæc illis (*q*) Juvenalis;

Nam, ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Oſtendatur, ames nomen, victumque machæræ.

De TABELLARIIS agemus paucis. Petronius: *anus enim ipſa inter diverſitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum ſenſiſſet, & forſit an pernoctaſſemus in limine, ni tabellarius Trimalcionis interveniſſet vehiculis dives*. (*r*) Cicero: *duabus tuis epiſtolis reſpondebo; uni, quam triduo ante ac-*

a *Collat. 2. cap. 6.* b *Lib. 4. circa fin.* c *Cyneget. Et hi ſunt equi Mazyces, quos laudat Oppianus lib. 1. de venat.* d *in laud. Stilic. Panegyr. 1.* e *Lib. 10. 6.* f *lib. 19. orig. c. 31.* g *Sat. 5. 53.* h *Charact.* i *Lib. 4.* k *Suet. c. 83.*

a *Horatius lib. 2. Sat. 8.* b *apud Petronium.* c *Æl. Spartianus.* d *Athenæus lib. 4.* e *apud Sur. Tom. 3.* f *Lib. 5. de Civit. Dei cap. 26.* g *Lib. 2.* h *cap. 49.* i *Domit. cap. 12.* k *Sacror. Ser. 3.* l *lib. 11. cap. 37.* m *Menavin. lib. 4. cap. 13.* n *Sueton. Veſp. c. 8.* o *ad Q. Fratr. lib. 2. ep. 10. ubi Paulum Manutium videtur feſelliſſe conjectura.* p *in Miloniana.* q *Sat. 7. verſ. 8.* r *lib. 9. familiar. ep. 15.*

A *ceperam a Zetho, alteri, quam attulerat Phileros tabellarius.* Zethi nomen ex Ælii Cæsaris instituto cursori non potest non convenire: refert enim Spartianus, illum *cursoribus suis, exemplo Cupidinum, alas frequenter apposuisse, eosque ventorum nominibus sæpe vocitasse; Boream alium, alium Notum, item Aquilonem aut Circium, cerisque nominibus appellantem, ut indefesse atque inhumaniter cursitarent.* Currentius ille, cujus meminit D. (*a*) Hieronymus, ad hanc normam nactus nomen est. Tabellarii videlicet laus est cursus, & festinatio, (*b*) Fuerunt autem qui cursores cum servis a pedibus confunderent: sed insigniter falsi sunt. Tabellarii autem & tabelliones a tabellis, B seu tabulis ideo appellati sunt, quod ante chartæ & membranarum usum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribi solita essent. Tabellio idem qui exceptor fuit, scriba publicus. Porro excipere actuariorum erat, sive notariorum, quo munere aliquamdiu functi sunt (*c*) Genesius & (*d*) Cassianus clarissimi martyres, quorum ille exceptoris officio fungens, cum impia edicta, quibus Christiani puniri jubebantur, nollet excipere, & projectis in publicum tabulis, se Christianum esse testaretur, comprehensus, atque decollatus est; alter, execrabile ducens Christianorum neci deservire, sub Christiana C confessione triumphum meruit obtinere martyrii. Et hinc quod cecinit (*e*) Juvenalis,

Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?

Glossæ veteres interpretantur, *acta legenti, exceptori.* TABULARII autem, quos (*f*) Arcadius & Honorius AA. servituti obnoxios esse vetuerunt, rationes publicas tractabant; ideoque dicuntur aliquando computare: nec non & *Numerarii*, & *Calculatores* vocantur. A tabulis vero D denominati videntur ea prope ratione, qua tabularium; quod nobis Italis sumentibus a Græcis mutuum, Archivum est. (*g*) Ovidius eleganter:

—— intres licet ipsa sororum
Tecta trium: cernes illic molimine vasto
Ex ære & solido rerum tabularia ferro.

Nec male (*h*) Marcianus Capella: *Clotho vero, Lachesis, Atroposque quoniam sententias Jovis orthographæ studio veritatis excipiunt, utpote librariæ superum, Archivique custodes, cum Senatum Curiamque contrahi, & ipsum Tonantem exuviis indusiari publice cernerent,* E *Magistratus in acta, cœlestiumque consultum, stylos acuunt, cerasque componunt.* Alii ab his tabulariis publicis fuerunt illi, qui Palatini ministerii erant portio non contemnenda. (*i*) TABULARII videlicet AUGUSTORUM vel AUGUSTARUM, RATIONIS PATRIMONII, seu A PATRIMONIO, RATIONIS HEREDITAT. XX. HEREDITATUM, FISCI ALEXANDRINI, Provinciarum LUSITANIÆ, & VETTONIÆ PICENI, CYPRI, Tabularius VILLÆ TIBURTIS, Tabularius A MUNERIBUS, RATIONIS FISCI, rationis VESTIARIÆ, a VEHICULIS, & alii complures, quibus & ADJUTORES non sane pauci F dati sunt, tum ut moli negociorum pares omnino essent, tum ut Cæsarum majestas ex hoc etiam capite elucesceret. Domino peregrinanti præsto erant familiares ministri. (*k*) Horatius:

Nam mihi continuo major quærenda foret res,
Atque salutandi plures: ducendus & unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregre-
-Ve exirem; plures calones atque caballi
Pascendi: ducenda Petorrita. ——

Servulus apud (*a*) Martialem hujus loci est;

Tam macer, ut minimam posset vix ferre lacernam.

(*b*) Plinius junior: *nempe enim* (inquit) *daturi estis consulari viro servulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a quibus calcietur: omnia vel sola præstabo.* Sunt verba magnæ illius nostratis heroinæ (Arriæ inquam) milites orantis, ut sinerent cum Pæto marito, navem ascensuro, simul imponi. (*c*) Seneca: *quia non potest* (inquit) *creditor domini sui fieri, si pecuniam illi dederit, alioqui quotidie dominum suum obligat, peregrinantem sequitur, ægro ministrat, & labore summo colit.* Famulitii urbani alterum caput erat negociatio, cui subjungemus rei dominicæ procurationem. Et hujus quidem vindicat sibi primas servus ACTOR. (*d*) Rabanus Maurus; *quoniam enim actor prudens & bonus scit quid sit domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia.* Et hi videntur fuisse, quos Æl. Donatus *majores domus* appellat. quod enim apud Terentium (*e*) Demipho ita Getam alloquitur,

D. oh!
Bone custos salve! columen vero familiæ.

id ille ita interpretatur, *columen culmen, an columen columna? unde columellæ apud veteres dicti servi majores domus.* Lucillius XXII.

Servu' neque infidus domino, neque inutili quoiquam
Luceili Columella hic situ' Metrophanes.

ita enim legendum est hoc distichon. Pergit porro Donatus confirmare interpretationem suam testimonio Tuberonis, ejus nimirum, cujus non semel meminit Gellius: (*hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur.*) ita ut nihil prorsus Tuberoni sit cum epitaphio Lucilliani Metrophanis. Et huc referenda est sanctio Regis (*f*) Theodorici, qui precium occisi Actoris centum solidis taxavit. Neque aliunde fluit Jul. (*g*) Pauli sententia, existimantis animadvertendum esse severissime in eum, qui Actorem corrupisset, ut qui posset rationes dominicas intercidere, vel adulterare, vel etiam rationem sibi commissam turbare. Imo *etsi servus,* qui Actum domini gessisse diceretur, *in commissum ciderat, non vendebatur; sed pro eo, viri boni arbitratu, æstimatio dabatur, ex rescripto D. D.* (*h*) *Severi, & Antonini.* Sed & (*i*) Justiniano Augusto idem observatum est; *cum in servili etiam persona gradus quosdam condemnationis voluit observari, ut aliud in vilissimo vel compedito, jus æstimationis constituatur,* nec injuria sane ut vidimus, ideoque recte (*k*) Juvencus, servos a patrefamilias missos ad colonos agricolas, ut vineti fructus perciperent, Actores interpretatur.

Tum longinqua petit; sed fructus tempore certo

a *Epist. ad Marcellum.* b *Vives in comm. lib. 5. de civit. Dei cap. 26.* c *Martyrol. Rom. 25. Aug.* d *3. Decembr.* e *Sat. 7. v. 104.* f *Leg. 5. C. Th. de Tabul. Logogr. & Cons.* g *l. 15. meta.* h *Lib. 1.* i *in veteribus marmorib.* k *lib. 1. Sat. 6.*

a *lib. 8. 74.* b *lib. 3. Ep. 16.* c *lib. 3. de benefic. cap. 19.* d *lib. 1. de instit. Cler. cap. 10.* e *Phormione act. 2. sc. 1.* f *Apud Papinianum Tit. 4.* g *Leg. ult. ff. de off. Præf.* h *Leg. 16. ff. de Publ. & Vect.* i *§. Pœna Instit. de injur.* k *lib. 3. histor. Evang.*

Actores famulos mittit, queis portio salva
Cultorum, certa ruris mercede daretur.

Et quoniam unus non omnia poterat, adjutoribus Actor utebatur. (a) Scævola; *item quæro, an ea quæ exacta sunt per adjutores ejus* (Actoris) *neque Calendario illata sunt, aut fraudulenter acta, huic adscribi possint, cum esset hic præpositus?* Calendario autem præponebatur aliquando (b) servus quispiam, ut pecunias domini exigeret, crederetque, & hic A CALENDARIO forte dictus est. Calendarium vero, seu *paginæ Calendarum*, ut vocat (c) Martialis, codex nominum fuit, in quem nomen debitoris Seii, aut Caii, cum summa pecuniæ singulis calendis exigendæ, referebatur. (d) Seneca: *nemo beneficia in Calendario scribit, nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat.* Actor secundarum in familia fuit DISPENSATOR, qui Græcis οἰκονόμος dictus est, meminerunt autem antiqui tituli;

SIGNVM
HERCVLIS
DORVS. LARC.
DISP. QVI. ANTE. VILICVS
HVJVS. LOCI
D . D

Item

EPARAPHRÆ DISP.
T. ARIANI
ANESIS. FILIA. VIRGO
VIXIT. A. XVII.

&

DIS MANIBVS
ONESIMI CAEPIONIS
HISPONIS DISP
TI. CAEPIO HIERONIMVS
ET SIBI ET SVIS

& quidem Dispensatores dicti sunt ideo, quod olim æs pensantes expenderent, non adnumerarent. Tradit hæc vetus (e) interpres ad Persium: *fuit autem assis libralis, & dipondius, quod hodie in usu remansit; & solebat pensari potius quam numerari, unde & Dispensatores dicti* PROROGATORES. hic ego olim cogitabam Prorogatores rectum non esse. *Procuratores* enim aut *Erogatores* videbatur rectius; sed hallucinabar tamen. Arcarios enim Prorogatores tritici appellat (f) Cassiodorus: & Petrus Chrysologus non semel hac voce utitur: (g) *de cœlestibus conditis, de horreis divinis rationem reddit, præstabit causas Ecclesiæ Prorogator.* (h) &, *Dispensator ergo divini verbi, & cœlestis doctrinæ Prorogator, qui ante Dominum stat jugiter.* (i) &, *est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus quis est ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus liberaliter prorogare.* (k) Idem: *Abraham, fratres, non sibi, sed pauperi dives fuit, & opes non habere, sed prorogare gestivit.* idem (l) alibi: *sed bonum nobis, bonum nimis, si ad nos ista aptemus singuli, si ad nos ista referamus, qui in terra nos debemus sentire villicos, dominos non putare, prorogationis temporariæ ministerium suscepisse, non*

a *Leg.* 40. *ff. de statu lib.* b *Leg.* 12. *de reb. cred.* c *Lib.* 8.43. d *lib.* 1. *de benef. cap.* 2. e *Sat.* 2. f *lib.* 10.28. g *Serm.* 26. h *ibid.* i *Serm.* 23. k *Serm.* 121. l *Serm.* 125.

A *invenisse jus perpetuum possidendi.* De Dispensatore (a) Cicero: *quid tu inquam soles, cum rationem ab Dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Et hæc sane ratio immaniter exacta plerumque est. (b) Seneca: *audio* (inquit) *circa horam tertiam noctis, flagellorum sonos, quæro quid faciat? dicitur rationes accipere.* (c) Juvenalis:

Et cædens longi relegit transversa diurni.

ubi antiquus Grammaticus diurnum ratiocinium interpretatur. Nec alio forsan respexit (d) CHRISTUS dominus, parabola usus servi, *quem herus* B *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Dispensator autem conservis τὸ σιτομέτριον, seu τὴν ὀψώνιον præstare consueverat, *Demensum* nimirum. D. (e) Zeno Veronensis: *Joseph præmotus ad mensuram prærogat cunctis annonam.* lege; *Joseph promotus ad mensuram prorogat cunctis annonam.* (f) Juvenalis de avaro patrefamilias, qui munus obibat Dispensatoris:

Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens. ——

C Notat autem sordidos, qui in illud incumbebant, ut de menstruo etiam Demenso lucrarentur, aliquid semper corradendo. Et hic erat menstruus Canon, quatuor vel quinque tritici modiorum in singulos: diurnus fuit, ut quidam senserunt, libra farris. (g) Horatius:

Denique cur umquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, ——

(h) Juvenalis:

D *Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,*
Quorum animas, & farre suo custodit, & ære.

Nisi dicamus, utrobique far pro pane usurpari, & ludere Horatium in pusillum & gracilem, cui non justum Demensum, sed extra ordinem, pro modo & quantitate corporis præstaretur. Quod enim XII. tabulæ nexis libram farris in dies pro victu præscriberent, ad servos trahi nequaquam potest; quia cum illis olim agebatur immitius, ne dicam immanius, puniendæ eorum perfidiæ gratia, qua inopiæ temporariæ adimebatur subsidium illud, quo communis omnium vita indiget. Alio- E qui servis ad rationem Demensi, cibarii panes quotidie, vel bilibres, vel etiam trilibres assignabantur. Quod ut statuam, facit in primis (i) Cæl. Aurelianus, qui ita scribit: *sic denique plurimi impausabiliter tota die atque nocte cibum sumpsisse veteribus traduntur: namque Asclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per singulos dies accepisse, quibus comestis, non aliter passione afficeretur, quam si nihil acciperet.* Hic certum est latere canonem quotidianum sub immodica illa quantitate, quæ famuli morbosam esuriem nullo modo levaret. Movet me deinde F (k) Catonis auctoritas, qui compeditis, per hiemem panis P.III. ubi fodere cœperint, P.V. dari præcipit, adeo ut urbanis ministeriis panis P.II. vel III. sufficere potuerint, cum neque fodere aut opus facere necesse haberent, & quoad pulmentaria & obsonia lautius acciperentur urbani, quam rustici servi. Dixi autem assignatos videri quotidie pa-

a *in Hortensio.* b *Epist.* 47. c *Sat.* 6. 482. d *Matthæi cap.* 18. e *Ad neophytos. Serm.* 1. f *Sat.* 14. *vers.* 126. g *Lib.* 1. *Sat.* 5. h *Sat.* 9. *vers.* 122. i *lib.* 3. *Acut.* 2. K *Tit.* 15.

A nes ad rationem Demensi, quia Demensium variavit aliquando; modo enim IV. modo IV. & S. modo V. modiorum fuit, prout ferebant & annonæ ratio, & dominorum qua splendor, qua sordes. Ab hoc autem ministerio Dispensator & aliud nomen invenit: dictus enim est A FRUMENTO. Romæ.

VOLVSIAE. ARBVSCVLAE
PALLANS Q N̄
A FRVM
CONTVBERNALI. CARISSI
MAE &c.

B &

DIS. MAN
ASCLEPIADI
ATHICTVS. L. N
A. FRVMENTO
VICARIÆ. CARISSIMÆ &c.

Idem MINISTRATOR A FRUMENTO, & ACTOR A FRUMENTO dictus est, nisi velimus, Ministratori & Actori quandoque obtigisse, ut & hoc munere, tanquam subsidiarii fungerentur. C Illud utique minime controversum est, Diaria servis exhibita fuisse. (*a*) Horatius ad villicum suum:

Cum servis urbana diaria rodere mavis.
Horum tu in numerum voto ruis. —

(*b*) Martialis:

Sed lupus usuram, puerique diaria poscunt.

Petronius ad anseres transtulit, feliciter plane ut solet: *vix ad casæ hostiolum processeram, cum ecce tres anseres sacri, qui ut puto, medio die so-* D *lebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt*. Diurnum vocat. (*c*) Seneca: *ille qui superbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait*.

Quod nisi quieris Menelæ, hac dextera occides,

diurnum accipit, in centunculo dormit. allusit (*d*) Claudianus:

Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed sua concedi jactat, gaudetque diurnos
E *Ut famulæ præbere cibos* ——

Codicem vero, in quem hæ prorogationes referebantur, *diurnum* vocat (*e*) Chrysologus; *in cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.* Et hæc diurna num adservabant illi, quos vocabant AB EPHEMERIDE? vetus marmor olim vulgatum hæc habuit.

PROC AB. EMPHEMERIDE. PROC. A
MANDATIS. PROC. ET. AD. PRAEDIA
GALLICANA. PROC. SALTVS. DOMITIANI &c.

F Fuit autem is THEOPREPON ALEXANDRI AVG. LIB. Et quidem (*f*) Isidorus affirmat, *quod Latini diurnum, Græcos Ephemerida dicere*. Diurnarii vero, quorum meminerunt (*g*) Valentinianus & Valens AA. non hujus loci sunt, sed

a *Lib.* 1. *ep.* 14. b *Lib.* 11. 109. c *Epist.* 80. d *de bello Gilden.* e *Serm.* 14. f *Lib.* 1. *origin. cap. ult.* g *Lib.* 8. *C. Theod. de chort. princ. corn.*

ejusdem cum Subscribendariis, Tabulariis, Logographis, ac Censualibus ordinis. Canon autem, cujus meminit (*a*) Salvianus, mihi compertus non est, an sit ad rationem diurnam referendus, an ad menstruum dimensum, an ad pensionem annuam, quam servi, stipendii cujusdam vice acciperent. Justa sane, quæ vocat (*b*) Columella sunt *panis, potio, vestis, manicæ, pedum tegmina*. Et hæc omnia præstare tenebatur dominus servo. (*c*) Seneca: *est aliquid, quod dominus præstare servo debeat, ut Cibaria, ut Vestiarium*. (*d*) Idem: *atqui de injuriis dominorum in servos, qui audiat, positus est, qui & sævitiam & libidinem, & in præbendo ad victum necessariis avaritiam compescat*. Affine munus Dispensatoris ministerio obivit TESSERARIUS. Tesserarum usus apud veteres in qua celebritate fuerit, nemo est qui nesciat, has qui accepissent, videntur ad Tesserarios attulisse, ut ab eis invicem reciperent frumentum, nummos, vestem, gemmas, mancipia, jumenta, & cetera hujusmodi. Romæ multi descripserunt:

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CAESARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTVS
EX HERMAEO
FRATRI. B. M.

Tesseræ cujus figuræ essent, satis indicat nomen. Materia earum Ligustrum fuit, ut asserit (*e*) Plinius. Ego eburneas vidi non paucas; & ejusmodi * unica apud me est, cujus hic exemplum



a *lib.* 4. *de gubern.* b *Lib.* 1. *Cap.* 8. c *Lib.* 3. *de benef. cap.* 21. d *cap.* 22. e *Lib.* 16. *cap.* 18.
* *Majorem harum copiam adfert Tomasinus in tractatu* de tesseris hospitalitatis, *non ita pridem a nobis publici juris facto, ex quo duas alias mutuo sumptas huc transtulimus, unam cum inscriptione MANLII MARTIALIS spectaculis itidem destinatam, alteram quam amatoriam fuisse, amantiumque nomina peculiaribus intricata notis exprimere arbitratur Olaus Wormius* in monumentis Danicis libro 22. *quem videsis*.

apposui, ut usum Tesserarum aliquem constituere possimus. Hinc patet, notas illas SP. vel SPECT. quæ doctos viros huc usque torserunt, nihil aliud significare, quam SPECTAVIT. ut detur intelligi, conductos fuisse aliquos, veluti ab Editore gladiatores insignes, rude olim donatos, spectandi gratia, non pugnandi. Et sane in his Tesseris vix aliud symbolum videas (ego sane non aliud vidi) quam fuscinarum & palmarum, quæ ad ludum gladiatorium pertinent. Vulgaverunt earum inscriptiones (*a*) alii, cum titulo nescio cujus eburnei Figlini, quod ego non satis capio. Nomina quæ in ipsis leguntur, servilia procul dubio sunt, ANTHVS, FAVSTVS, INGENVOS, OLYMPVS, REPENTINVS, HERMES, FELIX, PHILODAMVS, PILARGVRVS: & me judice, non alios innuunt, quam Tesserarios nostros, ut is cui Tessera obtigerat, haberet statim in promptu nomen erogatoris familiaris. Non pugnabo tamen admodum, si quis gladiatores qui spectabant interpretetur: pronior utique in priorem illam seu divinationem, seu conjecturam. Utut res sit, illud profecto statuendum videtur, hujusmodi Tesseras in usu fuisse, ut spectatores inde aliquid lucrarentur. (*b*) Martialis:

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,
Nunc dat SPECTATAS *Tessera longa feras.*
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos, nec laceratur avis.

Et nunc demum intelligemus, quod est apud (*c*) Gellium de Q. Fabii epistola ad Carthaginienses missa: *M. Varro autem non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa, sed duas Tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera simulacra hastæ fuerunt incisa.* (*d*) Claudianus ad has inscriptas Tesseras, & quidem eburneas, non videtur respexisse:

Tum virides Pardos, & cetera colligit Austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes
Inscripti rutilum cælato Consule nomen,
Per proceres, & vulgus eant, ——


Descripsit autem hisce carminibus Dypticha. (*e*) Valentinianus, Theodosius, & Arcadius AAA. *illud etiam constitutione solidamus, ut (exceptis Consulibus ordinariis) nulli prorsus alteri auream Sportulam, & Dyptica ex ebore dandi facultas sit: cum publica celebrantur officia, sit Sportulis nummus argenteus, alia materia Dypticbis.* (*f*) Symmachus: *quæso igitur ut ejus nomine Dypticha, & Apophoreta suscipere dignemini, qui apparatui ejus plura & præclara tribuistis; præterea domino & Principi nostro, ad referendam largitatis ejus sedulam magis, quam parem gratiam, auro circumdatum Dyptichum misi, ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & canistellis argenteis honoravi.* Et hæ Tesserarum nostrarum epigraphæ explicant nobis sententiam (*g*) Theodosii & Valentiniani: *Perissochoregiæ nomen penitus amputetur, & Tesseræ designentur, & nostræ pietatis nomine censeantur,* quod est; *felici nomine pietatis nostræ impresso signentur,* ut Imperator (*h*) Zeno alibi loquitur: non enim satis erat, ut Honorianæ vocarentur. Frumentariæ &

a *Aldus in ortogr.* b *lib.* 8. 77. c *lib.* 10. *cap.* 27. d *de laud Stilicon. Paneg.* 3. e *leg.* 1. *C. Theod. de exp. lud.* f *lib.* 2. *epist.* 80. g *leg.* 3. *C. Theod. de divers. refer.* h *leg.* 10. *c. de aquæd. lib.* 11.

ipsæ minutæ fuisse videntur; & Persius ideo Tesserulas appellat:

Publius emeruit scabiosum Tesserula Far.

parvos autem globulos ligneos, quorum meminit (*a*) Johannes Xiphilinus epitomator Dionis, qua ratione ad Tesseras referam non video; obstat enim forma. Quid autem si missilia fuerint? Et quidem ad Dionis, seu Xiphilini mentem prope accedunt eburnea quædam circularia segmenta, notis numeralibus inscripta, quæ Romæ cum essem, anno MDCVII. eruta fuerant. Sunt autem hujusmodi, expressa ex archetypis, quæ apud me domi habeo.



Lector & Spectator noster his utatur, ea lege, ut si quid occurrerit certius, candide impertiat studiosis. Vidi autem aliquando & nummos veteres Augusti & Tiberii (si recte memini) in quibus aversis hujusmodi notæ numerales conspiciebantur. Neque vero globulos illos & sphærulas e Tesserarum numero eximere consilium omnino mihi est, cum videamus non raro transire in aliam figuram res, quæ ab arte sunt, manentibus tamen primigeniis nominibus. Dispensatori nostro (ut ad illum revertamur) credita fuit Arca, ut ex ea erogaret. (*b*) Juvenalis:

—— *neque enim loculis comitantibus itur*
Ad casum tabulæ, posita sed luditur Arca,
Prælia quanta illic Dispensatore videbis
Armigero?

In summa, quoties numerandum esset, toties Dispensator accitus est. (*c*) Macrobius: *secuto omnium risu, Dispensatorem Cæsar vocavit, & sestertia centum millia Græculo numerari jussit.* Recte: viros enim Principes comitabatur & Dispensator, ut pecunia esset in promptu, & notavimus cum de Pedissequis scriberemus. Arcæ vero, & Dispensatoris adeo indiscreta ratio fuit, ut (*d*) Fabius major conjunctim retulerit; *ad summum (inquit) in Republica nostra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, sed Arca & Dispensator:* ideoque Dispensator ARCARIUS; & vice versa ARCARIUS Dispensator appellatus est (*e*) alicubi. Meminit Arcarii (*f*) Scævola: *Stichus Arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibuit:* meminit & (*g*) Chrysologus, sed tacito muneris nomine; *iterum contristatus es, quia quod habes in cœlis cogeris collocare, rogo, crede Deo tuo, qui servo credis, & magis Deo, quam*

a *Sat.* 1. b *Sat.* 1. *vers.* 89. c *lib.* 2. *Saturn. cap.* 4. d *Declam.* 345. e *Turnebus lib.* 28. *cap.* 5. f *Leg.* 41. *ff. de fideicomm. libert.* g *Serm.* 23.

homini commenda. Erastus autem ille, quem Arcarium Corinthi vocat interpres D. (*a*) Pauli, Græce *οἰκονόμος* est. Ad cujus analogiam (*b*) Arcarius, qui Romano olim Pontifici divina mysteria celebranti aderat, præerat tributis: ut & Arcarius Præfectorum (*c*) Cassiodoro, qui & Arcæ arbiter. (*d*) Zeno Veronensis huc allusit: *sane si quis aliquid desideraverit, qui recondidit, Noe omnia illi Arcarius non negavit*. Ceterum concinne admodum Juvenalis, Loculos (ut vidimus) Arcæ opposuit. Arca enim (sive (*e*) ærata, sive (*f*) ferrata) stataria fuit, Loculi mobiles & gestatorii. Et hos videtur tractasse unus quispiam e grege ministrorum. Paterfamilias apud (*g*) Scævolam; *testamento codicillisve servos manumisit, & peculia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum servum meum liberum esse volo, eique volo dari decem aureos, & quidquid ex ratione* LOCULORUM *meorum habet*. ad quem morem collineavit interpres (*h*) Joh. Evangelistæ: *dixit autem hoc* (Judas) *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, &* LOCULOS *habens, ea quæ mittebantur portabat*. apposite ad Juvenalem scribit (*i*) Asconius; *unde quia major summa est pecuniæ publicæ, quam privatæ, ut pro censu P. R. ærarium dicitur, pro Loculis & Arca, thesauri* &c. Par ministerium fuit & illius, qui CRUMENAM, & ejus qui MARSUPIUM gestabat ad nutum domini. Q. Labeo apud (*k*) Gellium; *quidam*, inquit, *L. Veratius fuit, egregie homo improbus, atque immani vecordia, is pro delectamento habebat os hominis liberi manus suæ palma verberare, eum servus sequebatur crumenam plenam assium portitans*, & rel. Apud (*l*) Plautum vero Menæchmis, Sosicles Messenionem servum alloquitur:

Ego istuc cavebo; cedo dum mihi huc marsupium.

Obfirmabantur autem Loculi clavibus. (*m*) Ulpianus: *sunt tamen quædam, quæ omnimodo legatum consequuntur, ut lectum legatum continet & fulcra: & armariis ac loculis claustra & claves cedunt*. Quandoque tamen Loculi claves tantum servabant, (*n*) Plinius: *Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, matronam, quod Loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam*. Quæ signandi consuetudo etiam ad aliud, quam ad (*o*) Lagenas transiit. Materfamilias apud (*p*) Plautum:

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

& Principes Sacerdotum apud (*q*) Matthæum Evangelistam *munierunt sepulcrum, signantes lapidem*. (*r*) Joh. Cassianus: *etiam annulos, quibus recondita præsignemus, in digitis palam gestare præsumimus, quibus non solum cistellæ, vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reservavimus, condenda sufficiunt?* At de his satis. Notandum autem est, (*s*) Dispensatorem locasse aliquando operas vicariorum, (*t*) nihil enim vetabat, quin servus vicarios, & eorum peculium, ipse in peculio habere posset; ad quam rationem Athenio Cilix Dispensator & ipse, ducentis servis præfuit, ut notavit (*u*) Diodorus. Ab Actore & Dispensatore non omnino differt PROCURATOR. Petronius: *jam ad triclinium veneramus, in cujus parte prima Procurator rationes accipiebat*. (*a*) Fabius major: *satis sit vobis (o divites) hoc vestras præstare fortunas, quod per Dispensatores fœneratis, quod familiam per Procuratores continetis*. Bonifacius martyr, Aglaidis servus, hujusmodi ministerio functus est, ut tradidit Metaphrastis interpres (*b*) Lipomanus: quem tamen (*c*) Romanæ Ecclesiæ auctoritas ingenuum facit. Stephanus autem Domitillæ Procurator, qui Domitiano Cæsari suffodit inguina, Libertus quidem fuit, ut asserit Joh. Xiphilinus; at id ex præscripto divinæ (uti appellabant) domus, cujus moribus receptum jam diu erat, ministeria servilia Libertis demandari. Et hæc dicta sint de servo Procuratore. Procurator enim liber homo, omnium alterius rerum quidam pene dominus, alienique juris vicarius, ad nos non pertinet. Procuratores CÆSARIANI (ut illos etiam obiter innuamus) innumeri pene fuerunt, digni sane ut eorum officia cum ingenti illo collibertorum omnium agmine explicentur peculiari commentario, quem nos jam nunc voto destinamus erudito alicui viro, qui stilo & meditatione hæc assequi possit. Recensentur autem in veteribus monumentis, PROCVRATIO ORNAMENTORVM; BIBLIOTHECÆ; PATRIMONII ET HEREDIT; AVRARIARVM, BALNEI FORMIS; FVNDIS CAIETAE; LAVRENTO AD ELEPHANTO; A RATIONIBVS; VILLARVM TVSCVLANARVM; SVBPROCVRATOR VICESIMÆ, & alii non pauci. At illud hic obiter velim animadverti, hujusmodi servos impegisse plerumque in meretricios scopulos, non sine magna rei dominicæ jactura. (*d*) Alfenus: *dominus Dispensatorem manumisit, postea rationes ab eo accepit, & cum de eis non constaret, comperit apud quamdam mulierculam pecuniam eum consumpsisse*. (*e*) Martialis:

Dispensatorem fallax spoliabit amica,
Mercibus extructas obruit unda rates.


Neque sane ab re commentus est apud Petronium ex tempore Eumolpus: *inter cetera apud communem amicam consumpserunt pecuniam meam, a qua illos proxima nocte extraxi mero, unguentisque perfusos. Ad summam adhuc patrimonii mei reliquias olent*. (*f*) CHRISTUS dominus huc allusit non semel, & expressit (*g*) Juvencus;

Ast ille infelix, qui obscœne luxuriatus
Tardantem contemnit herum, servosque fatigat
Verberibus, segnisque indulgens ebrietati
Luxuriosorum convivia concelebrabit &c.

Neque vero ab Actore, Procuratore, Dispensatore illi videntur esse abjungendi, quos PIGNORIBUS accipiendis, mutuis PECUNIIS dandis, fœnerandis accipiendis, & MENSÆ præpositos appellant (*h*) I. Cti nostri; Danistas & Trapezitas alii. EXACTORES hujus plane numeri sunt, (*i*) Scævola: *Stichus Arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibuit, nec postea nomen ullum fecit, quæro an si qui minus solvendo fuerint debitores, quibus alii Exactores erant applicati, nondum videatur conditioni satisfactum?* Meminit autem antiquum elogium, quod extabat olim Romæ in museo Carpenii,

a *ad Romanos cap.* 16. b *Panvinius de* 7. *urbis Eccles.* c *Lib.* 1. 10. d *ad neophyt. Serm.* 1. e *Juven. Sat.* 14 *vers.* 259. f *Sat.* II. *vers.* 26. g *Leg.* 23. *de pecul. Leg* [illegible] *Cap.* 12. i *in* 2. *contra Verr.* K *lib.* 20. *c.* 1. l *Menæchmis. act.* 2. *sc.* 1. m *Leg.* 52. *ff. de legat.* 3. n *lib.* 14. *c.* 13. o *Q. Cicero Famil. Martialis lib.* 9. 87. p *Casina. act* 2. *sc.* 1. q *Cap.* 27. r *lib.* 4. *de institut. Clericorum. c.* 15 s *Leg.* 11. *in fine, & L.* 12. *ff. de instit. act.* t *leg.* 7. §. *ult ff. de pecul.* u *Lib.* 36.

a *Declam. cit.* b *apud Sur. To.* 3. c *Lectione Breviar.* d *Leg.* 16. *ff. de ser. corr.* e *L.* 5. 42. f *Matt.* 24. *Luc.* 12. g [illegible] *l. Hist. Ev.* h *Leg. ult. ff. quod cum eo. Leg.* 19. §. *ult. ff. de instit. act. L.* 13. *eod. Leg.* 18. *ff. de solut. & liber. Leg.* 5. *in princ. ff. de institor. act.* i *Leg.* 41. *ff. de Fideicom. libertat.*



SEX. POMPEIVS FAVSTVS
SEX. POMPEI. EXACTOR.

Apud Cæsares fuit peculiaris Exactor HEREDITATVM, LEGATORVM, PECVLIORVM; ut testantur veteres inscriptiones: ad hæc Exactor AVRI, ARGENTI, ÆRIS, in officina monetæ; & Exactor OPERVM DOMINICORVM. Verum qui ratiocinium non didicisset, is excludebatur his muneribus. Petronius: *hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, dein Dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat*. Et huc forsan pertinet, ut ille, qui olim dicebatur Procurator Cæsaris, RATIONALIS ævo posteriore appellaretur. (*a*) Lampridius: *& quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, ubi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dari, vel Præpositos facere, vel Procuratores, idest Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitalem*. Is autem, cui Ratiocinium in familia obtigerat, RATIOCINATOR dicebatur, seu A RATIONIBVS. In domo Cæsarum Libertus pro more huic muneri præficiebatur: & legitur in vetere marmore Lanuvino.

T. AVRELIO
AVG. LIB
APHRODISIO
PROC. AVG.
A. RATIONIBVS

(*b*) Suetonius: *sed ante omnes* (Libertos videlicet) *Narcissum ab epistolis, & Pallantem a rationibus; quos decreto quoque Senatus, non præmiis modo ingentibus, sed & Quæstoriis, Prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est*. A calculis item, id est lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes, numeros componebant, dictus est CALCULATOR servus. (*c*) Ulpianus; *nam hujus quoque est ministerium, si forte vel Librarius, vel Miniculator, vel Calculator sit*. quæ sane ars nec ingenuos dedecuit, (*d*) Modestino teste; *μηδὲ λιβραρίυς, μηδὲ καλκυλάτορας, οὓς διαψηφιστὰς λέγομεν*. Ediscebant autem hæc pueri cum literarum primis elementis. D. (*e*) Augusti-

a *in Alexandro*. b *Claudio c.28*. c *Leg.7. ff. de oper. Libertor.* d *Leg.15. ff. de excusat. Tutor.* e *lib.1. confess. cap. 13.*

A nus: *adamaveram enim Latinas*, (literas) *non quas primi magistri, sed quas docent qui Grammatici vocantur, nam illas primas ubi legere & scribere, & numerare discitur, non minus onerosas pœnalesque habebam, quam omnes Græcas*. (*a*) Isidorus; *primordia Grammaticæ artis, literæ communes existunt, quas Librarii & Calculatores sequuntur, quorum disciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia est*. Julius Capitolinus de Helvio Pertinace Imperatore; *puer literis elementariis, & calculo imbutus*. (*b*) Horatius lepide:

B
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in parteis centum diducere: dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse Triens. heu
Rem poteris servare tuam, redit uncia: quid fit?
Semis ——

Hujus loci sunt quæ D. (*c*) Augustinus recensuit: *jam vero unum & unum duo, duo & duo quattuor, odiosa cantio mihi erat*. quæ cantio hodieque exauditur apud hosce magistellos, quos anti- C quitus Cauculones seu Calculones vocabant. Ceterum priscam illam calculandi rationem ex (*d*) Volusio Mæciano perdiscere possumus, & ex tabella numeraria, cujus formam, & usum primus omnium edidit MARCUS VELSERUS II vir Augustanus, virtutis & doctrinæ gloria præstantissimus. Romani porro Abaci, qui apud F. URSINUM extaret, meminerunt (*e*) P. CIACCONIUS, & (*f*) ANT. AUGUSTINUS Hispanorum doctissimi. Nos vero non Augustanum, sed Romanum exprimendum curavimus; tum quod illius typus, quando hæc scribebamus, ad manum minime erat; tum quod in hoc nostro notæ numerales ad D antiquas propius accedere viderentur, venustiore nescio qua, & castiore conformatione. Quod utut verum sit, illud utique certum est, publice interesse, vulgari & hunc nostrum Italicum, ut insigne antiquitatis monumentum hac iterata editione in oculos hominum incurrat, & eruditorum manibus teratur. Usus sane is est, quem satis superque indicant calculi ductiles & reductiles, capitati, undeviginti, oblongis alveolis in-

a *lib.1. origin. cap. 3.* b *epist. ad Pisonem*. c *lib. cit. cap. eod.* d *edidit Elias Vinetus*. e *In explicatione inscriptionis Duillianæ, & in l. de nummis*. f *Numism. Dial. 9.*

serti. Calculi quatuor inferiores, unitatis vim singuli obtinent, appliciti tamen numero interçælato. Superior ille singularis & unicus, item admotus quinque unitates notat. Alveoli unciarii extra ordinem sex calculos continent, quinque infra, unum supra, qui omnes XI. colligunt pro recepta unciæ divisione in XII. solemnes partes. Semuncia, sicilicus, & semisicilicus seorsum comparent. * Huc respexisse videtur (*a*) Solon, cujus extat præclara sententia, *tyrannorum familiares calculis persimiles videri: quandoque enim maximi esse, quandoque minimi precii*. & hoc Solonis dictum (*b*) Oruntes (sive is fuerit Orætes) gener Regis Artaxerxis, ad illam computandi artem retulit, quæ digitorum inflexione constat. In hac tabella novenarius eminet, cujus ea laus est, auctore (*c*) Marciano, ut primi versus finem teneat; comprobata etiam a nostris ratione, qui notas numerales Arabum, quas *Cifras* appellamus, eodem limite arctaverunt, non temere aut fortuito, sed consulto & sapienter. At multiplex usus calculorum facit, ut antiquos aliquot candidos lapillos Romæ erutos, tum minutos, tum grandiusculos, curaverim hic apponi, literis, & quibusdam aliis cælaminibus insignes. Quos ego quidem arbitror, non longe abesse ab athleticis illis calculis, quibus ex (*d*) Apocalypsi, & ejusdem enarratore Areta, lucem attulit eruditissimus (*e*) FABER. Explicito Ratiocinio, ad NEGOCIATORES veniamus: horum ita meminit (*f*) Marcianus; *legatis servis, exceptis negociatoribus, Labeo scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent negocii exercendi causa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi sunt*. Negociationes vero, ut multæ erant, ita eos qui exercebant singulari nomenclatura insignibant. Ideoque BOARIOS, PULLARIOS, FERRARIOS, ÆRARIOS, FRUMENTARIOS, VINARIOS, VESTIARIOS, SAGARIOS negociatores legimus non semel, aliosque non paucos. Pulchre (*a*) Cassiodorus: *Negociatores, quos humanæ vitæ constat necessarios, huic potestati manifestum est esse subjectos, nam quicquid in vestibus, quicquid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana potest habere preciosum, tuis ordinationibus obsecundat* &c. SARCINATORES ut huc referrem, monuit (*b*) Ulpianus; *licet mercis appellatio angustior sit, ut nec ad servos Fullones, vel Textores vel Venalitiarios pertineat, tamen Pædius lib.* XV. *scribit, ad omnes negociationes porrigendum edictum*. Nec ablegandæ videntur SARCINATRICES, quas recensuerunt Festus, & antiquus titulus,

DIS. MANIBUS
IDES
SARCINATRICIS.

Neque vero fidem faciunt fragmenta quædam, Cornelii Frontonis nomine edita, in quibus legitur, *Sartrix quæ sarcit*; *Sarcinatrix quæ sarcinas servat*: nisi hoc sarcinarum nomine veniat mundus muliebris, quod non omnino improbandum videtur, cum legatur in antiquo marmore,

JVLIA. JVCVNDA
AVG. L. SARCINATR
A. MVNDO. MVLIE. &c.

Et sane mundus hic plerumque non sarcinas modo, sed & impedimenta militaria æquaverit. At Fron-

a *Diogenes Laertius*. * *Et hactenus de numerario Romanorum abaco Pignorius, qui quod Augustanus ejusdem typus ad manum non esset, id dedit, quod potuit. Nos amplissimo Consultissimoque Viro, Domino* Henrico ab Hem JCto *præter alia plura hanc quoque gratiam debemus, ut quod Pignorio defuit, supplere per ejusdem munificentiam, & insignem erga bonas artes affectum possimus. Ergo ne fraudare publicum, & abuti per negligentiam hujus tanti viri favore & beneficio velle videamur, en tibi Lector benevole præter formam ipsum etiam abaci usum, qualem illustris* Marcus Vellerus Augustanus *exhibuit, & qualem nos ex instructissima Domini* ab Hem *bibliotheca decerpsimus. Tu quod tuo bono fit, boni consule & judica*. Adversa, *inquit*, ista abaci pars XIX. foraminibus oblongis distincta, nos alveolis dicemus. Horum octo superiores, singuli singulos claviculos ductiles habent utrimque capitatos, ne excidant: Septem inferiores, claviculos quaternos habent, octavus quinque, notæ interjectæ. Θ. I. X. C. ∞. CCIↃↃ. CCCIↃↃↃ. IXI. Præter duplicem ordinem istum, ad dextrum latus tres etiam alveoli, quorum qui S. & Ↄ. signati singulos; 2. duos claviculos habet. Claviculi itaque XLV. omnino, omnes mobiles. Partis aversæ eadem species: & quod pro foraminum ratione necesse, totidem alveoli, claviculi item hinc quoque capitati seu umbellati, ceterum notæ nullæ nec numeri, sed ad abaci angulos pro pediculis lunulæ quatuor, paullo magis quam claviculi extantes, quo hi scilicet liberi duci & reduci queant. Usus, quantumdatur intelligi, ut in XIV. alveolis quibus numeri interjecti, claviculi singuli inferiorum alveolorum, tot sive asses, sive quid aliud cujus calculus ponitur significent, quot interscriptus numerus alveoli claviculus unicus, uno plus quam inferiores omnes simul accepti. Exempli caussa, claviculi sub I. singuli singulos, nam I. unum est, omnes simul quatuor, superior autem quinque significat, ergo junctim novem colligunt: sit addendus decimus, reducentur isti claviculi, & primus sub X. movebitur, inde secundus, tertius, quartus, ad XL. usque, superior addet L. ut colligantur XC. In centenariis, millenariis, & reliquis par ratio, cum abaci numeri per classes dispositi ad novies centena millia excurrant. Alveolus sub Θ. quinque claviculos habet, totidem unciarum indices, superior una amplius hoc est sex uncias exprimit, ut unciæ XI. conficiantur, quibus si duodecima adjicienda explendo assi, reducentur isti, & ducetur sub I. unus. In tribus alveolis ad dextrum latus, singularis claviculus S. semunciam notat; singularis item Ↄ. sicilicum, hoc est quartam unciæ partem, nam Demetrius Alabaldus Ↄ. sicilici notam esse scripsit: duo demum 2. singulis duellas singulas, id est tertias unciæ partes.

b *Plutarch. in Apopht.* c *Lib.* 7. d *cap.* 2. *vers.* 17. e *lib.* 2. *Agonist. cap.* 33. f *L.* 65. *ff. de Leg.* 3.

a *lib.* 6. *variar.* 7. b *Leg.* 1 *ff. de tribut. act.*

Frontonem tuetur (*a*) Nonius. Servos etiam magistros NAVI præpositos fuisse docet (*b*) Africanus. Magistrum autem navis accipere debemus eum, cui totius navis cura mandata est. Magistri vero imponuntur locandis navibus, vel mercibus, aut vectoribus conducendis, armamentisve emendis: & hoc est a servo navem exerceri, ut apud (*c*) Jul. Paulum legimus. Et quoniam, ut superius attigimus, quæstus non modicus ex mancipiis venalibus proveniebat, erant in familia & VENALITIARII, alias VENALICII. Venalitium autem fuit etiam loci nomen, ut apud Petronium, in quo tituli aliquando pingebantur: in (*d*) titulo autem ex edicto Ædilium Curulium scribebantur morbi, vitiaque mancipiorum, & quidquid aliud emptoris intererat non nescire. (*e*) Seneca hoc ubi voluit: *stare ante limen Calixti dominum suum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* (*f*) Suetonius; *nam apud majores* (ait) *cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem litteratum in titulo, sed litteratorem inscribi solitum esse; quasi non perfectum litteris, sed imbutum.* (*g*) Petrus Chrysologus: *hoc implebat Paulus, qui servitutis suæ titulos sic scribebat: usque ad hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.* Pendebat autem aliquando hic titulus per colla. (*h*) Propertius:

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cum saliere foro.

Et hæc quidem de titulo. Venalium autem nomine peculariter veniebant servi novitii. (*i*) Quintilianus: *item quod commune est & aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur; ut urbem, Romam accipimus: & venales, Novitios; & Corinthia, æra.* Mangonum fraudes & imposturas si quis adhuc aveat recenseri, (*k*) Senecam audiat: *mangones, quidquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt, itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum, sive brachium aspiceres, nudari juberes, & ipsum tibi corpus ostendi.* Thoranius sane ut Antonium circumscripserit, prodidit (*l*) Plinius. Illa translatitia erat, & quæ ad omnes venales aptaretur (*m*(cantilena;

——*hic est*
Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos.

ut,

Verna ministeriis ad nutus aptus beriles,
Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet.——

affinia illis (*n*) Terentianis:

——*fac periculum in litteris,*
Fac in Palæstra, in Musicis: quæ liberum
Scire æquom est adulescentem, sollertem dabo.

(*o*) Ulpianus: *sciendum tamen est, quædam, & si dixerit, præstare eum non debere: scilicet ea quæ ad nudam laudem servi pertinent, veluti si dixerit frugi, probum, dicto audientem.* De his satis dictum. Deinceps ad INSTITORES transeamus. *Institoris est* (inquiunt (*a*) Paulus & Ulpianus) *qui tabernæ, locove, ad emendum vendendumve præponitur:* hujusmodi verborum extat mentio in in hæc verba; (*b*) *Servus cujus mihi usus legatus est, acquirit mihi, si institor sit, & operis ejus utar in taberna.* (*c*) item: *si duo, plusve tabernam exerceant, & servum quem ex disparibus habebant partibus, institorem præposuerint* &c. Veteres autem auctores (quod ego quidem observarim) meminerunt tabernarum, *casiariæ, cauponiæ, fulloniæ, laoniæ, pistoriæ, unguentariæ, diversoriæ, pellesuinæ, sutrinæ, purpurariæ, argentariæ, vinariæ, cretariæ, & medicinæ exercendæ causa.* In tabernis videtur fuisse canis custodiæ gratia. (*d*) Paulus JCs. *si quis aliquem evitans, magistratum forte, in tabernam proximam se immisisset, ibique a cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine quidam putant: at si solutus fuisset, contra.* Illud sane notandum est, in tabernis quandoque fuisse adfixos (*e*) titulos, qui cum aliquo servo prohiberent negocium geri. Horum opera stataria & sedentaria videtur fuisse, ut ideo vestes non succingerent, sed demitterent. Vertumnus apud (*f*) Propertium canit de se ipso,

——*& ibo*
Mundus, demissis Institor in tunicis.

Ceterum (*g*) Ulpianus cum Institoribus enumerat INSULARIUM; ÆDIFICIO, vel FRUMENTO emendo præpositum; PECUNIIS FENERANDIS; AGRIS COLENDIS; MERCATURIS REDEMPTURISQ. faciendis &c. De Insulario nos infra. Quod ad redempturas attinet, lepide (*h*) Juvenalis:

——*vivant Artorius isthic*
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est ædem conducere, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.

CIRCITORES, quorum item meminit (*i*) Ulpianus, sunt, quibus *Vestiarii, vel Lintearii dant vestem circumferendam, distrahendamque.* Extat antiquus lapis Romæ ad D. Balbinæ ita inscriptus:

✠ LOCVS OPORTV
NI CIRCITORIS CON
IVGISQVE EIVS ALBI
NAE ATQVE FILIORVM
EORVM PALATINAE
ET VRBICI

REQVIESCENTIVM
IN PACE

His omnibus adjungemus servum merci (*k*) OLEARIÆ præpositum, cujusmodi legitur in veteri marmore CRESCENS quidam natione Bessus. Hi negociatores, quorum ministeria, uti & superiorum pertexuit (*l*) Philo: *alios servili natos genere, benignitas fortunæ promovit ad ingenuorum officia,*

a *Saretnatrices.* b *Leg. ult. ff. de exerc. act.* ναυκλήρους *vocat Plutarch.* c *Leg. 19. §. si servus ff. de noxal. action.* d *Gell. lib. 4. cap. 2.* e *Epist. 47.* f *de ill. Gram. cap. 4.* g *Serm. 141.* h *Lib. 4. el. 5.* i *Lib. 8. c. 2.* k *Epist. 80.* l *lib. 7. cap. 12.* m *Horat. lib. 2. Epist. 2.* n *Eunucho. act. 3. sc. 2.* o *L. 19. ff. ædil. ed.*

a *Leg. 18. & 3. ff. de Instit. act.* b *Leg. 2. ff. de usu & habit.* c *Leg. 13. §. 2. ff. de instit. act.* d *Leg. 2. §. 1. ff. si quadr. paup. fec. dic.* e *Leg. 47. ff. de pecul.* f *lib. 4. eleg. 2.* g *Leg. ff. de instit. act.* h *Sat. 3. vers. 29.* i *loco citato.* k *L. 13. ff. de Instit. act.* l *Quod omnis probus liber.*

fiunt enim procuratores in amplis opibus, interdum etiam conservis praficiuntur ceteris; quibusdam uxorum, pupillorumque berilium tutela commissa est, ob spectatam ipsorum fidem, postbabitis amicis & necessariis; nihilominus tractant servilia, fænerantur, emptitant, reditus colligunt, patronos suos demerentur obsequiis. Reliqui sunt ARTIFICES, e quibus dominus non voluptatem modo consequi, sed & lucrum facere, operas eorum locando consueverat: GLADIATORES, AGITATORES, FUNAMBULI, PALÆSTRITÆ & alii hujus generis. GLADIATORES seu ARENARII in familia privata fuerunt non raro. (*a*) Cornel. Tacitus: *& singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiæque concivit, ut pars militum Gladiatores, qui e servitio Blæsi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincerent*. Gladiator apud (*b*) Quintilianum: *certa enim arenæ destinabar victima, nemo Munerario vilius steterat*. (*c*) Asconius; *sequebatur eos magnum servorum agmen, inter quos Gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, & Birria*. De servo AGITATORE hæc (*d*) Paulus: *plane si in tantum precium excessisse proponas, ut non sit cogitatum a venditore de tanta summa, veluti si ponas Agitatorem postea factum*. quæ verba is intelliget, qui apud (*e*) Suetonium legerit, *Agitatori Cytbico comessatione quadam in apophoretis vicies* HS *collata*, & in veteribus monumentis notaverit, præmia decreta M. Aurelio Diocli Agitatori factionis russatæ. FUNAMBULI meminit (*f*) Labeo. Et hic est, quem Schœnobaten vocat (*g*) Juvenalis, Funirepum (*h*) Appulejus. Transtulit autem eleganter (*i*) M. Cœlius; *ego qui scirem Q. Pompejum Baulis schœnobaticam facere, & usque eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus*. Schœnobaticam dixit facere Pompejum, quod iis premeretur angustiis rei familiaris, ut illi pedes, quod Funambuli solent, diducere non liceat: hoc plane est (*k*) Tullianum illud: *quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres?* PALÆSTRITAM servum recensuit (*l*) Martialis:

At ille sima nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici Palæstritæ.

(*m*) Ulpianus: *nam si Librarium rus mittat, & qualum, & calcem portare cogat, vel Histrionem Balneatorem faciat, vel de Symphoniaco Atriensem, vel de Palæstra, stercorandis latrinis præponat, abuti videbitur proprietate*. (*n*) Seneca: *accedunt pessimæ notæ mancipia in magisterium recepta; homines inter oleum & vinum occupati, quibus ad votum dies est actus, si bene desudaverunt*. At hic nescio an collocandi sint MAGICI pueri, cujusmodi recenset (*o*) Appulejus Nigidianos, & nescio quos alios pueros. *Puella* certe in historia (*p*) Apostolica, quæ *habens spiritum Pythonem, quæstum magnum præstabat dominis suis divinando*; & servus apud (*q*) Jurisconsultum, *qui inter fanaticos caput aliquando jactavit, & aliqua profatus est*, huc pertinent. Nec non & servus ille, cujus meminit (*r*) Porphyrius, qui locutiones avium optime perciperet. Et hi quidem artifices fuerunt voluptatum. Qui sequuntur, usui & cultui Patrisfamilias & Familiarium, lucroque inserviebant. PICTURAM servitiis interdictam apud Græcos,

A Romani servis suis, ut sibi haberent (*a*) permiserunt. (*b*) Juvenalis cum CÆLATORE domestico Pictorem conjungens;

Sit mibi præterea curvus Cælator, & alter
Qui multas facies pingat cito.

(*c*) Marcianus: *Pictoris instrumento legato, ceræ, colores, similiaque borum legato cedunt*. (*d*) Jul. Paulus: *instrumento Pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vasa debebuntur*. Ceras & cauteria ad Encausticen refero, cujus præter Varronem, Vitruvium, Plinium,
B Flaccum, Statium, Appulejum, Ausonium, Prudentium, ita meminit (*e*) Ovidius;

Quique moves cælum, tabulamque coloribus unis,
Quique facis docta mollia saxa manu.

quorum quidem versuum priorem illum fuit qui legeret,

Quique moves cæstrum. ——

C submonente (*f*) Plinio; *Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera constat: cera, & in ebore cæstro, id est viriculo*. Idem (*g*) auctor: *Lala Cyzicena perpetua virgo, M Varronis juventa, Romæ & penicillo pinxit, & cæstro in ebore imagines mulierum maxime*. Sed pro vulgata lectione stat (*h*) Servius ad illa:

—— *cælataque in auro*
Fortia facta patrum. ——

scribit namque: *insculpta, tamen boc nomen in principali aliam babet naturam, in derivatione mutat: nam cœlum est unde operantur argentarii: quod*
D *producitur naturaliter* &c. nihil ergo apud Ovidium mutamus. Et quoniam Roma, quod & hodie experimur, lutulenta hyeme fuit, æstate pulverulenta, ideo vestes exegerunt & ipsæ Balneatores suos, FULLONES videlicet; eosque non raro familiares. (*i*) Jabolenus: *qui babebat Flaccum Fullonem, & Philonicum Pistorem, uxori Flaccum Pistorem legaverat*. (*k*) Ulpianus tamen negociatoribus adcensuit. (*l*) Varro adscripsit rusticæ familiæ, nec male, quia & ruri eorum usus fuit, & ex artificio negotium prodit. Horum officinæ, Fullonicæ, & Fullonica dicebantur, in
E Fullonia sane natus est (*m*) Andriscus, qui dubium liber an servus, regium nomen animo regio implevit. hujus classis erunt & TEXTORES. (*n*) Marcianus: *si unus servus plura artificia sciat, & alii Coci legati fuerint, alii Textores, alii Lecticarii, ei cedere servum dicendum est, cui legati sunt in quo artificio plerumque versabatur*. (*o*) Suetonius; *Remmius Palæmon Vicentinus, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde berilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicit*. Textori succedet Phrygio. (*p*) Titinnius;

F *Phrygio fui primo, beneque id opus scivi:*
Reliqui acus, aciasque bero, atque beræ nostræ.

a *Annal. lib.* 1. *cap.* 23. b *Declam.* 9. c *in argumento Millon.* d *Leg.* 43. *ff. de action. empti.* e *Cajo c.* 55. f *Leg.* 54. *ff. de act. empti.* g *Sat.* 3. h *lib.* 4. *Floridor.* i *lib.* 8. *ep.* 1. k 2. *Phil.* l *Lib.* 6. 39. m *Leg.* 5. *ff. de usufr.* n *Eph.* 15. o *Apolog.* p *Actor. c.* 16. *vers* 16. q *Leg.* 1. §. 9. *ff. de ædil. edict.* r *de abstin. lib.* 3. *Lege & Cedrenum in Michaele Curopalata.*

a *lib.* 35. *cap.* 10. *Plin.* b *Sat.* 9. *vers.* 145. c *Leg.* 17. *ff. de instruct. vel instr. legato.* d *lib.* 3. *Sent.* e *lib.* 3. *Fastorum.* f *lib.* 35. *cap.* 11. g *ibid.* h *Lib.* 1. *Æn.* 644. i *Leg. penult. ff. de reb. dub.* k *Leg.* 1. §. 1. *ff. de tribut. act.* l *lib.* 1. *de R. R. cap.* 16. m *Ammianus extremo lib.* 14. n *Leg.* 65. §. 2. *ff. de Leg.* 3. o *de ill. Gramm. c.* 23. p *Nonius.*

Agmen claudent SUTOR & CERDO. de Sutore (*a*) Martialis:

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum;
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.

ut quia ex Ergastulo fuisset. (*b*) Jurisconsultus *hoc amplius eidem alumno meo hominem collactaneum, & vernam Sutorem, qui eum artificio suo, mercede delata, alere possit*: hujus instrumentum erant scalpra, & formæ. (*c*) Horatius:

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli:
Si Scalpra, & Formas non Sutor ——

(*d*) Ulpianus: *si Sutor puero parum bene facienti, forma calcei tam vehementer cervicem percusserit, ut ei oculus effunderetur, esse ex locato actionem patri ejus*. Opera fuerunt Caligæ, Sandalia, Soleæ, Crepidæ, Calcei; a quibus SOLEARII, SANDALIARII, SUTORES CALIGARII dicti sunt. (*e*) Horatius;

—— *sapiens crepidas sibi numquam,*
Nec soleas fecit: Sutor tamen est sapiens. ——

(*f*) Phædrus elegantissimus fabulator, de malo Sutore medicum professo,

Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiserit pedes?

De Sutore autem Cæsariano festiva extat narratiuncula apud (*g*) Arrianum. Servi CERDONIS meminit (*h*) Papinianus, nisi tamen ibi Cerdo proprium nomen hominis sit, non artificii. Marcionis enim magistrum, illum cujus meminerunt Philastrius & Theodoretus, Cerdonem nominatum fuisse legimus. Ceterum Cerdoni subulam tribuit (*i*) Martialis;

Das Gladiatores, Sutorum regule, Cerdo,
Quodque tibi tribuit Subula, Sica rapit.

At ne quis dominarum nos omnino oblitos putet, lustrabimus mollem hanc & delicatam legionem, de qua apud (*k*) Tacitum legitur justa Severi Cæcinnæ conquestio; *inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant*. Et sane mater Juliani martyris apud (*l*) Surium, *in publicum prodit cum innumerabili familia utriusque sexus*. Nec hyperbolice quidem locutus est Cæcinna, si (*m*) Ammianum Marcellinum audimus, qui matronarum comites recenset, Textrices, Coquos, Spadones, & universum promiscue servitium. Respexit huc (*n*) Juvenalis,

—— *gravis occursu, teterrima vultu,*
Balnea nocte subit, conchas, & castra moveri
Nocte jubet.

a *Lib. 9. 5.* b *Leg. 78. §. heredum ff. ad SC. Trebellian.* c *lib. 2. Sat. 3.* d *Leg. 5. §. 3. ff. ad leg. Aquill. Leg. 14. ff. locati conduct.* e *lib. 1. Sat. 3.* f *lib. 1. fabular. 14.* g *in Epist. lib. 1. cap. 19.* h *Leg. 42. ff. de oper. Libert.* i *lib. 3. Epigr. 16.* k *lib. 3. Annal.* l *Tomo 1.* m *Lib. 14.* n *Sat. 6. v. 417.*

Castra appellat agmen immodicum. Ejus nunc nos officia explicabimus, sive illa ministeria sint, & ab EUNUCHIS exordiemur, qui in familia Palatina:

—— *præfecti gemmis, vestique dabantur*
Custodes, sacroque adbibere silentia somno.

ut cecinit (*a*) Claudianus: præter quæ (*b*) Corippus:

Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deservire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare supernis,
Conservare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, vestesque parare.

Tetigit sane Corippus munera Eunuchorum, inter quæ recensuit custodiam Lectorum cubicularium, & eorumdem ornatum: quod & privatis dominis jam olim placuit. (*c*) Appulejus: *Dii boni! qualis ille, quamque præclarus apparatus! Quatuor Eunuchi confestim pulvillis compluribus ventose tumentibus, pluma delicata, terrestre nobis cubitum præstruunt: sed & stragula veste, auro ac murice Tyrio depicta, probe consternunt*. Imo & in hunc usum paratæ erant ancillæ; (*d*) Virgilius;

Nec victoris beri tetigit captiva cubile.

Agamemnon apud (*e*) Homerum,

Τὴν δ' ἐγὼ ὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν,
Ημετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Αργεῖ τηλόθι πάτρης
Ιςὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Et licet harum opera ad officium corporis, concubitumque referri possit, & debeat; perspicue tamen Ariadna apud (*f*) Catullum,

Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis:
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.

Neque vero honorifico muneri non accessit honorifica appellatio: siquidem Chrysaphius, qui a (*g*) Marcellino comite Eunuchus dicitur, (*h*) Victori Tunnunensi PRÆPOSITUS Imperatoris est; & Johannes, & Paulus clarissimi martyres Eunuchi, Præpositus alter, PRIMICERIUS alter a (*i*) Terentiano, qui eorum gesta conscripsit, appellantur. Præpositum, cubiculo intelligo. (*k*) Martyrologium Romanum: *item Romæ, via Appia, natalis sanctorum Caloceri & Parthenii eunuchorum, quorum prior cum esset Præpositus cubiculi uxoris Decii imperatoris, alter vero alterius muneris Primicerius, nolentes idolis sacrificare, ab eodem occisi sunt*. D. (*l*) Ambrosius; *denique etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi, mandare mihi ausus est; me vivo tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo: respondi, Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris, ego enim patiar quod Episcopi: tu facies quod Spadones*. Et sane impotenti quodam dominatu Spadones Imperio tunc, & longe ante incubuerant. (*m*) Ammianus de Constantio Augusto; *uxoribus ac*

a *in Eutrop.* b *Lib. 3.* c *lib. 10. metam.* d *lib. 3. Æn.* e *Iliad. A. 29.* f *de nuptiis Pelei & Thetidos.* g *in Chron.* h *Chron.* i *Sur. Tom. 5.* k *19. Maii.* l *in epistol. ad Marcell.* d *Lib. 21.*

Spadonum gracilentis vocibus, & Palatinis quibuscum nimium quantum addictus. Egregie (*a*) Alexander Severus, qui *Eunuchos de ministerio suo abjecit, & uxori ut servos servire jussit, & cum Elagabalus mancipium Eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit, nec quidquam in Palatio curare voluit, nisi balneas fœminarum, cum plerosque Eunuchos Rationibus, & Procurationibus præposuisset Elagabalus, his ille & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum Eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a fœminis nobilibus*. Ex hoc luto, seu cœnum malumus appellare, eruit quandoque DEUS Opt. Max. preciosissimas gemmas, ut de Johanne & Paulo, de Calocero & Parthenio vidimus, qui vitam pro Christi nomine profuderunt. (*b*) Nereus itidem, & Achilleus Eunuchi cubicularii Fl. Domitillæ nobilissimæ virginis, cervices pro veritate & pietate fortissime dederunt. Apud eosdem Cæsares Eunuchi aliquando functi sunt officio Prægustatorum. (*c*) Suetonius: *quidam tradunt, epulanti in arce cum Sacerdotibus, per Halotum Spadonem Prægustatorem: alii domestico convivio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum, avidissimo ciborum talium obtulerat*. Pocillatores etiam non raro fuerunt. (*d*) Tacitus: *id Druso datum* (venenum) *per Lygdum Spadonem, ut octo post annos cognitum est*. SILENTIARIOS etiam fuisse Eunuchos, faciunt ut credam verba Claudiani, quæ nuper citavimus:

—— *jacenque adhibere silentia somno*.

QVIETIS ministros dixisset (*e*) Procopius: quo munere an functi fuerint etiam in familia privata, mihi quidem non omnino liquet. Neque vero hoc prorsus abnuerim, cum apud (*f*) Salvianum mentio extet silentiariorum: *pavent quippe Actores, pavent Silentiarios, pavent Procuratores; prope ut inter istos omnes, nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur*. Et hæc nomenclatura Præfecturæ, quæ conservis silentium commendabat, utique videtur vel cum ipso Salviano, vel paulo ante ipsum in lucem prodiisse. Quod enim ad (*g*) Senecam referunt nonnulli, magisterium magis, quam nomenclaturam indicat. *Virga* enim apud Senecam, *qua murmur omne famulorum compescebatur*, videtur fuisse insigne Tricliniarcharum in ipso Triclinio, extra quod Actoribus, seu Dispensatoribus conveniret; docente (*h*) Ammiano Marcellino, qui præpositos urbanæ familiæ, digerentes comitatum matronarum prodeuntium, dextris aptata virga insignes recenset. Nota autem est virga & arundo Janitoris apud Petronium & Senecam. Affines Silentiariis sunt illi, quos ad SOMNUM appellat (*i*) Curtius: *at ne in vicinia quidem diversorii quemquam commilitonum receptum esse; sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa murmurantium inter se silentio verius quam sono excitaretur*. In Palatio, ut diximus, Eunuchis gravissimarum rerum tractatio credita est; ideoque Claudio Cæsari (*k*) Narcissus ab epistolis fuit, quem Eunuchum fuisse adnotavit antiquus (*l*) Scholiastes Juvenalis, & quidem ditissimum, ad summam, nihil omnino fuit, quod non illis pateret. Apud privatos custodiebant pueros, Pedagogorum vicibus functi:

a *Æl. Lamprid. cap.* 23. b *Sur.* 10. 3. c *Claudio cap.* 44. d *lib.* 4. *Anna.* e *lib.* 2. *de bel. Perf.* f *lib.* 4. *de Gubern.* g *Epist* 47. h *Lib.* 14. i *Lib.* 6. k *Sueton. Claudio cap.* 28. l *Sat.* 14. *in fin.*

nec aliter interpretantur illud (*a*) Juvenalis veteres Glossæ,

Discipuli custos præmordet Acœnonœtus,

quam de Eunucho dictum esse Pædagogo, & Papate, cujus proprium sit communi sensu carere. PAPAS ergo Pædagogus est: & hinc datur intelligi quid sibi velint (*b*) Acta Viti, & Modesti martyrum; *Angelus autem Domini apparuit Papati ejus religioso viro, Modesto nomine*: confirmant hoc glossæ quæ feruntur Isidori; *Papas Pædagogus qui sequitur studentes*. Tuebantur præterea mulierum pudicitiam, licet aliquando nomine tenus. (*c*) Terentius:

Edicit ne vir quisquam ad eam adeat: & mihi
ne abscedam imperat.

Aderant lavanti dominæ. (*d*) Claudianus:

—— *Eous rector, Consulque futurus*
Pectebat dominæ crines, & sæpe lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ:
Et cum se rapido fessam projecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.

ubi quod ad LYMPHAM attinet, cum venia honestarum matronarum, monebimus Lectorem, (*e*) AQUARIOS, AQUARIOLOS, & BACCARIONES huic loco deberi. Et in hujus interioris tutelæ gratiam dicti custodes sunt. (*f*) Juvenalis:

—— *decipit illa*
Custodes, aut ære domat, ——

Hinc magno in precio erant, non tantum apud Barbaros, sed & apud Romanos. Apud (*g*) Pharaonem præpositus Pincernis, & magister Pistorum eunuchi fuerunt. Hermotimus apud (*h*) Xerxem in maximo honore est habitus. (*i*) Bagoas apud Alexandrum nihil non potuit. (*k*) Usthazanes, Persa martyr, Saporis Regis nutricius, principem locum in familia regia obtiiunt. (*l*) Eunuchus, quem Philippus baptizavit, fuit δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης τῶν αἰθιόπων, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. de hoc (*m*) Arator ita cecinit.

Angelus alloquitur plenum virtute Philippum,
Australem celerare viam, qua Spado jugatis
Æthiopum pergebat equis, qui fidus in aula
Reginæ servabat opes ——

(*n*) Terentius ab eodem precio inducit Phædriam exprobrantem Thaidi.

—— *porro Eunuchum dixti velle te,*
Quia solæ utuntur his Reginæ: repperi.

Quocirca Imperator (*o*) Aurelianus *Eunuchorum modum pro Senatoriis professionibus statuit, idcirco quod ad ingentia pretia pervenissent*. (*p*) Ulpianus: *& si puerum quis castraverit, & preciosiorem fecerit, Julianus scribit cessare Aquilliam*. Et hæc sane, ut pleraque alia, (*q*) Justinianus Cæsar

a *Sat.* 7. *ver.* 218. b *Sur. To.* 3. c *Eunucho. act.* 3. *sc.* 5. d *in Eutrop. lib.* 1. e *Scaliger ad Festum, Turnebus lib.* 14. *Adver. cap.* 12. f *Sat.* 6. g *Gen. cap.* 40. h *Lib.* 8. i *Curt. lib.* 10. k *Sur. Tom.* 2. *& martyrol. Rom.* 21. *April.* l *Acta Apostol. cap.* 8. m *Lib.* 1. n *Eunucho.* 1. *sc.* 2. o *Vopiscus. cap.* 49. p *Leg.* 27. §. *& puerum ff. ad L. Aquill.* q *Lib.* 3. *C. comm. Leg. L.* 1. §. 5. *Cod. de comm. servo man.*

moderatus est, qui Eunuchos, ætatis & artificii habita ratione, XXX. L. & LXX. solidis æstimari voluit. Ne videlicet essent amplius, qui C. (*a*) Ælio Sejano inviderent, enormi comparatum pecunia nescio quem ex hoc semivirorum, vel potius fœminivirorum grege. Olim quidem pœna legis (*b*) Corneliæ tenebatur, qui hominem castravisset; ut sileamus mali ominis fuisse amputare sibi virilia, etiam (*c*) religionis causa. Et quamvis (*d*) Domitianus, & (*e*) Nerva Cæsares castrari mares vetuerint, prævalente tamen luxu, antiquatum est quidquid illi edixerunt. (*f*) Constantinus profecto & ipse inhibuit, pœna capitis proposita. (*g*) Leo autem Augustus Romanos nusquam, Barbaros alicubi secari permisit. Scilicet aula Constantinopolitana his carere non poterat diu; notat enim (*h*) Luitprandus, se Imp. Constantino obtulisse Loricas optimas novem, Scuta optima cum bullis deauratis septem, Cuppas argenteas deauratas duas, enses, lanceas, verua, mancipia quattuor Carsamatia, Imperatori nominatis omnibus preciosiora. *Carsamatium autem Græci vocant* (inquit ille) *amputatis virilibus & virga, puerum Eunuchum, quos Verdunenses mercatores ob immensum lucrum facere solent, & in Hispaniam ducere*. Et sane animadversione indignum non est, Eunuchis in Oriente continua quadam serie, in Regum animos, corpora, opes, caritates, magnum semper aditum patuisse; horum mores brevi elogio expressit (*i*) Ammianus Marcellinus his verbis; *quod si Numa Pompilius vel Socrates bona quædam dicerent de Spadone, dictisque religionum adderent fidem, a veritate descivisse arguerentur*. Ab his factitiis fœminis ibimus ad naturales & legitimas, e quarum numero OBSTETRICES taxavit (*k*) Justinianus Imperator solidis LX. meminerunt veteres inscriptiones:

SEX. POMPEIVS
SEX. L. DAPHNIS
GRAM
CHLOE. POMPEIAE
APPI. OPST

& in eodem marmore,

ATIA. DYNAMIS
OPST

alibi,

SALLVSTIA. Q. L. IMERIA
OPSTETRIX

Porro ad hanc rationem scribendi, verbi etymon direxit (*l*) Donatus; *quæ opem tulerit parienti, opstetrix dicitur, unde & parturientes fer opem clamant*. ADSTETRIX quæ dicitur, perierat, nisi (*m*) CUJACIUS vir magnus, utique servavisset; hujus officium tangit (*n*) Ovidius:

Una ministrarum media de plebe Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis,
Officiis dilecta suis. ——

& post Ovidium D. (*o*) Hieronymus: *ipsum jactant assidere lectulo, obstetrices adhibere languenti, portare matulam, calefacere lintea, plicare fasciolas*. His succedunt NUTRICES. (*p*) Tacitus: *at*

a *Plin. lib. 7. cap. 39.* b *Leg. 3. §. 4. 5. & 6. ad L. Cornel. de Sicar.* c *Jul. Obsequens.* d *Statius lib. 4. Sylv.* e *Dion. lib. 68.* f *Leg. 1. Cod. de Eunuh.* g *Leg. 2. Cod eod. tit.* h *Rer. per Europam gestarum lib. 6. cap. 3.* i *Lib. 16.* k *Leg. 3. Cod. comm. de legat.* l *apud Terentium in Andria.* m *in commenta. ad Tit. de ver. sign. Leg. 236.* n *lib. 9. metam.* o *lib. 2. epistolar. select. ep. 9.* p *in Dial de causis corr. Eloq. cap. 29.*

A *nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus, aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus*. Favorinus apud (*a*) Gellium; *præsertim si ista, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut serva aut servilis est, ut plerumque solet, externæ atque barbaræ nationis*. D. (*b*) Hieronymus ex Theophrasto: *vocanda domina, celebrandus natalis ejus, jurandum per salutem illius, ut sit superstes, optandum, honoranda Nutrix ejus, &* GERULA. & de hac idem ipse (*c*) Hieronymus. *Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula, habeat modestam gerulam, nutricium gravem*. Neque vero videtur hæc opera discreta B semper fuisse, cum quæ fuit Nutrix, fuerit eadem & Gerula. (*d*) Plautus:

Nutrices pueros infantis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne & ipsæ sitiant, & pueri pereant fame.

Et hæ Nutrices fuerunt re & nomine; illæ honorariæ, & ut ita dicam, nominales, quæ diligentiam infantibus, & munditiam adhibebant, ut loquitur antiquus glossator ad illud (*e*) Juvenalis:

C *Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ.*

Quod autem (*f*) vir doctus & eruditus notavit, a Scholiaste Sophoclis, in Ajace flagellifero, vocari παιδαγωγούς, sive παιδοτρίβας, βαϊούλους ideo, quod bajuli essent servi, & quia servi ad docendos pueros olim adhiberentur, id sane mihi suspectum est. Bajuli enim ibi GERULI sunt, NUTRITORES, & NUTRICII; hoc nomine appellati, quod bajulent gestentque ulnis pueros. Et hinc (*g*) in aula Constantinopolitana fuit olim magnus Bajulus. Italice hi sunt *Balio*, & *Balia*, D sive, ut nostrates vocant, *Bailo* & *Baila*, quæ apud Vicetinos *Bela* est, a verbo Latino antiquo (*h*) *Beolare*, quod est βαστάζειν. Hujus loci CUNARIA est a cunis dicta ut videtur, veluti & (*i*) Cunina quam Deam vocabant, infantium in cunis tutricem, & fascini summotricem; vetus lapis:

D M
TEIAE. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMAE. CVNA
RIAE. RVFINAE. V. V. &c.

E Alludit huc D. (*k*) Hieronymus; *jam tibi & scalæ, per quas deponeres miseram, parabantur: jam iter dispositum, decreta navigia, condicta dies, fuga animo pertractata, & ecce Angelus ille cubiculi Mariæ Janitor, Cunarum Domini custos, & infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit*. (*l*) Martialis: *Cunarum fueras motor Charideme mearum*: & hic proprie CUNARIUS. EDUCATOREM hic ratione contubernii interseremus. (*m*) Justinianus: *justæ autem manumissionis causæ hæ sunt, veluti si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratres sororesve naturales, aut pædagogum, aut Nutricem, aut Educatorem, aut Alumnum* &c. (*n*) Appulejus: F *ego sum Byrrhena illa, cujus forte sæpicule nomen inter tuos frequentatum Educatores retines*: & hic idem, qui NUTRITOR, & NUTRICIUS. (*o*) Acta

a *lib. 12. cap. 1.* b *lib. 1. advers. Jovinian.* c *ad Lætam.* d *Prologo Pænuli.* *Turneb. lib. 28. adver. cap. 6.* e *Sat. 14.* *Non. Marcellus in ASSAS.* f *B. Vulcan. ad Appul. le Mundo.* g *Georgius Codinus.* h *Glossarium.* i *Lactant. lib. 1. cap. 20.* k *ad Sabinianum Diaconum.* l *lib. 11. 40.* m *l. 1. Institut. Tit. 6.* n *l. 2. Metam.* o *Sur. 10. 3.*

Nerei, & Achillei martyrum: *eorum autem corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, Nutritor sanctæ virginis Domitillæ.* (*a*) Cæsar: *erat in procuratione Regni propter ætatem pueri, nutricius ejus eunuchus, nomine Photinus.* Porro Nutrices & Nutricios TATAS & MAMMAS appellabant. Romæ:

DIS. M.
ZETHO. CORINTHVS
TATA. EIVS. ET. NICE
MAMMA. F.
V. A. I. DXVI.

Egregie vero (*b*) Petrus Chrysologus; *Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in parvulum, numquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, sensus seponit, infirmat viscera, abjicit vires; membra dissolvit, gressum tardat, gestit non ambulare, sed repere, ridere simulat, timere fingit, flere mentitur; quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus.* D. (*c*) Hieronymus: *nunc & Gerula quondam, jam anus; & nutricius, secundus post naturalem pietatem pater, clamitat, morituros expecta paulisper, & sepeli, forsitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens* MAMMÆ *lallare congeminet.* Lalla autem solemnis est nænia Nutricum. (*d*) Cornutus ad Persium: *aut cur a Nutrice jussus dormire ploras? quæ infantibus ut dormiant, solent dicere sæpe, lalla, lalla; aut dormi, aut lacte.* Et hæc cantio apud nostrates Mammas etiam hodie exauditur. Hujus ordinis funt ALUMNUS, & COLLACTANEUS. de hoc D. (*e*) Hieronymus: *nec Procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidulus, & rubicundulus assecla, adhæreat lateri tuo:* de illo (*f*) Ulpianus: *denique concubinam, filios naturales, alumnos, constitit generali obligatione non contineri, & si qua alia sunt hujusmodi ministeria.* de ALUMNA (*g*) Jul. Paulus: *in testamento, quod perfectum non erat, Alumnæ suæ libertatem & fideicommissa dedit.* Collactaneus autem in veteribus monumentis, *Collacteus* & *Colactius* appellatur. Parmæ, ubi descripsimus oculata fide:

D M
KALOCERVS
PVBLICVS
ELAENO
COLACTIO
B . M

Romæ in hortis Cyriaci Matthesii:

COMMVNIO VERNA
ANTONIAE AVGVSTAE
V. A. II. MES. X
COLLACTEVS. DRVSI
BLANDI. F

Juvenalis & Marcianus Capella Collactaneam, Collacteam vocant. (*h*) Ille,

Tullia quid dicat notæ Collactea Mauræ.

(*i*) hic: *sed quod sororis ejus Collactea, & indiscreto amica fœdere videretur.* Hoc fuit eandem Nutricem simul bibere, ut loquitur (*k*) Appuleius. Et hic disquirendum est, an de hujusmodi ministeriis (*a*) Ulpianus intellexerit; *si servi* (inquit) *ususfructus legatus est, cujus testator quasi ministerio vacuo utebatur* &c. Alumni & Collactanei quasi ministrare dici poterant. Et hujus demum generis ministeria, longe post abolitos omnino servos, diu perduraverunt; licet enim servi, (*b*) Bartoli ICti. ætate penitus desiissent, Collactanei tamen in usu erant, quod patet ex (*c*) Petro Paulo Vergerio, qui in vita Ubertini Carrariensis hæc habet: *ejusdem fuit domesticum judicium, quod sequitur. Longettus erat ei hereditarius servus, & semper una nutritus: nam usque ad ea tempora propagandorum servorum mos in Italia manserat, qui nunc prorsus obsolevit; ei Ubertinus confidebat plurimum, & facile omnia fidei ejus credebat; is aliquando ab Carentana Ubertini concubina pulcherrima fœminarum, in domestica contentione, servus est appellatus, ad quam Longettus, ejus inquit sum servus, cujus & tu meretrix es; quo nihil illa molestius exprobrari sibi audire potuisset, & speciei igitur confidens, erat enim eximia forma corporis, & pignoribus ex Ubertino susceptis, non nisi illius sanguine suæ satis injuriæ fieri posse arbitrabatur; itaque filiolam, quæ erat in deliciis patri, allegat questum de matris injuria, sed & ille quoque Ubertini amicos, qui ei in consiliis semper aderant, patroni sibi ut essent oraverat; mentione igitur per puellam inducta, & per eos qui aderant interrupto crebro ejus sermone, mulier quæ ex superiore specula omnia intuebatur, indignata non audiri suam querelam, effræns decurrit, a Longetto se contumeliose habitam queritur. Ubertinus insolita mulieris audacia nihil motus, edicere illum jubet quo se pacto res haberet; qua cognita, ego inquit, quantum in me fuerit, eo, quod est contumeliæ causa, utrumque vestrum absolvam, & Tabellionem qui conscriberet jussit advocari, tunc ad Longettum, vis ne liber esse? nequeo, inquit ille, liber tibi esse: nam si me ita sinis, sum tibi servus natus, nec me qui tali domino servio, meæ conditionis pudet; sin manumittis, tanto me precio datæ libertatis emis, ut liber esse a te non possim; animo* (inquit Ubertinus) *ut voles, utque te decebit, nunc necessitate conditionis, qua mihi addictus tenebare, liber esto; deinde ad illam conversus: & tibi quoque, inquit, quando meæ consuetudinis te pudet, liberum est abire, esto a me absoluta, tum illa flens, atque insperato eventu pene exanimis, per hanc tuam te prolem inquit oro, ne me deseras, neu abjicias, ego ne te quidem domino digna sum serva, cumque multa & flere & dicere pergeret, jussit ut unde venerat rediret, ac ne se in reliquum talibus querelis molestaret; itaque uno judicio homini bene merito gratiam reddidit, & illam admonuit, non debere se conditionis pudere, quam non modo sponte, verum etiam cupide admisisset.* Hactenus Vergerius, cujus narrationem describere operæ precium duxi, tum quod auctor nondum editus est; tum quod lectorem possit recreare longæ & morosæ lectionis tædio affectum. Et quia nobiles matronæ catulis delectabantur, veluti Melitæis, inde factum est ut legamus in antiqua tabella marmorea,

OSSA
AVRELIAE. LIVIAE. AVG
SER. A CVR. CATELLAE &c.

modeste sane, & non ut illa apud (*d*) Lucianum, quæ Philosophum, catellæ curatorem ha-

a *lib. 3. de bello. civ.* b *Serm. 62.* c *ad Heliodorum* d *Sat. 3.* e *ad Furiam.* f *Leg. 8. ff. de Pignor. & Hypoth.* g *Leg. 38. ff. de fideicomm. libert.* h *Sat. 6. vers. 306.* i *Lib. 1.* k *lib. 2. Met.*

a *Leg. 27. §. 2. ff. de usufr.* b *Idem Bartolus ad Leg. Hostes, de capt. & postl. rev. citatus a Genebr. Anno D. MCCXVI.* c *Latet adhuc in forulis nostratium Bibliothecarum.* d *de merc. cond.*

A buit. Eidem Liviæ legimus fuisse ministram ab ARGENTO POTORIO: nec absurdum videtur miscuisse illi mulierem, & stetisse ad cyathum & vinum; ut quid enim (*a*) Romana Juno cœlestem Junonem non æmularetur, cui *formosa Herculis uxor* (ut canit (*b*) Juvenalis) fuit *ad cyathos?* Et hoc munere apud Herodem Sophistam functa puella est, ut scribit in ejusdem vita Philostratus; puella nimirum (sit venia dicto) apud mulierculam. Ornatum muliebrem tractabant, COSMETÆ & ORNATRICES: at quis hic ornatus muliebris? (*c*) Tertullianus: *habitus fœminæ duplicem speciem circumfert; cultum & ornatum.* B *Cultum dicimus, quem mundum muliebrem convenit dici; ille in auro & argento & gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* (*d*) Macrobius: *eadem Julia mature habere cœperat canos, quos legere secreto solebat; subitus interventus patris aliquando oppressit Ornatrices:* recte ergo Tertullianus, qui curam capilli in ornatu reposuit. Cosmetarum autem meminerunt (*e*) Juvenalis & (*f*) Ulpianus. Ad ornatrices quod attinet, notandum est, illas tradi consuevisse magistris, ut ediscerent artificium ornandi, id quale esset describet nobis (*g*) Manilius partim, partim alii: C

Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rursus vertice denso
Fingere, & appositis caput emutare capillis.

(*h*) Tertullianus graphice: *quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? aliæ gestiunt in cincinnis coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate; affigitis præterea nescio quas enor-* D *mitates sutilium, atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum* &c. qui sane locus Tertulliani torsit nonnullos aliquantisper: quid enim Galero cum Vagina? veniebat illis porro in mentem, Galeri loco Galeam substituere: præsertim cum Romæ legatur in veteri marmore.

CALPVRNIA
L. ET. Ͻ. L. GALEAE
ORNATRIX

E videbantur confirmare veteres nummi, qui exhibent imagines mulierum Augustarum, quæ vixerunt Tertulliano scribente: harum enim capillitium ad galeam propius, quam ad galerum accedit; at pro galero facit (*i*) Juvenalis versus:

Sed nigrum flavo crinem abscondente Galero.

ubi hæc habet ad verbum antiquus enarrator: *crini supposititio, rotundo, in modum Galeæ facto, quo utebantur meretrices.* Tertulliano brevior & concinnior (*k*) Juvenalis:

F *Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput. ——

hujusmodi constabat compagibus Flamminicæ

a *Prudentius lib.* 1. *adv. Sym.* b *Sat.* 13. *verf.* 43. c *de habitu muliebri.* d *lib.* 2. *Satur. cap.* 5. e *Sat.* 6. *verf.* 476. f *Leg.* 49. *ff. de Leg.* 3. g *Lib.* 5. h *de cultu fœminar.* i *Sat.* 6. *verf.* 120. K *Sat.* 6. *verf.* 500.





(*a*) Tutulus, & præter eas vitta purpurea crinibus innexa, Romæ olim in Musæo Carpensi:

APONIAE. SVCCESSAE
A. TVTVL. ORNATR
C. BATONIVS. EPIGONVS
ATRIENSIS

Ex hujusmodi ministerio ancilla apud Petronium, *Gytona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput; imo supercilia etiam profert de pyxide, sciteque jacturæ lineamenta secuta, totam illi formam suam reddidit.* Pyxis enim continebatur instrumento Ornatricum, & Cosmetarum. (*b*) Martialis:

Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant absentes & tibi, Galla, comæ.
Nec dentes aliter, quam Serica nocte reponas,
Et lateas centum condita pyxidibus.
Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi prolatum est, mane supercilio.

En integram officinam ornatoriam, geminam plane illi Petronianæ, Comas, Pyxidem, Supercilia. Ab eadem ratione Venus apud (*c*) Appulejum; *sume istam Pyxidem: & dedit protinus; usque ad inferos & ipsius Orci ferales penates te dirige, tunc conferens Pyxidem Proserpinæ; petit de te Venus, dicito, modicum de tua mittas ei formositate* &c. (*d*) Zeno martyr; *quid hoc est? ecce rursus ad lenocinia redis, colorem de pyxide mutuaris paulo ante damnatum; ecce indulgenter excolis crinem; odorato pulvere luctus pulverem mutas: in stibio fletus includis: ornamento ligas, quod suspendio voveras collum, ab speculo oracula inquiris, quam commode possis circumscribere petitorem.* Apud Petronium eadem illa quæ Gytona exornaverat, evocatum Encolpion *non minus decoro exornavit capillamento: imo commendatior vultus enituit, quia flavum corymbion erat.* Itaque ne in hac quidem parte superari se a fœminis viri passi sunt; testis est (*e*) Columella: *contemptissimorum vitiorum officinas, gulosius condiendi cibos, & luxuriosius fercula struendi, capitumque & capillorum concinnatores, non solum esse audivi, sed & ipse vidi.* Et hos Tertullianus appellat structores capillaturæ: confirmat Manilius, Juvenalis, & notissimus ille Othonis Aug. (*f*) Galericulus. Imo & (*g*) Clemens Romanus, qui scribit non licere Christiano nutrire capillum, & in unum complicare, vel discerniculo discriminare, neque vero intortum calamistris crispare, vel flavum facere. Hinc Servius in x. Æneid. ad illud:

—— *comptos de more capillos,*

hoc quod diximus confirmat argumento personarum Tragicarum, *quæ similes erant in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis.*

a *Festus.* b *Lib.* 9. 37. c *lib.* 6. *Metamorph.* d *Serm. de continentia* e *Præfat. lib.* 1. f *Suetonius Othone cap.* 12. g *lib.* 1. *cap.* 4.

A Neque vero barbam inornatam sinebant semiviri hi nostri; ut apud Cyprianum & Tertullianum (*a*) alii notaverunt. Ad fœminas ut redeamus, capillorum cura illis præcipua fuit, non in structura tantum, sed & in colore & cincinnis. (*b*) Propertius:

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
Ut natura dedit, sic omnis recta figura,
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiunt mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas.

B (*c*) Tertullianus: *video quasdam & capillum croco vertere; pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ sint procreatæ: ita patriam capillo transferunt.* A Cincinnorum studio CINERARII ministri appellati sunt. (*d*) Varro: *Calamistri, quod his calefactis in cinere, capillus ornatur; qui ea ministrabat, a cinere Cinerarius est appellatus.* Meminit & (*e*) Seneca: *quidem se a Cinerario impulsos moleste ferunt, & contumeliam vocant Ostiarii difficultatem, Nomenclatoris superbiam, Cubicularii supercilium.* (*f*) Acron eleganter: *Ciniflones & Cinerarii eadem significatione apud veteres habebantur, ab officio Calamistrorum, id est, verum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos crispabant*: cujus rei & (*g*) Virgilius meminit, dicens:

C *Vibratos calido ferro.* ——

Porro Servius ad illum Virgilii locum hæc habet: *crispatos calamistro: nam calamistrum est acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Idem Servius in XII. *etiam ille pulvis, quo utuntur puellæ, cinis vocatur; unde etiam & Ciniflones dicti sunt.* (*h*) Horatius:

D *Custodes, Lectica, Ciniflones, Parasitæ.*

Calamistros autem σιδηρᾶ ὄργανα videtur appellare (*i*) Lucianus, quibus modice calefactis cincinni excitabantur. (*k*) Ovidius:

Quam se præbuerant ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe sinus!
Clamabam, scelus est, istos scelus urere crines,
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove; non est qui debeat uri;
Erudit admotas ipse capillus acus.

E Et sane calamistrum, acum ferream non semel est interpretatus (*l*) Isidorus; quo forsan respexerunt Festus & Juvenalis; ille: *Acus dicitur, qua Sarcinatrix vel etiam Ornatrix utitur.* (*m*) hic:

Est in consilio materna, admotaque lanis,
Emerita quæ cessat acu ——

ubi antiquus interpres explicat, *Lanipendiam matris factam ornatricem quasi magistram.* Erant autem usui & minores acus, quibus sustinebantur & figebantur capilli. (*n*) Prudentius:

F —— *crinalis acus, redimicula vittæ.*

(*o*) Appulejus: *ad hunc modum vaticinata mulier, acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina.* De prioribus illis cecinit (*p*) Ovidius:

Forma viros neglecta decet. Minoida Theseus
Abstulit, a nulla tempora comptus acu.

Hujus ministerii instrumenta erant Discerniculum, Pecten, Speculum; de hoc (*a*) Ovidius:

Nec tibi turpe puta, quamvis sit turpe, placebit:
Ingenua Speculum sustinuisse manu.

fuit enim officium servile, quod ingenuum hominem non usquequaque decebat. (*b*) Propertius:

Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominæ porrigat illa novæ.

hinc (*c*) Juvenalis:

Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,
Actoris Arunci spolium: quo se ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.

Ab hac eadem opera Triton in Veneris comitatu, sub oculis dominæ speculum (*d*) prægerit; præclare autem (*e*) Claudianus:

Cæsariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio: dextra lævaque sorores
Stabant Idaliæ; largos hæc nectaris imbres
Irrigat, hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat: sed tertia retro
Dat varios nexus, & justo dividit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens.
Plus error decuit, speculi nec vultus egebat
Judicio. ——

Hic ornatricum altera cæsariem Veneris nectare irrigat, ut alludatur ad illud ministerium, quod innuit (*f*) Juvenalis:

Disponit crinem laceratis ipsa capillis,
Nuda humero Psecas infelix ——

Ornatrices enim *crinem componentes* (ut ibi habent veteres glossæ) *rarum ac parum aquæ solent mittere, ac velut* ψεκάζειν. altera pectine utitur, quem Eunucho tribuit (*g*) Claudianus, ut vidimus. (*h*) Appulejus in præconio capilli: *vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus* &c. Non abit a pectine Discerniculum. (*i*) Ovidius:

Munditiis capimur: nec sint sine lege capilli:
Admotæ formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit,
Eligat: & speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis discrimina puri;
Sic erat ornatis Laodamia comis.

(*k*) Varro: *Discerniculum, quo discernitur capillus. Pecten, quod per eum explicatur capillus. Speculum a speciendo, quod ibi se spectant.* Et hæc fuit præfectura capillorum, cujus meminit (*l*) Ovidius:

Ponendis in mille modos præfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi Deas,

cujus male administratæ illa fuit pœna, quam tetigit idem (*m*) Poeta:

At

a *Pamelius.* b *lib. 2. El. 18.* c *de cultu fœmin.* d *lib 4. de L.L.* e *De constant: Sapient. cap. 14.* f *lib. 1. Sat. 2.* g *lib. 12. Æn. vers. 100.* h *Serm. lib. 1. Sat. 2.* i *in amoribus.* k *lib. 1. amor. El. 14.* l *lib. 10. & 20. origin.* m *Sat. 6. vers. [illegible]* n *Psychom.* o *lib. 8. Met.* p *lib. 1. de arte amandi.*

a *lib. 2. de arte am.* b *lib. 4. El. 7.* c *Sat. 2. vers. 99.* d *Appul. lib. 4. Met.* e *de nupt. Honor. & Mariæ.* f *Sat. 6. vers. 488.* g *in Eutropium.* h *lib. 8. Met.* i *lib. 3. de arte amandi.* k *lib. 4. de L.L.* l *lib. 2. amorum El. 1.* m *lib. 3. de art. amandi.*

A *At non pectendos coram præbere capillos,*
Ut jaceant fusi per tua colla, veto.
Illo præcipue ne sis morosa, caveto,
Tempore, nec lapsas sæpe resolve comas.
Tuta sit Ornatrix: odi, quæ sauciat ora
Unguibus, & rapta brachia figit acu.
Devovet, & tangit dominæ caput illa: simulque
Plorat ad invisas sanguinolenta comas.

& (*a*) idem alibi:

Non acus abrupit, non vallus pectinis illos:
B *Ornatrix tuto corpore semper erat.*
Ante meos oculos sæpe est ornata, nec unquam
Brachia direpta saucia fecit acu.

(*b*) Juvenalis:

Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ
Si tibi displicuit nasus tuus? altera lævum
C *Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.*

Mundi muliebris altera pars erant cutis, facies, & hujusmodi reliqua, fœminis procurata ad insaniam usque. (*c*) Tertullianus: *in illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt*. D. (*d*) Zeno: *interea miris excolit artibus sese, faciemque suam in se, quam non habet, quærit: pingit se in ipsam, & lenocinante vario magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vertit alienis: hoc futura, non quod natura præ-* D *stitit, sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictaverit*. (*e*) Prudentius:

Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco
Inficiunt, ut figmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.

D. (*f*) Cyprianus: *illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptelæ suæ impugnatione docuerunt*. (*g*) Ovidius:

E *Non tamen expositas mensa deprendat amator*
Pyxidas; ars faciem dissimulata juvat.
Quem non offendat toto fæx illita vultu,
Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?


(*h*) Juvenalis:

Interea fœda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppeana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.

Ejusdem ordinis fuit auriculæ ornatrix, Romæ.

F IVLIAE ⸸ LIVIAE ⸸ AVGv
AVRICLAE
ORNATRIX

(*i*) Cyprianus: *an vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali sæcularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus & cavernis preciosa grana dependeant, gravia, etsi non suo pondere, mercium quantitate?* De ornatu satis pro instituto nostro. Cultus instrumenta hæc damus, quæ olim extabant Romæ apud LÆLIUM PASCHALINUM. Spectantur hic aureæ acus crinales, leviter a summo inflexæ, ad crines comendos, & earum nonnullæ puræ, nonnullæ gemmatæ; adest viriola e minutis smaragdis, quam licet magnus (*a*) CUJACIUS observet brachialem fuisse, ego tamen collo quoque aptaverim. (*b*) Juvenalis:



Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit. ——

Adest inauris ærea, gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata, e mundo tenuioris alicujus & paupertinæ fœminæ. Visitur & stalagmium e rudi amethysto. Inaures præterea, altera ex auro tota, altera distincta margaritis, & quidem ad figuram nostrarum recentium proxi-



a *Lib.* 1. *amor. eleg.* 14. b *Sat.* 6. *vers.* 490. c *de cultu fœmin.* d *Sermone de pudicitia.* e *in hamartigenia. vers.* 274. f *De discipl. & habitu virgin.* g *lib.* 3. *de arte.* h *Sat. vers.* 459. i *loco proxime citato.*

a *lib.* 10. *observ. cap.* 17.
b *Sat.* 6. *vers.* 455.

A
me accedens. Bini insuper elenchi. (*a*) Plinius de margaritis scribens; *& procerioribus sua gratia est. Elenchos appellant fastigiata longitudine: alabastrorum figura, in pleniorem orbem desinentes.* (*b*) Juvenalis:

Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.

ubi glossæ antiquæ habent, *uniones, margaritas oblongas, magnarum gemmarum elenchos, quos & titulatos appellant*: ego malim tutulatos: &
B
sane legimus superius ORNATRICEM A TVTVL. Et quidem Tutulus Pontificalis, cujus imaginem cernimus in denariis gentis Juliæ, non admodum dissimilis elencho est, fuit enim metali figura, ut inquit (*c*) Festus. Vidimus autem apud eundem aureas inaures ea plane figura, qua conspiciuntur in antiquis denariis: acus crinales, e quarum altera dependet Cupido fistulam inflans: annulos multiformes, redimiculum seu minutum monile aureum, & alia multa. Huc referenda sunt illa (*d*) Cypriani verba: *non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla, de armillis
C
& monilibus catena pretiosa: sint a compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni.* Hujus loci sunt & Aur. (*e*) Prudentii carmina:

Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sculptilibus redimitæ frontis in arce,
Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas,
Nectitur & nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.

D
Præclara illa (*e*) Zenonis martyris apostrophe: *ancilla Christi falsum idolum respuis? mihi crede in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis: ad Ecclesiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onusta, ubique delicata, sub mollibus fortis: deque ipso cultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis: tumidum monilibus pectus prosternere dedignaris: sane cervicem curvas non religione, sed pondere: quando ἐξομολόγησιν facies, quæ plus pro ornatu es, quam pro salute sollicita?* (*f*) idem alibi & quidem vehementer: *o quantarum neces
E
animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ! ornamentum, cujus unum si solvas in precium, distribuasque necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malo ille constat ornatus.* Concludamus hæc omnia verbis antiquæ inscriptionis:

D M
T. FL. AVG. LIB
PARTHENOPAEI
POPPEANI. EVNVCHI
AB ORNAMENTIS &c.

F
VESTIPLICÆ hujus corporis erunt, quarum munus ex ipsa voce dignoscitur. (*g*) Fabius major: *ter de stupro uxoris, adjecto precio appellatus, vestiplicam dominæ habitu misit.* (*h*) Seneca: *placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa: sed domestica & vilis: nec servata, nec sumenda sollicite.* (*a*) Ammianus: *deia quum e Silvani lavacro, vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solitis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ una portantur sufficientes ad juvandos homines undecim* &c. Quid autem si vestiplicæ VESTISPICÆ sint? quæ, ut ait (*b*) Varro, vestem spicerent. Apud (*c*) Plautum sane legitur:

Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, scandaligerulæ.

ubi Nonius Marcellus legit *vestispici*. In veteribus autem monumentis VESTIFICOS legimus, & VESTIFICAS, quos non male & his adcensebimus. Rosemunda vero Alboini VESTIARIAM habuit, in cujus lectulo se Peredeo supposuit; ut scribit (*d*) Diaconus. At vestium colores nonnullos recenset (*e*) Ovidius:

Quid de veste loquar? non jam segmenta requires,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.
Cum tot prodierint precio leviore colores.
Quis furor est census corpore ferre suos?
Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon & Hellen
Diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis,
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat, croceo velatur amictu,
Roscida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic Paphias myrtos: hic purpureos Amethystos:
Albentesve rosas: Threiciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt,
Et sua velleribus nomina cera dedit.

Aliquot etiam enumerat Nonius, veluti Cymatilem aut Marinum; Molochinum; Impluviatum; eos qui sunt a Calta & Croco, Cetrinum, Ferrugineum, Ostrinum, Luteum, Violaceum, Pullum, Anthracinum. At hæc hujus loci non sunt. Et quia laudatas matronas lanam fecisse laudatum olim fuit, ideo Textrinum instruemus. (*f*) Cajus Jurisconsultus: *& ancillarum & filiarumfamilias nomine, de peculio actio datur, maxime si qua Sarcinatrix, aut* TEXTRIX *erit.* Ulpianus; *quare si lanam conduxerit usuarius expediendam, poterit etiam per usuarias ancillas opus perficere, itemque si vestimenta texenda redemerit* &c. (*g*) Portius Latro; *ex omni rupe conchylium trahitur, quo vestis cruentetur, infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veste perspicua sit.* Et hoc artificium adeo ancillas decuit, ut (*h*) Ammianus universas unico textrini nomine comprehenderit. De lana autem & lino quatenus in textrinum recipiuntur, legendus omnino est (*i*) Ulpianus. LANIPENDIÆ, quas nominavit (*k*) Pomponius, inter LANIFICAS pensa partiebantur, quando ea munera sordere dominabus visa sunt. (*l*) Plautus:

a *lib. 9. cap. 35.* b *Sat. 6. vers. 456.* c *v. Tutulus.* d *de disc[illegible] virg.* e *Hamartig. vers. 267.* f *Serm. 2. de [illegible]* g *Serm. de justitia.* h *Declam. 363.* i *lib. 1. de Tran[illegible]*

a *Lib. 28.* b *lib. 6. de LL.* c *Trinummo. act. 2. sc. 1.* d *lib. 2. de gest. Long. cap. 28.* e *lib. 3. de arte amandi.* f *Leg. 27. ff. de peculio.* g *apud Sen. lib. 2. controv. in fi.* h *Lib. 14.* i *Leg. 70. ff. de Legat. 3.* k *Leg. 32. ff. de donat. int. vir. & uxor.* l *Menechmis act. 5. sc. 2.*

—— servir serviren' tibi
Postulas viros? dare una opera pensum postules;
Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere.

QUASILLARIÆ a Quasillo, seu calatho dictæ sunt. Petronius; *nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes Quasillarias, familiæque sordidissimam partem, ac me conspui jubet.* Romæ olim,

MVSA. QVASILL
VIX. ANN. XXX
CRATINVS LANIPEND
DE SVO

)Propertius;

Et graviora rependit iniquis pensa Quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.

D. (*b*) Hieronymus: *discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere, spernat bombycum telas, serum vellera, & aurum in fila lentescens: talia vestimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* (*c*) Idem; *dolet sibi prælatum juvenem, non quidem comatum, non vestium sericarum, sed torosulum & in sordibus delicatum, qui ipse sacculum signet, textrinum teneat, pensa distribuat, regat familiam, emat quidquid de publico necessarium est dispensator & dominus, & præveniens officia servulorum, quem omnes rodant famuli, & quidquid domina non dederit, illum clamitent subtraxisse.* Et in his quidem D. Hieronymi, illa verba (*non vestium sericarum*) non videntur carere mendo, rectius enim legentur (*non vestitu sericatum*) ut sibi per omnia constet ἰσόκωλον. Hæc mulieres mancipia domi ad usum habuerunt, ut diximus: nunc recensebimus quæ foris ad ostentationem ANCILLULAS ex Æthiopia, ut loquitur (*d*) Terentius, ne videlicet viris inviderent Mauros & Æthiopes servulos. Imo & hos habuerunt. (*e*) Tibullus de sua Nemesi;

Illi sint comites fusci, quos india torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

Et vero quid venustatis in ominosa Æthiopis facie delitesceret, ego quidem non video, nisi dicamus fefellisse has nostras, quod vulgo Æthiopes, ut notat D. (*f*) Hieronymus, vocarentur argentei. Inter ancillas conspicuæ fuerunt FLABELLIFERÆ, quarum meminit (*g*) Plautus. Flabellum autem domi Eunuchorum fuit, ut indicat nobis Eunuchum mentitus Chærea Terentianus, & Claudiani Eutropius: aliquando etiam mulierculæ alicujus, velut illius apud (*h*) Martialem, quæ *prasino flabello tenue ventilabat frigus* æstuanti Zoilo: & hinc D. (*i*) Hieronymus inter ancillarum officia enumerat flabellum tenere. UMBELLIFERÆ etiam in hoc agmine. (*k*) Ovidius;

Ipse tene distenta suis umbracula virgis;
Ipse face in turba, qua venit illa, locum.

hortatur nimirum amatorem, ut ad captandam puellæ gratiam, servilia etiam obeat ministeria. Et hoc est, quod insolens & contumeliosum in Athe-

a *lib. 4. El. 7.* b *ad Lætam.* c *lib. 2. epist. select. epist 9* d *Eunucho act. 1. sc. 2.* e *lib. 6. eleg. 6.* f *lib. 1 epist. select. epist. 16.* g *Trinummo.* h *lib. 3. 40.* i *in epitaph. Paulæ.* k *lib. 2. de arte am.*

niensibus notat (*a*) Ælianus, quod inquilinorum puellas adigerent σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς. SANDALIGERULÆ & ipsæ cum aliis aliquot bajulæ fuerunt Veneriæ hujus pompæ. (*b*) Ovidius;

Nec dubita tereti scamnum producere lecto
Et tenero soleam deme vel adde pedi.

Exequebantur hæc pueri ad pedes, & ancillæ quas tetigimus a SANDALIO. Expressit utrumque munus D. Johannes Baptista, apud (*c*) Matthæum, & ceteros Evangelistas, ut notavit doctissimus MALDONATUS. Erant autem non raro aurea Sandalia hæc; ne videlicet virides umbellæ, prasina & pavonina flabella unice perstringerent oculos, & pedum tegmina jacerent. Quin *& crepidarum obstragulis* (ut ait (*d*) Plinius) *& totis socculis addebant margaritas*; quos & ipsos prælatos ab aliqua ancillarum non dubitaverim. Et huic lepido puellarum collegio adscripserim ego ancillam meretriculæ illius, e cujus manu aquila calceum corripuit lavantis dominæ, ut demitteret Memphi in gremium Psammetychi Regis, cum ille jus diceret. Imo & virum Consularem & Censorium, Imperiique Curatorem L. Vitellium, qui *miri in adulando ingenii* (verba (*e*) Suetonii sunt) *pro maximo munere a Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos; detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus*. O togatum mancipium! Præibant ex officio ANTEAMBULATRICES. subsequebantur PEDISSEQUÆ, & quas δουλάρια vocat in universum (*f*) Lucianus. (*g*) Plautus;

—— illi rei studet,
Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ.

(*h*) Marcianus Capella; *Periergia vero aliis comitata pedissequis, dotalibusque mancipiis, curiose universa perscrutans, atque interrogans sequebatur*: idem auctor: *præcedit illico consciendentem Musarum concinentium pompa, & prædictarum comitum venerabilis multitudo*. Pueri etiam ipsi non sine comitibus & pedissequis prodibant. (*i*) Cornificius; *Gorgia pedissequa puerorum, absconde pueros, defende, fac ut incolumes ad adolescentiam perducas*. COMITEM inquit (*k*) Ulpianus: *accipere debemus eum, qui comitetur & sequatur; & ut Labeo ait, sive liberum sive servum, sive masculum, sive fœminam*. Subdit autem: *inter comites utique & pædagogi erunt*. (*l*) Macrobius: *averterant in se populum in spectaculo gladiatorum Livia & Julia, comitatus dissimilitudine: quippe, cingentibus Liviam gravibus viris, hæc juventutis, & quidem luxuriosæ grege circumsidebatur*. Ille de hoc numero apud (*m*) Appulejum; *hujus adhærebat lateri senex jam gravis annis, qui ut primum me conspexit: est, inquit, Hercules hic Lucius: & offert osculum, & statim incertum quidnam in aurem mulieris obganniit*. In horum contubernio videntur fuisse cincinnatuli, & calamistrati illi, quos D. (*n*) Hieronymus procul arcet a Christianæ virginis comitatu. *non ambulet* (inquit) *juxta te calamistratus Procurator, non Histrio fractus in fœminam*. (*o*) Martialis:
Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret
Qui, Marianæ, tuæ? Crispulus iste quis est?

a *lib. 6. cap. 1.* b *Loco cit.* c *cap. 3. Marc. 1. Luc. 3. Jom. 1.* d *libr. 9. cap. 35.* e *Vitell. cap. 2.* f *Lexiphane.* g *Asinaria. act. 1. sc. 3.* h *Lib. 2.* i *Lib. 4.* k *Leg. 15. §. 16. ff. de injur.* l *lib. 2. Saturn. cap. 5.* m *Lib. 2.* n *a. lv. am.* o *Lib 5. 61.*

LIIII 3

Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem ,
Et sellam cubito dexteriore premit ?
Per cujus digitos currit levis annulus omnes :
Crura gerit nullo qui violata pilo .
Nil mibi respondes ? uxoris res agit , inquis ,
Iste meæ ——


Quæ sane videtur Martialis ab (*a*) Ovidio accepisse;


Tuta frequensque via est per amici fallere nomen :
Tuta frequensque licet sit via , crimen habet . B
Inde Procurator nimium quoque multa procurat ,
Ut sibi mandatis plura videnda putet .

Hujus comitatus portio apud parum pudicas mulieres fuerunt SALUTIGERULI pueri , INTERNUNCII ministri , quorumque meminit (*b*) Juvenalis ;

Ut non ter decies respiret ; conscia matri
Virgo fuit , ceras nunc hac dictante pusillas
Implet , & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.

Ad hos respexit (*c*) Appulejus ; *hos Græco nomine δαίμονας nominant,inter terricolas cœlicolasque vectores,hinc precum,inde donorum:qui ultro citroque portant , hinc petitiones , inde suppetias : ceu quidam utriusque interpretes & salutigeri .* C Hujus agminis sordes & quisquiliæ sint MULIONES , BASTERNARII , CARRUCARII , CISIARII , LECTICARII , RHEDARII , JUNCTORES , & alii nescio qui inter bestias & vehicula occupati , quorum opera dominis , & dominabus promiscuo usui erat. Muliones in urbe etiam fuisse , nemini dubium esse arbitror : vehebantur enim matronæ vehiculo (*d*) carpentario , quod a junctis mulabus trahebatur : id quale esset , indicant nummi veteres signati nomine & imaginibus Juliæ & Agrippinæ D Augustarum . At quia carpentum ab his , velut





E

etiam a (*e*) magistratibus usu cœptum conjicio , inde factum est , ut matronæ ad Basternas sese reciperent . D. (*f*) Hieronymus ; *præcedit caveas Basternarum , ordo Semivirorum* ; antiquus (*g*) epigrammatographus ;

Aurea matronas claudit Basterna pudicas ,
Quæ radians patulum gestat utrimque latus . F
Hanc geminus portat duplici sub robore Burdo ,
Provehit & modico pendula septa gradu .

Duplex robur Amites Basternarum sunt , ut vocat (*a*) Palladius . Asseres videlicet , seu perticæ aucupalibus similes , quarum Festus , & idem (*[illegible]*) Palladius meminerunt . Eadem pene quæ antiquus poeta habet & (*c*) Isidorus . Nec diversa tradit (*d*) Servius ad illud ,

Pilentis matres in mollibus ——

Pilenta (inquit) *sunt vehicula , sicuti nunc Basternas videmus : erant autem tunc veneti coloris , non ut nunc sunt russati , quibus nisi castæ matronæ uti non poterant .* Burdonum meminit (*e*) Ulpianus his verbis : *item jumenta , vel lectica , vel sella , vel Burdones .* Quos scimus & (*f*) Carrucam dormitoriam portavisse , qua matronæ utebantur . Carrucæ nomen debent (*g*) CARRUCARII. D. (*h*) Paulinus describens comitatum sanctæ Melaniæ , Neapoli Nolam proficiscentis : *tota hujus sæculi pompa , qua honorati & opulenti poterant , circumflui Senatores prosequebantur . Carrucis nutantibus , phaleratis equis , auratis pilentis , & carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente .* Et Carrucis quidem ad luxus rationem utebantur deauratis . (*i*) Abdias ; *denique Nicolaus quidam ex civium numero , exhibens carrucam deauratam , cum quatuor mulis candidis , todidemque equis , obtulit beato Apostolo , dicens &c.* Imo & aureis , (*k*) Martialis ,

Aurea quod fundi precio carruca paratur ,
Quod pluris nulli est , quam domus empta tibi .

Et hi aliquando dicti sunt MULIONES CARRUCARII , ut apud Capitolinum in Maximino juniore . Cisium vehiculi biroti genus fuit , ut & Carpentum , a quo (*l*) Cisiarii . De Rheda (*m*) Cicero ; *cum hic insidiator , qui iter illud ad cædem faciendam apparasset , cum uxore veheretur in Rheda , penulatus , vulgi magno impedimento , ac muliebri & delicato ancillarum , puerorumque comitatu , fit obviam Clodio ante fundum ejus , hora fere undecima , aut non multo secus : statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum , adversi Rhedarium accidunt .* Et quidem mulæ rhedariæ apud (*n*) Varronem huc pertinent . Est autem animadvertendum , quod Cicero de puerorum tetigit delicato comitatu , id a (*o*) Martiale explicari ;

Cum cathedralicios portet tibi Rheda ministros ,
Et Libys in longo pulvere sudet eques .

CATHEDRALICII enim pueri hujusmodi , a Cathedris fœminarum dicti sunt . (*p*) Horatius ;

—— *Demetri , teque Tigelli*
Discipularum inter jubeo plorare cathedras .

(*q*) Propertius ;

Supplex ille sedet , posita tu scribe cathedra
Quidlibet , has artes si pavet ille , tenes .

(*r*) Phædrus ;

Habebat quidam filiam turpissimam ,
Idemque insigni & pulcra facie filium .
His speculum in cathedra matris suppositum
fuit &c.

a *lib. 1. de arte amand.* b *Sat. 14. vers. 28.* c *de Deo Socr.* d *Liv. lib. 34.* e *Fl. Vopiscus in Aureliano . Pollio in Claudio .* f *ad Eustochium .* g *Collect. Pithœi. 1. edit. Lugd.*

a *lib.7.Tit.2.* b *Tit.12.* c *lib.20.orig.cap.12.* d *lib.8 Æneid. vers.666.* e *L.48.de Leg.3.* f *L.13. de au. & arg. leg.* g *Leg.13.ff.locati.* h *Epist.10.c.Ascens.* i *Lib.3.* k *[illegible]* l *Leg.13.ff.locat.* m *in Miloniana .* n *lib.3.de R.R. cap. ult.* o *lib.10.13.* p *lib.1.Sat. ult.* q *lib.4. eleg. 5.* r *Lib. 3. 8.*

(*a*) Martialis:

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, ——

(*b*) Juvenalis:

—— *famam contempserat olim*,
Cujus apud molles minima est jactura cathedras.

(*c*) Plinius junior de Arria nostra; *dum hæc dixit, exiluit cathedra, adversoque parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit*. De Lecticariis hæc habet (*d*) Seneca; *quid refert quot habeat Lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* (*e*) Juvenalis:

Nec melior, filicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit Comites, Sellam, Cervical, Amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.

Et sane hæc ostentatio Romæ olim & viros adegit, ut conducerent greges AMICORUM; eo videlicet consilio ut divitias & opulentiam jactarent. (*f*) Martialis;

Cinctum togatis post & ante Saufellum,
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cum reum misit
Materne cernis? invidere nolito.
Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam,
Hos illi amicos & greges togatorum
Fusciculenus præstat, & Faventinus.

Imo ut ipsa jactantia se proderet magis, Kalendaria (ut ita dixerim) amicorum excogitata sunt, in quæ nomina illorum referrentur. (*g*) Seneca: *nescis quantum sit precium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum; rem non domibus tantum, sed sæculis rarum, quæ non alicubi magis deest, quam ubi creditur abundare. Quid? istos tu Libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus, amicorum existimas esse? Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur: consuetudo ista vetus est Regibus, Regesque simulantibus, populum amicorum describere*. Nescio quid simile stomachatur Umbricius apud (*h*) Juvenalem; ex novitia tamen & nuper recepta lectione:

—— *omnia Romæ*
Cum precio, quid das ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus Libris venalibus. ——

At in aula Palatina erant Liberti, qui curam gererent amicorum Principis: olim legebantur Romæ epigrammata sepulchralia:

a *Lib.* 3. 63. b *Sat.* 6. *vers.* 90. c *lib.* 3. *ep.* 16. d *De constant. Sap. cap.* 14. e *Sat.* 6. *vers.* 349. f *Lib.* 2. 74 g *lib.* 6. *de Benef. cap.* 33. h *Sat.* 3. *vers.* 183.

A

TI. CLAVDIVS. AVG
LIB. FORTVNATVS. A
CVRA. AMICORVM

&,

D M
LIBERTORVM
T. FLAVI. AVG. LIB
VICTORIS
A CVRA. AMICORVM

B

&

M. VLPIVS
AVG. L.
A CVRA AMICORVM

At hæc frequenter dicis causa facta sunt: *etenim in Principum domo* (scribit (*a*) Plinius) *nomen tantum amicitiæ, inane scilicet, irrisumque remanebat: nam quæ poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur?* Utcumque sit, fuit hæc tam apud Principes, quam apud privatos caritatis & benevolentiæ plena compellatio: hinc illæ voces (*b*) Drusi; C *ecquando, propinqui amicique similem mei civem habebit Respublica?* (*c*) Tiberii in codicillis, *compotores & coepulones* Pomponium Flaccum, & L. Pisonem, *jucundissimos & omnium horarum amicos* profitentis. Trimalcionis apud Petronium; *amici, nondum mihi suave erat in triclinium venire: &, amici, pavonis ova gallinæ jussi supponi*. (*d*) Titi Cæsaris; *amici, diem perdidi*. (*e*) Socratis; *hic ille erat, amici, de Academia cupidinis cygnus*. Ita convivii dominus apud (*f*) Lucam Evangelistam: φίλε, προσανάβηθι ἀνώτερον: ipse (*g*) CHRISTUS dominus discipulos alloquens; D ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ. Idem voluit vox ἑταῖρος. Rex apud (*h*) Matthæum: ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου. JESUS apud eundem (*i*) ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει; Socrates apud (*k*) Cassianum; παύσασθε ἑταῖροι, εἰμὶ γάρ, ἐπέχω δέ: unde forsan magnus (*l*) Eteriarches in aula Constantinopolitana. Ad rem. JUNCTORES jungebant rhedam equis, vel mulis, & meminit (*m*) Alfenus his verbis: *& sibi videri eos demum usus sui causa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipsius cultum præpositi destinatique essent*; quo in genere Junctores, Cubicularii, Coci, Ministratores atque alii. Et quamvis (*n*) CUJACIUS & (*o*) E VICTORIUS *Unctores* legant, non placet tamen a pandectarum Florentinorum lectione discedere, adstipulante præsertim (*p*) Cujacio, Jungere enim hoc sensu probum verbum est: & inde *juncturæ* apud (*q*) Capitolinum: *data etiam vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent*. Ancillas præter has omnes, negociationi a dominabus fuisse præpositas (*r*) JCti testantur. Restat nunc urbani servitii quam recenseamus extrema cohors; illa scilicet, quæ nomen sortita fuit ab ædium partibus, sive malumus membris. Ædes vero ipsæ ea laxitate fuerunt, ut non excluderent myriadas illas F servorum, quas alibi explicuimus. (*s*) Seneca certe capacia POPULORUM tecta, domos instar

a *in Panegyr.* b *Vell. Patercul. lib.* 2. c *Sueton. Tiber. cap.* 42. d *Sueton. Tito. cap.* 8. e *Appulejus de dogm. Plat.* f *cap.* 14. g *Johan.* 15. h *cap.* 22. i *cap.* 26. k *collat.* 13. *cap.* 5. l *apud Curopalat.* m *L.* 203. *de verb. sign.* n *ad dictum caput Alfeni in comm. ex Bibl. P. Pithœi*. o *lib.* 37. *Var. cap.* 1. p *qui retractavit lib.* 14. *obser. cap.* 3. q *in L. Vero*. r *Leg.* 7. & 8. *ff. de instit. act. Leg.* 5. §. 2. *ff. de tribut. act.* s *Epist.* 90.

URBIUM, non ſemel inculcat. (*a*) Ejuſdem hæc ſunt: *ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum eſſe diligentior incipit: deinde ſuppellectili laboratur: deinde in ipſas domos impenditur cura, ut in* LAXITATEM RURIS *excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor:* &c. (*b*) Juvenalis eadem expreſſit carmine: A

Quid refert igitur quantis jumenta fatigat
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra;
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes? B

Nec vero non reſpondebant hiſce ſpatiis aulæ æmulæ urbium, capaces populi, & Cœnationes, & Porticus, Veſtibula, Atria, Periſtylia, Bibliothecæ, Pinacothecæ, Baſilicæ, & alia ad decorem majeſtatis perfecta, & publicorum operum magnificentiam comparata. In ſumma, domorum ea fuit amplitudo, ut domini (prout temporis conditio exigebat) quibusdam membris (*c*) uterentur, quibuſdam non: OSTIARIUS, quem *Clauſtrituum* appellat (*d*) Lævius, *puerum ab Janua* (*e*) Cornelius Nepos, aditum obſidebat, ut admitteret nimirum vel demitteret nimirum eos, qui dominum conveniebant. D. (*f*) Bernardus; *cum enim* CHRISTUS *cordis oſtium cuſtodit, & eſt cordis oſtiarius, ut per illum ingrediantur & egrediantur omnes familiæ cordis, conſequenter adſunt millia millium Angelorum, ad fores exteriorum ſenſuum excubantium: nec audet alienigena irrumpere terribiles illas acies, propter Oſtiarii reverentiam, & Angelorum cuſtodiam.* (*g*) Cicero: *neminem a congreſſu meo neque Janitor meus, neque ſomnus abſterruit.* (*h*) Martialis: C

Illud adhuc gravius, quod te poſt mille labores, D
Paule, negat laſſo Janitor eſſe domi.

EXCUBIÆ, quas tangit D. Bernardus, Regum & Cæſarum fuerunt. (*i*) Statius:

Non impacatis Regum advigilantia ſomnis
Pila, nec alterna ferri ſtatione gementes
Excubiæ. ——

(*k*) Cornelius Tacitus: *conjuratis tamen metu proditionis placitum, maturare cædem apud Bajas, in villa Piſonis, cujus amœnitate captus Cæſar crebro ventitabat, balneaſque & epulas inibat, omiſſis excubiis, & fortunæ ſuæ mole.* (*l*) Rutilius Numatianus: E

Præbet equos, offert etiam carpenta Tribunus,
Ex commilitio carus & ipſe mihi:
Officiis regerem cum regia tecta magiſter,
Armigeraſque pii Principis excubias.

Et EXCUBIÆ & CUSTODES in veſtibulis fuerunt. (*m*) Virgilius *Buten fidum ad limina cuſtodem* aplat. Idem (*n*) poeta:

Tiſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta, F
Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque.

quem imitatus eſt (*o*) Silius:
Ante aulam atque aditus, & inexorabile limen
Quanta cohors, omni ſtabulante per avia monſtro,
Excubat?

(*a*) Virgilius:

—— *cernis* CUSTODIA *qualis*
Veſtibulo ſedeat?

(*b*) Appulejus; *ante fores viri fortes, ſtipatoreſque regalium laterum, tutela pervigili,* CUSTODIAM *per vices fortium ſuſtinebant: erant inter eos diviſa officia, in comitatu Regio armigeri quidam, at extrinſecus ſinguli cuſtodes locorum erant, & Janitores, & Atrienſes.* Et hinc Nautam ſtationarium in ſcapha, CUSTODEM appellat Petronius. Fuit enim ſcapha veſtibulum navis. Hinc Diphilus apud (*c*) Athæneum ſcriptum reliquit:

Αυλας θεραπεύειν ἐςὶν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ
Η φυγάδος, ἢ πεινῶντος, ἢ μαςιγίου.

Ceterum Excubiarum Palatinarum imaginem nemo melius (*d*) Corippo expreſſit. Neque vero privati non habuerunt & ipſi ſuas Excubias, ut inferius videbimus, & adnotavit ad Tacitum eruditiſſimus I. (*e*) LIPSIUS. Ad Oſtiarium ut revertamur, is fuit cathenatus. (*f*) Columella: *an putem fortunatius a cathenato repulſum Janitore, ſæpe nocte ſera foribus ingratis adjacere?* Et hæc ſunt Oſtiarii impedimenta apud (*g*) Afranium. (*h*) Suetonius: *L. Votacilius Pilitus ſerviſſe dicitur, atque etiam Oſtiarius veteri more in cathena fuiſſe.* Quod autem idem auctor de Lenæo Grammatico ſcriptum reliquit: *puerum adhuc cathenis ſubreptum refugiſſe in patriam,* non eſt quod de Oſtiario interpretemur. Scriptura enim (me conjectore) liquido mendoſa eſt, quam unius elementi detractione emendabimus, legendo; *traditur autem puer adhuc Athenis ſubreptus, refugiſſe in patriam, perceptiſque liberalibus diſciplinis, precium domino ſuo retuliſſe: verum ob ingenium & doctrinam gratis manumiſſus.* Notanda autem ſunt Suetonii verba, *veteri more,* quæ indicant non ita factum fuiſſe ætate Suetonii. Et ſane longo etiam poſt ipſum intervallo legimus apud (*i*) Corippum, cathenas a Janitore in Januam tranſlatas fuiſſe:

Et jam crebra manus veloci concita pulſu,
Limina quaſſabat ductis munita cathenis.
Ad ſtrepitum cuſtos, cura eſt cui clauſtra tueri,
Sic ait indignans ——

Oſtiarii comes plerumque fuit canis. (*k*) Plautus:
—— *Tranio, age canem*
Iſtam a foribus face abducas ——
(*l*) Suetonius de Vitellio Imp. latebras quærente: *confugitque in cellulam Janitoris, religato pro foribus cane.* (*m*) Seneca: *iratum vidiſti amicum tuum Oſtiario Cauſidici alicujus, aut divitis, quod intrantem ſubmoverat, & ipſe pro illo iratus extremo mancipio fuiſti: iraſceris ergo cathenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit.* Et hic erat mutus, vel potius vocalis cuſtos, qui Excubitore dormiente vigilaret. Janitori enim vigilia indicta erat. (*n*) CHRISTUS dominus noſter: *ſicut homo, qui peregre profectus, reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & Janitori*

a *Epiſt.* 114. b *Sat.* 4. *verſ.* 5. c *Leg. penult. ff. de uſu & habitat.* d *apud Gell. lib.* 12. *cap.* 10. e *Hannibale.* f *meditationum cap.* 5. g *pro Plancio.* h *Lib.* 5. 22. i *lib.* 1. *Thebaid.* k *lib.* 15. *annal.* l *Lib.* 1. m *lib.* 6. *Æneid.* *verſ.* 647. n ... *Æneid.* ... 5. o *Lib.* 13.

a 6. *Æneid. verſ.* 575. b *de mundo.* c *Lib.* 5. d *Lib.* 3. e *lib.* 14. *annal.* f *in præfat. lib.* 1. g *Feſtus in Tintinnare.* h *de clar. Rhetor.* i *lib.* 1. k *Moſtellaria.* l *cap.* 16. m *lib.* 3. *de ira cap.* 37. n *Marci* 13. *verſ.* 34.

præcepit ut vigilet. Alluſit ad hoc (ita liceat appellare) cynicum munus, parabola quæ extat divitis comeſſatoris apud D. (*a*) Lucam, ut recte animadvertit (*b*) Petrus Chryſologus. Inquit enim: *ſed dicis dives; ego etſi vinum negavi, aquam peto, quam communem cunctis animantibus auctor ipſe omnium præſtitit & natura: puto dives, quod & aquam pauperi tu negaſti, cui ne ingrederetur januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, canes quamplurimos objeciſti*. Erant autem & qui pone Januam canem pictum haberent, ut apud Petronium Trimalcio. At quid ad hæc pictores noſtri, qui in Triclinio divitis Lazarum delineant? poteſtne quidquam ineptius aut cogitari aut fingi? ſcilicet Janitores admiſiſſent hominem ſcatentem ulceribus, dorſo ipſi luituri quidquid oculos nauſeabundi domini offendiſſet. Canes vero immanes illi Villatici & Venatici, num oblectabant cenantem dominum? apage. Catelli quidem in deliciis tricliniaribus habiti ſunt, ut teſtatur mulier Chananæa apud (*c*) Matthæum, & indicant ſcalpturæ antiquorum (*d*) marmorum: ceterum Moloſſos, & ejus generis reliquos, nemo in convictum, niſi amens aut ruſticus recepiſſet. At quiſquis pictorum noſtrorum pene omnium pravitatem corrigere voluerit, is profecto ocium deſperaverit omnino: adeo ineruditi ſunt, adeo cognitionem omnem antiquitatis turpiter abjecerunt. Janitorum erat ignem ſervare, ut memini me alicubi apud (*e*) Ariſtidem obſervaſſe. Ignem videlicet Larum familiarium, qui in Atrio fuit non procul ab Janua. (*f*) Ovidius:

Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua frontes,
E quibus hæc populum ſpectat, at illa Larem.

Lar autem Genius Focorum fuit, inquit (*g*) Arnobius: ideoque Lares nigros vocavit (*h*) Prudentius; & in veteri denario gentis Cæſiæ, Laribus Vulcanus ſuperponitur. (*i*) Servius autem Tullius Lari familiaris filius creditus, quod ejus mater conceperit in Foco: in cujus conceptus gratiam compitalia Laribus, & Ludos idem inſtituit. His venerationis gratia conſueverat ignis accendi. (*k*) Capitolinus: *& cum apud Lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt, cum inflammari ſoleant*. Et hinc apud nos vernacula vox *Focolare*, quaſi Focus Laris, quod & alii notaverunt. Hinc (*l*) Sedulius:

Hic laticem colit, ille Larem: ſed jungere ſacris
Non audent inimica ſuis, ne lite propinqua,
Aut rogus exiguas deſiccet fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.

Et ex his quæ contexuimus, non male divinet quiſpiam, Sarmentum illum, cujus meminerunt (*m*) Plutarchus, (*n*) Horatius, & Juvenalis, Janitorem aliquando in cathena fuiſſe. Horatius videtur aſſerere: (*o*)

Multa Cicerrus ad hæc: donaſſet jamne cathenam
Ex voto Laribus, quærebat. Scriba quod eſſet,
Deterius nihilo dominæ jus eſſe. —

a *cap.* 16. *verſ.* 20. b *Serm.* 123. c *cap.* 15. *verſ.* 27. d *F. Urſinus in append. ad Ciaccon. de Triclin.* e *Sacr. Serm.* 5. *in princ.* f *Lib.* 1. *Faſt.* g *Lib.* 4. h *Lib.* 1. *contra Symm.* i *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 4. k *Pertinace.* l *lib.* 1. *Carm.* m *Antonio.* n *lib.* 1. *Sat.* 5. o *Sat.* 5. *verſ.* 3.

A Confirmat Petronius, qui Lares argenteos apud Trimalcionem, in ædicula inter januam & atrium videtur locare, in armario videlicet, ut infra explicabit nobis Plinius. Aliud Oſtiarii miniſterium tangit Petronius: *in aditu ipſo ſtabat Oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat*: vile nimirum & ſordidum opus, quo & Venus (*a*) Pſychen exercuit. Invenimus quandoque mulieres etiam JANITRICES. (*b*) Plautus:

Anus hic recubare ſolet cuſtos Janitrix.

B Petronius: *quamvis non minus ſudoris habuimus etiam poſtquam ad ſtabulum pervenimus. Anus enim ipſa inter diverſitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum ſenſiſſet*. Inferius: *Anus præcipue lippa, ſordidiſſimo præcincta linteo, ſoleis ligneis imparibus impoſita, canem ingentis magnitudinis cathena trahit, inſtigatque in Eumolpum*. (*c*) Pauſanias etiam notat apud Homerum Janitrices cæli horas. (*d*) Acta Paphnutii martyris: *Beatus vero Paphnutius, cum per urbem ambularet, vidit januam cujuſdam ditiſſimi hominis patefactam, acceſſit igitur, & mulieri quæ januam cuſtodiebat, da, inquit, mihi filia* C *paulum aquæ ut bibam*. Ab hoc more ſunt ancilla oſtiaria in (*e*) Evangelio, & Rhode puella in (*f*) Actis Apoſtolorum, quæ pulſante oſtium Petro proceſſit ad audiendum, (*g*) Janitores autem & Oſtiarii, ideo fores obſervabant, quia ſordidum videbatur appenſo ut olim marculo eas pulſare. Nos hac ſoluti religione, marculos recepimus, præclare nobiſcum actum cenſentes, ſi oſtiarium non alamus. Janitori proximus fuit miniſter, qui A JANO dictus eſt. Jano enim, a quo Januæ, aras Græci ante focos ſtatuebant, (*h*) Macrobio auctore. Latini videntur intus, & non uno in loco D domus coluiſſe, ut qui apud ipſos omnibus Januis præeſſet. Ideoque homines recenſentur in antiquis monumentis A JANO PRIMO PALATINO. A JANO MEDIO. A JANO AB ATRIO. Scio futuros, qui hæc carpant, quod Jani ædificia grandia & pervia eſſent, non Signa, Fornices & Arcus publici, non Aræ privatorum. Hoc utut verum ſit, concedent tamen illi mihi, prope Atrium alicubi extitiſſe Janos, quod perinde eſt, ac ſi dicamus, intra domeſticos parietes, cum præſertim non omnino repugnet, ſub Jano ſignum Jani collocatum fuiſſe, cum (*i*) Auguſtus *Pompeii ſtatuam marmoreo Jano ſubpoſuerit*. Hæc nos timide & E dubitanter aſſerimus, non ignari tractari a nobis plerumque craſſiſſimas tenebras, quas ſi perrumpere aliquando nitamur, luce aliqua crepera, & dubia, nemo nobis paulo humanior vitio vortet. Subſequuntur ATRIENSES: poſt Veſtibulum enim Atrium, a quo & ATRIARII. Et hujus proximitatis ratione antiquæ Gloſſæ illud (*k*) Juvenalis:

—— cum, deſertis Aganippes
Vallibus, eſuriens migraret in atria Clejo.

de Oſtiario & cuſtode Atrienſi dictum interpretantur. Horum fuit Atrium tueri. (*l*) Varro: *ſi* F *ab æde & tuendo Ædituus eſt, cur ab Atrio & tuendo non Atrituus ſit potius, quam Atrienſis?* (*m*) Servius ad carmen Virgilianum:

Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.

a *Appul. lib.* 6. *Metam.* b *in Curculione.* c *Lib.* 5. d *apud Surium To.* 2. e *Matthæi* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. *Joh.* 18. f *cap.* 12. g *Plutarchus de curioſit.* h *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 9. i *Suetonius Aug. cap.* 31. k *Sat.* 7. *verſ.* 7. l *lib.* 7. *de L.L.* m *lib.* 9. *Æneid. verſ.* 648.

Æditui (inquit) *fuit, quod, ut supra diximus in ingenti honore apud majores fuit; illic enim & epulabantur, & Deos colebant. Census etiam omnes illic servabant, quod etiam Plautus in Asinaria, qua inducit Sauriam servum Atriensem in tota familia plurimum posse*. Et sane operæ precium erit legisse ejusdem fabulæ *actus secundi ultimam scenam*, nobilem plane. Idem Grammaticus in 1. Æneidos:

—— vocemque per ampla volutant
Atria ——

ibi inquit & pecunias habebant; unde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur: ut

—— qui Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

ibi & culina erat, unde & atrium dictum est, quod atrum erat ex fumo: hucusque Servius. (*a*) Cicero: *atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur servi, sed tamen servi, ut Atrienses, alii inferiore loco, ut Mediastini*, &c. idem: *quid enim censes, si L. Mummius aliquem istorum videret, Mattellionem Corinthium cupidissime tractantem, utrum illum civem excellentem, an Atriensem servum diligentem putaret?* idem (*b*) Cicero: *exstructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes, idem coquus, idem Atriensis*: omnia apposite ad ea, quæ tradit Servius; ut & illa Evangelica de Atrio summi Sacerdotis, in quo ad ignem & prunas calefaciebat se Petrus. Imo & quæ habentur apud (*c*) Lucam & (*d*) Matthæum: *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet*: mirifice illustrantur carmine (*e*) Virgiliano:

Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

An vero Atrium lacunatum esset, vel sub divo, implicita quæstio est. (*f*) Vitruvius lacunaria non obscure in Atriis collocat. (*g*) Ovidius etiam:

Pumice multicavo, nec levibus atria tophis
Structa subit, molli tellus erat humida musco.
Summa lacunabant alterno murice conchæ.

(*h*) &

Quin etiam blandas movere per aera caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia; donec
Excipiunt famulæ, perque Atria marmore tecta
Ad dominam ducunt.

(*i*) Appulejus: *sed & Medici cum intraverint ad ægrum uti visant, nemo eorum quod Tabulina perpulchra in ædibus cernant, & lacunaria auro oblita* &c. At lacunaria, & tablina non proprie in Atrio, sed circa Atrium visebantur; in porticibus nimirum quæ impluvium cingebant. Atrium enim ὕπαιθρον erat. Ovidius autem & Ausonius (ut etiam (*k*) vir eruditissimus notat) pro Aula usurpaverunt. De servo Atriense hæc habet (*l*) Phædrus:

Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

a 5. *Parad.* b *in Pisonem.* c *cap.* 11. 21. d *cap.* 12. 29. e *lib.* 9. *Æneid. vers.* 648. f *lib.* 6. *cap.* 4. g *Lib.* 8. *Metamorph.* h *Lib.* 14. i *lib.* 4. *Floridor.* K *Casaubonus ad Suetonium.* l *l b.* 2 *Fabul.* 5.

A ubi quærat aliquis, quid sibi per cirros voluerit Phædrus. Puerum ille cirratum intelligit, ut loquitur Persius; qualem nobis exhibent imagines Antinoi, quem Imp. Hadriani Atriensem fuisse testatur apud (*a*) Eusebium Hegesippus. In hujus icones non omnino convenit illud (*b*) Martialis:

—— mollesque flagellent
Colla comæ. ——

cum sint neque promisso capillo, neque detonso,
B sed cirrato & leviter diffuso, quem comæ tenorem servant omnes Antinoi imagines. Ut ex his & Phædri carmine liceat suspicari, Atrienses perpetuo cirratos fuisse, neque aluisse comam prolixam, vel attondisse eandem, sed longiusculam sivisse in usum cirrorum. Et hic quidem fuit cynædus ille de pædagogio aulico deus, cujus meminit (*c*) Tertullianus, dignus plane, quem Ganymedes consessu dignaretur, & reciperet in contubernium Zamolxis, e fugitivo Pythagoræ apud barbaros (*d*) deus. Erat autem in Atrio (*e*) Tablinum, in quo servabantur (*f*) codices rerum in magistratu gestarum: erant (*g*) Armaria, quæ
C imagines majorum continerent. Quo respexit (*h*) Val. Maximus; *imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet, quæ quotiescumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur; unique illi instar Atrii Capitolium est*. In locum imaginum irrepserunt exinde (ut conqueritur (*i*) Plinius) signa externorum artificum, æra & marmora, ut etiam notavit in Atrio Trimalcionis Petronius. Neque alius quam Atriensis videtur fuisse, qui ab ATRIO CURANDO, vel ATRI CURANDI appellatur in antiquo elogio. Nisi dicamus fuisse recensitorem quempiam officiosorum hominum, quorum catervæ in Atrio disponeban-
D tur. Et quidni Nomenclatorem, qui domino salutantium nomen insusurraret? Bibliothecæ autem, quarum hic apta omnino statio est, adeo insederant omnes domos, ut in ipsas declamaverit (*k*) Seneca his verbis; *Studiorum quoque quæ liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum: quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit?* Et: *sicut plerisque ignaris etiam servilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt*. De hominibus qui hæc tractabant quoniam nonnihil diximus supra, ad Pinacothecas transea-
E mus, quæ & ipsæ ad insaniam usque receptæ privatim sunt. (*l*) Vitruvius in ædium metatione, ipsarum rationem non semel sibi habendam constituit: improbavitque (*m*) Plinius nimium studium, quod in illis instruendis & referciendis passim ponebatur. Et quidem tabulas pictas videntur curasse Pictores, quos semel indicavisse sufficiet. Jam vero OFFICINATOR A STATUIS, cujusmodi legitur fuisse Eutyches nescio quis Augustorum libertus, & Hermeros Ti. Claudii Cæsaris servus, Theamidianus AB MARMORIBUS MAGISTER, faciunt ut credam, apud Cæsares saltem, non Pi-
F nacothecas tantum, sed & Agalmatothecas (ita liceat appellare) in deliciis fuisse, privati enim his Atria referserant sua. Officinatorem a statuis, intello Fabrum statuarium, proxime ad vim vocis, quam & (*n*) Vitruvius, aliis intactam usurpavit

a *lib.* 4. *histor. Eccl. cap.* 8. *ex versione Christophorson.*
b *Lib.* 4. 42. c *Apologet. cap.* 13. d *Æneas Gazeus in Theophr.* e *Vitruv. lib.* 6. *cap.* 4. f *Plin. lib.* 35. *cap.* 2. g *Juvenalis Sat.* 8. h *lib.* 8. *c.* 15. i *Loco cit.* K *de Tranquill. cap.* 9. l *lib.* 6. *cap.* 7. m *lib.* 35. *cap.* 2. n *lib.* 6. *cap. ult.*

N S. T. III. pag. 1277.






in Achate gemma





P. 1301



A pavit. Explicat autem BERNARDINUS BALDUS, in perpetuo ad Vitruvium commentario. Interioris domus portio cubicula sunt, in quæ quod etiam moribus nostris, introire passim non licet, ADMISSIONALES evocabimus. (a) Macrobius; *dum ista narrantur, unus a famulitio, cui provincia erat admittere volentes dominum convenire, Evangelum adesse nunciat cum Dysario.* (b) Lampridius: *cum amicis tam familiariter vixit, ut cum communis esset ei sæpe consessus, iret & ad convivia eorum: aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos; salutaretur vero quasi unus de Senatoribus, patente velo, Admissionalibus remotis.* (c) Seneca huc respexit: *Ignovit abavus tuus victis: nam si*
B *non ignovisset, quibus imperasset? Sallustium, & Cocceium, & Duillios, & totam cohortem primam interioris admissionis, ex adversariorum castris conscripsit*: recte, *interioris admissionis*: erat enim non unica tantum admissio: idem (d) auctor: *Est proprium superbiæ magno æstimare introitum ac tactum sui liminis, & pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludant.* Nec alios quam Admissionales innuit molestus ille nugator apud (e) Horatium:

C *—— haud mihi deero:*
Muneribus servos corrumpam, non, hodie si
Exclusus fuero, desistam: ——

In aula apud Cæsares his præerat MAGISTER ADMISSIONUM. (f) Ammianus; *summissis verbis fit Urſicini mentio, ut consilii rei bellicæ præstantissimi, frustraque gravi injuria lacessiti, & per Admissionum magistrum, qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura.* &c. hic autem MAGISTER etiam dictus est sine ulla alia adjectione, & hinc apud (g) Cassiodorum le-
D gitur formula magisteriæ dignitatis: & apud Corippum infra videbimus. Admissionales ipsi, ex officio admissionis aliter dicebantur. (h) Suetonius; *trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio Admissionis simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Magistro ipsi, quem diximus, is videtur adsignatus vicarius, quem *proximum Admissionum* vocat (i) Ammianus, & *adjutorem magistri* (k) Cassiodorus. At quia retulimus, Alexandrum Imperatorem salutari consuevisse *patente Velo*; Velum (ut in hæc etiam intima lectorem nostrum calamo ducamus) obtendebatur foribus
E cubiculi Imperatorii, ut oculos arceret. (l) Corippus;

Ut lætus Princeps solium conscendit in altum,
Membraque purpurea præcelsus veste locavit,
Legatos Avarum jussos intrare Magister,
Ante fores primus divinæ nunciat aulæ.
Orantes sese vestigia sacra videre
Clementis domini; quos voce & mente benignus
Imperat admitti. ——

F idem;

Verum ut contracto patuerunt intima Velo
Ostia, & aurati micuerunt atria tecti,
Cæsareumque caput diademate fulgere sacr

a *lib. 1. Saturnal. cap. 7.* b *in Alexandro. cap. 4.* c *de Clementia cap. 10. lib. 1.* d *lib. 6. de benef. cap. 33.* e *lib. 1. Sat. 9.* f *Lib. 15.* g *lib. 6. variar.* h *Vespas. cap. 14.* i *Lib. 28.* k *lib. 6. variar.* l *Lib. 3.*

Ter gazis suspexit Avar. ——

Et hoc (a) Paulo Diacono sacrum velamen est: *Italiam ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam velaminis dono confirmavit.* Ante Corippum Lampridius de Elagabalo scribens: *qui subito militum strepitu exterritus, in angulum se condit, objectuque Veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Videntur autem in Palatio frequentia fuisse Vela, tum quia (b) Suetonius scribit, prætensa fuisse foribus etiam solarii Vela, tum quia VELARIORUM præsidatum & præfecturam domo Augusta fuisse liquidum est. Neapoli;

D. M
L. FLAVI. AVG
LIB. PRIMIGENI
SVPRA. VELARIOS
DE. DOMV. AVG.

Romæ:

TI. CL. THALLVS
PRAEPOSITVS. VELARIORVM
DOMVS. AVGVSTAE & rel.

Neque Romani tantum Principes conclavium fores Velis obtexerunt, sed & Barbari. (c) Sidonius de Theodorici Regis Wisigothorum stipatoribus: *circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum ne absit, admittitur; ne obstrepat, eliminatur; sicque pro foribus immurmurat exclusa Velis, inclusa cancellis.* Quod autem diximus hoc factitatum fuisse, ut Velum visum arceret, ea quidem causa fuit, sed & alia propior & pene sola, ratio venerationis, quæ & in privatorum ædibus (ut dicemus) pro suo modo fuit. Deorum sane simulachra antiquitus objecto Velo abdebantur. (d) Appulejus: *ac dum Velis candentibus reductis in diversum, Deæ venerabilem conspectum apprecamur.* (e) Sulpicius Severus; *quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulachra Dæmonum, candido tecta velamine, misera per agros suos circumferre dementia.* Hoc autem a Diabolo fuit, qui Velum tabernaculi, & Velum templi ridicule voluit æmulari, ut & alia hujus generis sexcenta. A simulachris, Velamentorum objectus transivit ad consistoria Judicum. (f) Constantius Imperator; *non sit venale Judicis Velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus Secretarium, non visio ipsa Præsidis cum precio.* Ab his ad limina Grammaticorum, in honorem secreti, an vero in tegumentum erroris, dubitat D. (g) Augustinus. In summa quidquid abdendum fuit Velo condebatur. (h) Martialis:

At meretrix abigit testem Veloque seraque

extulitque (i) Ausonius proverbii loco,

Non occursator, non garrulus, obvia cernens;
Valvis & Velo condita non adii.

Quo forsan alludunt Vela in thalamo, quæ recenset (k) Chrysologus: *ex quo ad desponsandum suam Ecclesiam Christus advenit, thalamus ornatur Sponsæ, & ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis Velis.* (l) Servius:

a *lib. 16. de gest. Rom.* b *Claudio cap. 10.* c *Lib. 1. epist. 2.* d *lib. 11. meta.* e *lib. 1. de vita D. Martini.* f *L. 1. C. Th. de offic. Rector. Prov.* g *lib. 1. confess. cap. 12.* h *lib. 1. 34.* i *Epiced. in Patrem.* k *Extremo sermo. 22.* l *Æneid. vers. 701.*

ideo autem etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret, sub quibus bellantes semper babitavere majores, unde & in thalamis boc fieri bodie conspicimus. Apud nos, retento Hebræorum more, velabantur olim aditus templorum & interni, & externi. (*a*) D. Hieronymus; *erat ergo sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si Janitor semper in porta, si Vela semper in ostiis.* (*b*) Gregorius Turonensis: *alia quoque vela, quæ vel parietibus, vel ostiis dependebant, ad primum flammæ flatum exusta sunt.* Indicant hæc veteres e musivo picturæ, quas nos in absidibus Altarium Romæ non semel contemplati sumus. Imo supersunt etiam hodie ibidem porticus templorum, veluti Alexii, Sabinæ, Augustini in schola Græca, Cosmatis, & Chrysogoni, in quibus cernuntur annuli velares inserti adhuc ferreis vectibus. Anastasius Bibliothecarius non semel; *Vela de fundato, Vela de Chrysoclavo, Vela de quadrapulo, Cortinam Alexandrinam. Vela alba boloserica*: Et hujus quidem forsan est inscriptio, quæ visitur Coloniæ Agrippinæ;

CASSIVS
VELARIVS
FANI. S. GER P
COM. STIP. XXXVIIII. &c.

Cathedræ Episcoporum & ipsæ velatæ fuerunt, ut notavit magnus (*c*) BARONIUS. Summi etiam Pontifices hæc videntur non rejecisse; cum (*d*) Johannes Diaconus scribat, Hebræos mercatores nunquam fuisse admissos ad collocutionem, seu obtutum summi Pontificis, sed extra Velum longissimæ porticus, non quidem in scamnis, sed in pavimento sedentes, suscepta precia numerasse. Sepulcris etiam nostrorum Vela prætendi consuevisse testatur abunde (*e*) Prudentius;

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Ho. [illegible] limus accepit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.


(*f*) Sedulius Judam incessens;

—— sed nil tibi gloria sæve
Traditor illa dabat, pedibus consistere nudis,
Qui sensu pollutus eras, velut omne sepulchrum
Ext[illegible]ior a gerens alba velamina formæ,
Sordibus interius, fœdoque cadavere plenum.

Hic autem candor videtur pervenisse ad nos ab Hebræorum consuetudine, apud quos sepulchra visebantur (*g*) dealbata: & mirum est, nisi huc alluserit Paulus, Ananiam vocando *parietem dealbatum.* (*h*) Quod & apud Ethnicos videtur obtinuisse. (*i*) Ammianus: *suasitque consarcinatis mendaciis, læsæ majestatis arcessere maritum insontem, & fingere quod velamen purpureum a Dioclet. sepulcbro furatus quibusdam consciis occultabat.* (*k*) Alcimus Avitus:

Ille quidem celsa dudum qui floruit aula,
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Aurato que datur conditus membra sepulcro,
Et preciosa tegunt elatum lintea marmor.

Transtulit autem & hunc ornatum ad sepulchra Sanctorum Christiana pietas, pallis lineis, & holosericis impositis, ut videre sæpe est apud Gregorium Turonensem. Hæc de publicis Velis. Privati & ipsi foribus suis prætendebant. (*a*) Seneca: *nemo irrumpit, nemo cogitationem meam impedit; quæ hac ipsa fiducia procedit audacius. Non crepuit subinde ostium, non allevatur Velum.* (*b*) Ulpianus, *sicut protbyrum domus, si velamen est*, inquit, *instrumento domus continetur*: Meminit autem idem Jurisconsultus Velorum, quæ frigoris vel umbræ causa in domo essent: Velorum ciliciorum, quæ ideo pararentur, ne ædificia vento vel pluvia laborarent. Velorum quæ in hypæthris, quæ circa columnas extenderentur; quibus addemus & nos Vela, & * *Aulæa* triclinaria, item Vela amphitheatralia, quæ per milites classiarios (inquit (*c*) Lampridius) duci mos fuit. Admissionalium vicem functi sunt apud privatos frequentius CUBICULARII. (*d*) Cicero:



jam cetera Jurisdictio nec imperita & clemens, cum admirabili facilitate: aditus autem ad me minime provinciales: nibil per cubicularium, ante lucem inambulabam domi, ut olim can-

a *in Epitaph. Nepotiani.* b *de glor. confessor. cap.* 55. c *in not. ad martyrolog.* 18. *Januar. in vita D. Gregorii apud Sur. Tom.* 2. e *Cathemerin. Hym.* 10. f *lib.* 5. *carmi.* g *Mathæi* 23. *vers.* 27. h *Actor.* 23. *vers.* 3. i *lib.* 15. k *lib.* 3, *cap.* 10.

a *Epist.* 80. b *Leg.* 12. §. *Papinianus. ff. de instruct. vel instrum. leg.* c *in Commodo.* d *lib.* 6. *ad At. ep.* 2.

* *Quo tempore*, inquit Varro, *usus cameræ ignorabatur*, vela *ad excipiendum pulverem, ne super mensas spargeretur, atque dapes simul Conspurcaret & convivas, solebant in tricliniis suspendi*, ab Horatio lib. 2. Serm. Sat. 8. *aulæa* vocata, hæc, & alia ad triclinium spectantia clarissime repræsentantur in vetustissimo lapide Rhamnusiano, quem tibi bona fide delineatum hic inseri curavimus.

didatus. Hi dominum tuebantur. quo fit ut (*a*) Alfenus cubicularios numeret inter eos, *qui ad patrisfamilias corpus tuendum præpoſiti deſtinatique eſſent*. (*b*) Quintilianus; *an vero parum juſtas ſæviendi cauſas habebam adverſus cubicularium? dominum ſuum non defenderat, non ſervaverat, neſciebat quis dominum ſuum occidiſſet*. Hac ex cauſa (*c*) Tacitus excubias vocat: *ſane conſilium occuluit, telum inter ignaros paravit, num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſciis?* Nec aliud (*d*) Cæſarem movit, cum in prædones incidiſſet, ut ceteris comitum ſervorumque dimiſſis, detineret Medicum & Cubicularios: ſcilicet illis carere poterat, his non poterat. In Palatio autem, *Præpoſitum* fuiſſe *cubiculo*, perhoneſtum munus fuit; ut de Helicone præfecto cubiculo Caii Cæſaris teſtatur (*e*) Philo. Contigit hoc Calligono, ut vidimus Valentiniani, & Parthenio Domitiani apud (*f*) Suetonium: qui & (*g*) Saturium quendam recenſet decurionem cubiculariorum. Erant enim non unus aut alter, qui apud Cæſares hoc munere fungerentur. (*h*) Capitolinus: *reliqui autem cubicularii Palatini (nam ſuos, ſtatim ut Imperator factus eſt, filiis emancipatis dederat) diffugerunt*: confirmat antiquum epigramma.

M. LIVIVS. AVGVSTÆ
L. AMARANTHVS
SVPRA. CVBVCLARIOS

Hi vero gratioſi apud dominum, maximis quibuſque muneribus præficiebantur. (*i*) Caſſius enim cubicularius Alexandri Imperatoris, accerſit Martinam virginem. Neſcio quis (*k*) alius ejuſdem ordinis, Manuel, Sabel, & Iſmael martyres invitat ad ſacrificandum, Juliani Cæſaris nomine. (*l*) Maximus Almachii Præfecti urbi cubicularius, Valeriani & Tiburtii ſupplicium exigit. Hinc Tyrii & Sidonii, quibus infenſus erat Herodes, (*m*) Blaſto, qui erat ſuper cubiculum Regis, deprecatore uſi ſunt. Eodem reſpexerunt Legati Hebræorum, (*n*) Heliconem libertum præfectum cubiculo Caii Cæſaris, obſequio & muneribus conati ſibi devincire. Notatque Lampridius, Commodum omnia ex nutu cubiculariorum ſemper feciſſe. Quod nemini mirum videri debet, cum Regium cubiculum ad rerum prope divinarum venerationem accederet. (*o*) Petrus Chryſologus: *quantum ſecretum cubiculi ſit regalis, quali reverentia, quo tremore locus habeatur, ubi ipſa Principis requieſcit poteſtas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc & permittatur acceſſus; quam munda, quam caſta, quam fidelia ibidem præſtolentur obſequia, Imperialis aulæ manifeſtis docetur inſignibus*. Cubicularii autem armigerorum opera aliquando impleverunt. (*p*) Ammianus; *poſt abruptum periculum, cui adeo proximus fuit, ut galeam ejus cubicularius ferens, auro lapilliſque diſtinctam, cum ipſo tegmine penitus introiret*. Quin & copiarum ductores fuerunt. (*q*) Anaſtaſius: *eodem tempore miſit Imperator Juſtinianus Narſetem eunuchum, & cubicularium ſuum in Italiam* &c. Quo fit, ut minime ſit mirandum, apud reges (*r*) Anglorum, cubicularium, qui & *camerarius* dicebatur, æs regium adſervaſſe. Item apud (*a*) Francos cubiculariis Regiis honorem aliquando maximum delatum fuiſſe. Et ab hac interiore cuſtodia cubicularii noſtri, ut dominicorum facinorum conſcii, in caput quandoque dominorum torquebantur, velut etiam alii promiſcue ſervi: ut (*b*) Appulejus, & (*c*) Ammianus teſtantur. Habebat autem & cubiculum ſuos Lares. (*d*) Suetonius: *puer qui curæ Larium [illegible] ex conſuetudine aſſiſtens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat* &c. Neque enim hæc de Laribus communibus accipio, ſed Larario, ut vocat (*e*) Lampridius: *uſus vivendi* (inquit) *eidem hic fuit, primum ut, ſi facultas eſſet, id eſt, ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in Larario ſuo, in quo & divos Principes, ſed optimos & lectos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & hujuſcemodi Deos habebat*. Idem ſecundi Lararii meminit, & Lararii majoris. Quod autem apud (*f*) Suetonium de Auguſto legimus; *Thurinum cognominatum, ſatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem, ferreis ac pene jam exoleſcentibus literis, hoc nomine inſcriptam; quæ dono a me Principi data inter cubiculares colitur;*) hoc ſane ad cubicularios Lares referendum eſt. Nec alibi, quam in hoc ſecreto Larario L. (*g*) Vitellius Auli Imperatoris pater, imagines videtur coluiſſe aureas Narciſſi, & Pallantis libertorum. Et quia ſanctos & beatos viros dormire in Domino uſurpat eccleſiaſtica loquendi conſuetudo, unde cœmeteria, & decantata ſeptem dormientium memoria; ideo (*h*) Leonem I. ſanctiſſimum Pontificem legimus, ſepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuiſſe, qui dicuntur cubicularii, ex Clero Romano. Collegam cubiculario adſignabimus illum, cujus meminit (*i*) Ovidius;

Fac plebem (mihi crede) tuam: ſit ſemper in illa
Janitor, & thalami qui jacet ante fores.

a qua conſuetudine narrat (*k*) Dionyſius Halicarnaſſeus, Tarquinium, clam Janitoribus, qui ad cubiculi januam dormiebant, ſtricto gladio cubiculum Lucretiæ ingreſſum fuiſſe. Et hi erant CUSTODES cubiculares. (*l*) Juvenalis:

Pone ſeram, cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? ——

(*m*) Appulejus; *Barbarus iſte, cum neceſſariam profectionem pararet, pudicitiamque caro conjugio conſervare ſumma diligentia cuperet, ſervulum ſuum Myrmecen, fidelitate præcipua cognitum, ſecretum commonet, ſuæque dominæ* CUSTODIAM *omnem permittit*. Briſeis apud (*n*) Ovidium;

Sæpe ego decepto volui cuſtode reverti,
Sed, me qui timidam prenderet, hoſtis erat.

(*o*) Ovidius ipſe:

Quem penes eſt dominam ſervandi cura, Bagoe,

a *Leg. 203. de verbor. ſignif.* b *Declam. 328.* c *Lib. 6. 14. Annal.* d *Sueton. cap. 4.* e *de legatione.* f *cap. 16.* g *cap. 17.* h *Pertinace.* i *Sur. To. 3.* k l *Breviar Rom. 14. April.* m *Actor. Apoſtolic. cap. 12.* n *Philo de Legat.* o *Serm. 141.* p *Lib. 27.* q *in Virgilio.* r *Ealredus in vita S. Eduardi, apud Surium Tomo 1.*

a *Maſſonius in Ludovico Balbo.* b *lib. 10. metam.* c *L. 28.* d *Domitiano cap. 17.* e *in Alexandro Severo* f *cap. 7.* g *Sueton. cap. 2.* h *Anaſtaſius Biblioth.* i *lib. 2. de arte amandi.* k *lib. 4. de his Fabius minor multa, Declam. 1. &c.* l *Sat. 5. verſ. 346.* m *lib. 9. metamorph.* n *Epiſt. 3. Hero.* o *lib. 2. amor. Elegia 2.*

(*a*) &,

Heu mihi, quod dominam, nec vir nec fœmina servas.

In hæc ædium intima conjiciemus exoletos, imitatos fœminas pueros, in deliciis habitos, quos præterimus lubentes, ne turpi recensendo ministerio, honesti lectoris, qualem nobis contingere cupimus, modestiæ incommodemus. Neque vero huic nostræ cubiculi collocationi adversantur dicta CHRISTI domini Lucæ XI. Quod enim ibi paterfamilias lectum & cubiculum januæ vi detur applicuisse, id extra ordinem fuit, & magno cum mysterio. *O quam dare vult* (exclamat (*b*) Chrysologus) *qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quam necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri! O quam pulsanti iste gestivit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocavit ad januam!* DIÆTARIIS seu ZÆTARIIS diæta nomen imposuit. Diæta autem fuit vel cœnatio, vel cubiculum; vel cubiculum & triclinii appendix. (*c*) Abdias: *jam enim regnum paratum vobis, & ex coruscantibus gemmis Zætas instructas, plenas gaudii, plenas epulis, plenas deliciis, plenas denique vita perpetua, & lumine æterno, parvo tempore amisistis.* D. (*d*) Sebastianus: *quanto magis illarum vos debet pulcritudo invitare domorum, ubi sunt triclinia auro puro radiantia, quæ ex gemmis & margaritis habent Zætas instructas?* Meminit autem non semel (*e*) Plinius junior. Has, quia multæ erant in unica domo, discernebant apposito nomine numinis alicujus, vel alterius cujuspiam rei. Exemplo sit celebris apud Lucullum Apollinis diæta, & illa altera eidem cognominis, cujus in veteri lapide adhuc extat mentio;

GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
A DIAETA. APOLLINIS
AD. DIAETA. EANDEM
IN. CIRCVITV. P. . CC
LXXVII.

Item in Palatio *Hermæum*, in quod recesserat (*f*) Claudius, exclusus ab insidiatoribus Caii Cæsaris. In eodem Palatio fuit cœnatio nomine Jovis, cujus meminit in Pertinace Capitolinus. Mica Domitiani, & Timonion Antonii, indice non egent, cum per se nota sint satis. Verba etiam Dominica apud (*g*) Matthæum Evangelistam; *εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου, intra in gaudium Domini tui*; vix aliter Grammatice, quam de diæta, seu cœnaculo possunt intelligi, quod Dominus *χαρὰν* vel appellasset vel inscripsisset. Et vero hæc seu inscriptio, seu appellatio, non decebat locum, in quo (ut parce dicam) gaudium & hilaritas debacchabantur. Ad hæc verbum *εἴσελθε*, quod Latine est *intra*, vel *subi*, eo nos ducit etiam invitos, uti etiam sentit Vir Clarissimus JOH. GEORGIUS HERVVARTUS, Serenissimi BAVARIÆ DUCIS intimus Consiliarius, abstrusarum antiquitatum promus & condus. Vox quoque ipsa *χαρὰ* de epulis sumitur, ut animadvertit nobilissimus idem vir, in libro (*h*) Esther; *ἦγον αὐτὴν ἡμέραν μετὰ χαρᾶς, καὶ εὐφροσύνης*. Servo autem id quod erat exuere cupienti, nihil ferme jucundius obtingere poterat, quam cœnæ & convictus dominici participem fieri. Et quidem (*a*) Jurisconsulti censuerunt speciem manumissionis per accubitum servi a domino invitati, desumpto forsan more e Saturnalibus feriis, quibus libertate Decembri, ut ille ait, servi dominabantur, domini serviebant. Quod autem verba CHRISTI Domini de convivio & diæta accipienda sint, confirmatur ex illis, quæ leguntur apud eundem (*b*) Matthæum, *καὶ τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον*. id est, *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*: tenebræ enim exteriores, ut animadvertit acutissimus MALDONATUS, opponuntur copioso tædarum, lampadarum, lychnorum lumini, quo cœnaculum illustrabatur. Neque non huc pertinent *ὁ κλαυθμὸς, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων*. *fletus, & stridor dentium*. Exclusum enim & ejectum, amictum sindone super nudo, ut ab Evangelio non abeamus, agentem sub dio in tenebris, & metuentem sibi, reputantemque ignominiam suam, ecquid aliud manebat quam fletus & stridor dentium? Quæ si libero capiti contingebant, cur negemus eadem accidere potuisse infelici servulo, quem vili tunicula indutum, torqueret mala conscientia perperam factorum, & domini præceps ira, ad flagella & cruces properantis? illa vero ejusdem Matthæi; *ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω*, videant eruditiores, an adaptari possint ad triclinium C. Pompeii Trimalcionis, in cujus prima parte, ut ait Petronius, Procurator rationes accipiebat. Diætarios legimus, tum Philodespotum illum ex Hermæo, cujus (*c*) meminimus, tum hospitem Sanctorum martyrem Castulum, qui Zætarius Palatii inscribitur in (*d*) martyrologio. Zæta autem & Zætarius Diæta sunt & Diætarius, ea formatione, qua (*e*) Zarrhytum pro Diarrhyto, pro Diabolo (*f*) Zabulum, pro Dianio Zanium & pronunciari, & scribi alii observaverunt. Neque adeo mirum videri hoc sinunt voces non paucæ, Latinæ ortu & notione, in quibus efferendis nos D in Z vertimus, ex communi tum Italicarum dialectorum, tum (*g*) nationum fere omnium consensu. Nomen DEI ipsius apud Latinos sunt qui derivent a voce Græca ΖΕΥΣ, solerti profecto & valde probanda conjectura. Lapicidinæ seu Latumiæ in agro Vicentino sunt, indigenis & peregrinis ob novitatem spectaculi celeberrimæ, in quibus naturæ & artis pugna major sit an concordia, merito ambigimus. Eas patria voce appellamus *Costoza*, antiquo nomine sensim & per licentiam, quam diximus, immutato; majoribus enim nostris procul dubio re & nomine *custodia* fuit. Et hæc in gratiam hominum nostrorum dicta sint. Ad Diætarios porro ut revertamur, Diætis præfuit DIÆTARCHUS. Romæ;

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS. SERVO. DI
AETARCHO. DOMVS
AVG. TREBONIA. LAV
DICE &c.

Quod vero habent glossaria. *Atriensis Διαιτάριος*, *Διαιτάρχης*, ex eo capite non improbamus,

a *Elegia* 3. b *Serm.* 39. c *lib.* 5. *histor. eccl.* d *apud Sur. Tom.* 1. e *lib.* 2. *ep.* 17. *lib.* 5. *ep.* 6. f *Suetonius Claudio cap.* 10. g *cap.* 25. h *cap.* 9.

a *Cajus institutionum lib.* 1. *cap.* 1. b *eod. cap.* 25. c *Vet. inscrip.* d 26. *Martii*. e *Surita ad itiner. Anton.* f *Lipsius de pronunc. cap.* 16. *Isidor. lib.* 20. *vig. cap.* 9. g *M valerius ad Val. Max.*

quod in Atrio, ut diximus, cœnabant veteres, & Diæta, ut vidimus, cœnatio fuit, & cœnaculum. Oblectamenta domus, Silvæ, Ambulationes, Viridaria, licet (*a*) pensilia essent aliquando, in superficia rio tamen habitationis solo ut plurimum constituta erant. (*b*) Horatius;

Nempe inter varias nutritur Silva columnas,
Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros.

(*c*) Tibullus;

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataque trabes, marmoreumque solum.

(*d*) Juvenalis:

Quid refert, igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?

(*e*) Martialis:

Daphnonas, Platanonas, & aerias cyparissos;
Et non unius balnea solus habes.

(*f*) Plinium: *Jam quidam Hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros, villasque possident.* (*g*) Juvenalis, cum dixisset,

Tandem pro multis vix jugera bina dabatur
Vulneribus ——

(*h*) subdit;

Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.

His peculiares homines e servitio curam impendisse nemo negabit. Et Romæ olim profecto in musæo Carpensi legebatur;

SEX. POMPEIO. SALVIO. SEX. POM. SER. A. PENDICE. CEDRI. ITEM. AB. HORT. CVLT. H. S. E. &c.

En servum A PENDICE CEDRI, & AB HORTORUM CULTURA. Et hic sane adnotanda est *Pendicis* vox, quæ a nostris civitate donata, nescio an alibi apud auctores Latinos legatur. Hanc frequentem apud Poetas nostros, inepti profecto sunt, qui ab *appendice* derivant. Ab horti cultura fuit genero Vandalorum Regis in Africa (*i*) Paulinus Episcopus, sanctissimus vir, qui seipsum pro redimendo viduæ filio, in servitutem dedit. At in familia Cæsarum VILLICI seu PROCURATORES HORTORUM fuerunt, tam urbanorum, quam suburbanorum, pro dignitate videlicet, ne dicam superbia, divinæ domus;

D M
FELICI. CAES. SER
VILLICO. HORTORVM
MAIANORVM &c.

&;

GENIO
COETI. HERODIAN.
PRAEGVSTATOR
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN
HORTIS. SALLVSTIANIS &c.

a *Fil. Seneca Ep.* 122. *Pater lib.* 5. *controv.* b *lib.* 1. *epist.* 10. c *lib.* 3. *El.* 3. d *Sat.* 4. *vers.* 5. e *lib.* 12. 50. f *lib.* 19. *cap.* 4. g *Sat.* 14. *vers.* 164. h *ibid. vers.* 172. i *Gregor. lib.* 3. *Dial. cap.* 1.

item;

LOCVM ADSIGNATVM. A. MOSCHO. PROC
HORTORVM. MAIANORVM. ET. LAMIANOR

Respexit ad hoc hortense Cæsarum patrimonium junior (*a*) Plinius: *circumfertur sub nomine Cæsaris, tabula ingens rerum venalium, quod sit detestanda avaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa: tunc exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa: nunc Princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit ipsos: illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum, licemur, emimus, implemus.* Et de his demum illud majoris (*b*) Senecæ jure dici poterat, *latiusque nunc Villici, quam Reges imperant:* SUBVILLICUS hujus ordinis fuit, ut indicat titulus antiquus,

HERMEROTI. VICARIO. SVO
LVPERCVS. SVBVILLICVS
HORTORVM. ANTONIANOR
BENEMERENTI. FECIT.

Hoc autem muneris tetigit forte (*c*) Seneca: *quo, inquam, te isti efferunt? ad ostium alicujus ostiarii, ad hortos alicujus ne* ORDINARIUM *quidem habentis* OFFICIUM. Viridiaria seu viridaria instructa fuisse hominibus qui colerent & ornarent, probat sepulcralis inscriptio,

L. CORNELII. L. L. SASAE
MAGNI. VIRIDIARII
MONVMENTVM & rel.

AQUARII, præter illos publicos, etiam privati fuerunt, qui salientes curarent, pro familiarum qua usu, qua voluptate. Aquæ sane in eam copiam immissæ sunt in domos privatas, ut (*d*) Seneca Rhetor, in summis culminibus ædium, navigabilium piscinarum freta haberi, alicubi testatus sit. Horti adhæc, Cubicula, Cœnacula, Balnea, & corruptelæ denique omnes (ut conqueritur Frontinus) perpetuis salientibus instructæ fuerunt. (*e*) Julius Paulus: *domo cum omni jure suo, sicut instructa est, legata, urbana familia, item Artifices & Vestiarii, & Zætarii. & Aquarii eidem domui servientes legato cedunt.* De publicis Aquariis superius satis dictum est. Hoc unum erit appendiculæ loco, M Cœlium Rufum cum Tabernariis & Aquariis pugnasse, & quidem non cum hisce nostris, sed cum illis qui ex familia publica erant. (*f*) Frontinus; *ac de vitiis hujusmodi nec plura, nec meliora dici possunt, quam a Cælio Rufo dicta sunt in ea concione, cui titulus est de Aquis.* Fuerunt & *Aquarii Cæsariani*, ut indicat antiquus titulus dedicationis, quem nos Romæ exscripsimus.

NYMP. SANC. SAC. EPICTETVS
AQVARIVS. AVG. N.

Aquariorum artes (*g*) Manilius recensuit.

Ille quoque inflexa, frontem qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenalis Aquarius artes.
Cernere sub terris, undas inducere terris,
Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra.

a *Panegyr.* b *lib.* 5. *controv.* c *lib.* 3. *de benef. cap.* 28. d *lib.* 5. *contr.* e *lib.* 3. *Sent. tit.* 7. f *de aquæduct.* g *Lib.* 4.

Littoribusque novis per luxum ludere ponto;
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta:
Et peregrinantes domibus suspendere rivos;
Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda.

Neque vero lectori nostro injucundum fore arbitramur, si ad levandum tædium diuturnæ lectionis, ad amœnos illum fonticulos deduxerimus, ut assideat tantisper, & parva interjecta mora vegetior exurgat. (*a*) Martialis:

Fons dominæ, regina loci quo gaudet Hiantis,
Gloria conspicuæ, deliciumque domus:
Cum tua niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro:
Quid facit Alcides silva sacratus in ista? &c.

(*b*) idem alibi:

Quis puer hic nitidis absistit Hiantidos undis,
Et fugit ad dominam Najada? numquid Hylas?
O bene quod silva colitur Tyrinthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Agrine, ministres, &c.

En ministros FONTANOS, annumerandos gregi non magis Aquariorum, quam Pocillatorum turbæ. Jurisconsulti autem nostri vasa hæc recensent salientibus aquis accommodata; *plumbeum Castellum, Fistulas sub terra missas, Ahenum lateribus circumstructum, Fistulas fictiles, Epistomia, Canales, Automata, Cantharos, Personas, Crateres, Vasa ænea.* Expressiones porro aquarum Silani vocabantur. Earumdem moduli aut ad unciarum, aut ad digitorum rationem instituti erant: unde fit, ut apud (*c*) Paulum in epistola nescio cujus legamus, ὕδατος τοῦ ῥέοντος δάκτυλον, *aquæ fluentis digitum*, apposite ad veterem inscriptionem Svessanam, in qua ordo Decurionum Coloniæ Svessæ, C. Titio cuidam Chresimo permittit

VT. AQVAE. DIGITVS
IN. DOMO. EIVS. FLVERET

Aquariorum privatorum munera ex eorundem familia publica satis patebunt. TOPIARII hortos exornabant, uti & nunc faciunt, & id quidem Hedera, Myrto, Lauru, Buxo, Chamædaphne, Adiantho, Acantho, & ejusdem generis aliis. (*d*) Plinius de Cupresso loquens: *trahiturque etiam in picturas opere historiali, venatus classesve, & imagines rerum tenui folio, brevique & virente supervestiens.* Junior (*e*) Plinius: *alibi ipsa buxus intervenit, in formas mille descripta, litteris interdum quæ modo nomen Domini dicunt, modo artificis.* Et: *post has Acanthus hinc inde lubricus & flexuosus, deinde plures figuræ pluraque nomina.* legebatur olim Neapoli:

LVCRIO AVG.
TOPIARIO. EX HORTIS &c.

INSULARII Insulas custodiebant: erant autem (*f*) Insulæ ædes grandiores, quæ non jungebantur communibus parietibus cum domibus vicinis: quales Sex. Rufus, & P. Victor olim Romæ non paucas recensuerunt. Veteres autem,

a *Lib.* 7. 50. b *Lib.* 7. 15. c *Leg. ff. penult. de servit. rust. præd.* d *lib.* 16. *cap.* 33. e *Lib.* 5. *epist.* 6. f *Festus.*

A domos vel portus, vel insulas dixerunt, ut notant (*a*) Donatus & Festus. His videtur præfuisse nonnumquam PROCURATOR. Petronius: *cum Procurator Insulæ Bargates, a cœna excitatus, a duobus Lecticariis in mediam rixam perfertur.* Tetigit hæc (*b*) Plinius in Domitianum invehens; *ergo in vestigia sedesque nobilium immigrant pares domini, nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur, aut fœda vastitate procumbunt: datur intueri pulcherrimas ædes, deterso situ auctas ac vigentes: magnum hoc tuum, non erga homines modo, sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, in-*
B *gentia opera eodem, quo extructa sunt, animo ab interitu vindicare; muta quidem illa & anima carentia, sentire tamen & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini non servientis.* Et quia in Horreis & Insulis preciosissimam plerumque partem fortunarum suarum homines opulenti reponebant, ideo servi CUSTODES appositi sunt, ut præter (*c*) Paulum Jurisconsultum indicavit (*d*) Juvenalis;

—— misera est magni custodia census.
Dispositis prædives amis vigilare cohortem
C *Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, & lata testudine ——

ubi antiquus interpres; *per translationem*, inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum amis, & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* (*e*) Paulus: *erat autem familia publica circa portas & muros disposita, unde si opus esset evocabatur: fuerunt & privatæ familiæ, quæ incendia vel mer-*
D *cede vel gratia extinguerent.* Neque vero frustra circa portas & muros disposita fuit familia publica: ut enim notat Donatus ad illa Terentii in (*f*) Adelphis,

—— priusquam ad portam venias, apud ipsum lacum.

Varro docet, semper lacum portis additum: scilicet ob usum jumentorum exeuntium & introeuntium; præterea ut adversum hostilem ignem portis de proximo subveniretur. Idem (*g*) Paulus: *sciendum est*
E *autem Præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum amis & dolabris.* Ad quem locum legendus est magnus (*h*) CUJACIUS, cujus observationem possunt nonnihil locupletare verba (*i*) Petri Chrysologi in Serm. cui lemma est de servo vigili: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: nil de vestitu, nil de ipsius occursus apparatu servi vigiles admonentur, sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura.* De privatis nostris (*k*) Appulejus: *nec secius Thrasileon, examussim capto noctis latrocinali momento, prorepit cavea: statimque custodes, qui prope sopiti quiescebant omnes ad*
F *unum, mox etiam janitorem ipsum gladio conficit.* (*l*) Juvencus etiam;

Si sciret certum furis insistere tempus,
Quisque domus custos vigilaret, & obvia ferret

a *Adelph. act.* 4. *Sc.* 2. b *Panegyr. Trajani.* c *Leg.* 3. *ff. de off. Præf. vigil.* d *Sat.* 14. e *L.* 1. *ff. de off. Præf. vig.* f *Loco cit.* g *Tit. cit. L.* 3. h *lib.* 13. *observat. cap.* 30. i *Serm.* 24. k *lib.* 4. *metamorph.* l *lib.* 4. *histor.*

Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes.

nec non & D. (*a*) Zeno: *tu ad hæc sine dubio respondebis, omnia simul reposita, ac recondita claustris validissimis, & signaculis tutissimis communivi: nulli quidquam tribui: quinimo & ad custodienda ea vigilias addidi: meas curas impendi: solicitudines tribui.* Hucusque urbanum hunc gregem calamo lustravimus; si non totum, summa saltem ejus capita. Superest autem, ut & rusticam plebem in unum locum ante oculos philologi spectatoris cogamus. Qui convenerunt spectatum, dent operam, & æquo animo adsint: auferent enim secum Exodiarii nostri quidquid fastidii non ferendi, superbissima urbana mancipia, in hanc temporariam scenam invexerunt.

Rustica familia non fuit illa quidem (quod ad immensitatem attinet) urbanæ par; numerosa tamen & ipsa, dignaque ob ministeriorum aptam inter se rationem, quæ a nobis seorium recenseatur. Et sane de numero testis nobis esse poterit Cæcilius is, qui testamento suo apud (*b*) Plinium edixit, *relinquere se servorum quatuor millia centum XVI. juga boum tria millia sexcenta: reliqu pecoris ducenta quinquaginta septem millia.* Quod enim hominum capita tot bobus, tot pecoribus præposita fuisse arbitrabimur? diligenti sane ratiocinatori, illa quatuor millia servorum, quæ ipse expressit, vix huic summæ videantur sufficere. (*c*) Valerianus Imperator aluit in villa privata vaccarum duo millia, ovium decem millia, caprarum quindecim millia, equas mille: ad quas sane copias quingenti servi rustici, quos notat Vopiscus, pauci & infrequentes omnino sunt. Jam vero arationes illas & latifundia, quæ provincias occupabant, & maria (ut inquit (*d*) Seneca cingebant; num credimus vastitatem & inanitatem fuisse? minime vero. Unius Siciliæ ergastula, bello servili, centum & amplius millia fugitivorum effuderunt. (*e*) Probus ille præfectus Prætorio, qui per universum orbem Romanum patrimonia sparsa possedit, eam multitudinem rusticorum mancipiorum possederit necesse est, ut illam pro dignitate rei, diuturna vix possit assequi cogitatio. Age Senecam advocemus, qui definivit; *Unum* (*f*) *putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina conduntur? aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant: unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia & in Africa seritur?* (*g*) idem alibi. *Quamdiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet? quandiu unius mensæ frumentum multa navigia, & quidem non ex uno mari subvehent?* Hujus familiæ recensionem illa nobis expedient, quæ scripta sunt a (*h*) Vitruvio & (*i*) Columella, describentibus villæ positionem. Et quidem hujus alterius topographiam sequi placet. Villa igitur erit aut urbana, aut rustica, aut fructuaria. Rursus urbana aut hyberna erit, aut æstiva. In hyberna paterfamilias per hyemem erat: in æstiva per æstatem. Hujus membra erant, cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes, & reliqua, ut in habitatione legitime urbana; quibus non immorabimur, quoniam instruebantur ministeriis eo translatis, quousque dominus ibi permansisset. Atriensibus exempli causa, Balneatoribus, Fornacatoribus, Diætariis, Ostiariis, Fullonibus, Mediastinis, Scopariis, Suppellecticariis, Tonsoribus, & reliquis aliis ad domini usum, & delicias. Atriensi autem rustico illud injungit (*a*) Columella, ut suppellectilem exponat, ut curet ferramenta nitidari, & liberari rubigine; quod utique apud parcos & attentos patresfamilias obtinuisse arbitramur, qui nollent supervacuum suppellecticariorum ministerium domi habere. Et hoc non rure modo, sed etiam in urbe aliquando placuit, cum (*b*) Cicero Atriensi comparet illum, qui Matellionem Corinthium cupide tractabat. Villæ rusticæ primas Columella assignat culinæ, quam in chorte constituit Vitruvius. Nos de Pistrino primum agemus, quod utique opportunum fuit. Præcipit autem (*c*) Palladius, *ut si aquæ copia patiatur, fusuram balnearum suscipiant pistrina, ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore, frumenta frangantur.* Quæ sane verba indicant, non ita recentem esse usum aquariarum molarum, ut quidam arbitrantur. Alioqui viros & mulieres in pistrinum conjectos fuisse perspicuum est, ubi nimirum non aderat aquæ vis. D. (*d*) Lucas in Evangelio *δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ μία παραληφθήσεται*, &c. meminit etiam (*e*) Theophrastus. Et hæ quidem mulieres: de viris diximus alibi: & patet ex iis, quæ narrat (*f*) auctor historiæ miscellæ, de pistrino quod Imperator Theodosius Romæ sustulit, mancipibus supplicio affectis. Culinæ adscribemus mulieres, quæ (*g*) PULMENTARIA rusticis coquunt, item (*h*) eos qui CIBUM familiæ conficiunt: his assignabimus (*i*) patinas & cacabos, sine quibus coqui non poterat pulmentarium. Expressit autem (*k*) Cato quid veniret nomine pulmentarii, at parce (ni fallor) & crudum tantum respiciens, non coctum. Sunt hujus loci FOCARIAE, quarum meminerunt (*l*) Pomponius, (*m*) Ulpianus, & (*n*) Paulus. Focus enim fuit in coquinis. (*o*) Arnobius: *& quid, quæso, ut faciat præsidatum focorum Deus iste sortitus est? per humani generis coquinas currit, inspiciens & explorans, quibusnam lignorum generibus ardor in foculis excitetur* &c. (*p*) Sunt qui focarias concubinas interpretentur; & profecto non male, possumus siquidem ex (*q*) Varrone conjecturam confirmare, is enim de pastoritia concubina scribens: *sed eas* (inquit) *mulieres esse oportet firmas, non turpes quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris; ut in Illyrico passim videre licet, quod vel pascere pecus, vel ad* FOCUM *afferre ligna, ac cibum* (*r*) *coquere, vel ad casas instrumentum servare possunt.* Et sane FOCARII, quos vocat (*s*) Ulpianus, ad culinam pertinuerunt, cum eos ATRIARIIS adjungat. CELLARII vel CELLERARII a cella nominati, curabant aliquando ut essent salvæ rationes, inquit (*t*) Ulpianus. Ceterum (*u*) præbebant familiæ potionem & cibum; eorumque diligentiam præceptionibus instruxerunt (*x*) M. Ambivius, Mænas Licinius, & C. Matius. Et hos (*y*) Varro PROMOS videtur appellare, ut & Columella. (*z*) Culinæ proximum statuemus (*aa*) VALETU-

a *Serm. de duplici tentat. specie.* b *lib.* 33. *cap.* 10 c *Vopiscus.* d *Epist.* 89. e *Ammianus lib.* 27. f *epist.* 114. g *Epist.* 60. h *lib.* 6. *cap.* 9. i *lib.* 1. *cap.* 6.

a *lib.* 12. *cap.* 3. b *Paradox.* 5. c *Lib.* 1. *cap. penult.* d *cap.* 17. e *in characteribus.* f *lib.* 13. *tangit & Cedrenus.* g *Leg.* 12. §. 5. *ff. de instruct. vel instr. legat.* h *Columel. lib.* 12. *cap.* 3. i *Leg.* 18. §. 3. *ff. de instruct. vel instrum. legat.* k *Tit.* 58. l *Leg.* 15. *ff. de instruct. vel instrum. leg.* m *Leg.* 12. *ff. eod.* n *lib.* 3. *Sent. tit.* 7. o *lib.* 4. *adver. Gent.* p *Gul. Furner. ex L.* 2. *C. de don. int. vir. & uxor.* q *lib.* 2. *de R. R. cap.* 10. r *Turnebus lib.* 8. *cap.* 9. s *Leg.* 1. §. 5. *ff. Nautæ. Caup. Stabul.* t *Leg.* 12. *ff. de instr. vel instrum. leg.* u *Colum. lib.* 11. *cap.* 1. x *Colum. lib.* 12. *cap.* 4. y *lib.* 1. *de R. R. cap.* 16. z *lib.* 12. *cap.* 3. aa *Colum. lib.* 11. *cap.* 1. *lib.* 12. *cap.* 3.

DINARIUM primo, tum (*a*) Cellas servorum solutorum, quos in universum OPERARIOS vocabimus, ut appellat & (*b*) Varro; AGRICOLAS nimirum, & qui OPUS ruri faciebant inquit Terentianus (*c*) Geta. Hic est (*d*) MEDIASTINI locus, (*e*) SARRITORIS seu (*f*) SARTORIS, (*g*) OCCATORIS, (*h*) RUNCATORIS, (*i*) MESSORIS, & aliorum hujusmodi, quos (*k*) OPERAS vocat Horatius, ut & rustici nostrates. Messores corbe insignes erant. (*l*) Ovidius;

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago.

(*m*) Propertius,

Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Cordis & imposito pondere messor eram.

COLONI ex hoc numero sunt, & recensuit (*n*) Julius Paulus, a quibus videntur profluxisse *coloni originarii, & adscriptiti glebales*, quorum extat apud Juris tum Pontificii, tum Cæsarei conditores celeberrima mentio. D. (*o*) Augustinus: *non sicut appellantur Coloni, qui conditionem debent genitali solo, propter agriculturam sub dominio possessorum, sed sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor* &c. Adscriptitii sunt, glebæ quam incolunt adsignati, devoti aratris & rastris, ut loquitur (*p*) Claudianus. Et horum contubernales mulieres nos utique non vexabimus, divellendo & alio transferendo. Imo & inibimus gratiam ab ipsis, opinor, si (*q*) LANIFICAS & (*r*) LANIAS cohabitare permiserimus. Et in hunc forte usum habiti sunt aliquando in fundo TEXTORES, & instituti Hystones, inquit (*s*) Varro. Et sane curam vestis conditæ uni villicæ præscribit (*t*) Columella: & insuper ut præparatas & pectitas lanas habeat, ex quibus sibi, actoribus, & aliis in honore, servilis vestis domi conficiatur: monet præterea ut ad telam accedat, ac si quid melius sciat, doceat. Textrinum & Textricem ob oculos ponit (*u*) Ovidius;

Haud mora; constituunt diversis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo vincta est; stamen secernit arundo:
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecto pectine dentes.
Utraque festinant, cinctæque ad pectora vestes,
Brachia docta movent, studio fallente laborem.

de textrino rustico hæc cecinit (*x*) Sidonius;

Continuata dehinc videas, quæ conditor ausus
Æmula Palladiis textrinæ ducere templis.

a *idem lib. 1. cap. 6.* b *lib. 1. de R. R. cap. 17.* c *Phorm. act. 2. Sc. 1.* d *Colum. lib. 1. c. ult.* e *idem lib. 2. cap. 13. & Varro lib. 1. cap. 29.* f *Plautus Captivis.* g *Colum. lib. 2. cap. 13.* h i *Columella loco prox. cit.* k *Lib. 2. Sat. 6.* l *Lib. 13. Metam.* m *Lib. 4. El. 2.* n *Leg. 24. ff. de instruct. vel instrum. legato.* o *lib. 10. de Civit. Dei cap. 1.* p *lib. 2. in Eutrop.* q r *Leg. 12. & 16. ff. de instruct. vel instrum. legat.* s *lib. 1. de re R. cap. 2.* t *lib. 12. cap. 3.* u *lib. 6. metamorph.* x *in Burgo Pontii Leontii Carm. 22. vers. 192.*

Hac celsi quondam conjux veneranda Leonti
(Qua non ulla magis nurus unquam Pontia gaudet
Illustris pro sorte viri) celebrabitur æde
Vel Syrias vacuasse colus, vel Serica fila
Per cannas torsisse leves, vel stamine fulvo
Prægnantis fusi mollitum nosse metallum.

Nunc pergamus ad Ergastulum cum Columella. Fuit autem domicilium FOSSORUM, qui compediti erant. (*a*) Juvenalis:

Ipse focis brevibus ponebat olufcula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede Fossor.

idem (*b*) alibi;

Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,
Quem mire afficiunt inscripta Ergastula, carcer
Rusticus? ——

(*c*) Seneca pater: *arata quondam populis rura, singulorum nunc Ergastulorum sunt, latiusque nunc villici, quam Reges imperant.* Ergastulorum esse rura dixit Seneca ea ratione, qua (*d*) Plinius scripsit, *coli rura Ergastulis pessimum est*, id est mancipiis Ergastulorum. At *quindecim vincti Ergastulum constituebant*, si (*e*) Appulejo credimus. His præerat ERGASTULUS ut appellat (*f*) Nonius, quem ERGASTULARIUM vocat (*g*) Columella. Eunus sane dux ille nobilis fugitivorum in Sicilia, Ergastularius servus fuit, teste (*h*) Ammiano; licet (*i*) Florus videatur dissentire. Horum opus erat fodere, unde dicti sunt FOSSORES. Ideoque invisam terram Fossori canit (*k*) Horatius; ubi Porphyrio. Hujusmodi (*l*) Eutyches, Victorinus, & Maro martyres. Nerei & Achillei (ni fallor) conservi, quos Aurelianus a Nerva Cæsare sibi donatos, tamquam servos suos, per sua prædia divisit, *jussitque eos tota die terram fodere, & cantabrum edere ad vesperam.* Cantabrum porro, ut olim docuit vir magni nominis (*m*) HADR. TURNEBUS, furfur est Apicio & Cœlio. Et quidem Apicius lib. VII. cap. I. & VII. cantabri meminit: at nusquam quid illud rei esset (quod ego quidem animadverterim) explicavit. (*n*) Cœlius Aurelianus de acutis morbis ad Hippocratem de pleuriticis juvandis; *utendum (inquit) etiam hordeo, vel orobo in aceto miti & calefacto, & celeriter saccello incluso, tunc apposito, sive cantabro, eodem liquore fervefacto* &c. Apud quem notandum est, quod ubi in Hippocrate lib. II. de victu in morbis acutis, non longe a principio, *furfur* est, in translatione apud Aurelianum ad eundem Hippocratis locum, est *cantabrum*. Idem auctor meminit cantabri etiam (*o*) alibi. Accedunt Turnebo medici omnes, Barbari præsertim, apud quos nihil est tritius. Galenus ipse in Dynamidiis, & Vegetius in veterinaria, succi cantabri mentionem faciunt, cremorem furfuris intelligentes, qui ut differebat PHILIPPUS MENZELIUS medicus Ingolstadiensis, cujus eruditioni hanc disquisitionem universam debet philologus lector, ita exprimi solet: In pugillos aliquot furfuris, seu cantabri, infunditur aqua, post horas aliquot refusa superflua aqua, furfures exprimuntur: furfuris succus albidus seu cremor sic est

a *Sat. 11. vers. 79.* b *Sat. 14. v. 23.* c *lib. 5. controv.* d *lib. 18. cap. 6.* e *Apologia (ut vocant) prima.* f *in Ergastulum.* g *lib. 1. cap. 8.* h *lib. 14. in fin.* i *lib. 3. cap. 19.* k *lib. 3. carm. Ode 18.* l *Sur. Tom. 3.* m *adversar. lib. 15. cap. 16.* n *lib. 2. cap. 19.* o *lib. de acutis morb. cap. 3. 8. & 17.*

est usui. In furfure enim, præsertim triticeo aut farreo, multum est farinæ, vel farinaceæ materiæ, quæ partim maceratione illa, partim expressione, cremorem conficit. Confirmantur hæc ex catholico F. Johannis de Balbis, edito Augustæ anno MDLXIX. in quo diserte legitur: *cantabrum purgamentum est frumenti vel farinæ, vel cibus caninus, quo canes pascuntur*. Itaque cantabrum ad vesperam edere, non erit herba cantabrica vesci, ut opinatus est Surius, sed furfuraceo isthoc pane, & canino more tractari, nedum servili. Vocis vero originatio duplex affertur; altera a furfuraceo & contemptibili pane, captivis & servilibus dato cantabris, ex odio majore gentis, quæ duritie sua tot annos Romanos exercitus fatigarit; altera ab elementaria subtractione, quod videlicet cantabrum dictum sit quasi *canabrum*, a caninis pultibus, quæ fere fiunt e furfuribus, & frumenti variis purgamentis. Hæc omnia quæ nos in epitomen redegimus, diserte & copiose dominus MENZELIUS, in gratiam M. VELSERI Clarissimi viri, cujus laudes supra omnem laudationem sunt. Ego vero (si lucernam licet mero meridie accendere) addo illa (a) Juvenalis:

—— cum possis honestius illic

A *Et tremere, & sordes farris mordere canini?*

cantabrum designare, ut etiam censuit antiquus glossator, qui adjecit, panem sordidum, canum esse. Nec aliud sibi voluit (a) Phædrus:

Canes legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum suæ,
Uti sese abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi consparsum quod panem darent.
&c.

B Nec alio forsan respexit (b) Suetonius Nerone: *panem quidem sordidum oblatum aspernatus est*. Imo & quoad etymon, videndum est, an huic pani dederit nomen Cantaber, cujus hoc elogium expressit (c) Silius Italicus:

Cantaber ante omnes hyemisque æstusque famisque
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.

Nimirum bellicosum & asperum populum, non alia videtur decuisse panis ratio, quam expedita hæc & parvo parabilis. Fossoris imago cernitur





in antiqua ærea icuncula, cujus hoc exemplar est. Caput cetera glabrum, nisi qua a vertice in occiput, capilli in geminum nodum constricti dependere videntur, in memoriam revocat illa D. (b) Cypriani ad martyres in metallo constitutos: *semitonsi capitis capillus horrescit, sed cum sit caput Christus, qualecumque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini insigne est*. Jam vero (c) cuculli sagati forma quæ hic cernitur, habitum indicat operariorum rusticorum, qui alioqui (d) tunica induebantur. Et hi quidem semirasi fuerunt, velut etiam (e) ustores, & (f) pistrinarii. At (g) fugitivi omnino rasi. Et quia reditus agrorum non raro lapidicinis, cretifodinis, arenariis, auri, argenti, sulphuris venis constabat, ideo adhibebantur huic ope-

C ræ homines vincti, qui cæderent, foderent, eruerent. (d) Plautus:

Abducite istum actutum ad Hyppolitum fabrum:
Jubete huic crassas compedes impingier.
Inde extra portam ad meum Libertum Cordalum
In lapidicinas facite deductus fiet.

Et quidem (e) Athenæus narrat, Niciam Nicerati mille servos locasse ad fodinas argentarias. Cæsares certe, ad quos vectigalia, & portoria lapidicinarum (f) pertinebant, constituerant peculiares ministros, qui hæc procurarent. I-
D deo in elogiis sepulcralibus leguntur, M. VLPIVS. MARTIALIS. AVG. LIB. A MARMORIBVS & T. FLAVIVS. FELIX. SVCCESSVS AVG. LIB. TABVLARIVS MARMORVM LVNENSIVM. item HYMENAEVS CAES. N. SER. THAMYRIA-

a *Sat.* 5. *vers.* 10. b *Epist.* 77. *item Artemidor. onirocri. cap.* 22. *lib.* 1. c *Colum. lib.* 11. *cap.* 1. d *Cat. Tit.* 59. *Interpres D. Matthæi cap.* 24. 18. e *Catullus.* f *Appulejus.* g *Petronius & Æneas in Tactic.*

a *lib.* 4. *fabular.* 17. b *cap.* 48. c *Lib.* 3. d *Captivis.* e *Lib.* 6. f *toto tit. de publ. can. & vectig.*

NVS A LAPIDICINIS CARISTIIS. Et quidem metalla habitacula piorum erant. Clemens enim Pontifex & martyr Chersonam deportatus, duo millia Christianorum & amplius (ut in ejusdem (*a*) actis legitur) ibi reperit damnatorum ad secanda marmora. Et hæc fuit familiaris & frequens nostrorum damnatio; in metallum videlicet, quæ & libertatem (*b*) adimebat: cujus non semel acta martyrum meminerunt. Hujus pœnæ appendix fuit ferri candentis inustio, vel in (*c*) pede, vel in (*d*) facie, vel in alia parte corporis. At quoniam plerumque Ergastulorum domini liberos & servos promiscue supprimebant, ideo consueverunt Principes Ergastula *recognoscere*, ut fecit (*e*) Augustus, *repurgare* ut (*f*) Tiberius, *tollere* ut (*g*) Hadrianus. Horum, qui in ergastulis vel detinebantur, vel supprimebantur, solemnis & legitima nota fuit inscriptio illa, quæ in fronte per inustionem imprimebatur. (*h*) Scribonius Largus Scriboniæ gentis Libertus, Claudianorum temporum scriptor hoc prodit, verbis tamen corruptissimis, quæ nos emendare conabimur. *Quatenus* (inquit) *acrium, & exulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus qua stigmata tolluntur indignis & in multis; hæc calamitas ex transverso accidit, ut dispensatori Sabini Calvi naufragio in ergastulo deprehenso, quem Tryphon multis delusum, & ne casu quidem litteras confusas ullo medicamento habentem liberavit*. Stigmosa hæc, & quæ Tryphonis alicujus manus requirant. Tentemus igitur, & legamus: *quatenus acrium & exulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus quo stigmata tolluntur indignis; etenim multis hæc calamitas ex transverso accidit, ut dispensatori Sabini Calvisii naufrago in ergastulo deprehenso, quem Tryphon a multis delusum, & ne casu quidem litteras confusas ullo medicamento habentem, liberavit*. Dicit autem, calamitatem ex transverso accidere, ut multo ante (*i*) Cicero: *sed in te intuens Brute doleo, cujus in adolescentiam per medias laudes quasi Quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna Reipublicæ*. Ita (*k*) auctor ad Herenium: *deinde ubi visum est ut in alveum descenderet, ecce tibi iste de transverso, heus, inquit, adolescens, pueri tui modo me pulsarunt, satisfacias oportet*. Ita Petronius: *quod non expectas ex transverso fit*. Quod autem Scribonius auxilio esse velit illis tantum, quibus per injuriam inusta fuisset frons, id vero summam rationem habet: Inscripti enim ob perversitatem ingenii contumacis, ob noxam, digni utique videbantur illa oris contumelia. Sabini autem Calvisii (*l*) Tacitus & (*m*) Seneca meminerunt. Hunc ritum inspiciens (*n*) Juvenalis cecinit:

Quem mire afficiunt inscripta ergastula ——

Petronius etiam, sive apud Petronium Triphæna, decepta specie stigmatum atramentariorum, *sciscitari submissius cœpit, quod ergastulum intercepisset errantes*. Lepidium autem, allium, cantharides Alexandrinæ, sulphur vivum, & alia quædam e Scribonio adhibebantur inducendis cauteriorum signis in fronte extantibus; in quo artificio Cynnamus quidam, illene tonsor, an alius quispiam incertum est, videtur excelluisse. (*o*) Martialis:

a *Breviar. Rom.* b *Leg. 8. ff. de pœnis. Leg. 17. 28. 36. ff. eod.* c *martyrol. Rom. 5. Maii.* d *Leg. 2. Cod. Theod. de pœnis.* e *Sueton. cap. 32.* f *cap. 8.* g *Spartianus.* h *Compos. 231.* i *in Bruto.* k *lib. 4.* l *lib. 6. Annal.* m [illegible] n *Satyr. 14. vers. 24.* o *lib. 6. 64.*

At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor.
Vivet & hærebit, totque legetur in orbe.
Stigmata nec vafra delebit Cynnamus arte:

Cretam effossam tractabant (*a*) FIGULI, e corpore servorum; in usum videlicet fundi vasa parantes, quibus exportarentur fructus, velut amphoras, & dolia; & in villæ ædificationem, tegulas; mercis etiam gratia, ut vasa venirent. Figlinas autem in agro quomodo exerceri oporteret, Hostilii Sasernæ pater & filius libris editis monstraverunt, ut testatur (*b*) Varro; qui etiam (*c*) affirmat, se *in Gallia transalpina, intus ad Rhenum, regiones aliquot accessisse, ubi agros stercorarent candida fossicia creta*. Hujus loci fornax est, cujus (*d*) Cato meminit, & servus FORNACARIUS, quem nominat (*e*) Ulpianus. Ergastulo succedunt pecudum stabula, Bubilia, Ovilia, Caprilia, Equilia; quæ omia Columella in unum coegit, licet Vitruvius alio ordine collocaverit. Bubilia instruuntur homine (*f*) ARATORE sive JUGARIO. Et illum quidem vetuit Imperator (*g*) Constantinus pignoris causa de possessionibus abstrahi, ne tributorum illatio retardaretur. Jugarii meminit Columella; qui & ejusdem operam recenset. Non alius ab his (*h*) BUBULCUS seu BURSEQUA, quorum munera apud rei rusticæ scriptores late extant. Bubulci imago extat apud (*i*) Ovidium,

Sæpe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Jurasses fessos modo disjunxisse juvencos.

Ovilium mancipia invenimus (*k*) TONSORES ovium, (*l*) OPILIONES seu (*m*) OVILIONES, ut appellat Jurisconsultus; hi oves (*n*) curabant, ut & (*o*) CAPRARII caprilia, (*p*) VIRVICARII verveces, (*q*) EQUISIONES armentaria equilia, quos equorum (*r*) MAGISTROS appellavit Appulejus AGASONES Græcis sunt *ἱπποκόμοι*, seu (*s*) CUSTODES equorum, qui & (*t*) EQUITII & (*u*) GREGARII, cum equorum grex dicatur (*x*) Equitium: adstipulatur (*y*) Festus, licet usurpet latius Acron ad illud (*z*) Horatianum,

—— *si patinam pede lapsus frangat Agaso.*

Agaso proprie dicitur servus, qui jumenta curat; hic autem Satyrice escarum ministrum Agasonem appellavit, quem vulgo dicunt infertorem. Cum Festo tamen stat Servius ad illa (*aa*) Virgilii,

Impendunt curas denso distendere pingui,

(*bb*) &,

Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt.

ubi aurigas improprie pro agasonibus dici notat,

a *Leg. 25. §. 1. ff. de instruct. vel instrum legat.* b *lib. 1. de re R. cap. 2.* c *cap. 7.* d *Tit. 38.* e *Leg. 27. §.* [illegible] *ff. ad L. Aquil.* f *Columel. lib. 1. cap. 6.* g *Leg. 1. Cod. Theod. de pignor.* h *Leg. 18. §. 6. ff. de instruct. vel instrum. legat. & Cato tit. 5. Colum. lib. 2. cap. 2. & 3.* i *lib. 14. metamorph.* k *Varro de re R. lib. 2. cap. 2.* l *Virgil. Ecl. 10.* m *Leg. 25. §. 2. ff. de instr. vel instrum. legat.* n *Leg. 60. §. 3. ff. de Leg. 3.* o *Colum. lib. 3. cap. 10. lib. 7. cap. 6.* p *Papinianus Tit. 4.* q *Appul. 7. Metam.* r *lib. 8. metamorph.* s *Lucianus in Gallo.* t *Epitome antiqua Jur. civ.* u *Appul. eod. lib. 7.* x *Epitome cit.* y *in agasones.* z *lib. 2. Sat. 8.* aa *3. Georg. vers. 124* bb *12. Æneid. vers.* [illegible]

& eorumdem fraudes recenset. Quamquam & equos jumentorum nomine venire non est usquequaque novum. SUPERJUMENTARII mentionem facit (*a*) Suetonius, seu apud Suetonium Claudius Cæsar, qui & conqueritur hujusmodi sibi pædagogum obtigisse: concinne sane ad sententiam Aristidis, cujus verba jam exscripsimus. Ab asinis dicti sunt servi ASINARII, vel quod agerent, vel quod curarent; & meminerunt (*b*) Cato & (*c*) Varro. Servius in I. Georg.

Sæpe oleo tardi costas agitator aselli,

AGITATOR *verberator dictus ab agendo, ac per hoc asinarius dicitur.* (*d*) Apulejus autem agasonem & asinarium promiscue vocavit. Mulos regebant, curabant, agebant (*e*) MULIONES, quos (*f*) Lucianus ὀρεοκόμος appellat. (*g*) SUBULCI, sues. (*h*) Martialis:

Præsta de grege sordidaque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.

PORCULATORIS & subulci diversa fuit professio, scribit (*i*) Columella. (*k*) ille namque observabat lactentes, (*l*) hic pascebat adultos, ut & (*m*) PORCARIUS. Porculatio enim nutricatus est ex Varronis sententia. At quos βόσκοντες habet Græca versio (*n*) Matthæi Evangelistæ, *pastores* reddidit vetus Latinus interpres. Et hi fere omnes (*o*) PASTORES dicebantur, quibus præfuit is, quem pecori (*p*) PRÆFECTUM, & pecoris * MAGISTRUM dicebant. Servius ad XII. Æneid.

—— pavidi cessere magistri,

proprie magistri sunt militum, pastores pecorum; sed reciprocæ sunt istæ translationes; nam & ductor militum pastor vocatur, ut diximus supra, & magistros pecorum dicimus. Cicero: *quem magistrum pecoris esse dicebant:* hactenus Servius. Ad hanc regulam, quem armenti CUSTODEM vocat (*q*) Ovidius, Luctatius Grammaticus pastorem vocat armentorum. Pastor fuit (*r*) Athenio, Cilix ille, *qui in Sicilia, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam, sub signis ordinavit; & veste purpurea baculoque argenteo & diademate mimicum Regem aliquamdiu egit.* Juxta januam præcipiunt rei rusticæ (*s*) scriptores VILLICO habitationem fieri; quod huic familiæ tutelam, inquit * Appulejus, dominus permitteret, quod rationes & pecuniam dominicam custodiret. Hic Latinis Græcissantibus (*t*) EPITROPOS est. Hinc (*u*) Varro agriculturæ principem villicum appellat, ut & (*x*) Plautus villicationem, præfecturam; hinc villicari notavit Nonius villæ præesse. Successit enim villicus in domini locum, ut notat (*y*) Columella. Ideoque vicedominus dictus aliquando est, ut in actis SS. Nerei & Achillei. Victorinus loci vicedominum, triennium ex paralysi decumbentem, precibus sanavit. At hic quandoque distrahendis mercibus (*a*) præponebatur; ut Ausonianus ille Philon. Ejusdem munera videre est apud (*b*) Catonem, (*c*) Varronem, (*d*) Columellam, (*e*) Florentinum. Et hoc ministerii nomen transtulit (*f*) Cicero eleganter ad magistratus, inquiens: *sic Populus Romanus diligit magistratus, quasi Reipublicæ villicos.* Quem imitatus (*g*) Juvenalis:

Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi:

(*h*) &,

—— nam sic labentibus obstat
Villicus, & veteris Romæ contexit hiatum.

Accepit autem (*i*) Arnobius proprie & signanter: *Cæsius & ipse assequens, Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Jovialem, ac Palem, sed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis, ac villicum.* Villici contubernalis fuit (*k*) VILLICA, cujus ministerium exequuntur supra scripti rustici præceptores. Et sane cum (*l*) matronæ olim ruris & instrumentorum agrestium curam sedulam haberent, non erat villicæ magna admodum opera, quod ipsi domini sua quotidie inviserent. At cum luxus & inertia pessum laudatos mores dedissent, necessaria visa est villica, quæ matronæ officia tueretur. Curabat autem villica (*m*) pecora & salgama, præsertim ubi non aderant horum peculiares ministri; ideo (*n*) Juvenalis cum villicam nominasset:

—— & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.

statim subdit:

Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adsunt, ipsis cum matribus, & servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus uvæ:
Signinum, Syriumque pyrum, de corbibus iisdem,
Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.

Imo & non semel occupabat coqui partes apud teniores. (*o*) Martialis:

—— e cathedra
Surgente focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.

(*p*) ibidem:

Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emptus præparat ova cinis,

Et imitatus hæc elegantissimus (*q*) MURETUS:

O mensa, nec luxu affluens, nec sordida,
Dapibus parata rusticis!

a *Claudio cap.* 2. b *Tit.* 11. c *lib.* 1. *cap.* 18. & *lib.* 3. *cap. ult.* d *lib.* 6. & 8. *Metam.* e *Leg.* 99. §. 2. *ff. de leg.* 3. f *in convivio.* g *Varro de re R. lib.* 2. *cap.* 4. h *l.* 10. 98. i *in præfat. lib.* 1. k *lib.* 7. *Colum. cap.* 9. l *Varro lib.* 2. *cap.* 4. m *Papinianus tit.* 4. *Leg. Sal. tit.* 8. *ex edit. Basi.* n *cap.* 8. *vers.* 33. o *Varro lib.* 2. *cap.* 10. *Leg.* 8. 18. 25. *de fund. instr.* p *Cic. pro Plancio.* * *Varro lib.* 2. *cap.* 10. *Colum. lib.* 1. *cap. ult.* q *lib.* 11. *metam.* r *Florus lib.* 3. *cap.* 19. s *Varro lib.* 1. *de re R. cap.* 13. *Colum. lib.* 1. *cap.* 6. * *lib.* 8. *metam.* t *Auson. epist.* 8. u *lib.* 1. *de re R. cap.* 2. x *in Casina.* y *lib.* 12. *in princ.*

a *Lib.* 16. *de institor act.* b *Tit.* 5. & 142. c *lib.* 1. *de re R. cap.* 36. d *lib.* 11. *in princ. lib.* 1. *cap.* 8. e *apud Constantin. lib.* 2. *cap.* 42. & 43. f *in oratione pro Plancio* g *Sat.* 4. *vers.* 77. h *Sat.* 3. *vers.* 194. i *lib.* 3. *advers. gent.* k *Leg.* 41. §. 15. *ff. de fideicom. libert.* l *Colum. lib.* 12. *in princ* m *Colum. lib.* 12. *cap* 4. n *Sat.* 11. *vers.* 68. o *lib.* 12. 18. p *lib.* 1. 55. q *Ode ad Petrum Gerard.*

Quas non, beri languentem ut irritet gulam,
Doctus saporavit coquus;
Sed filiis juvenibus & seni viro,
Severa coxit villica.

Non multum abfuit a villico * MONITOR, qui operariis verbo & exemplo præibat. Item DISPENSATOR & PROCURATOR. (*a*) Pomponius: *potest enim aliquis dispensator non esse urbanorum servorum numero: veluti is qui rusticarum rerum rationes dispenset, ibique babitet, non multum abest a villico.* (*b*) Plinius minor: *posse utraque eadem opera, eodem viatico invisere: sub eodem procuratore, ac pene iisdem actoribus babere, unam villam colere & ornare, alteram tantum tueri.* Procuratoris cellam supra januam constituit (*c*) Columella, ut villicum observet ex vicino, & intrantium exeuntiumque conspectum habeat. Quam ministerii conjunctionem agnovit & (*d*) Cicero: *cum Piliæ nostræ villam ad Lucrinum, villicosque procuratores tradidissem:* ubi tamen videtur legendum, *villicosque & procuratores.* (*e*) Ulpianus: *Senatus censuit, ne fugitivi admittantur in saltus, neve protegantur a villicis, vel procuratoribus possessionum.* Idem (*f*) Cicero: *num igitur si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi?* Cum Procuratore iidem fuisse videntur, qui MERCEDES præstare consueverant; & meminit Julius (*g*) Paulus. Procurator enim, sive ἐπίτροπος apud (*b*) Matthæum Evangelistam mercedem operariis reddit. Habuit & rus (*i*) ACTORES suos, de quibus nihil amplius hic dicemus, cum satis superque in urbana familia eorum expressa sit opera. Illud unum non videtur omittendum, in honore etiam ruri fuisse, ut scribit Columella. Præfecti enim & Præpositi, dominis non abnuentibus, nacti erant umbram honoris, ceteri pœnam, supplicium, ignominiam. Ignominiosum enim fuit & pœnale rure quempiam habitare jubere. Minitantur id passim domini apud Comicos: & Pomponius Tribunus plebis apud (*k*) Livium, objicit L. Manlio Imperioso, *quod filium juvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium probibitum, in opus servile, prope in carcerem, atque in ergastulum dederit.* Quæ omnia (*l*) Val. Maximus rustici operis appellatione complexus est. Nimirum fuit publice concepta, & jam confirmata vulgaris existimatio (inquit (*m*) Columella) rem rusticam sordidum opus esse. Pœnam & ignominiam simul videtur animo agitasse Julianus Apostata, *qui (n) Marinam uxorem Gordiani vicarii & martyris, in pago quodam, quem Aquas Salvias vocant, rusticarum servituti addici præcepit, ut ea servitute opprimeretur.* EXACTORES rustici, quorum extat mentio in veteribus marmoribus, hic omnino collocandi sunt; horum fuit varium & multiplex agmen in domo Cæsarum, ut diximus, pro modo videlicet fundorum, hortorum, patrimonii, prædiorumque. Et in veteri elogio legitur nescio quis exactor OPERUM dominicorum, qui hujus forte loci sit. Hucusque de villa rustica, quod erat alterum caput institutæ narrationis. Reliquum est tertium,

* *Colum. Lib. 1. cap. ult.* a *Leg. 166. ff. de verbor. signifi.* b *lib. 3. Epist. 19.* c *lib. 1. cap. 6.* d *Lib. 14. ad Atticum. epist. 16.* e *Leg. 1. ff. de servis fugitivis.* f *Lib. 1. de Orat.* g *lib. 3. Sent. Tit. 7.* h *cap. 20.* i *Leg. quæsitum ff. de fund. instr. Colum. lib. 12. cap. 3.* k *Lib. 7.* l *lib. 5. cap. 4.* m *Lib. 1.* n *Sur. Tomo 3. notat & Anton. Gallon. de cruciat. SS. martyr. cap. 9. ex Victore Utic.*

villæ scilicet fructuariæ, in qua idem ipse Columella cellas locat, oleariam, torculariam, vinariam, defrutariam & ceteras. Priorem illam exacte delineavit (*a*) Vitruvius, (*b*) Columella, (*c*) Palladius. Instruunt eamdem (*d*) Cato, (*e*) Columella, & (*f*) Neratius apud Ulpianum. Est hujusce stationis (*g*) OLIVITOR, nec non & (*b*) CAPULATOR, qui concha ferrea in labrum fictile oleum expressum transfundebat. LEGULI vero STRICTORES, FACTORES, mercede conducebantur, ut indicant leges oleæ legendæ, faciundæ, & pendentis apud (*i*) Catonem. CUSTOS torcularium servabat, qui tamen non semper in numero servorum fuit. De torculari late Columella & Palladius, & ante hos (*k*) Vitruvius; cujus itidem hæc sunt: *Sucularumque, & Prælorum, & Vectium, si non fuisset torcularis præparatio, neque olei nitorem, neque vitium fructum babere potuissemus ad jucunditatem.* A Prælo autem formavit (*l*) Ennodius PRÆLATORES. Cellæ vinariæ meminerunt iidem quos supra indicavimus. Et hanc (*m*) Ulpianus instruxit doliis etiam defossis, Seriis, Cupis, Cadis, Amphoris. Servus DOLEARIS, sive DOLIARIUS hic est reponendus ex veteri marmore,

A. TERENTIVS. M. L. CHRYSOGONVS
SER. DOLEAR
H . S E

Hujusmodi servos cum cellæ vinariæ typo exhibet antiquum marmor, quod anno MDCI effossum est Augustæ Vindelicorum. Ejus mihi delineatio M. VELSERI beneficio obtigit, qui & admonuit loci (*n*) Pliniani: *circa alpes ligneis vasis condunt, circulis cingunt.*

His addemus nos VINITORES, sine quibus nullus procul dubio esset cellæ vinariæ usus. (*o*) Columella: *nam ut amplissimas impensas vineæ poscant, non tamen excedunt septem jugera unius operam vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat, sed ego plurimorum opinioni dissentiens, preciosum vinitorem in primis esse censeo.* Servius ad (*p*) illa,

—— *aut maturæ vinitor uvæ,*

Vinitor autem (inquit) *vel custos vel cultor vinearum.* Hujus ordinis sunt VINDEMIATOR, sive is VINDEMITOR sit; nec non & PUTATOR. (*q*) Columella: *si vero interjectibus capere cujusque generis fructum aveat, primum necesse est, ut vindemiatorum aleam suleat: neque enim singulis totidem antistites dare potest, qui observent, quique præcipiant, ne acerbæ una cum maturis demetantur.* Idem (*r*) auctor:

Quæ canat inter opus Musa modulante putator
Pendulus arbustis ——

FRONDATORI *cum putatore non minimum conveniebat.* (*s*) Ovidius:

Falce data frondator erat, vitisque putator.
Induerat scalas, lecturum poma putares.

a *Lib. 6. cap. 9.* b *lib. 12. cap. 50.* c *Lib. 1. Tit. 20.* d *Tit. 13.* e *lib. & cap. citatis* f *Leg. 19. ff. locati & conduct.* g *Sidonius lib. 2. ep. 9.* h *Cato. Tit. 66. Columel. lib. 12. cap. 50.* i *Tit. 144. & seq.* k *Lib. 10. cap. 1.* l *Lib. 9. ep. 2.* m *Leg. 15. §. 6. ff. de usufr.* n *lib. 14. cap. 11.* o *lib. 3. cap. 3.* p *Virgil. Buco. Ecl. 10.* q *lib. 3. cap. 21.* r *lib. 10. vers. 228.* s *lib. 14. metamorph.*

Itaque LEGULIS conveniebant ſcalæ. Frondatoris autem operam *frondationes* appellat (*a*) Columella. At quoniam ſalices principatum obtinent inter eas arbores quæ vinearum cauſa ſeruntur, inquit (*b*) Plinius, & noſtrates agricolæ ipſis arbuſtant agros, quod & (*c*) Plinii ætate factum eſt: ideo (*d*) SALICTARIUM his aſſociabimus. (*e*) Defrutaria vaſa ænea ſeu plumbea fuerunt, in quibus defrutum, carœnum, ſapa coquebantur. Fœnilia, palearia, apothecas, & horrea Vitruvius extra villam conſulto rejecit, ut ab ignis periculo tuta eſſent, quod & legibus (*f*) locationum conſueverat aliquando exprimi. (*g*) FOENISECTORES & FOENISECÆ non alio ablegandi ſunt. Et horum inſigne fuit corona e fœno. (*h*) Ovidius:

Tempora ſæpe gerens fœno religata recenti,
Deſectum poterat gramen verſare videri.

(*i*) Propertius;

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno;
Jurabis noſtra gramina ſecta manu.

Sequuntur tabulata & granaria penſilia, ſublimiaque, ut vocat (*k*) Varro, quod & (*l*) Jaboleno placuit, quæ Vitruvius appellat ſublimata. Percenſendæ nunc nobis ſunt appendices quædam villæ, hortus, fornax, furnus, piſcinæ, ſterquilinia, cohortes, aviaria, leporaria. Horti mancipium OLITOR eſt. (*m*) Cicero; *Parhedrum excita, ut hortum ipſe conducat: ſic olitorem ipſum commovebis. Helico nequiſſimus* H-S CIↃ *dabat, nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa.* (*n*) Columella; *facturus mox ſi collibuiſſet, quod nunc aggredior, ut olitoris curam ſub texerem villici officiis.* Hic aſino ſeu caballo utebatur, quod etiam nunc Romæ fit. (*o*) Horatius.

—— *ad imum*
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

(*p*) Appulejus; *me denique ipſum pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, ſed magno, ut ajebat.* Et: *matutino me multis oleribus onuſtum, proximam civitatem deducere conſueverat dominus* &c. Ad fornacem pertinet FORNACARIUS (*q*) ſervus, cujus partes fuerunt ignem tueri ne evagaretur. A furno MULIERES, quæ (*r*) PANEM coquebant (PANICOCTARIAS appellat (*s*) Chryſologus) non abjungemus. (*t*) PISCATORES & piſcatui præpoſiti hujus ſane ordinis ſunt, quando togati illi Xerxæ montium perfoſſores, & populatores marium, magiſtris & nomenclatoribus in piſcium gratiam carere noluerunt. (*u*) Martialis;

Natat ad magiſtrum delicata muræna.
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.

a *lib. 5. cap. 5.* b *lib. 17. cap. 20.* c *Lib. cit. c. 23.* d *Cato Tit. 11.* e *Colum. lib. 12. cap. 20. Leg. 12. §. 10. ff. de inſtr. vel inſtrum. legat.* f *Leg. 11. in fine ff. Locati & Cond.* g *Colum. lib. 2. cap. 18.* h *lib. 14. metam.* i *lib. 4. El. 2.* k *lib. 1. de re R. cap. 57.* l *Leg. 18. ff. de action. empt.* m *Lib. 16. epiſt. famil. 18. & 20.* n *lib. 11. cap. 3.* o *lib. 1. epiſt. 18.* p *lib. 9. Metam.* q *Leg. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil.* r *leg. 12. & 13. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* s *Serm. 99.* t *leg. 17. ff. de inſtr. vel inſtrum. legat. Varro lib. 3. de re R. cap. ult.* u *lib. 10. 30.*

(*a*) Piſcatores autem illi IV. & XXC. quos Paphnutius martyr præmiſit ad CHRISTUM, videntur fuiſſe conditione ſervi; urbani tamen, quod ut notat Metaphraſtes, cibos menſæ Præſidis compararent. (*b*) Valerianus Imperator ad Zoſimionem Procuratorem Syriæ, inter cetera quæ vult dari Claudio tunc Tribuno, *venatores qui obſequantur duos, carpentarium unum, curam Prætorii unum, aquarium unum, piſcatorem unum, dulciarium unum.* Sterquilinia & latrinas, ut ex his in agros egererent fimum, curabant illi quos alicubi tangit (*c*) Ulpianus: licet e (*d*) Catonis ſententia hoc muneris villico præſcribatur. Cohors quæ eſſet declarat (*e*) Varro; *Cohors, quod ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum, ſic hæc ex manipulis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coercetur.* Receptum autem uſu eſt, ut frequentius cohorte coercerentur (*f*) gallinæ villaticæ, ruſticæ, Africanæ, galli & capi, quorum curatorem GALLINARIUM recenſuit (*g*) Varro. Et hinc (*h*) Martialis pullos gallinaceos *cortis aves* appellat. Aviaria cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luſcinias, merulas, anſeres, anates, phaſianos. Horum omnium cuſtos (*i*) AVIARIUS dicitur: ſingulorum, CURATORES & PASTORES. Et quoniam his abuti conſueverant deliciæ popinarum, exſcribemus hic veterem Romanam inſcriptionem, quæ docebit nos, ganeonum improbitate expugnatas concidiſſe olim, ut & ſæculo noſtro, laudatiſſimas legum ſumptuariarum ſanctiones;

D. M. OLOPLVTIO
SVCCESSO. PRISCVS
L. VARI. AMBIBOLI
AVIARIUS. ALTI
LIARIVS &c.

inde eſt gallina altilis, cujus meminit Poeta (*k*) Coquus. altile apud (*l*) Apicium, boves altiles ad publica ſacrificia ſaginati, apud (*m*) Varronem. Inde altilia apud (*n*) Matthæum Evangeliſtam: *ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt.* Inde *vitulus ſaginatus & altilis* apud (*o*) Lucam. Qui autem in marmore legitur AVIARIVS ALTILIARIVS, ab (*p*) Horatio FARTOR appellatur, cujus officium erat aves opimare & obeſare in gratiam lautarum epularum. Romæ itidem,

ANTIGONVS. DRVSI CAES
AVIVM. FARTOR
PRIMILLA. FECIT.
CONIVGI. B. M.

Et hinc arripuit occaſionem apud (*q*) Prudentium Romanus martyr, deridendi Præfectum Aſclepiadem;

Quum conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
(Pudet fateri) farre pullos paſcitis.

AUCUPES enumerat (*r*) Paulus; & refert urbanos fuiſſe & ruſticos, domini arbitratu: Fundorum enim redditus, ut innuit Celſus, aucupio

a *Metaphr. apud Sur. Tom. 2. lege Senec. Nat. Quæſt. lib. 3. cap. 17.* b *apud Trebel. Poll.* c *Leg. 15. ff. de uſufr.* d *Tit. 5.* e *lib. 4. de L. L.* f *Colum. lib. 8. cap. 2. & 3.* g *lib. 3. de re R. c. 9.* h *lib. 13. 42.* i *Colum. lib. 8. cap. 3. 5. 11.* k *Martialis lib. 13 59.* l *lib. 6. c. 3.* m *lib. 2. de re R. cap. 1.* n *cap. 22. 4.* o *cap. 15. 23.* p *lib. 2. Sat. 3.* q *Periſteph.* r *Leg. 90. §. 1. ff. de leg. 3.*

plerumque, venatione & piſcatu conſtabat. Narrat Julius Capitolinus, Antoninum Pium curaſſe, ut menſa ejus *per proprios ſervos, aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur*. Qui tamen hic urbani videntur fuiſſe ideo, quia inſtruendarum quotidianarum epularum gratia habebantur, ut loquitur (*a*) Paulus. Aucupis teſſera apud (*b*) Propertium arundo eſt:

Caſſibus impoſitis venor, ſed arundine ſumpta,
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.

Piſcatoris apud (*c*) Ovidium;

Miles erat gladio, piſcator arundine ſumpta.

Leporarium lepores tantum olim (*d*) capiebat, ſed proceſſu temporis cervi, capreæ, oves feræ, apri cœperunt includi. Quare non mirum ſi obvios habebimus VENATORES. (*e*) Horatius:

Si bene qui cœnat, bene vivit, lucet: eamus,
Quo ducit gula: piſcemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, ſervos
Differtum tranſire forum, populumque jubebat

(*f*) Seneca: *nullis animalibus, niſi ex faſtidio, pax eſt: quantulum enim ex iſtis epulis, quæ per tot comparatis manus, feſſo voluptatibus ore libatis? quantulum ex iſta fera periculoſe capta dominus crudus ac nauſeans guſtat?* (*g*) Ammianus Marcellinus: *pars eorum, ſi agros viſuri proceſſerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri magni itinera ſe putant æquiparaſſe vel Cæſaris*. alienos labores vocat operam ſervorum. (*h*) Salluſtius; *non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonum ocium conterere, neque vero agrum colendo aut venando, ſervilibus officiis intentum ætatem agere*. Inter venatores LUPARII fuerunt non obſcuri nominis, qui *carnibus veneno tinctis lupos necarent*. Servius meminit ad illud (*i*) carmen,

Tum laqueis captare feras & fallere viſco.

(*k*) MANSUETARII magiſtri & cuſtodes; & qui callerent, ut cum (*l*) Manilio dicam,

Quadrupedum omne genus poſitis domitare magiſtris,
Exorare Tigres, rabiemque auferre Leoni,
Cumque Elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.

(*m*) Seneca hunc imitatus: *certi ſunt domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, docent pati jugum: nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, uſque in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, oſculatur Tigrim ſuus cuſtos, Elephantem autem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem*. Urſi porro & Leones placidi domi (*n*) alebantur, uti etiam nunc fit animi cauſa. Pars hujus agminis URSARII ſunt, quorum meminit Edinerus in vita D. (*o*) Anſelmi. Neque vero intra leporarium & vivaria tantum exercita venatio eſt, ſed & in ſaltibus fundorum

a *lib. 3. Sent. Tit. 7.* b *Lib. 3. El. 2.* c *lib. 14. metam.* d *Varro lib. 3. cap. 3. & 12.* e *Lib. 1. Epiſt. 6.* f *Epiſt. 89. in fine.* g *Lib. 28.* h *Catilin.* i *1. Georg.* [illegible] k [illegible] *in Elagab.* l *Lib. 4.* m *Epiſt. 85. in fin.* n *lib. 2. de ira. cap. 31.* o *Lib. 1.*

A montibuſque, cum (*a*) venatio ipſa erat in reditu. Ad hæc (*b*) VESTIGATORE opus fuit, qui ferarum cubilia, per veſtigia indagaret. Servius ad illa in IV. Æneid.

—— ſaltuſque indagine cingunt,

INDAGINE, *inquit, ferarum inquiſitione, & quidam cum veſtigatoribus* ALATORUM *mentionem inductam accipiunt: nam indaginem veſtigatorem ipſum tradunt. Alas vero alatores, qui dextra & ſiniſtra plagarum ſublata voce prohibent feras exire*. Idem Servius ad II. Georg. B

Non abſunt illic ſaltus ——

Venationes, quæ penitus in urbibus non ſunt. At Columella VESTIGATOREM & INDAGATOREM ad apes tranſtulit. Illius miniſter fuit canis, qui veſtigia odoratur, ut habent leges (*c*) Bajoariorum; cujus pretium ſolertia naris eſt, & induſtria. nare mereri inquit Gratius. Verum quia villæ ædificia ſtare perpetuo non poterant, ideo (*d*) FABRI inter copias ruſticas fuerunt, qui villam ſartam tectam præſtarent. ARCHITECTI C etiam, e quorum numeris in veteri marmore extat SEX. POMPEIVS. AGASIVS. ARCHITECTVS. A. VILLA. SEXTIANA. Craſſus vero Fabros & Architectos ad quingentos domi habuit, quorum operas mercede locabat civibus Romæ ædificare volentibus, inquit (*e*) Plutarchus. Architectum autem fuerunt quidam, qui STRUCTOREM vocarent, ſeu potius Architecti miniſtrum. (*f*) Abdias: *a domino* (inquit) *meo Rege Indiæ miſſus ſum, requirens artificem ſtructorem, qui ei Palatia poſſit ædificare*. D. (*g*) Zeno: *Architectus es? attende tibi, ut fundamentum fidei, quæ eſt Chriſtus* IESUS, *cum omni diligentia jacias & cau-* D *tela. Structor es? vide quomodo ædifices: ne ligna & fœnum, ne ſtipulam vel paleas, ſed argentum & aurum, & lapides extruas pretioſos*. Hos arte fabrica peritos vocat (*h*) Paulus Juriſconſultus & (*i*) diſtinguit in FERRARIOS, & TIGNARIOS. Fabros CARPENTARIOS nominat (*k*) Papinianus, uti & lex Salica; cujus hæc ſunt ex editione Baſilienſi; *ſi quis Majorem, Infertorem, Scantionem, Mariſcalcum, Stratorem, Fabrum ferrarium, Aurificem ſive Carpentarium, Vinitorem vel Porcarium* &c. ubi quid aurifici commune ſit cum carpentario ego ſane non video: niſi dicamus carpenta & vehicula auro & E argento conſueviſſe exornari, ut (*l*) Plinius luculento teſtimonio confirmavit. Carpenta enim (*m*) Auguſtarum primo fœminarum, (*n*) Judicum deinceps & (*o*) Magiſtratuum vehicula fuerunt: & ideo in magno precio habita. Qui & QUALUM & CALCEM portabant hujus loci ſunt; & quidem illorum meminit (*p*) Ulpianus. Qualus autem ſeu Qualum fuit nomen multi uſus; nam & Quala ſatoria, & Qualum, panis, Qualos vindemiatorios, exceptorioſque legimus: vimineos præterea & ſalignos. Sunt qui olitori, qui agricolæ, qui lanificis tribuant. Noſtri illum fabrorum, concham appellant, reliquos *pan*[illegible] F torum a parte, *corbette*, *ceſtelle*. Villam ipſam

a *Leg. 62. ff. de uſufr.* b *Leg. 12. §. 12. ff. de inſtr. vel inſtrum. legato.* c *ex editione Joh. Sichardi. legendus & Artemidorus lib. 2. onirocr. cap. 1.* d *Leg. 26. ff. mandati.* e *in Craſſo.* f *Hiſtor. Apoſtol. lib. 9.* g *de præcepto ATTENDE TIBI.* h *Leg. 19. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* i *lib. 3. Sent. Tit. 17.* k *Tit. 4.* l *lib. 34. cap. 17.* m *nummi vet.* n *Vopiſcus in Aureliano.* o *Caſsiodorus lib. 6. 4. & 15.* p *Leg. 15. §. de uſufructu.*

ſervabant & (*a*) CUSTODIEBANT mulieres, ne quid vicini rerum, quæ villa continebantur, occuparent. Adhibiti etiam ſunt muti (*b*) CUSTODES canes, quos interdiu præcipit Cato clauſos eſſe, ut noctu ſint acriores ac vigilantiores. Servorum enim vigilum vices & in urbe & rure implebant. (*c*) Petrus Chryſologus; *canis dormientibus dominis, nocte & cuſtos & pervigil, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet & ſollicitudinem ſervulorum*. Fundum univerſum tuebatur (*d*) SALTUARIUS, Græci ἀγροφύλαξ, fructus conſervabat, fines (*e*) cuſtodiebat. Nomen etiam hodie retinent ruſtici noſtrates. Hujuſmodi munere functus eſt Aſaph cuſtos ſaltus Regis apud (*f*) Nehemiam, & Tirrhus ille Virgilianus,

——Tyrrheuſque pater, cui regia parent
Armenta, & late cuſtodia credita campi.

a *Leg.* 12. & 15. *ff. de inſtr. vel inſtrum. legat.* b *Colum. lib.* 7. *cap.* 12. c *Serm. C.* d *Leg.* 60. §. 3. *ff. de legat.* 3. e *Leg.* 12. §. 4. *ff. de inſtr. leg.* f *capit.* 11.

A ubi notat Servius, deſcribi magiſtrum pecoris & ſaltuarium. Saltus autem quatuor centuriis conſtabat vel * quinque; & fuit fundi pars ex (*a*) Ælio Gallo & (*b*) Varrone in qua ſilvæ & paſtiones ſunt; & harum cauſa caſæ quoque, ubi dominus aliquando habitaret. Hujus ordinis videntur fuiſſe, qui IANUAS ad tranſmittendum populum per villas obſervabant, ut notat Siculus Flaccus: non enim unus tantum IANITOR in tota villa fuit. Ovilia ſuos habuerunt, ut elicitur ex verbis CHRISTI domini apud (*c*) Joannem *τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει*. Et videntur, Bubilia, Equi-
B lia, Caprilia itidem habuiſſe. Hos autem omnes, quos a capite villæ ruſticæ recenſuimus, (*d*) Ulpianus vocat mancipia prædiorum, operarios ruſticos (*e*) Alfenus, ruſtica mancipia (*f*) Paulus, alii aliter.

a *Æneid.* 7. *verſ.* 485. * *Siculus Flaccus.* b *apud Feſtum.* c *Lib.* 4. *de L. L.* d *cap.* 10. *verſ.* 3. *meminit & Ianitoris ruſtici Sen. ep.* 12. e *Leg.* 49. *ff. de Leg.* 3. f *Leg.* 203. *ff. de verbor. ſign.* g *Leg.* 18. §. 9. *ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.*



ANTONII VELSERI
AD
HIERONYMUM FABRUM
MEDICUM,
DE ZETA ET ZETARIO,
SIVE DIÆTA ET DIÆTARIO
EPISTOLA.

ANTONII VELSERI
AD
HIERONYMUM FABRUM
MEDICUM,
DE ZETA ET ZETARIO, SIVE DIÆTA ET DIÆTARIO
EPISTOLA:

Cui S. Castuli historia occasionem præbuit.



Nter alios complures honores, quos nuper *Landishutæ* Serenissimi Principes in me immerentem contulerunt, non minimus is fuit, quando in prandio, exorto sermone de nomine *Zetarii*, quæ illi proprie notio subjecta esset, cum dixisset quæ volebat Reverendus D. Præpositus, Serenissimus Princeps Maximilianus meam quoque sententiam intelligere voluit, misitque ad me D. T. quæsitum, ecquid super ea re mihi compertum esset. Atque ibi ego testatus ante omnia, nihil me de ista quæstione ante cogitasse, dicturumque non alia quam quæ subito in mentem venissent: respondi I. idem mihi videri esse *zetam*, vel rectius *zætam*, quanquam promiscue scripserunt veteres, quod *diætam*. II. Sic enim solitum antiquis duas illas litteras, D. & I. in unam Z. contrahere, cui rei firmandæ, testimonium tunc attuli ex notissimo carmine ecclesiastico; *Michaelem in virtute conterentem Zabolum*, hoc est, quod nemo negare potest, diabolum. III. Proindeque eundem etiam esse Zetarium & Diætarium. IV. Porro Diætam sive Zætam, antiquitus fuisse cœnationem, seu id quod Germanica lingua vocamus *Tafelstuben*, Italica *Tinello*. V. Ex omni hac ratione eam summam redire, ut Zætarius vel Diætarius is sit, cui zætæ, diætæ, cœnationis cura commissa est. VI. extremum, arbitrari me hoc munus fuisse servorum, aut summum libertorum. Quæsivisti, num ista omnia statim idoneis auctoribus astruere ac probare possem. Negavi, quippe imparatus & deprehensus. Postea domum reversus, cœpi considerare singula diligentius & attentius, lubuitque experiri, an obsequentiores & minus superbos libros haberem, quam D. Præpositus, qui suos a se consultos ajebat nihil respondisse. Et est sane, cur veteribus amicis meis, libris inquam, habeam gratiam, ita liberaliter & benigne responderunt ad omnia, neque passi sunt existimationem meam, hoc saltem nomine, apud Serenissimum Principem in discrimen venire. Unicum est, quod nunc primum ab illis didici, diætæ quidem nomen non raro pro cœnatione accipi, esse tamen, cum hujus vocis significatio latius tendatur. Ista quomodo se habeant, paucis, si vacat, accipe. I. dixi, non aliud esse *zetam* quam *diætam*. Plinius indicat epistola XVII. libri secundi, ubi aliquoties diætam nominat, monetque interpres ejus Jo. Catanæus, alios libros zetam habere. Eandem lectionis varietatem notavit in editione sua Henricus Stephanus. Jam libro V. ep. VI. *Diætulam* quoque legere est, ubi alii codices, eodem teste, *zeteculam* præferunt. Turnebus itidem, vir magnus, & veluti Sol quidam philologiæ, ita sentit, & est qui primum hoc eum docuisse asseveret. II. Contractionis illius exempla, præter hymnum ecclesiasticum, permulta sunt apud alios. Ita Cyprianus ad Demetrianum: *Quid in ruinam Zabuli per invidiam & cum ipso cadis?* quam lectionem teste Pamelio agnoscunt aliquot manuscripti codices: Ambrosius de Fide ad Gratianum lib. V. cap. I. *Zabulus enim verum Dei filium fatebatur, Arrius negat.* Hilarius in Matth. can. XXVI. *Furem enim esse ostendit Zabulum ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem.* Paulinus ep. IV. de Juda proditore sic loquitur: *vere ut zabolus, ignarus gratiæ Dei, in qua illi non esset portio.* Ita Græci ζάκορος pro Διάκορος, Διαβάλλειν pro ζαβάλλειν teste Plutarcho. Et in Antonini itinerario, Zarrhytum pro Diarrhyto. Et apud Isidorum Zanium pro Dianio; Sic enim legit vir doctissimus Hieronymus Surita: nam in vulgatis libris eam lectionem non reperias. Sed desino, ne ineptus fiam, & fortasse jam sum. III. Zetarium eundem esse qui Diætarius, spero homini non nimis pertinaci ex iis quæ supra allata sunt, satis probatum: quid enim potest afferri cum ulla probabilitatis specie, cur si zeta idem est quod diæta, non etiam Zetarius idem sit qui Diætarius? IV. Quid igitur fuit tandem vel zeta vel diæta? Respondi cœnationem fuisse, taleque aliquid; quale Germani *Tafelstuben* Itali *Tinello* appellant. Probo. Sidonius Apollinaris lib. II. ep. II. *Ex hoc triclinio fit in diætam, sive in cœnatiunculam transitus.* Lexicon Græco latinum vetus, *δίαιτα τὸ ὑπερῷον, cœnaculum.* Tametsi huic loco non nimis nitor, scio enim cœnaculum aliud etiam significare, & vero, opinor, hic aliud significat, sicut & apud Juvenalem Sat. X. *rarus venit in cœnacula miles.* Varro diætam inde dici vult, quod in ea per diem edatur. Non quæro quam recte; hoc est enim palam ineptum, quod pace doctiss. Romanorum dicere liceat; mihi satis est firmandæ sententiæ meæ esse. Athenæus lib. V. in descriptione navis Hieronis Regis, *ad utrum-*

que parietem aditus medii diætæ fuerunt numero xxx. viriles, quatuor lectis ſtratæ. Ubi eruditus interpres Dalechampius diætas interpretatur cœnacula, cœnationes. Fulvius Urſinus in appendice ad librum P. Ciacconii de triclinio Romano: *uſurpatur autem*, ait, *diæta pro ipſa cœnatione & triclinio tum ab aliis, tum a Sidonio*. Oſtenſum eſt diætam pro cœnatione accipi, oſtendamus hoc non eſſe perpetuum. Plutarchus μίαν παλλακίδων δίαιταν a Domitiano extructam, cum ipſius Capitolii magnificentia confert, qui locus certe, ſi quid ego ſentio, non de cœnatione muliebri, ſed de loco ubi concubinæ Imp. degebant, accipiendus eſt. Leg. Codicillis ff. de uſu & uſufr. *Pactiæ & Trophimæ Diætas omnes, quibus uti conſuevit, habitet, quam domum poſt mortem eorum ad Rempublicam pertinere volo*. Quis hic non videt aliud eſſe Diætam a cœnatione. Plura ſunt alia loca in ff. ex quibus idem apparet, quæ hic adſcribere longum; & placet Jureconſultis, diætam in hortis ſignificare habitationem voluptatis & amœnitatis cauſa extructam. Non aliter capio verba Ælii Lampridii in Heliogabalo; *Dicitur & balneas feciſſe multis in locis, ac ſemel laviſſe, atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex uſu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de zetis feciſſe dicitur*. Adrianus Turnebus Zetam vel Diætam ædificium dicit eſſe, vel membrum domus, cœnationem cubiculum habens. Strabo libro XIII. κατεσκεύασε δίαιταν βασιλικὴν, ἣν Τιμώνιον προσηγόρευσε. Interpres Xylander vertit: *Regiam domum conſtruxit, quam Timonium appellavit*. Recte, nam Plutarchus de eadem re loquens, οἴκησιν, ait, κατεσκεύασε αὐτῷ. Poſſunt alia quantumvis multa in eandem ſententiam afferri, ſed ego brevitatem conſector. Cæterum Molani & Baronii interpretatio ſtare non poteſt. Apparet autem eos, vel illos potius qui primi eam commenti ſunt, in fraudem inductos iſtis Plinii verbis epiſt. XVII. lib. II. *Diæta per quam eleganter recedit, quæ ſpecularibus & velis obductis reductiſve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur: lectum & duas cathedras capit*. Non eſt, viri magni, hæc notionis vocis *zeta* explicatio, ſed unius non magnæ zetæ deſcriptio. Nec conſequens eſt, ut ſi Plinius talem zetam habuit, omnis omnino talis fuerit. Dices ipſe, ſi totum locum attentius perlegeris. V. Cujuſmodi ergo Zetarii vel Diætarii munus officiumque fuerit, jam liquet homini non nimis iniquo, nempe Zetæ vel Diætæ curatio, ſcilicet ut munda eſſet ac nitida, tum ipſa tum ſuppellex, & inſtrumentum omne ad eam pertinens. Clareſcet hoc magis paulo poſt. VI. Porro functionem eam ſervilem fuiſſe, non eſt difficile demonſtrare Romæ lapis vetuſtus,

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS. SERVO. DI
AETARCO DOMVS
AVG. TREBONIA. LAV
DICE. FEC. CONIVG. B. M
CVM DVABVS. FILIS. FOR
TVNATA. ET. FELICE.

Vetus Lexicon Διαιτάρχης, *Atrienſis*. Neque vero dubium eſſe poteſt, quin Διαιτάρχης Diætarius ſit, aut, ſi forte, nihil enim affirmo, Princeps Zetariorum. Sicut Marilius Cagnatus etiam de veſtris ἀρχιάτροις diſputat, ita dictos, non quaſi Principis medicos, ſed medicorum, quavis de cauſa Principes. Et eodem vocare videtur nomen Atrienſis, quod honeſtioris ſervitii fuiſſe nemo ignorat. Omnino διαιτάρχην, utcunque ſervum eximium aliquid ſupra ceteros Diætarios habuiſſe, nomen ipſum haud obſcure demonſtrat. Sed alterius illa loci. *Leg. Quæſitum eſt* §. 42. ff. de inſtr. leg. *Idem reſpondit, domo, ita ut inſtructa eſt, cum omni jure ſuo legata* &c. & infra: *hoſtiarii autem, inquit, vel topiarii, diætarii, aquarii, domui tantum deſervientes, continebuntur*. Jul. Paulus lib. ſent. tit. 7. de legatis. *Domo cum omni jure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, urbana familia, item artifices, & veſtiarii, & zetarii, & aquarii, & eidem domui ſervientes, legato cedunt*. Vel hic locus planum facit nihil Diætarium a Zetario differre, quam dictionem, Zetarii puta, totidem litteris ſcriptam, extra hiſtoriam S. Caſtuli, hic tantum reperi. Habes de ſervis. De libertis nullum teſtimonium poſſum adducere; nam ſuperius illud de Pactia & Trophima, non auſim certo aſſeverare huc pertinere, quod ſi cui tamen placet eo trahere, non admodum repugnabo. Sane plus aliquid fuiſſe quam ſervum S. Caſtulum, præter alia id mihi perſuadet, quod ter auditus fuiſſe dicitur, quæ cautio & moderatio in ſervum, vile caput, vix congruit. Hæc ſunt, clariſſime Domine, quæ de Zeta & Zetariis in mentem venerunt, ſed & alia complura, quæ non eſt operæ, & nimis ambitioſum ſit perſequi. Scripſi autem in gratiam Sanctiſſimi martyris Caſtuli, cujus precibus me ſupplex commendo, & Sereniſſimi Principis, cui tu, ſi tanti eſſe putabis, referes. Dominus quoque Præpoſitus, ſi aliquando hanc epiſtolam legerit, ſatisfactum ſibi eſſe fortaſſe ſentiet, intelligetque, nihil opus eſſe Illuſtriſſimo Baronio ſuper hac re negotium faceſſere, inventum quippe cis alpes qui voculam obſcuram ſatis perſpicue expoſuerit. Bene vale vir clariſſime Friſingæ 21. Maii, 1604.

TITI POPMÆ PHRYSII DE OPERIS SERVORUM LIBER.

TITI POPMÆ PHRYSII DE OPERIS SERVORUM LIBER.



PERÆ *ſunt diurnum* (*a*) *officium*, (*b*) *quæ in actu conſiſtunt*, & per ſingulos dies dantur; *nec ante in rerum natura ſunt, quam is dies venit, quo præſtandæ ſunt*. Itaque *ſi quis* (*c*) *operas ſit ſtipulatus, ante peractum diem operam ejus diei petere non poteſt*. Operarum aliæ officiales, quæ in officii præſtatione conſiſtunt, & a libertis patronis obſequii ratione præſtantur: aliæ, quæ in artificio, artificiales vocantur, veluti fabriles, pictoriæ, & his ſimiles. (*d*) *Fabriles* autem vel alterius artis *operæ, quæ quaſi in pecuniæ præſtatione conſiſtunt, ad hæredem extraneum tranſeunt, & cuivis voluntate domini præſtari* (*e*) *poſſunt*: quæ non debentur niſi ex contractu, & per errorem indebitæ ſolutæ repetuntur. (*f*) *Officiales natura debentur, quas libertus ſoli patrono debet, & ſolvit*; nec in alium tranſeunt, niſi quæ jam defuncto deberi cœperint, veluti indictæ, aut petitæ: & proinde neque juratæ, neque promiſſæ ſi ſolvantur, non repetuntur; ſed ſi in artificio ſint, jubente patrono, & aliis edi poſſunt. Quoties vero de operis ſervi reſtituendis agitur, deductis neceſſariis impenſis arbitrio boni viri eas æſtimamus: & ſi ejus ætatis, vel valetudinis ſervus ſit, cujus nullæ operæ apud dominum eſſe poterant, nulla fiet æſtimatio: *affectionis* quoque, *& voluptatis rationem non haberi* (*g*) Ulpianus exiſtimat, *veluti ſi dominus dilexerit ſervum, aut eum in deliciis habuerit*: quæ affectio in ſola delectatione domini conſiſtit, nullam habens admixtam utilitatem. Secus eſt, ſi cum voluptate, aut delectatione utilitas, & lucrum haberi poſſit, ut eſt in citharœdo, in hiſtrione, vel alterius voluptatis artifice. *Servi autem alii publici, alii privati*; quorum varia officia, & miniſteria erant. Unde apud Plautum in Capteiveis, Act. II. Sce. II. *Optumum*, ait, *atque æquiſſimum oras, optimuſque hominum es homo: Sed is privatam illic ſervitutem ſervit, an publicam?* HEG. *Privatam medici Menarchi*.

PUBLICI ſervi dicebantur, qui officium, & miniſterium publicum ſacerdotibus, aut magiſtratibus, & populo exhibebant. De quibus Livius l. XXVI. *Scipio victa Carthagine nova opifices ad duo millia hominum publicos fore populi Romani edixit, cum ſpe propinqua libertatis, ſi ad miniſteria belli enixe operam navaſſent*. Habebant enim oppida, municipia, ſocietates, & fana, ſervos publicos, quos etiam manumittebant, impoſitis a ſe nominibus. De ſervo publico civitatum (*a*) Plinius epiſtola ad Trajanum: *Utrum*, inquit, *per publicos civitatum ſervos, quod uſque adhuc factum, an per milites adſervare cuſtodias debeam*. Ad hæc Trajanus: *Perſeveremus in ea conſuetudine quæ iſti provinciæ eſt, ut per publicos ſervos cuſtodiantur*. De municipali idem lib. VII. Epiſt. *Agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi*. Et Feſtus: *Municeps qui in municipio a ſervitute liberatus*. Hi ut in municiplis & civitatibus, ſic & in urbe Roma duplicem uſum præſtabant, & ad judicia, reſque forenſes, & ad ſacra: de quibus Livius lib. IX. *Potitia gens*, inquit, *cujus ad aram maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi cauſa ſolemnia ejus ſacri docuerat*. Tacitus lib. XVII. *Piſo in ædem Veſtæ pervaſit, exceptuſque miſericordia publici ſervi, & contubernio ejus abditus, non religione, nec ceremoniis, ſed latebra imminens exitium differebat*. Qui omnibus magiſtratibus apparuerunt, ut Cenſoribus, de quibus Livius: *Cenſores, ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſervis publicis negaverunt ſe quidquam publici negotii geſturos*. Ædilibus, de quibus Varro: *Ædiles ſtipati ſervis publicis non modo prehendi non poſſunt, ſed & ultro ſummovent populum*. Quæſtoribus, quos idem Varro tradit *neque lictorem habuiſſe, neque viatorem*: nam & publico miniſterio populi Romani fuere lictores, viatores, apparitores, Brutiani, & ſcribæ. Cicero Philipp. XIII. *Quos Antonius*, inquit, *deliciarum cauſa loris in convivio cædi jubebat a ſervis publicis*. Vellejus Paterculus lib. II. *Injecto in collum loro in carcerem Minturnenſium juſſu duumviri productus eſt; ad quem interficiendum miſſus cum gladio, ſervus publicus natione Germanus*. Et Valerius Maximus eadem de re lib. II. cap. V. *Miſſus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clauſum, ſervus publicus natione Cimber, & ſenem & inermem, & ſqualore obſitum*. Servos tamen publicos alios fuiſſe a lictoribus oſtendit Senatus-conſultum vetus, quod Frontinus in libro de aquæ ductibus refert:

a *Lib.* 1. *ff. de oper. libert.* b *l.* 1. *ff. de oper. ſervor.* 8. c *leg.* 3. *ff. de oper. libert.* d *Lib.* 6. *ff. de oper. libert.* e *Lib.* 9. *ead. tit.* f *Lib.* 9. & 23. *ff. de oper. libert. leg. ſi non ſortem.* §. *libertus*, *ff. de condict. .ndeb* g *L.* 6. *ff. de oper. ſervor.*

a *Lib.* 10. *Epiſt.* 20.

PLACERE SENATVI, EOS QVI AQVIS PVBLICIS PRÆESSENT, CVM EIVS REI CAVSA EXTRA VRBEM ESSENT, LICTORES BINOS, ET SERVOS PVBLICOS TERNOS, ARCHITECTOS SINGVLOS, ET SCRIBAS, ET LIBRARIOS, ACCENSOS, PRÆCONESQVE TOTIDEM HABERE QVOT HABENT II, PER QVOS FRVMENTVM PLEBEI DATVR.

Usus autem scribarum fuit, ut in tabulas actiones (*a*) referrent; accensorum, ut citarent, & horam esse tertiam, aut meridiem admonerent; lictorum, ut coercerent, aut summoverent. Quibus annua quædam ad victum & vestem respublica præstabat. Plinius lib. x. Epist. *In plerisque civitatibus, maxime Nicomediæ & Niceæ, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genere pœnarum publicorum servorum officio, ministerioque funguntur, atque etiam ut publici servi annua accipiunt*. Erant autem ordinis libertini, quod præter (*b*) Varronem (*c*) Tacitus lib. XIII. refert: *Quippe late fusum id corpus: hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus, & sacerdotibus; cohortes etiam in urbe conscriptas*. Itaque liberati servitute, manuque missi jam erant, antequam apparebant, & serviebant magistratibus; manumissi vero adsumebant nomina dominorum, a quibus erant liberati, & in eorum nomina quasi succedebant. Hi, ut commodius distingui possent, a provinciis, unde adducti, appellabantur, ut *Brutiani*, *Cyprii*; vel a personis, qui vicerant, quive adduxerant, ut *Corneliani*, *Porciani*. Brutiani autem dicti, quod ex Brutiis essent, qui etsi liberi, magistratibus tamen in provincias euntibus parebant, & præministrabant servorum vice, illosque sequebantur. Apud prætorem vero pro pupillo, si pupillus absens sit, vel fari non possit, servus publicus stipulabatur. (*d*) Ulpianus: *Si pupillus absens sit, vel fari non possit, servus ejus stipulabatur; si servum non habeat, servus ei emendus est; sed si non sit unde ematur, aut non sit expedita emptio, profecto dicemus servum publicum apud Prætorem stipulari debere*. Et servus publicus populi Romani quamvis ipse non civis Romanus, sed tantum liber esset, olim pro parte bonorum dimidia testamenti factionem (*e*) habebat. Servi publici quoque obligationes rebuspublicis (*f*) acquirebant; & (*g*) tabulariam olim administrabant. Quod ab (*h*) Arcadio, Honorio, & Theodosio postea prohibitum fuit.

PRIVATI servi, qui usus sui causa a domino parati, & ad ejus corpus tuendum, atque ipsius cultum destinati erant: quo in genere urbanorum & rusticorum familiæ, quæ non loco, sed genere distinguuntur. (*i*) Pomponius lib. VI. ad Sabinum: *Urbana familia & rustica non loco, sed genere distinguuntur. Potest enim aliquis dispensator non esse urbanorum servorum numero, veluti is, qui rusticarum rerum rationes dispenset, ibique habitat, & non multum abest a villico*. Et (*k*) Marcianus: *Is qui natus est ex mancipiis urbanis, & missus est in villam nutriendus, in urbanis servis constituerunt*. (*l*) *Urbani intelligendi sunt, quos paterfamilias inter urbanos adnumerare solitus sit, quod maxime ex libellis familiæ, item cibariis deprehendi poterit*: id est diariis, & demensis. Servi enim ex demenso vivebant, ut postea dicemus. Horatius libro I. Epistola XIV.

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

(*a*) Alfenus: *Servis, & ancillis urbanis legatis eos solos in eo numero haberi, quos paterfamilias circum se ipse sui cultus causa haberet*. Cicero in Epist. ad Terentiam: *Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit*. Familiam vero quindecim servi conficiunt. Apulejus Apolog. I. *Quindecim liberi homines populus est, totidem servi familia, totidem vincti ergastulum*. Plinius libro XXXIII. c. I. Natural. Hist. tradit priscos Romanos singulis servis contentos fuisse: *Singuli*, inquit, *Marcipores, Luciporesve dominorum gentiles, victum in promiscuo habebant*: qui Marcipores, quasi Marci pueri vocabantur: quod in numerosa familia postea fieri non potuit. Quintilianus lib. primo Orat. Instit. *In servis jam intercidit genus illud nominis, quod ducebatur a domino, unde Marcipores, Publiporesque*. A diversis autem operis, & ministeriis diversa olim fuit servorum ejusdem familiæ conditio, & ut (*b*) poeta ait:

— discrimina quædam
Sunt famulis splendorque suus. —

aut enim (*c*) ordinarii erant, aut (*d*) Vicarii, vel (*e*) Mediastini, & (*f*) quales quales.

ORDINARII qui aliis servis præpositi sunt, & certum aliquod ministerium, officiumve in familia exercent. Theophilus ordinarium servum *τὸν πρῶτον οἰκέτην* appellat; *τὸν δὲ τοῦ οἰκέτου οἰκέτην*, vicarium.

Vicarius enim est servus servi majoris in familia. *Mediastini*, qui nulli certo ministerio deserviunt, & locum pene infimum servitutis tenet; quos *sordidioris operæ* Seneca vocat. *Quales quales*, &, *compediti* infimæ & miserrimæ conditionis inter servos erant, qui nervo & compedibus vincti, villarum ac possessionum ergastulis continebantur. Ad hanc servorum differentiam respexit in Paradoxis Cicero: *Atque ut in magna stultorum familia*, inquit, *sunt alii lautiores, ut sibi videntur servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii: pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulæ, quos cælatum aurum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant*. At sumus, *inquiunt*, principes civitatis. *Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis: sed ut in familia, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius civitatis locum pene infimum obtinent*. Et Aristoteles lib. I. Politicorum: *τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δὲ ἀναγκαιότερα, καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν, δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου*: id est, *quædam ministeria honoratiora, quædam autem magis necessaria: & juxta proverbium, heroque herus, servoque servus est prior*. (*g*) Ulpianus etiam tres visus est servorum differentias posuisse, cum ait: *Etenim multum interest, qualis servus sit, bonæ frugi ordinarius, dispensator; an vero vulgaris, vel mediastinus*,

a *Carolus Sigonius de Prætoribus lib.* I. *cap.* 7. b *lib.* 7. *de ling. lat. ad finem*. c *Cap.* 27. d *Lib.* 2. *ff. rem. pupil. sal. fore*. e *Petrus Faber lib.* 11. *semest. cap.* 24. f *leg.* 11. *ff. de usuris*. g *leg.* 18. *ff. de adopt. leg.* 2. *Cod. eod. leg. ult. Cod. de servis Reipub.* h *leg.* 3. *Cod. de tabellariis*. i *leg.* 166. *ff. de verb. signif.* k *L. servis Urbanis. ff. de legat.* 3. *leg. cum quæreretur, de leg.* 3. l *L.* 99. *ff. de leg.* 3.

a *Leg.* 60. §. 1. *ff. de leg.* 3. b *Claudianus lib.* I. *in Eutrop.* c *Leg.* 17. 18. 19. *ff. de peculio*. d *leg.* 5. §. 1. *de tribut. act.* e *l.* 15. §. 44. *ff de injuriis*. f *leg. citata*. g *leg.* 16. §. 44. *ff. de injuriis*.

stinus, an qualis, qualis; sic quidem ut alios contenderit ordinarios esse, alios vulgares, vel mediastinos, alios quales quales. Idem lib. XVIII. ad Sabinum: *Sufficienter autem alere & vestire debet, secundum ordinem & dignitatem mancipiorum.* Ex ordinariis autem servis alii actores (a) dicebantur, alii procuratores, dispensatores, nutricii, silentiarii, cubicularii, villici, atrienses, & triumphales; id quod ex Salviano perspicuum, qui libro IV. de providentia Dei sic de ordinariis, & vicariis servis scribit: *Ad fugam servos non miseriæ tantum, sed supplicia compellunt. Pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores: prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. Quid amplius dici potest? Multi servorum ad dominos fugiunt, dum conservos timent. Unde illorum fugam non tam ad eos debemus referre qui fugiunt, quam ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infelicissimi; famulari optant, & fugere coguntur: discedere a servitio dominorum suorum omnino nolunt; & conservorum suorum crudelitate non permittuntur, ut serviant. Mendaces quoque esse dicuntur; ad mendacium nihilominus atrocitate præsentis suplicii coarctantur. Siquidem dum tormentis se volunt eximere, mentiuntur. Quid autem mirum, si positus in metu servus, mentiri mavult, quam flagellari?* Hæc Salvianus. De quibus omnibus ordine deinceps dicendum. Ac primum quidem.

ACTORES servi, quibus rerum omnium summa commissa; quique villicis rebus, & rationibus domesticis præpositi, honestissimo præ servis reliquis loco, & gradu fuerunt. Hi, interdum absolute *actores* appellantur, interdum *actores rerum, actores bonorum, actores prædiorum, fundorumque*: de quibus Columella lib. I. cap. VII. de re rustica; *Ita fit, ut & actor, & familia peccent.* Et cap. VIII. *Idemque actori præcipiendum est, ne convictum cum domestico, multoque minus cum externo habeat.* Plinius Epist. ad Calvisium lib. III. epist. XIX. & multa in libris nostris mentio; eadem ratione *actorem summarum* eum vocat Suetonius, qui rationibus dispungendis præerat, easque observabat. De servo actore Plautus in Asinaria, Act. II. sc. IV.

Nam si sciet noster senex fidem non esse huic habitam,
Succenseat, quoi omnium rerum ipsus summam credidit.

Irenæus adversus hæreses libro IV. *Quis igitur erit fidelis actor bonus, & sapiens, quem præponet dominus supra familiam ad danda eis cibaria in tempore.* Et Apulejus de asino aureo lib. VIII. *Servus quidam*, ait, *cui cunctam familiæ tutelam dominus permiserat suus, quique possessionem maximam, illam in quam deverteramus, villicabat, habens ex eodem famulitio conservam conjugem, liberæ cujusdam extraneæque mulieris flagrabat cupidine.* Salvianus lib. IV. de Providentia divina: *Pavent quippe actores, pavent silentiarios, pavent procuratores; prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint, quam dominorum suorum.* Ab actore differt procurator, differt etiam dispensator.

* PROCURATOR servus, *qui mandato domini negotia ejus administrat*, cui supellectilem & cellaria credi consuevisse, auctor est idem Salvianus de providentia Dei lib. III. *Sicut servi hominum divitum aut procuratores, quibus vel supellectilis copiosa, vel cellaria opulenta creduntur, fideles absque dubio dici non queunt, si res traditas devorarent; sic profecto etiam Christiani homines fideles non sunt, si bona sibi a Deo assignata corrumperent.* Moris autem Romani, ut domi suppellex, penusque omnis annulo signaretur; ne quid negligentia, vel furto periret. Hinc apud Plautum materfamilias:

Obsignate cellas, referte annulum ad me,
Ego huc transeo in proximum ad meam vicinam.

Et alibi servus:

Isti parcipromi qui salinum servis obsignant cum sale. Q. Cicero lib. XVI. Epist. ad Tironem: *Plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Plinius lib. XXXIII. cap. I. Natural. Hist. *At nunc cibi quoque & potus annulo vindicantur a rapina.* Plautus peni procuratorem inter lautiores servos connumerat, Pseudolo, Act. II. Sc. II.

—— Ha. *Quid istud verbi est?*
Pseu. *Condus, promus, procurator peni.*

(a) Ulpianus: *Senatus censuit, ne fugitivi admittantur in saltus, neque protegantur a villicis, vel procuratoribus possessorum.*

CELLARIUS servus est, qui ideo præpositus est cellæ, ut res & rationes salvæ sint. (b) Ulpianus lib. XX. ab Sabinum: *Cellarium quoque, id est, ideo præpositum, ut rationes salvæ sint, item ostiarium, mulionemque instrumenti esse constat.* Cella autem sive Cellarium a reponendis, celandisque rebus esculentis, & potulentis dicitur, ut tradit Donatus ad Terentium.

DISPENSATOR servus, qui familiæ rationes dispensat, & peculii administrationem habet. Cicero apud Nonium in verbo Æra: *Quid tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam quæ ex his confecta sit, non probare?* Quintilianus lib. VI. cap. IV. *Dispensatori, qui cum ad reliqua non responderet, dicebat subinde, Non comedi.* Idem Declamatione 353. *Dispensatorem supra rationes positum esse* ait. Juvenalis Sat. I. XCI.

Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero?

Et Martialis lib. VI. LXXIII.

Dispensatoris nobile cernis opus.

(c) Paulus lib. IX. ad Edictum: *Dispensatori, qui ignorante debitore remotus est ab actu, recte solvitur, ex voluntate enim domini ei solvitur: quam qui nescit mutatam, qui solvit, liberatur.* (d) Idem lib. VIII. ad Plautium: *Dispensatorem meum testamento liberum esse jussi, & peculium ei legavi: is post mortem meam a debitoribus pecunias exegit: an hæres meus retinere ex peculio ejus quod exegit, possit, quæritur.* (e) Pomponius: *Idem urbanis servis tibi legatis, si mihi dispensator legatus sit.* Dispensatoris vero officium erat servis

a *Leg. 15. §. 2. ff. de usufruct. & quemad.* b *Vide Jacobum Ravardum lib. 5. cap. 20. Variorum.*
* *Leg. 25. §. 3. ff. de ædilit. edict.*

a *Leg. 1. in princ. ff. de servis fugit.* b *Leg. 12. §. 9. ff. de instr. vel instr. leg.* c *Leg. 51. ff. de solut.* d *Leg. 62. ff. eod.* e *Leg. 1. ff. de auro & arg. leg.*

reliquis usitata quædam per canonem certum stipendia, certosque frumenti modios in mensem præstare. Ex quo illud Terentii in Phormione:

Quod ille unciatim vix demenso suo
Suum defraudans genium comparsit miser.
Id illa universum abripiet.

At quaternos frumenti modios servi quolibet mense a dominis suis accipiebant; & id *Demensum* dicebatur, verum a *dimittendo*, non a *mense*: quamvis Donatus demensum a mense, an a metiendo appellatum sit, incertum esse scribit, non recte. Veteris certe hujus moris in (*a*) Plauto sunt non obscura quoque vestigia, qui sic Antiphonem servos suos alloquentem introducit: *Vos meministis quot Calendis petere demensum cibum; Qui minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus.* Ubi, *quot Calendis*, pro *quot mensibus* positum, id est, in menses singulos meministis petere demensum cibum, quem diaria appellarunt. Martialis:

Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.

Seneca lib. IX. Controversiar. *Cum introductus esset e carcere in Senatum, postulaturus ut diaria acciperet.* Justa Columella vocat: *Diligenter*, inquit, *dominus, cum & ab ipsis tum & absolutis, quibus major est fides, quærat, an ex sua constitutione justa percipiant: atque ipse panis, potionisque bonitatem gustu exploret.* Canonem Salvianus de providentia Dei lib. IV. *Ac primum servi, si fures sunt, ad furandum egestate coguntur; quia etiamsi iis stipendia usitata præstentur, consuetudini hæc magis quam sufficientiæ satisfaciunt, & ita implent* canonem, *ut non expleant satietatem.* Nam servorum victus constabat pane tantum, aqua, sale, & aceto. (*b*) Horatius ad demensum servorum eleganter & festive sic alludit:

Millia frumenti tua triverit aurea centum,
Non tuus hinc capiet venter plus, quam meus, ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit.

Nam qui viaticum inter venalitios servos portabant, ideo non plus in alimentum accipiebant quam cæteri; quia servi ex demenso vivebant, & demensum illud singulis æquales portiones tribuebat. Per dispensatores etiam olim nomina faciebant. Quintilianus Declamatio. 345. *Satis sit vobis, o divites, hoc vestras præstare fortunas, quod per dispensatores fœneratis.* Itaque Theophilus Dispensatorem definit οἰκέτην ὃς εἴωθεν ἐκδανείζειν τὰ δεσποτικὰ χρήματα. Dispensatores vero, qui pecuniarum administrationem habebant, ab antiquo pecuniæ appendendæ more (*c*) dicti, ut Varro, Sex. Pompejus & Isidorus tradunt. Et qui principum pecunias curant, thesaurorumque administrationem habent, in constitutionibus dispensatores (*d*) vocantur: qua in re servorum quoque ministerio Imperatores usi sunt. De Cæsare Macrobius libro II. Saturn. cap. III. *Secuto omnium risu Dispensatorem Cæsar vocavit, & centum sestertia Græculo numerari jussit.* Suetonius in Augusto, cap. LXVII. *Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum objectus est, maluit timiditatis arguere, quam noxæ.* Nerone: *Mox tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit; nec nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis, recepit.* Et Vespasiano: *Admonente dispensatore quemadmodum summam rationibus vellet inferri.* Plinius lib. VII. cap. XXXIX. a Nerone *dispensatorem* HS. CXX. M. *manumissum* refert. Idem lib. XXXIII. cap. XI. *Servus Claudii Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris, quingenariam lancem habuit.* Tacitus in Galbæ historia: *Corpus, dispensator Argius e primoribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit.*

NEGOTIATORES servi, qui præpositi sunt negotii exercendi causa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi. (*a*) Marcianus: *Legatis servis, exceptis negotiatoribus; Labeo scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent negotii exercendi causa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi essent.*

CONTURBATORES servi veteribus dicebantur, qui domini pecuniam invertunt, & partem sibi servant. Hinc (*b*) Ulpianus: *Si quis pistor*, ait, *servum suum solitus fuit ad certum locum mittere ad panem vendendum, deinde conturbaverit.* Et illud Martialis lib. VII. Epigram. XXVI.

Conturbator aper, vilius esurio.

Nam qui non sunt solvendo, neque se extricare nominibus possunt, & ære alieno, illi *conturbant*. Conturbare etiam pro *decoquere* Jure-consulti accipiunt. Martialis lib. IX. Epigram. IV.

Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota.
Decidat tecum qua pater ipse Deum.

NUTRICII servi, qui Cæsares, vel patriciorum & equitum pueros a juventute educabant, & instruebant; qui & *educatores*, & *pædagogi* dicebantur. Cæsar libro primo Civilis belli: *Interim dissensione orta inter Achillam, qui veterano exercitui præerat, & Arsinoen regis Ptolomæi minorem filiam, cum uterque utrique insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet, præoccupat Arsinoe per Ganymedem eunuchum nutricium suum, atque Achillam interficit.* Idem libro III. belli Civilis: *Nutricius ejus pueri eunuchus.* Et Herodianus sub finem lib. III. historiæ Augustæ: *Nam & medicos supplicio affecit, quod sibi parum obtemperaverant, jubenti senis maturare necem, nutriciosque suos juxta & fratres, quod de reconciliandis egissent, ne uno quidem reliquo suæ crudelitati facto, ex eo ordine hominum, qui in honore aliquo fuerant, quique ipsius parentem observaverant.* (*c*) Scævola: *Prædia maritima cum servis, qui ibi erunt, & reliquis colonorum, nutritori suo legavit.* Tacitus lib. XIII. *Nam ut proximus quisque Britannico neque fas, neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque exoluta alvo parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim sæviret.* Capitolinus in Pio: *Inter argumenta pietatis ejus & hoc habetur, quod cum Marcus mortuum educatorem suum fleret, vocareturque ab aulicis ministris ab ostentatione pieta-*

a *In Sticho. act. 1. sc. 2.* b *Libro Serm. Satyr. 1.* c *In §. recte. Institut. mandat.* d *Leg. 1. cod. si advers. fisc. l. 4. c. de fide instru.*

a *leg. 65. ff. de leg. 3.* b *leg. 5. §. idem Labeo ff. de instit. act. & leg. 16. ff. de in rem verso.* c *leg. 27. ff. de instr. vel instrum. legat.*

tis, ipse dixerit: Permitte, inquit, illi ut homo sit: neque enim vel philosophia, vel imperium tollit affectus. Apulejus lib. x. *Ad quendam compertæ gravitatis educatorem suum protinus refert.* Et Justinianus Imperator: *Veluti si quis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, sororesve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, alumnum alumnamve, aut collactaneum manumittat.*

MEDICOS servos sanitatis causa etiam ditiores Romani habuerunt, qui artem medendi norant, (*a*) Scævola: *Lucius Titius ita testamento cavit: Medicos tibi commendo illum, & illum, in tuo judicio erit, ut habeas bonos libertos, & medicos, quod si ego libertatem eis dedissem; veritus sum, quod sorori meæ charissimæ fecerunt medici servi ejus manumissi ab ea: qui salario expleto reliquerunt eam.* Plautus in Aulularia:

Nummo sum conductus, plus jam medico mercede opus est.

SILENTIARII servi, ut Seneca quadam epistola refert, *qui in familia cæterorum servorum murmur cohibebant.* De quibus Salv. lib. IV. de providentia Dei: *Pavent quippe actores, pavent silentiarios pavent procuratores.* Silentiariorum qui murmur voce compescunt, schola erat in aula Constantinopolitana, ut ex Nicephoro lib. XVI. cap. XXIV. perspicuum. Procopius lib. II. de bello Persico testatur hos in palatio imperatoris fuisse ad ea quæ sunt quietis ministros; etenim *Adolium* scribit *Acatii filium genere Armenium, in Palatio Imperatoris fuisse ad ea, quæ sunt quietis, ministrum: Quod,* inquit, *munus, Romani silentiarium vocant: & quia principis arcanorum essent conscii,* sunt qui *Auricularios* item vocent. De his silentiariis sacri palatii viris spectabilibus Justinianus C. tit. de Silentiariis: *Viros clarissimos sacri nostri palatii silentiarios circa latus nostrum militantes, de tutelis & curationibus excusari sancimus.* Et D. Ambrosius in oratione de morte Valentin. *Vesperi profectus est silentiarius, tertio die mane quærebat, jam ne remorasset.*

CUBICULARIUS servus, qui cubiculum domini observabat. Quintilianus: *Servum Tarsi cubicularium ejus, qui occisus est.* Apulejus l. x. de asino: *Confestim cubiculariis mulieris attractis ut tormentorum, veritatem eruit.* Et (*b*) Marcianus: *Cubicularios autem, vel obsonatores, vel eos qui piscatoribus præpositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri.* (*c*) Alphenus hos numerat inter eos *quos usus sui causa paterfamilias habet.* Cicero V. in Verrem: *Hunc vestri janitores, hunc cubicularii diligunt.* Sueton. in Domitiano c. XVII. *Et Saturius decurio cubiculariorum. Præpositum etiam cubiculo* (*d*) legimus apud Sueton. in Domitiano, & (*e*) Tiberio.

VILLICUS servus, qui præpositus est rationibus rusticis, fructibus percipiendis, universoque operi rustico. Varro lib. I. de re Rust. *Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur, cum veneunt.* (*f*) Ulpianus: *Homines qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpositive sunt his: quorum in numero sunt villici:* itaque Plautus villicum inter lautiores servos connumerat, Casina, Act. II. Sc. ult.

—— hinc illud est quod hic
Olimpionem fecit istum, villicum.

Horatius lib. I. Epist. XIV.

Villice sylvarum, & mihi me reddentis agelli.

Meminere ejusdem Scævola, Papinianus, (*a*) alii. Columella lib. II. *Villicus semper caveat, ne improvidus ab opere vincatur, res est agrestis, insidiosa cunctanti.* Sed poetæ Villici appellationem ad præfectos quoslibet transferunt, (*b*) Juvenalis ad præfectum Urbi, de Pegaso jurisconsulto scribens:

Pegasus attonitæ positus modo villicus Urbi.

Inscriptio Patavina ad præfectum ærarii:

Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli.

Villica autem uxor villici. Martialis lib. I.

Pinguis inæquales onerat cui villica mensas.

Juvenalis Sat. II.

Asparagi, posito quos legit villica fuso.

FABER servus, qui villæ reficiendæ causa paratus est. (*c*) Ulpianus: *Item fabrum, qui villæ reficiendæ causa paratus sit.* Cicero pro Plancio: *Si pro fabro, aut textore emimus.*

(*d*) ATRIENSES servi, qui atrium observant, & custodiunt, ne quid ex imaginibus, stemmatibus, ac cæteris quæ in atrio reponi solent, deperiret; & qui supellectilem ædium, aut villæ exponunt, simulque atrium omni ex parte mundum, & nitidum ut sit, procurant. Columella lib. XII. cap. III. *Tum insistere atriensibus, ut supellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur.* Itaque hos (*e*) Cicero & Plautus inter lautiores servos connumerant. Pseudolo, Act. II. Scen. II.

Quid istuc verbi est? PS. *condus, promus sum procurator peni.*

HA. *Quasi te dicas atriensem.*
PS. *Imo atriensi ego impero.*

Et asinaria, Actu II. Sc. II.

Extemplo facio facetum me, Atque magnificum virum,
Dico me esse atriensem.

Ad hos respexit Virgilius:

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria. ——

Nam ut ait Cato, *& in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Unde Juvenalis Sat. I.

—— quis fercula septem
Secreto cœnavit avus? ——

a *Leg. 41. §. 6. ff. de fideicom. libertat.* b *Leg. 65. ff. de legat. 3. lib. 14. §. si patris. de bon. libert.* c *leg. 203. in fine ff. de verb. signif.* d *cap. XVI.* e *cap. XXI.* f *leg. 8. ff. de instr. vel instrum. leg.*

a *leg. 16. ff. de instit. act. l. 8. de instr. leg. l. 203. de verb. signific.* b *Satyra IV.* c *leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. legat.* d *Varro lib. 7. de ling. lat. Plinius lib. 35. nat. hist. cap. 2. Vitruvius lib. 6. cap. 4. ubi de atriis.* e *Parad.*

Ubi etiam pecunias,& cætera preciosiora habebant Romani; unde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebant. Hinc *servus ad limina* dictus pro atriensi apud Apulejum in secundo de asino, & apud Virgilium libro IX. Æneidos:

—— hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.

Meminit hujus generis servorum Cicero in Pisonem: *Servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes, idem coquus, idem atriensis.* Atrienses autem non urbe tantum, sed si villa cultior, etiam in villis erant. Unde (*a*) Ulpianus ait, *fundo instructo legato, non modo instrumenta fundi, sed si villa cultior est, etiam atrienses accedere legato.* Hi & (*b*) Atriarii dicti; quos tamen alios esse ab atriensibus cum doctissimo Petro (*c*) Fabro crediderim: illos honestioris conditionis, hos minus honestos, veluti quosdam illorum vicarios, qui ad atrium tanquam ad ostium ejus observandi gratia starent, qui id tergerent, qui verrerent, qui spargerent.

TRIUMPHALIS servus, qui triumphantis aureum currum sequebatur. Pollio in Claudio Cæsare: *Factus*, inquit, *miles barbarus, & colonus ex Gotho: nec ulla fuit regio, quæ Gothum servum triumphalem quodam servitio non haberet.* Meminere hujus Appianus Alexandrinus in Lybico, & Plutarchus in Æmilio: *Et servus triumphalis, qui in curru eodem supra triumphantis verticem coronam ex auro tenebant a tergo, cui annulus in digito ferreus erat.* Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Et cum corona ex auro Hetrusca sustineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis, & servi fortasse coronam sustinentis.* Zonaras refert *publicum ministrum in eodem curru coronam auream sustinuisse a tergo supra triumphantis verticem, & dixisse subinde: Respice futura, & hominem te esse cogita.* Atque hæc de servis ordinariis.

VICARIUS est servus servi majoris in familia, qui nimirum servit servo ordinario. Auctor est enim (*d*) Ulpianus ordinarios servos sub se vicarios habuisse, iisque velut dominos sic imperasse, ut vicarii essent cum suis peculiis in peculio ordinariorum: *Si servus meus*, inquit, *ordinarius vicarios habeat; id quod vicarii mihi debent, an deducam ex peculio servi ordinarii? & Proculus, & Attilicinus existimant, sicut ipsi vicarii sunt in peculio, ita & peculia eorum. Et id quidem quod mihi dominus eorum, id est, ordinarius servus debet, etiam ex peculio eorum detrahetur: id vero quod ipsi vicarii debent, dumtaxat ex ipsorum peculio.* Inde vicarios servos, *peculiares* nuncupatos esse idem (*e*) Ulpianus refert: *Miles*, inquit, *manumittendo servum peculiarem suum facit libertum, & ad legitimam hæreditatem ejus admittetur.* Et (*f*) Scævola: *Si Sticho manumisso peculium legatum sit, & Titio servus peculiaris: quantum peculio detractum erit ob id quod domino debetur, tantum ei accedere, cui vicarius legatus est, Julianus ait.* Suetonius Julium Cæsarem tradit *servos peculiares præposuisse monetæ, publicisque vectigalibus*: qua re multorum offensionem Cæsar contraxit, quod monetæ, cui triumviri monetales præerant, & vectigalibus servos suos præfecerat: ubi peculiares servos, ut (*g*) Turne-

a *Leg. 8. ff. de instr. leg. l. 15. §. usufr. l. 203. de verb. signif.* b *Leg. 1. §. caupones ff. naut. caup. stab.* c *Lib. 2. Semest. cap. 12.* d *Lib. 17. ff. de peculio.* e *Leg. 3. §. miles. ff. de suis & legit.* f *Leg. 21. ff. pecul.* g *Lib. 11. Adversar. cap. 12.*

bus ait, servos Cæsaris proprios intelligit; quomodo & Plautus in prologo Capteivor. *Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo peculiarem.* Apud (*a*) Ulpianum vero *Pomponius scribit eum qui in servitute peculiaria mancipia prostituta habuit, infamia notari post libertatem*: dubium enim non est, quin de servis ordinariis vicaria mancipia sua prostituentibus, senserit hoc in loco Pomponius. Eadem ratione & vicariorum vicarii erant: nam ut (*b*) Ulpianus ait, *si servus, & vicarius ejus liberi esse jussi sunt, eisque peculia sua legata sint; verba secundum voluntatem testatoris exaudienda, tanquam de duobus separatisque peculiis testatore locuto: & secundum hæc vicarius vicarii non communicabitur, nisi hæc mens fuit testantis.* Et (*c*) Celsus: *Si servus liber esse jussus sit, eique peculium legatum sit; vicariorum ejus vicarii legato continentur.* Atque hoc est, quod Horatius ait Serm. lib. II.

Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester, ait, seu conservus: ——

Et Martialis Epigrammatum secundo:

Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse:
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

(*d*) *Peculiatus* autem *servus* dicitur, qui peculio est instructus, ut & apud Apulejum *peculiatus libertus*, cui contrarius *expeculiatus* apud Plautum. Porro inter vulgares, sive vicarios servos lecticarii, capsarii, librarii, anteambulones, cursores, topiarii, viridarii, pastores, saltuarii, diætarii, aquarii, obsonatores, structores, vocatores, pistores, & coci numerandi sunt.

LECTICARII servi, qui lecticam humeris subeuntes portabant, quæ *hexaphoros* dicebatur, cum sex servis ferebatur. Martial. lib. II. in Zoilum Epigram. LXXXI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Idem lib. VI. Epigr. LXXVII.

Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Unde Juvenalis:

—— cum jam sexta cervice feratur.

Cum ab octo, *octophoros*: illa viris & fœminis communis; hæc fœminis & ægrotis magis in usu. Suetonius Caligula: *Iter confecit modo festinanter, & rapide: interdum adeo segniter, & delicate, ut octophoro veheretur.* Martialis lib. VI.

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Idem Epigr. II.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Apulejus in Apologia II. *Vectabatur Octophoro*

a *Leg. 4. §. 3. ff. de his qui not. infam.* b *Leg. 6. §. 3. ff. de pecul. legat.* c *Leg. 25. ff. de pecul. legat.* d *Leg. 13. §. 4. de act. empt.*

Lecticariorum meminere (*a*) Pomponius, (*b*) Scævola, (*c*) Ulpianus, alii: *Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matrem familias portabant*. Servius Sulpitius ad Ciceronem: *Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram meisque lecticariis in urbem eum referre*. Seneca lib. IV. Ep. XXIX. *Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana, ac peregrina portantium*. Suetonius in Othone: *Muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus lecticariis cum descendisset, cursumque cepisset, laxato calceo restitit*. Idem Caligula cap. LVIII. *Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt*. Tacitus cum Galbæ Cæsaris necem describit: *Omnes*, ait, *diffugerant, præter unum centurionem, nomine Sempronium, qui nullo privatim beneficio a Galba affectus, sed honestati, majestatique imperatoriæ opem ferens, solus stetit ante lecticam: sublataque voce centuriali, jubebat milites irruentes parcere Imperatori; & cum diu repugnasset, tandem corruit. Tunc Galba trepidatione lecticariorum projectus est sella*. Porro delicatioribus curæ erat, ut hi splendide amicti, & formosi essent, vestiti fere ut calones, & militariter penulati. Seneca Epist. CX. *Hoc ipsi mihi dico, quotiens tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quotiens occurrit domus splendida, cohors culta servorum, formosis imposita calonibus*. Idem de Beneficiis lib. III. cap. XXVIII. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti, in militum, & quidem non vulgarem cultum subornati? quo, inquam, te isti efferunt? ad ostium alicujus ostiarii, ad hortos alicujus ne ordinarium quidem habentis officium*. Et sic divites Romani vehi solebant, quod Tertullianus quoque in libro ad uxorem testatur. Lecticarii servi etiam qui lecticas faciunt. (*d*) Marcianus: *Si ex officio quis ad artificium transierit, quidam recte putant legatum extingui: quia officium artificio mutatur. Non idem e contrario cum lecticarius cocus postea factus est. Si vero unus servus plura artificia sciat, & alii coci legati fuerint, alii textores, alii lecticarii, ei cedere servum dicendum est, cui legati sunt, in quo artificio plerumque versabatur*. Cicero pro Sexto Roscio: *Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios*. Inscriptio vetus Romæ trans Tiberim ad D. Cæciliæ:

DIS. M. TI. CLAVDIO. AVG. LIB. TIGRANO. EX. CORPORE. LECTICARIORVM. CÆSARIS. VIX. ANNIS. LXXXV. M. LICINIVS. ATIMETVS. ET. SEXTIA. FELIX. BENEMERENTI. POSVERVNT.

Erant & lecticarii olim, qui efferendis cadaveribus (*e*) deserviebant, qui & *κοπιάται* appellantur *τὰς τῶν, νεκρῶν κλίνας ἄγοντες*. Lecticis enim, & Sandapilis mortuorum corpora efferebantur; at sandapila a quatuor tantum servis portata. Martialis lib. VIII. Epigram. LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Et populus in sandapila efferebatur. Idem lib. VIII. Epigram. LXXV.

Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.

Suetonius Domitiano, cap. XVII: *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum*. Servi etiam testamento manumissi, qui *liberti Orcini* dicti sunt, certum & proprium quoddam sandapilæ genus habebant. Martial. lib. X. Epigr. V.

Vocet beatos, clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda.

Lecticarios autem Catullus epigr. X. *ad lecticam homines* vocat, originem lecticarum referens ad Bithynos:

At certe tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines.

Et Cicero lib. V. in Verrem: *Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur*. Laxa vero lectica potentiorum fuit; minuta, & arcta tenuiorum: quarum usum Domitianus Imperator *probrosis fœminis ademit*, ut Suetonius cap. VIII. refert.

POLLINCTOR, servus, qui mortuorum corpora lavat, ungit, & curat. (*a*) Ulpianus: *Si libitinarius, quos Græci νεκροθάπτας vocant, servum Pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit*. Varro in Satyra: *Mutuum muli scabunt, sive περὶ ἀφορισμοῦ. Itaque plures dies inter medici discessum, & adventum pollinctoris interfuerunt*. Plautus Pœnulo:

Carthaginienses fratres duo fuerunt,
Eorum alter vivit, alter est mortuus:
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Et parasitus (*b*) Plautinus Demænetum uxoris minis auditis, metu esse exanimatum, & fere mortuum significaturus, festive ait:

Ecquis currit pollinctorem accersere?

Martialis lib. X. epigr. CXVII.

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato.

Cujus moris meminit Arnobius libro primo adversus gentes: *Unus fuit e nobis, qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas? prodire ab aggeribus conditos? & post diem funeris tectos pollinctorum velaminibus expediri?* Apulejus in Hermagora: *Pollinctor ejus funeri dum unctionem parat*. Ante unctionem corpora lavari ab amicis mos erat. Virg. VI. Æneid. CCXVIII.

Per calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Hujus tamen muneris curam ad mulieres pertinuisse Muretus Variarum Lectionum lib. III. cap. XIX. docet hoc versu Ennii;

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Unde Tertullianus in Apologetico, *mortuis parari silicernium, obbam, pollinctorem* scripsit: qua de re fusius tractant doctissimi viri Joannes Meursius, & Joannes Kirchmannus in libris De Funeribus Romanorum. Quæ autem ad Pollincturam

a *Leg. 8. §. 2. ff. de leg. 3. leg. 65. ff. de leg. 2.* b *Leg. 13. ff. de auro & arg. leg.* c *leg. 49. ff. de leg. 3.* d *Leg. 65. §. 2. ff. de leg. 3.* e *Novell. Constitut. 43.*

a *Leg. 5. ff. de Institor. Act.* b *Asinaria act. 5. sc. 2.*

pertinebant, a Libitinariis in templo Libitinæ vendebantur.

CAPSARIOS servos Paulus nominat, qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt, quod capsis ea includant: (*a*) *Adversus*, inquit, *capsarios quoque qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt, judex est constitutus, ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat.* Hi ad fores stare solebant, id quod (*b*) Epiphanius aperte indicat, dum Adamitarum mores pessimos describit; quos inter cætera etiam *nudis corporibus conventus habuisse in hypocaustis* refert, *& ad fores adstitisse ipsis quosdam capsariorum instar, qui eorum vestimenta susciperent, & custodirent.* Ulpianus capsarios vocat, qui pueris euntibus in scholam libros portant: *Si collactaneus*, ait, *si educator, si pædagogus ipsius, si capsarius, id est qui portat libros.* De his Suetonius in Nerone, cap. XXXVI. *Constat quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter necatos.* Juvenalis Satyr. X. CXVI.

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

Erant insuper capsarii Romanis dicti, qui capsæ nummariæ apud argentarios, & numularios præpositi erant; & capsarii capsarum opifices; quibus aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit; ut sunt mensores, optiones, valetudinarii medici, capsarii artifices, & qui fossam faciunt. Præterea hi & Arcarii ab arca nominabantur, qui non solum vestimenta ad balnea portabant, verum etiam reliqua omnia genera vestimentorum adservabant. (*d*) Scævola Arcarium servum dicere videtur, cui arcæ, in qua domini pecunia condita, procuratio commissa est, idem qui dispensator. *Stichus*, inquit, *arcarius probante domino, nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibet.*

SACCULARII, *qui vetitis, & magicis artibus ex alienis sacculis, aut subducunt pecuniam, aut subtrahunt*, quos (*e*) Ulpianus ait *plus quam fures puniendos*, nam *subducere* est elicere pecuniam ad se arte, vel qua alia ratione illicita; *subtrahere*, est manu auferre. Ejusmodi præstigias Synesius in epist. Euthalii cujusdam describit, quem & *βάλλαντα*, id est *Saccularium* vocat, qui cum in mulcta solvenda unum sacculum ostentasset, in quo aurei nummi erant, & alium huic simillimum occultaret, in quo ærei; numerata pecunia aurea, & suo reddita sacculo, mox clam alterum pro altero subposuit, & tradidit.

VESTISPICI appellantur vestium custodes servi, quod frequenti diligentia vestes inspiciant, ut tradit Nonius. Plautus Trinummo, act. II. sc. II.

—— ducitur familia tota,
Vestispici, unctor, auri custos.

Afranius Vopisco:

Novi non inscitulam ancillulam vespere, & vestispicam. Vestispicam autem quam hic Afranius dicit, aliter Latini *a veste* vocant; ut pueros *a potione, a supellectile, a pedibus, a rationibus*. Ostendit lapis Romanus:

M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO DIVI TRAIANI AVG. A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA. ET TRICLINARCH. LICTORI. PROXIMO. ET A COMMENT. BENEFICIORVM. VIXIT. ANN. XXVIII. ABSCESSIT. SELINVTE. PRI. IDVS. AVGVST. NIGRO. ET. APRONIANO. COS. RELIQVIAE. TREIECTAE. EIVS III. NONAS FEBR. EX PERMISSV. COLLEGII. PONTIFICVM. PIACVLO. FACTO. CATVLLINO. ET APRO COS. DVLCISSIMÆ. MEMORIÆ. EIVS. VALENS. AVG. LIB. PHEDIANVS. A VESTE. BEN. MER. FECIT.

Et in antiqua inscriptione appellantur: *Ad vestem*, ut *Ad cyathos, Ad pedes:*

T. STATILIVS. MALCHIO. AD VESTEM.

ORNATRICES puellæ *quæ mulieribus comas exornabant*, de quibus (*a*) Ulpianus: *Item mancipia alia: puellæ fortassis queis sibi comas mulieres exornant.* Et (*b*) Marcianus: *Ornatricibus legatis, Celsus scripsit, eas, quæ duos tantum menses apud magistrum fuerunt, legato non cedere: alii & has cedere: ne necesse sit, nullam cedere: cum omnes adhuc discere possunt: & omne artificium incrementum recipit; quod magis obtinere debet: quia humanæ naturæ congruum est.* Ovidius: *Tuta sit ornatrix.* Vetus inscriptio: CINERIBVS HAMILLAE ALBIONIAE QVINTAE ORNATRICI FESTVS M. SEPTIMI GALLI DISPEN. CONTVBERNALI B. M. F. ET SIBI. Acus autem, qua ornatrix utitur, *acus comatoria* Petronio, *Acus crinalis* Apulejo dicitur.

(*c*) TONSORES servi, *qui familiæ rusticæ causa parati sunt*, & TONSTRICES ancillæ in familia Romanorum resecandis crinibus, & unguibus. Valerius Maximus lib. III. c. II. *Egresso cubiculum Bruto cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum causa poposcit; eoque velut forte elapso se vulneravit: clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam cœpit, quod tonsoris præripuisset officium.* (*d*) Ulpianus: *Tonsores, & fullones, & focariæ, non agri sunt instrumentum, sed instrumenti.* Plaut. Truculento:

Nam mihi dividia est tonstricem meam sic mulctatam male.

Ibidem:

Ancillas duas tonstrices ducet; alteram tonstricem hujus, alteram ancillam suam.

EXACTORES servi, qui pecunias dominorum exigebant, de quibus (*e*) Scævola: *Si qui minus solvendo fuerint debitores, quibus alii exactores erant applicati, nondum videatur conditioni satisfactum.* Et qui dominorum loco ædificiis reficiendis, rebusque omnibus interfuere; quorum mentionem faciunt vetustæ inscriptiones, quarum altera Romæ; altera Veronæ reperta est:

a *Leg. 3. §. ult. ff. de offic. præf. vigil.* b *In Panat. lib. II.* c *Leg. ult. ff. de jure immunit.* d *Leg. 41. §. 17. ff. de fideicom. libertat.* e *Leg. saccularii ff. de extraord. crimin. & leg. I. §. 2. de effractorib.*

a *leg. 49. ff. de leg. 3.* b *leg. 65. ff. de leg. lib. 3.* c *leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg.* d *leg. 12. §. 6. ff. de instr. vel instru. legat.* e *leg. 41. §. 17. ff. de fideicom. libertat.*

Romæ:
D. M. S.

M. AVRELIVS. AVGG. N. N. LIB. EPAPHRODITVS EXACTOR OPERVM DOM. N. N. CORVM ET LABERIA FELICI; FECERVNT SIBI. ET SVIS.

Veronæ:

BLANDVS C. AFINI ASCLAE. SER. MVRRANVS. P. CLODI TVRPIONIS SER. AVCTVS M. FABRICI SER. CONVITIVM. REFECERVNT TECTVM. PARIETES. ALEVARVNT. VALVAS. LIMEN. DE SVA PECVNIA LARIBVS DANT. COSSO CORNELIO LENTVLO L. PISONE AVGVRE COSS.

EMISSARII servi, qui juvenibus amasias, & equos generosos perquirebant, quos Pædianus *conciliatores furtorum* vocat: itemque hi qui rapinas, & divitum bona quæ poterant proscribi, (*a*) investigabant. Horum meminit Cicero IV. Verr. *Petit Nævius Turpio quidam istius excursor, & emissarius*. Idem V. in Verrem: *Dubitaturum quemque existimas, quin illis emissariis hæc tibi omnis pecunia quæsita sit?* Et rursus: *Magni sua putabant interesse, publice potius quamvis magno emi, qui in aliquem istius emissarium incideret*. Et in Epist. ad M. Marinum: *Hic simiolus animi causa, me, in quem inveheretur, delegerat: persuaseratque nonnullis invidis meis, se in me emissarium semper fore*. (*b*) Suetonius in Galba; *Quin etiam populo Romano deposcente, supplicium Haloti, & Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficentissimos, incolumes præstitit*. Ammianus Marcellinus: *Per emissarios quosdam fallendi, perstringendique gnarus Persarum sciscitabatur consilia*. Emissariorum etiam mentio in sacris literis lib. I. Regum: *Ex emissariis qui circumstabant eum*.

NOMENCULATORES servi, qui nomina transeuntium, salutantiumve domino suggerebant; & unumquemque nominatim poterant vocare. De his Cicero pro Muræna, & libro IV. Epist. ad Atticum; *Ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo nomenculatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit*. Seneca libro II. Epist. XIX. *Alioquin habebis convivas, quos ex turba salutantium nomenculator digesserit*. Et lib. III. Epist. XXVII. *Nemo vetulus nomenculator, qui nomina non reddidit, sed accepit*. Suetonius Caligula: *Misit circum fora & basilicas nomenculatores, ad invitandos ad libidinem juvenes*. Quintilianus lib. VI. Institut. Orat. cap. IV. *Afer ingrato litigatori conspectum ejus vitanti in foro, per nomenculatorem missum ad eum: Amas me, inquit, quod te non vidi*. (*c*) Venulejus: *Potest tamen & impubes operas dare; veluti si nomenculator sit, vel histrio*. Et (*d*) Plinius: *Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac servorum quoque causa nomenclator adhibendus*. Nomenculatorum vero laus erat, quam plurimos nosse; unde elegans extat Scipionis minoris apophthegma, cum Appius Claudius, qui Scipioni in ambienda censura competitor erat, jactaret se, quod ipse citra nomenculatorem cives omnes nominatim citaret, cum Scipio propemodum nosset neminem; *Vera narras*, inquit Scipio, *nam mi-*

a *Wolfangus Lazius lib. 12. cap. 5. Commentariorum. Reipub. Rom.* b *Cap. 15.* c *Leg. ult. ff. de liberali causa.* d *lib. 33. cap. 1.*

A *hi studio fuit, ut non nossem multos, sed ne cuiquam essem ignotus. Nomenculatorum laus est, quamplurimos nosse: at egregii ducis est, ob egregia in rempublicam merita nulli civium ignotum esse*. Horum opera apud Romanos candidati in consequendis suffragiis utebantur, qui nomina civium suggererent. Unde Cato laudatur, quod per se ipsum sine nomenculatore nominatim salutaret cives Romanos, & legem servaverit, quæ *candidato nomenculatores adesse* vetat. Adrianum etiam Cæsarem adeo singulari memoria præditum fuisse tradunt, ut nomina singulis suæ nomenclaturæ redderet, & nomenclatores sæpe errantes emendaret.
B Nomenclatorum meminere (*a*) Ulpianus, (*b*) Venulejus, & antiqua inscriptio Romæ: C. EGNATIVS C. L. EVRIPVS NOMENCVLATOR. & alia Tiburi apud S. Georgium:

D. M.
AVRELIAE PRIMITIVAE CONIVGI CARISSIMAE FECIT ZOSIMIANVS AVG. LIBERT. NOMENCLATOR A CENSIBVS SIBI SVISQVE LIBERTIS LIBERTABVSQ. EORVM.
H. M. H. N. S.

C Plutarchus in Catone ὀνομαστὶ λόγον vocat, Cicero in Muræniana, *monitorem*: *Nam si nomine*, inquit, *appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est eos notiores esse servo tuo, quam tibi. Si etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt*. Qui & fartores dicti, *quod obviorum nomina*, ut Festus ait, *velut infarcirent petitorum auribus*.

HISTRIONES servi, artifices ludiones, qui personati in scenis fabulas agunt. Cicero lib. IV. Tusculan. *Aguntur ista præclare, & ab oratore quidem melius (si modo est orator) quam ab ullo histrione*. Et Ulpianus: *Nam hujus*, ait, *quoque
D est ministerium, si forte vel librarius, vel nomenculator, vel calculator sit, vel histrio, vel alterius voluptatis artifex*. A militia autem Romana legibus *servi, histriones, & capite censi* arcebantur.

SYMPHONIACI servi musicam tenentes, qui & in conviviis, & in classe adhibebantur, per quos cani remigibus *celeuma* solebat, de quibus (*c*) Ulpianus: *Si librarium rus mittat, & qualum, & calcem portare cogat, vel histrionem balneatorem faciat; vel de symphoniaco atriensem, vel de palæstra stercorandis latrinis præponat, abu-
E ti videbitur proprietate*. Cicero pro Milone: *Milo tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat*. Idem in Verrem: *Ab hac præfectus Antonii quidam symphoniacos servos ducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat*. Nam ut Pædianus tradit, *cani remigibus celeuma per symphoniacos servos solebat per assam vocem, id est ore prolatam, & per citharam; & ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant*. Duris Samius auctor est in Alcibiadis navi ab exilio redeuntis Chrysogonum fuisse quendam modulatorem, qui tanta arte remigum manus dirigebat, ut cum illi remorum
F pulsum cum Chrysogoni cantu conjugerent, jucundam audientibus redderent harmoniam.

CALCULATORES servi, qui per lapillos, aut lapillorum signa computabant, & expensa, & percepta in rationes referebant; quorum meminit (*d*) Ulpianus: *Nam hujus quoque est mini-*

a *Leg. 7. §. dabitur. ff. de oper. lib.* b *leg. ult. in fin. ff. de liber. causa.* c *Leg. 7. §. ff. de oper. libert. & leg. ult. ff. de liberal. cau. leg. 15. §. 1. de usufruct. & quemad.* d *Leg. 15. §. 1. ff. de usufr. & quemad.*

ſterium, ſi forte vel librarius, vel nomenculator, vel calculator ſit, vel hiſtrio, vel alterius voluptatis artifex. (*a*) Idem: *Ludi quoque litterarii magiſtris, licet non ſint profeſſores, tamen uſurpatum eſt, ut his quoque jus dicatur. Jam & librariis, & notariis, & calculatoribus, ſive tabulariis.* (*b*) Modeſtinus: *Neque librarios, neque calculatores, quos vulgo rationarios dicimus, habere immunitatem dicunt Divorum conſtitutiones.* Martialis lib. x. Epigram. LXII.

Nec calculator, aut notarius velox,
Majore quiſquam circulo coronetur.

Et D. Auguſtinus lib. II. contra Academ. *Quibus duobus repertis nata eſt illa librariorum, & calculatorum profeſſio velut quædam Grammaticæ infantia.* Quos & *tabularios* appellatos fuiſſe teſtatur (*c*) Ulpianus. Antiqua inſcriptio Veronæ:

V. F. P. CAECILIVS EMPIRODIVS VI. VIR. AVG. CALCVLATOR IVSTINAE SALENAE VXORI ET SIBI.

* LIBRARII ſervi vel *a ſtudiis*, vel *a bibliotheca* erant librorum ſcriptores; vel aliorum ſcriptorum notarii, qui notis quibuſdam dictata ſcriberent. Cicero III. de Orat. *Neque librariorum notis; ſed verborum, & ſententiarum modo.* Et pro lege Agraria: *Aliquando tandem me deſignato, lex in publicum proponitur: concurrunt juſſu meo plures uno tempore librarii, deſcriptam legem ad me adferunt.* Idem lib. IV. Epiſtol. ad Atticum: *Et jam velim mihi mittas de tuis librariolis duos.* Et Cicero filius libro XVI. Epiſtolar. *Peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exſcribendis hypomnematis.* Horatius in Arte Poetica:

Ut ſcriptor ſi peccat, idem librarius uſque,
Quamvis ſit monitus, venia caret. ——

Plinius de inſigni memoria Julii Cæſaris libro VII. cap. XXV: *Epiſtolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas.* (*d*) Ulpianus: *Nam ſi librarium rus mittat; & qualum, & calcem portare cogat: hiſtrionem, balneatorem faciat: vel de ſymphoniaco atrienſem: vel de palæſtra ſtercorandis latrinis præponat: abuti videbitur proprietate.* (*e*) Scævola: *Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quo minus & reus, & fidejuſſor teneantur.* Et (*f*) Juſtinianus Imperator cum de veteri jure enucleando ita ſanxit: *Ipſe autem librarius, qui ea inſcribere auſus fuerit, non ſolum criminali pœna (ſecundum quod dictum eſt) plectetur: ſed etiam æſtimationem in duplum domino reddet, ſi ipſe dominus ignorans talem librum, vel comparaverit, vel confici curaverit.* Meminit librariorum & D. Hieronymus in epiſtola ad Lucinium, & ad Niciam, his verbis: *Nam & rudes illi Italiæ homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi ritu ferino victum requirebant, ante chartæ & membranarum uſum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epiſtolarum alloquia miſſitabant.* Unde & portatores earum *Tabellarios*, & *ſcriptores*,

A a libris arborum *Librarios* vocavere. Librarii inter caſtrenſia officia dicti etiam, qui *rationes ad milites pertinentes in libros referebant*, ut Vegetius lib. II. cap. VII. refert; de quibus & (*a*) Paternus meminit. Itemque hi qui cujuſque poſſeſſionem in tabulas publicas. Cicero II. in Rullum, de XV. viris loquens, quos ille agris dividundis inſtituere conabatur: *Ornat eos apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis.* Alius igitur hic *ſcriba*, alius *librarius*. Librarii tamen nomen generalius eſt, quo promiſcue etiam pro ſcriba Cicero utitur, ut *librarii manu epiſtolæ*. Hinc *librarius ad manum*, pro amanuenſi, in veteri inſcriptione.

B NOTARII, qui acta & dictata in judicio, vel extra judicium notis, vel litteris excipiebant: Seneca lib. XIV. Epiſt. *Quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur.* De quibus eleganter Baſilius in Epiſtolis: *οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι διὰ τοῦτο σημείων χρῄζουσιν, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάθῃ τὸ τάχος ὁ γράφων.* Notæ autem non ſunt literæ, ſed *σημεῖα γραμμάτων πρὸς μάχος ἐξευρεθέντα*: quorum inventionem alii Tullio Tyroni, alii Mæcenati tribuunt. quare literas a notis ſeparat Manilius, cum ait:

C —— *Cui litera verbum eſt,*
Quique notis linguam ſuperet.

De his Martialis lib. XI. Epigr. LXII.

Nec calculator, aut notarius velox.

(*b*) Scævola: *Sejo auri libras tres, & Stichum notarium, quem peto manumittas* (*c*) Paulus lib. II. Reſponſorum: *Lucius Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & antequam literis perſcriberetur vita defunctus eſt.* Hujuſmodi notis olim pleni erant jureconſultorum libri; ſed Juſtinianus in libris ſuis quicquam

D notis ſcribi vetuit: de quibus vide Cujacium libro XII. cap. XI. Obſervationum.

AMANUENSES ſervi, qui excipiunt, quorum opera in ſcribendo, perinde ac ſcribarum, utimur. De quibus Suetonius in Nerone: *Ne diſpenſatoribus quidem, aut amanuenſibus exceptis.* Tito, cap. III. *Cum amanuenſibus ſuis per luſum, jocumque certantem.* Hi & *A manu* dicuntur. Idem (*d*) Cæſare: *Philemonem, a manu ſervum, qui necem ſuam per venenum inimicis promiſerat, non gravius quam ſimplici morte puniit.* Auguſto, cap. LXVII: *Thallo a manu, quod pro*

E *epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.* Alii fuiſſe videntur ſervi, quos *ad manum* vocabant, qui præſto paratique ſemper erant: nam *ad manum* Heſychius interpretatur, quæ ſunt *prompta, & parata*: & *ſervum ad manum*, ad multa utilem: *μετὰ χεῖρα, ἕτοιμα, εὐχερῆ. ὁ ὁ νῦν πρὸς χεῖρα, καὶ εἰς πολλὰ χρήσιμος οἰκέτης.* Cicero lib. III. de Oratore: *Gracchus Licinius ſervum ſibi habuit ad manum.*

Erant & ab EPISTOLIS ſervi, & *a libellis*, & *ab ephemeride*, qui dies Nonarum, Idium, & Ca-

F lendarum ex ephemeride ſuppeditabant; & a domino conceptas literas ſcribebant: de quibus meminere hæ vetuſtæ inſcriptiones, quæ Romæ extant:

a *leg. 1. §. 0. ff. de extra. cogn.* b *leg. 15. §. 5. ff. de excuſat.* c *leg. 1. §. ludi. ff. de extra. cogn.* * *Petrum Fabrum vide ad leg. ſi librarius, ff. de div. regul. jur. antiq.* d *leg. 15. §. 1. ff. de uſufr. & quemad.* e *leg. ſi librarius 102. ff. de div. reg. Jur. l. 7. §. 5. ff. de oper. libert.* f *leg. fin. §. antepenult.*

a *leg. ult. ff. de jure immunit.* b *leg. 41. §. Sejo, ff. de fideicom. libert.* c *leg. 40. ff. de teſtam. militis.* d *Cap. LXXIV.*

BAS-

BASSO AVG. LIB. PROX. AB EPISTOLIS GRAECIS PROC. TRACTVS CARTHAGINENSIS FABIA. Q. F. PRISCILLA MARITO PIISSIMO.

D. M.

M. AVRELIO AVG. LIBERTO A LIBELLIS. ADIVTORI FABIA AEGENIA CON. B. M. F.

TABELLARIUS servus literarum gerulus, ut Cassiodorus ait. Hujus meminit (*a*) Labeo: *Si miseris*, inquit, *ad me tabellarium tuum, & ego rescribendi causa literas tibi misero, simul atque tabellario tuo tradidero, tuæ fient*. Cicero ad Brutum: *Statim extrusi tabellarios, literasque ad Ciceronem, ut etiamsi in Italiam venisset, ad te rediret*. Idem ad Terentiam lib. XIV. Epist. *Nos quotidie tabellarios nostros expectamus*. Et D. Hieronymus ad Niciam: *Ante chartæ, & membranarum usum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant. Unde & portatores earum Tabellarios, & scriptores, a libris arborum Librarios vocavere*. Tabellarius etiam pro eo accipitur, qui rationes conficit, & data acceptaque in tabulas refert. Sidonius ad Petrejum: *Sed & ille suscipiebat hunc granditer, habens eum consiliarium in judiciis, vicarium in Ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabellarium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem*.

CALATORES servi a *calandis*, id est *convocandis* comitiis curiatis, & centuriatis dicebantur; qui in veteribus glossis non modo κλήτορες, sed etiam δοῦλοι δημόσιοι, hoc est, *servi publici* appellantur; & libertini erant, ut ex Tacito perspicuum: *Quippe late fusum*, inquit, *id corpus; hinc plerumque tribus, decuria, ministeria magistratibus, & sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas*. Et his, utpote publicis populi Romani servis, testamenti pro parte bonorum dimidia faciundi jus fuisse, multæ, & reconditæ lectionis vir (*b*) Petrus Faber recte existimat. Horum ministerio Pontifices usi, qui sacrificaturi calatores suos præmittebant, qui populum monebant, ut Feriis publicis opere abstinerent. Servius in Commentariis ad librum primum Georgicorum: *Sunt enim aliqua*, inquit, *quæ si Festis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter & Pontifices sacrificaturi præmittere Calatores suos solent, ut, sicubi viderent opifices assidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo, & ipsorum oculos, & Deorum ceremonias contaminent: feriæ enim operæ deorum creditæ sunt*. Suetonius in libro de illustrib. grammaticis: *Cornelius Epicadius*, inquit, *L. Cornelii Syllæ Dictatoris libertus calatorque sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto, gratissimus fuit: quare nunquam non utriusque se libertum edidit*.

Antiqua inscriptio Romæ:

Q. CAECILIO FEROCI KALATORI SACERDOTI TITIALIVM. FLAVIALIVM. STVDIOSO ELOQVENTIAE. VIXIT. ANNIS. XV. MENSE. I. DIEBVS XXIIII. FILIO. OPTVMO. AC. REVERENTISSIMO. M. GAVIVS. CHARINVS.

a *Leg.* 65. *ff. de acquir. rer. dom.* b *Lib.* 2. *cap.* 24. *Semestr.*

ANTEAMBULONES servi, qui honoris gratia in itinere solebant præcurrere dominos, & turbam submovere. Suetonius in Vespasiano: *Ea demum extudit magis convitio, quam precibus, vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam anteambulonem patris appellat*. Seneca Epistola LXXXVII. *O quam vellem Catoni nunc occurreres, & aliquem ex his trossulis in via divitibus cursores, & Numidas & multum ante se pulveris agentem*. Unde & Martialis hunc morem indicans, ait:

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.

Idem lib. X.

Anteambulones, & togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto.

Acron in lib. I. Epist. Horatii scribit, *servos quoque officiosos in turba hunc, & illum in latus fodiendo, dicere solitos*, DATE LOCUM DOMINO MEO, ut clarissimus jurisconsultus Barnabas Brissonius de formulis lib. VIII. observavit. Præterea moris fuit, ut sine ancillarum comitatu materfamilias aut matrona ordinis honestioris non prodiret in publicum. Itaque apud Plautum Murrhina Alcesimi uxor in ædes vicinas transitura ancillas subsequi sese jubet:

Sequimini comites in proximum hinc me.

Et D. Hieronymus in Epistola ad Furiam Romanam nobilem viduam sic ait: *Noli ad publicum subinde procedere, & spadonum exercitu præeunte viduarum circumferri libertate*. Et in alia epistola de institutione filiæ differens, quam pia mater Christo, & virginitati consecraverat: *Placeat ei*, inquit, *comes non compta, neque formosa, atque lasciva, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur; sed gravis, pallens, sordidata, subtristis*. Et ad Demetriadem virginem: *Graves fœminæ, & maxime viduæ, ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia*. Et paulo post: *Mores enim & studia dominarum plerumque ex ancillarum, & comitum moribus judicantur*. Et idcirco non levem injuriam eisdem fieri ab iis qui comites earum abducunt, auctor est (*a*) Ulpianus. Ad quem morem respexisse quoque visus est Plautus in (*b*) Amphitruone, ubi Alcumenam sic loquentem facit:

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas:
Iuben'ire mihi comites? IVP. *Sanan'es?* AL. *Si non jubes,*
Ibo egomet; comitem pudicitiam duxero.

Et in (*c*) Mostellaria alludit, cum apud eundem argute sic loquitur Tranio:

—— Sine modo adveniat senex,
Sine modo venire salvom, quem absentem comes.
TR. *Nec versimile loquere, nec verum, frutex,*
Comesse quemquam ut quispiam absentem posset.

Erant autem servi filiorum familias plerumque & comites, & inspectores vitæ totius, ac morum. Unde Nævius in Triphalo:

a *Leg.* 15. §. 15. & 16. *ff. de Injur.* b *Act.* 3. *sc.* 2. c *Act.* 1. *sc.* 1.

Si unquam quicquam filium rescivero
Argentum amoris caussa sumse mutuum:
Extemplo illo te ducam, ubi non despuas.

Nam paterfamilias minatur gravem mulctam servo, si filius vel ipsius opera, vel alterius instinctu argentum mutuetur ab aliquo.

ADVERSITORES servi, quorum ministerium est ire ad herum foris cœnitantem, & eum domum reducere, ac comitari. Plautus Mostellaria:

Solus eo nunc advorsum hero ex plurimis servis.
Hanc rem die crastini quom herus resciverit,
Mane castigabit eos exuviis bubulis.

Idem Casina Act. II. Sce. ult.

Idem me pridem, quom ei advorsum veneram,
Facere atriensem voluerat sub janua.

Idque præter Plautum testatur etiam Terentius in Adelph.

Neque servulorum quisquam adversum ierat.

Ubi Donatus ait proprie locutum Terentium, dicendo, *adversum*: nam inde *adversitores* dici. Hos etiam ditiores habebant, ut ab iis monerentur per vias de lapidibus, ad quos offendere possent. Quo respicit Apulejus Metamorph. libro II. *Sed cum primam plateam vadimus, vento repentino lumen, quo nitebamur, extinguitur; ut vix improvidæ noctis caligine liberati, digitis pedum detunsis ob lapides, hospitium defessi redire-mus.*

ASSECLÆ dicti, quod omnibus jussis dominorum adsint, & præsto sint, ut Nonius ait, *qui sequuntur potentiores*. Cicero lib. II. de Divinatione: *Is quum ei Troginorum tetrarchiam eripuisset, & assecla suo Pergameno nescio cui dedisset*. Idem Actione III. in Verrem: *Ostendit munus illud suum non esse, se cum suæ partes essent hospitum recipiendorum, tum ipsos tamen Prætores, & Consules, non Legatorum assecla recipere solere*. Livius lib. V. *Et eo devolvi rem, ut aut Patricii, aut Patriciorum asseclæ habendi Tribuni plebis sint*. De quibus & D. Hieronymus in quadam epistola ad Furiam Romanam nobilem viduam sic meminit: *Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidulus, & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo*. Assecla autem a comite distinguitur; quod comes is dicitur, *qui una iter facit*; assecla, *qui sequitur potentiorem*. Ita ut comes comiti *securitatem*; assecla vero *officii jus* præstet superiori.

CALONES servi militum castra sequentes, qui clavas ligneas, & fustes gerebant. Festus lib. III. *Calones*, inquit, *militum servi dicti, quod ligneas clavas gerebant*; nam Græci ligna κᾶλα vocant, & *Calas*, teste Servio, Latini vocarunt *fustes*, quos servi portabant, dum cum dominis in expeditione essent; inde Calones dicti. Nam consuetudo erat militis Romani, ut ipse sibi arma portaret, & vallum; vallum autem dicebant *Calas*. Lucilius:

Scinde puer calam, ut caleas.

id est frange fustem, & focum accende, ut calefias. De his Horatius:

Hunc perminxerunt calones. ——

A Quidam tamen Calones a *calando* derivant, quod ad ministerium advocarentur; alii a *calendis*, quod Calendarum die cibaria acciperent pro toto mense; non recte. Hujusmodi servos & *Caculas* appellari Festus ex Plauto tradit, & in veteri Glossario scriptum: *Cacula*, δοῦλος στρατιώτου. Sicut autem calones militibus ligna, ita *Lixæ* exercitum sequuti, quæstus caussa, aquam, quam veteres *lixam* dixere, militibus subministrabant. Antiqui etiam servos habebant, qui dominorum arma, & scutum gerebant, eos sequentes, qui ARMIGERI dicebantur. De servo armigero Plautus Casina:

B *Potius, quam illi servo nequam, armigero, nihili, atque improbo,*
Quoi homini hodie peculi nummus non est plumbeus.

Eundem servum paullo post Plautus *scutigerulum* appellat:

S. Qui, malum, homini scutigerulo lubet dare.

SALUTIGERULI servi, qui jussu dominæ hunc illum salutant, suntque nuntii, & renuntii; sicut *Salutigeruli Dæmones* appellantur ab Apulejo in libro de Deo Socratis. De his (*a*) Plautus in Aulularia, ubi mores mulierum probe memorat:

C *M. Nulla ergo dicat; Equidem dotem ad te attuli*
Majorem multo quam tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquom est, purpuram atque aurum dari
Ancillas, mulos, muliones, pedissequas,
Salutigerulos pueros, vehicula, qui vehar.

D Iidem Plauto *damnigeruli* dicti, item *gerrones*, ac *bonorum exagogæ*, ut qui ad scortilla etiam inficetissima dominorum bona jussi efferant. In (*b*) Truculento:

G. Ite hac simul mulieri, damnigeruli, foras, gerrones,
Bonorum exagogæ. ——

Sed & mulieres servos SANDALIGERULOS habebant, qui earum sandalia gererent, ut ex Plauto in (*c*) Trinummo perspicuum:

E *Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelligeræ, Sandaligerulæ.*

Erant autem Sandalia muliebria calceamenta, ut refert Pollux, elegantissima: interdum etiam aurea, ut ex Luciano, & Æliano constat.

CURSORES servi, quibus non dissimiles sunt, quos adhuc nostra ætas habet, qui Gallico vocabulo a miliaribus leucis, vulgo *Laquais* appellantur. Horum meminit (*d*) Paulus: *Si alii, inquit, vernæ, alii Cursores legati sunt: siquidem & vernæ, & cursores sint, cursoribus cedent; semper enim species generi derogat*. Seneca Epist. CXXIII. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen Cursorum antecedat*. Suetonius in Nerone: *Inter moras prolatas a cursore, Phaethontis codicillos præripuit*. Et cap. XXX. de itinere Neronis: *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mu-*

F

a *Act.* 3. *sc.* 5. b *Act.* 2. *sc.* 7. c *Act.* 2. *sc.* 1.
d *Leg.* 99. §. 5 *ff. de legat.* 3.

larum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata, & falerata cum Mazacum turba, & cursorum. Vopiscus refert Aurelianum *cursores eo habitu quo ipse habebat, Senatoribus concessisse, id est, albatos.* Lampridius in Alexandro: *Cursorem nunquam nisi servum suum dicens, ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere.* Apulejus Metamorph. lib. x. *Misitque protinus cursorem, qui vianti marito domus expugnationem nuntiaret.* Quo spectat etiam illud Plauti in Mercatore:

Genua hunc cursorem deserunt.

Et Martialis III. Epigram. C.

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora.

Plinius refert *Alexandrum Magnum habuisse Philonidem cursorem, qui mille & ducenta stadia uno die confecit.* Iidem dicebantur *A pedibus.* Cicero ad Atticum lib. VIII. *Pollucem servum a pedibus meum Romam misi.*

JUNCTOR servus, qui jungit mulas ad rhedam, vel carrucam qua vehitur paterfamilias; quem esse de urbano ministerio constat; *& quem carrucam cum junctura legatam non sequi* prodidit (*a*) Paulus III. Sentent. Cubicularios obsonatores, junctores, & generaliter ministratores. Et (*b*) Alfenus: *Quo in genere junctores, cubicularii, coci, ministratores, atque alii, qui ad ejusmodi usum parati essent, numerarentur.*

Erant & LINTEONES servi, qui ut Servius docuit, lib. VII. Æneid. linteamina texebant in vestium usum, & hujusmodi lavabant. De his præter (*b*) Ulpianum meminit & Plautus in Aulularia: *Manulearii, aut myrothecarii, propolæ, linteones, calceolarii.* Julius Firmicus libro secundo Mathe. *Si Luna,* inquit, *in Veneris signis constituta feratur ad Martem, ista conjunctio faciet linteones, aut tabernarios, atque colorum tinctores.* Vegetius de re militari I. *Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones.*

TEXTORES servi, & textrices, quæ vestes, aut telam texunt. (*c*) Alfenus: *Textoribus omnibus, qui sui essent, cum moreretur, legatis: quæsitum est, an & is, quem postea ex his ostiarium fecisset, legato contineretur: respondit contineri; non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum transductum esse.* Cicero pro Plancio: *Si pro fabro, aut textore emimus.* Juvenalis Satyr. IX. vers. XXVIII.

—— pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ duri crassique coloris,
Et male percussa textoris pectine Galli.

Tibullus lib. II. Eleg. I.

Atque aliqua assidue textrix operata Minervam,
Cantat. ——

FULLO servus, qui purganda, poliendave vestimenta accepit. (*d*) Ulpianus: *Itaque fullo qui curanda, polienda vestimenta accepit, semper agit, præstare enim custodiam debet: si autem solvendo non est, ad dominum actio redit: nam qui non habet quod perdat, ejus periculo nihil est.* (*e*) Idem: *Si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint, ex locato tenetur: quia debuit ab hac re cavere, & si pallium fullo permutaverit, & alii alterius dederit; ex locato actione tenebitur, etiamsi ignarus fecerit:* Et (*a*) idem lib. XX. ad Sabinum: *Hæc enim quæ rusticorum causa parantur lanificæ, & lanæ, & tonsores, & fullones, & focariæ, non agri sunt instrumentum, sed instrumenti.* (*b*) Et lib. XXXII. ad Edictum: *Si fullo vestimenta lavanda conduxerit, deinde amissis eis, domino pretium, ex locato conventus, præstiterit.* Lavantur autem vestimenta a fullonibus creta, sed quo modo, quoque ordine, præscribit lex Metella de fullonibus dicta; & Plinius lib. XXXV. cap. XVII. Natural. Hist. memorat: adeo hæc res majoribus curæ fuit. Huc Titinius alludit, cum ait: *Terra hæc nova est, quasi tu solitus pedibus argutarier, dum compescis cretam, & vestimenta eluis.* Plautus Aulularia:

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius.

Erat & fullonum officinæ, quas vulgo *fullonicas* appellabant. (*c*) Ulpianus: *Quod autem dicit, meritoria non facturum, ita accipe, quæ vulgo diversoria, vel fullonicas appellant.* (*d*) Idem: *Apud Trebatium relatum est, eum, in cujus fundo aqua oritur, fullonicas circa fontem instituisse, & ex his aquam vicini in fundum immittere cœpisse: ait ergo non teneri eum aquæ pluviæ arcendæ actione.*

SARCINATOR servus, qui sarcienda vestimenta accepit, cujus meminit (*e*) Paulus II. Sententiarum: *Fullo, & sarcinator,* inquit, *qui polienda, vel sarcienda vestimenta accepit, si forte his utatur, ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur: quia non in eam causam ab eo videntur accepta.* (*f*) Ulpianus lib. XXIX. ad Edictum: *Licet mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos fullones, vel sarcinatores, vel textores, vel venalitiarios pertineat.* Lucilius: *Sarcinatorem esse summum, fuere centonem optime.* Hinc *sarcinatrix*, mulier quæ vestes suit, & reficit.

TOPIARII inter prædiorum rusticorum servos censentur, qui arbusculas, virgultaque ductilia facili flexu in varias formas & figuras solerti ingenio exprimunt, & concinnant. Unde (*g*) Ulpianus ait: *topiarium ornandi fundi magis quam colendi paratum esse.* Hos Julius Firmicus lib. VII. Mathe. cap. X. eleganter sic designat: *Vel qui,* ait, *buxeas arbores tondens in belluas fingat, aut virides porticus in circulum flexis vitibus faciat:* Et Plinius lib. III. ad Calvisium: *Sunt qui hedera gestationes convestiunt, formas ex plantis, fruticibus, arboribus faciunt, variasque ex his subtiliter compositis, & plicatis figuras exprimunt, & reddunt.* Moris autem fuit ex buxo, myrto, rosis, hedera, & lauro deorum simulacra, seu fabularum explicationes, & varias hominum effigies, naviumque formas, aut turrium, ædium, vel cubiculorum species, in hortis per hujusmodi operarios fieri; qui *topiarii* ἀπὸ τῶν τόπων, id est, *a locis* quæ in his varia constituuntur, quæ & *topia* nuncupantur. Vitruvius lib. VII. Architecturæ: *Habentem Deorum simulachra, seu fabularum dispositas explicationes, non minus Trojanas pugnas, seu Ulyssis errationes per topia, cæteraque quæ sunt eorum similibus rationibus ab rerum natura procreata.* Quidam inde Topiarii appellationem deductam existimant, quod plantæ funium modo flexibiles, in

a *Leg. 98. muliones. ff. de leg. 3.* b *Leg. 203. in fin. ff. de verbor. signific.* c *Leg. 5. ff. de utrib. act.* d *Leg. 61. ff. leg. 3. l. 203. de verb. signific. l. 1. ff. de trib. act.* e *Leg. 12. ff. de furtis.* f *Leg. 13. §. 6. ff. locati.*

a *Leg. 12. §. 6. ff. de instr. vel instrum. leg.* b *Leg. 2. ff. de condict. sine causa.* c *Leg. 13. §. fin. ff. de usufr.* d *Leg. 3. ff. de aqua pluvia arcenda.* e *Leg. 82. ff. de furtis.* f *Leg. 1. ff. de tribut. act.* g *Leg. 60. §. ult. ff. de leg. 3. leg. 12. §. 42. & leg. 17. in fin. ff. de instr. vel instrum. leg.*

quaslibet formas & figuras redigantur, & ducantur. Græci enim funes in navibus τοπεῖα, καὶ τοπῆια appellant. De his Cicero ad Q. fratrem: *Topiarium laudavi, ita omnia convestivit bedera.* Et Plinius lib. XV. cap. XXIX. Nat. Hist. *Stativæ myrti genera topiarii faciunt.* Idem Epistola XXXVI. *Inest huic computationi sumtus supellectilis, sumtus atriensium topiariorum.* Hinc *topiarium opus*, & *ars ipsa topiaria* dicitur. Cicero ad Q. Fratrem lib. III. Epistol. *Ut denique illi palliati topiariam facere videantur.* Et Plinius: *Accedit in topiario opere lauri genus, quæ taxa dicitur, ramos spargit a radice topiarii, ac coronarii operis.*

VIRIDARIOS nuncupat servos Ulpianus curæ viridiorum præpositos. Sunt autem Viridia horti, seu loca virentibus herbis, graminibusque, & arbustis consita; & voluptatis causa comparata, quæ *Viridaria* etiam appellantur. Suetonius in Tiberio cap. LX. *Militem prætorianum ob surreptum e viridario pavonem capite punivit.* Lampridius in Heliogabalo, & Vegetius lib. IV. cap. VII. Viridiorum etiam mentio apud Vitruvium libro quinto, cap. IX. & lib. VI. cap. VI. & Senecam Epist. XV. lib. I.

PASTORES servi, qui curam habent pascendi; de quibus Ulpianus: (*a*) *Quibusdam in regionibus accedunt instrumento, si villa cultior est, atrienses, scoparii. Si etiam viridaria sint, topiarii si fundus saltus, pastionesque habeat, greges pecorum, pastores, saltuarii.* Virg. III. Georg.

> *—— desertaque regna*
> *Pastorum, & longe saltus, lateque vacantes.*

Juvenalis Sat. II.

> *Pastoris duri est hic filius, ille bubulci.*

Iidem *Ad baculum servi* dicebantur; nam baculum, qui *Pedum* vocatur, pastoris argumentum est. Propertius lib. IV. Elegia II.

> *Pastorem ad baculum possum curare.*

Erant & pastores anserum, de quibus (*b*) Paulus III. Sententiarum: *Avibus*, inquit, *legatis, anseres, phasiani, & gallinæ & aviaria debebuntur. Phasianarii autem, & pastores anserum non continentur, nisi id testator expressit.*

OPILIO quasi ovilio, custos ovium, qui ovium gregem servat, & pascit. Plautus Asinaria: *Etiam opilio, qui pascit alienas oves, aliquam habet peculiarem, quæ spem soletur suam.* Virgilius X. Eclog. XIX.

> *Venit & upilio, tardi venere bubulci.*

(*c*) Alfenus tradit *prædiis legatis & quæ eorum prædiorum colendorum causa empta, parataque essent, asinum machinarium legatum videri, item oves, quæ stercorandi fundi causa pararentur: item upilionem, si ejus generis oves curaret.*

(*d*) MULIONES servi, qui mulos clitellarios sive quadrigarios ducunt, de urbano ministerio sunt; nisi propter opus rusticum testator eos destinatos habeat. De his (*e*) Ulpianus: *Item ostiarium, mulionemque instrumenti esse constat.* Et (*f*) Alfenus: *Servis & ancillis urbanis legatis agasonem, mulionem legato non contineri respondi.* Juvenalis Sat. III.

> *Nam mihi commota jam dudum mulio virga.*

Et qui cursui veloci deserviebant, & mutationibus deputati, muliones publici dicebantur: quos (*a*) Arcadius, & Honorius Impp. mutari, vel subtrahi a quoquam, vel a judicibus liberari, pœna proposita vetant: liberatos vero retrahi constitutione sua præcipiunt.

AGASO servus, equorum, vel asinorum ductor. Livius: *Acceptos ab agasonibus equos, quum rex ascensurus erat, admonebant.* Plinius lib XXXV. cap. II. *Pinxit & in una tabula, quaque maxime inclaruit, agasonem cum equo.* Festus: *Agasones equos agentes*, id est, *bene minitantes.* Hujus meminit (*b*) Alfenus: *Servis*, inquit, *& ancillis urbanis legatis, agasonem, mulionem legato non contineri respondi: eos enim solos in eo numero haberi, quos paterfamilias circum se ipse sui cultus causa haberet.*

(*c*) SALTUARII servi, saltuum custodes vocantur, qui (*d*) *tuendi, custodiendique fundi magis quam colendi causa parati sunt.* Nam desiderant tam villæ, quam agri custodiam: illæ, ne quid vicini aut agri aut fructuum occupent; hi, ne quid cæterarum rerum quæ in villa continentur. Unde *dominus proprietatis etiam invito usufructuario, vel usuario fundum, vel ædes per saltuarium, vel insularium custodire* (*e*) *potest: interest enim fines prædii tueri.* Saltus autem *alii* (*f*) *æstivi, alii hyberni* erant. Æstivos definit Ulpianus, *quibus interdum etiam hyeme, plerumque autem æstate utimur.*

VENATORES servi, qui feras persequuntur. (*g*) Ulpianus: *Si in agro venationes sint: puto, venatores quoque & vestigatores, & canes, & cætera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri.* Cicero II. Tuscul. *Pernoctant venatores in nive.* Horatius lib. I. Carm. Ode. I.

> *Manet sub Jove frigido venator.*

(*h*) *Venatores* autem, *& aucupes utrum in urbanis, an in rusticis contineantur, potest dubitari: sed dicendum est, ubi paterfamilias moraretur, & hos alebat, ibi eos numerari.*

AUCUPES servi, qui aves capiunt. De his (*i*) Ulpianus: *Et si ab aucupio reditus sint: aucupes, & plagæ, & hujus rei instrumentum, agri instrumento continebitur.* Plautus Asinaria: *Auceps quando concinnavit aream, effundit cibum, aves assuescunt.* Columella lib. VIII. cap. X. *Qui ab aucupibus in hunc usum nutriti, quasi allectores sunt captivorum.* Vegetius de re militari I. *Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones.*

Erant & PISCATORES servi, qui piscantur. Horum meminit (*k*) Scævola: *Prædia*, inquit, *maritima cum servis, qui ibi erunt, & omni instrumento, & fructibus, qui ibi erunt, & reliquis colonorum, nutritori suo legavit: quæsitum est, an servi piscatores qui solebant in ministerio testatoris esse, & ubicumque eum sequi, & urbicis rationibus*

a *Leg.* 8. §. 1. *ff. de instr. vel instrum. leg. Leg.* 12. *ff. de servit. urb. l.* 7. *in fine ff. de verb. sign.* b *Leg.* 66. *ff. de leg.* 3. c *Leg.* 60. §. 3. *ff. de leg.* 3. d *Leg.* 99. §. 2. *ff. de leg.* 3. e *Leg.* 12. §. 9. *De instr. vel instrum.* f *Leg.* 60. §. 1. *ff. de leg.* 3.

a *lib.* 8. *C. Theod.* b *Leg.* 60. §. 1. *ff. de leg.* 3. c *Leg.* 6. §. *ult. ff. de legat.* 3. *leg.* 8. 12. 15. *ff. de instruct. vel instrum. legat.* d *leg.* 60. §. *fin. ff. de leg.* 3. e *Leg.* 16. §. 1. *ff. de usu & habitat.* f *leg.* 3. §. 11. *ff. de acquirend. pos. leg.* 67. *ff. de leg.* 3. g *leg.* 12. §. 12. *ff. de instrum. leg.* h *Leg.* 99. §. 1. *ff. de leg.* 3. i *Leg.* 12. §. 13. *ff. de instr. vel instrum. leg.* k *Leg.* 27. *ff. de instr. vel instrum. leg.*

expungebantur, nec mortis testatoris tempore in prædiis legatis deprehensi fuerint, legati esse videantur. Et (a) Marcianus: *Cubicularios autem, vel obsonatores, vel eos qui piscatoribus præpositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri*. Cicero XII. Officiorum: *Piscatores ad se convocat*. Terentius in Eunucho:

Coqui, fartores, piscatores, aucupes.

Ovidius XIV. Metamorph.

Miles erat gladio, piscator arundine sumpta.

VESTIGATORES, venatores, a vestigiis ferarum dicti, ut Varro libro quarto de lingua Latina auctor est. (b) Ulpianus lib. XX. ad Sabinum: *Vestigatores, & canes, & cætera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri*. Columella lib. IX. cap. VIII. *Nam statim sono territum, vel in frutice, vel in editiore sylvæ fronde considet, vel a vestigatore præparato vase reconditum.*

DIÆTARII servi, in diæta servientes. (c) Ulpianus: *Ostiarii autem, vel topiarii, diætarii, aquarii domui tantum deservientes continebantur*. Diæta cœnaculum erat, in quo æstate cœnatur ad umbram; hyeme ad solem; quod & Cœnatio dicitur, sive Cœnatiuncula. Sidonius Apoll. lib. XI. epist. XI. *Ex triclinio in diætam, sive cœnatiunculam transitus*. (d) Plinius: *Hic turris erigitur, sub qua diætæ duæ, totidemque in ipsa: præterea cœnatio, quæ latissimum mare, longissimum littus, amœnissimas villas prospicit*. Diætis autem varia nomina a veteribus imponi solebant. Suetonius in Claudio: *In diætam, cui nomen est* Hermeum, *recesserat*. Alexander Imperator, ut Lampridius refert, *in palatio diætas struxit nomine* Mammeas, *quas*, ait, *imperitum vulgus hodie* ad mammam *vocat*. Lucullus diætam habuit *Apollinis* cognomento celebratam, ut Plutarchus tradit, ubi summo impendio parabantur convivia. Inde illa ejus vox decantatissima, *Cœnatur in Apolline*. Alexandriæ *regiam diætam* ab Antonio structam prodidit Strabo, quam *Timonion* nuncuparit, *quod Timoniam vitam, solitariamque foret actūrus post Actiacam calamitatem*. In his diætis qui ministrabant, *diætarii* vocabantur. Diætarii etiam dicti, qui in navibus custodiæ causa præponuntur, quæmadmodum idem (e) Ulpianus refert: *Et sunt quidam in navibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut* ναοφύλακες, *& diætarii*: quamvis sint & ea appellatione fures, qui in aliena cœnacula furandi gratia se dirigebant, de quibus (f) Ulpianus: *Qui diætarii*, inquit, *appellantur, hoc est, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo*; quos idem Ulpianus scribit *plus quam fures esse* (g) *puniendos*: *Simili modo & diætarii, & saccularii puniuntur*. Itaque aut ad tempus relegandos, aut in opus publicum dandos, aut fustibus cædendos.

AQUARII, qui aquam in ædes portabant, qua plurima egent ad balneum, ædesque purgandas mulieres. Hinc apud Plautum in Penulo meretricula dicit: *Aggerundaque aqua sunt viri duo defessi*. M. Cælius in Epist. ad Ciceronem: *Sed dici non potest, quomodo hic omnia jaceant; nisi ego cum tabernariis, & aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset*. (a) Ulpianus de fundo instructo: *Ostiarii autem, vel topiarii, diætarii, aquarii, domui tantum deservientes continebantur*. Et Firmicus libro IV. Mathe. cap. VI. *His & pro amorum internunciis uti solebant*. Festus: *Aquarii sunt impudicarum mulierum sordidi asseclæ*. Juvenalis Sat. VI. vers. CCCXXXI.

— *Veniet conductus aquarius.* —

Septimus Florens: *Primi erunt lenones, perductores, aquarioli, tum sicarii, venenarii, magi*. Aquarioli autem per diminutionem ad contemptum omnium vilissimi dicuntur. Lampridius in Commodo: *Aquam gessit, ut lenonum ministeriis probrosis natum magis, quam ei loco crederes, ad quem fortuna pervexit*: Aquarii a (b) Jurisconsultis, & Frontino in libro De aquæductibus etiam *aquarum custodes* appellantur, quos Græci ὑδροφύλακες nominant. Præterea lautiores Romani habebant *servos ad pedes, obsonatores, pocillatores, ministratores, structores, vocatores, pistores, & cocos*.

AD PEDES servi discumbentibus cœnandi causa retro ad pedes stare consueverant, qui dominorum jussa exciperent: quorum ministerium, & discumbendi ritus ex veteri pictura in opus Fuggerorum Antiquitatis relata, apparet. Hinc etiam perspicuum, quod in Evangelio S. Lucæ scriptum est, Magdalenam, cum in domo Pharisæi cœnante domino ingressa esset, *retro ad pedes ejus stetisse*. Neque enim majorem animi summissionem significare poterat, quam cum nobilissima mulier eum sibi locum delegit, qui servis erat attributus: *Stans retro*, ait S. Lucas, *ad pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus*. Seneca lib. III. de Beneficiis: *Servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset*. Sed & (c) idem de Calvisio Sabino homine sane divite, qui memoria prope nulla fuit, sic loquitur: *Magna summa servos emit: unum qui Homerum teneret, alterum, qui Hesiodum; novem præterea Lyricis singulos assignavit. Postquam vero hæc illi familia comparata est, cœpit convivas vexare: habebat ad pedes hos, a quibus subinde cum peteret versus, quos referret, sæpe in medio versu excidebat*. Idem quoque libro secundo Epistolarum Epist. CLXXVIII. Marcellinum admonuit *non esse inhumanum, quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumstantibus dividuntur: sic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitæ ministri fuissent*. Et Suetonius in Galba, cap. XXII. *Inter cœnam vero usque adeo abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus*. Martialis lib. XII. Epigram. LXXXVII.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Et lib. VII. Epigr. XX.

Mixto lagenam replet ad pedes vino.

Idem quoque libro tertio Epigram. ad hos festive sic alludit:

Omnia cum retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

a *Leg. 65. ff. de leg. 3* b *Leg. 12. §. 12. ff. de instr. vel instrum. legat.* c *Leg. 12. §. idem respondit. ff. de instr. vel instrum.* d *lib. 2. epist. 17.* e *Leg. 1. §. & sunt quidam, ff. naut. caupon. &c.* f *Leg. sacularii. ff. de extraord. crimin.* g *Leg. 1. ff. de effractor.*

a *Leg. 12. §. idem respondit ff. de instr. vel instrum.* b *Leg. penult. Cod. de aquæduct.* c *Epist. 27.*

ANALECTÆ servi dicebantur, qui reliquias cœnæ, aut ea quæ ceciderant de mensa colligere solebant. Servi autem *ad pluteum* distincti stabant, quorum alii *pocillatores* erant, alii *structores*, alii *qui sputa ex pavimentis detergebant*, alii *qui murmur compescebant*. Huc (a) Martialis alludit;

An magis astuti derasa est ungue ministri
Bractea, de fulcro (quod reor esse) tuo.

POCILLATORES servi, pincernæ qui ministrant, pocula mensæ ingerentes. Unde Ganymedes qui a diis raptus fertur, ut Jovi pocula ministraret, pocillator appellatus est. Hinc Ausonius:

Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.

Seneca Epist. XLVII. *Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum ætate luctatur. Non potest effugere pueritiam, sed retrahitur, Jamque militari habitu glaber, destrictis pilis, aut penitus evulsis, tota nocte pervigilat: quam inter ebrietatem domini, & libidinem dividit.* Iidem *Ad cyathos* dicti. Suetonius in Cæsare; *Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicodemi stetisse objecit.* Juvenalis Sat. XIII.

Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos.

Propertius lib. IV. eleg. IX. *Lygdamus ad cyathos.* Ad hos Plautus in Menæchmis respexit:

Non scis quis ego sim? qui tibi sæpissime
Cyatisso apud nos, quando potas.

Convivæ autem pincernæ identidem dicebant, πίνειν κίρνα, id est *misce*, vel *tempera vinum, ut bibam*, ut (b) Budæus tradit. Præterea moris erat, cum surgerent a mensa, ut pincernæ vini reliquias darent, quemadmodum Athenæus libro extremo docet: Ἔθος δὲ ἦν ἀναστᾶσι τοῦ δείπνου, καὶ σπείσασι, τὸ λοιπὸν τοῦ ἀκράτου τῷ διδόντι παιδὶ ἐκπιεῖν διδόναι. id est, *Mos erat ut cum surgerent a mensa, cumque bibissent, vini reliquum puero illi darent, qui bibere ministrasset.* Honestum vero id olim ministerium fuisse idem Athenæus lib. x. Dipnosophist. auctor est, qui non solum apud Græcos, sed & Romanos morem fuisse scribit, *ut nobilissimi juvenes in conviviis, & sacris publicis id munus obirent.* Apud Persas quoque pocillatorum munus honorificum fuisse Herodotus libro tertio testatur, cum ait *filium Præxaspis fuisse Cambysis pincernam*, & addit τιμὴ δὲ ταύτη οὐ σμικρή. Et regii pincernæ Neemiæ, qui Xerxi ministrabat, meminit Josephus libro secundo Antiquitat. Judaic. cap. v. Regii autem pocillatores ea in re magnam curam, & diligentiam adhibebant, ut aptissime, decentissimeque vinum funderent, ac Regibus propinarent: Phialam tribus summis digitis ita offerentes, ut facillime prehendi posset. Quod Xenophon lib. I. παιδ. κυρ. sic refert: Οἱ δὲ τῶν βασιλέων τούτων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι καὶ καθαρῶς ἐγχέουσι, καὶ διδοῦσι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προσφέρουσιν ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν.

PRÆGUSTATOR servus, qui cibos, potumque principis prægustat; ex ministris enim qui epulas inferebant, quidam prægustatorum munere fungebantur. Tacitus: *In inferre epulas, & gustum explorare solebat.* Idem libro XIII. Histor. August. *Mos habebatur principum cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum propria, & parciore mensa. Illic epulante Britannico, quia cibus, potusque ejus delectus ex ministri gustu explorabatur, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est.* Et quia vita Regum & principum multis insidiis erat exposita, ne venena eis infunderentur, calicem labris non ante admovebant, quam pocillatores potum gustu explorassent. Eaque de causa, post phialam porrectam qui Regia poculis erant, cyatho ex ea haustum vinum in sinistram manum fundentes absorbebant. Quem ritum Xenophon lib. I. παιδ. κυρ. ita narrat: Οἱ γὰρ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην, ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ, εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι καταρροφοῦσιν, τοῦ δὴ εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς. Justinus lib. XI. refert *Antipatri etiam filios Philippum & Jollam prægustare, & temperare Alexandri potum solitos.* Eandem quoque in cibis cautionem adhibuisse Reges, & cum sibi a venenis timerent, non nisi prægustatos cibos cœpisse, Xenophon in Hierone, & Athenæus lib. III. memorant. Primos vero Persas instituisse, ministrorum gustu cibos explorari, Suidas tradit his verbis: Ἐδέατρος τὸ μετὰ ὄνομα Ἑλληνικόν, ἡ δὲ χρεία Περσικὴ ἦν, ὃς προγεύστης τὸ πρῶτον, καὶ προησθιεν, τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. Hujus meminit Suetonius in Claudio C. XLIV. de *Haloto spadone, prægustatore Augusti*; & vetusta inscriptio, quæ Romæ in monte Viminali in quadam vinea eruta est:

VOTVM SYLVANO SOLVIT LIBENS MERITO T. F. DIADVMENVS LVRVESIANVS PRAEGVSTATOR AVGVSTI.

OBSONATORES servi obsoniis comparandis præerant, quorum officium erat coemere, quæ usus domesticus expostulabat: est autem Obsonium, *quicquid præter panem, & vinum mensæ infertur*: sed cum multa & varia obsonia sint, *piscis* tamen, teste (a) Plutarcho, obtinuit, ut vel *solus, vel præcipue obsonium appellaretur.* Terentius; *Convertam me domum cum obsonio.* De his Seneca epist. XLVII. ad Lucilium: *Addo obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet.* Et illud (b) Martialis in disticho cujus lemma est, *Obsonator.*

Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum, cœna parata tibi est.

Plautus in Milite;

Vel primarium parasitum, atque obsonatorem optimum.

(c) Marcianus: *Cubicularios autem, vel obsonatores, vel eos qui piscatoribus præpositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri.* Athenæus refert, *quod domino convivii, simul ac decubuisset, schedula offerri solet, quæ obsonia omnia ordine descripta haberet, ut sciri posset, quid primo, & quid postremo missurus esset coquus.*

STRUCTORES servi dicuntur, qui instruen-

a lib. 8. Epigr. 32. b lib. 5. de Asse & partibus ejus.

a 4. Sympos. Problem. 4. b lib. 14.215. c leg. 65. §. le leg. 3.

dæ mensæ, ciborumque perite apponendorum curam habent. (*a*) Plautus Menæchmis:

Cereales cœnas dat, ita mensas extruit,
Tantas struices concinnat patinarias.

Seneca lib. De vita beata cap. XVII. Quare ars est apud te, ministrare? nec temere, & ut libet collocatur argentum, sed perite struitur, & est aliquis scindendi obsonii magister. Juvenalis Sat. V.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas.

Petronius: proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum. Athenæus l. IV. Dipnosophist. Ἰόβας ὁ βασιλεὺς τὸν αὐτὸν εἶναι φησὶ τραπεζοκόμον, καὶ τὸν ἀπὸ ῥωμαίων καλούμενον στρύκτορα. Id est: *Juba rex eundem censet esse mensæ curatorem, quem Romani structorem appellant*. Item ii qui decoro manuum gestu cibos discerpunt. Mart. lib. X.

Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ.

Qui vero cibum scindentes, carpentesque præministrabant, Carptores dicti. Juvenalis:

—— carptores, archimagiri.

quos *diribitores* Apulejus lib. II. Metam. vocat: *Diribitores plusculi splendide amicti, fercula copiosa scitule ministrantes*. Hi & scissores dicti. Petronius: *Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium; ut putares Darium hydraule cantante pugnare*. De quibus & Seneca eleganter Epist. XLVII. *Cum ad cœnandum discumbimus, alius sputa deterget, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit; pectus, & clunes, certis ductibus circumferens manum eruditam, in frusta excutit. Infelix qui huic rei uni vivit ut altilia decenter secet? nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quam qui necessitatis discit*. Hinc (*b*) Juvenalis eosdem *cheironomontas* appellat;

—— & cheironomonta volanti
Cultello, ——

Et Sidonius lib. IV. *Inter Apicios epulones, & Byzantinos cheironomontas*. Vide Lipsium lib. I. cap. II. Saturnal. Serm. Porro non solum eximia forma pueri, sed etiam puellæ in conviviis olim ministrabant. Seneca epist. CX. *Hinc puerorum perspicuos, cultu atque forma greges, hinc fœminarum*. Et Apulejus lib. II. Metamorph. *Sed assidue respiciens præministrantem Fotidem, inibi recreabar animi*. Erant & structores annonæ. Cicero lib. XIV. Epist. ad Atticum: *Ecce autem structores nostri ad frumentum emendum profecti, cum inanes rediissent, tumorem afferunt magnum Romæ, domum ad Antonium frumentum omne portari*. Et structores, fabri cæmentarii; de quibus Cicero lib. II. Epist. V. ad Q. fratrem: *A puero ut discessi, in aream tuam veni, res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum: domus erit egregia*. Et structores Tribonianus *ædificatores* interpretatur; & *structores bucularum*. Vegetius quoque libro II. cap. II. de Re militari in exercitu structores esse asserit, & in ministeriis militaribus structorum mentio in Epistola, quæ a Vopisco in Aurelianum refertur. Ad hujusmodi servorum ministerium referenda est hæc vetusta inscriptio trans Tyberim eruta;

T. CLAVDIVS ONESIMVS
STRVCTOR FECIT IVLIAE
POTITAE CONIVGI SVAE ET
CLAVDIAE FILIAE SVAE:
VIXIT AN. IIII MENS. II. ET
SIBI POSTERISQ. SVIS.

MINISTRATORES servi mensæ adstabant, & ad nutum dominorum intuentes diligenter ministrabant; per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Seneca Epistola XCV. *Transeo*, inquit, *pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur*. Ammianus Marcellinus lib. XXIII. tradit Persas hujusmodi ministratores etiam habuisse, atque adeo inhumaniter tractasse, ut cutes vivis detraherent: Cutes, ait, *vivis hominibus detrahunt particulatim, vel solidas: nec ministranti apud eos famulo, mensæque adstanti, hiscere, vel loqui licet, vel spuere: ita rostratis pellibus labra omnium vinciuntur*. De his (*a*) Alfenus: *Et sibi videri eos demum usus sui causa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipsius cultum præpositi, destinatique essent: quo in genere junctores, cubicularii, coci, ministratores, atque alii, qui ad ejusmodi usum parati essent, numerarentur*.

VOCATORES servi in ministerio Augustorum, & illustrium virorum erant: quorum munus convivas advocare, excipere, & discumbentibus loca pro dignitate cujusque statuere. Plinius lib. XXXV. cap. X. *Invitatus ad regis cœnam venit, indignantique Ptolomæo, ac vocatores suos ostendenti, ut diceret, a quo eorum invitatus esset, arrepto carbone extincto e foculo, imaginem in pariete delineavit*. Seneca de Ira lib. I. *Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori: vocatori ipsi qui tibi præferebatur*. Suetonius Caligula: *Compererat provincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur*. De his hoc Martialis carmen:

Jam dices mihi, vapulet vocator.

Et Catullus in Hendecasyllabis.

Quærunt in trivio vocationes.

ADMISSIONALES vocat Lampridius in Alexandro ministros, qui adire principem volentes, admittendos curant: *Salutaretur*, inquit, *quasi unus de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis*: sicut apud Capitolinum Censuales esse videntur, qui senatui subserviunt, & qui Censoribus assistunt, famulantur, ubi de senatusconsulto tacito: *Ita ut non scribæ*, inquit, *non servi publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium, scribarumque complerent, nequid forte proderetur*. Sidonius ad Namatium: *Mistus turmæ censualium æmulatorum consulis proxime proximus eram*. Laudantur Vespasianus, M. Antoninus, & Alexander Severus Imperatores, *quod salutarentur patente cubiculo, ministris admissionalibus remotis*. Scrutatores in aula Claudius primus instituit, qui ad principem salutandi, vel qua

a *act. I. sc. I.* b *Lib. 5. vers. 120.*

a *Leg. In lege Censoria. ff. de verb. significat.*

alia causa venientes excuterent. Suetonius: *Salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos: quos tamen Vespasianus iterum sustulit*, ut idem Suetonius cap. XII. in Vespasiano refert.

COCUM, & PISTOREM apud veteres eundem fuisse auctor est Festus: nam Coci initio dicti, qui faciebant panem, & coquebant primum sub cinere in foco, postea in furno. Cato de pane: *In foco calido sub testa coquito leniter*. Seneca ad Lucillium: *Farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit*: Et (*a*) Ulpianus lib. XX ad Sabinum: *Mulieres, quæ panem coquant, quæque villam servent*. Cocum autem Jureconsulti nominant non solum qui *officium sciat*, id est *usitatos cibos præparet; verum etiam qui artificium, & urbanas mensas, & lautiora instruebat convivia*. (*b*) Unde Cajus ait, *quod venditor, qui optimum cocum esse dixerit, optimum in eo artificem præstare debet; qui vero simpliciter cocum esse dixerit, sati facere videtur etiamsi mediocrem cocum præstet*. Huc pertinet illud Ciceronis pro Sexto Roscio: *Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios*. Et Martial. libro XIV. Epigr. CCXX alludit:

> *Non satis est ars sola coquo, servire palato;*
> *Namque coquus domini debet habere gulam.*

Meminit de hoc servorum genere Titinius Setina:

> *Coquus magnum ahenum, quando fervit, paulla*
> *confutat trua.*

Cicero in Epist. ad Pætum: *In ea cœna cocus meus præter jus fervens nihil potuit imitari*. Suetonius in Vitellio: *Continuo igitur abstrusus gestatoria sella, duobus solis comitibus, pistore, & coquo Aventinum, & paternam domunculam petit*. Scitum est illud Ciceronis, quod a Quintiliano lib. VI. Orat. Institut. refertur, cum is candidatus, qui coci filius habebatur, coram eo suffragium haberet: *Ego coque*, inquit, *tibi jure favebo; alludens scilicet ad coquinarium jus*. Coquos vero antiquis mos erat e foro conducere. Plautus Aulularia:

> *Postquam obsonavit herus, & conduxit coquos,*
> *Tibicinasque hasce, apud forum, edixit mihi,*
> *Ut dispartirem obsonium hic bifariam.*

Et paulo post:

> *Coquus ille nundinalis est, in nonum diem*
> *Solet ire coctum:*

Idem Pseudolo:

> *Nam si ego juratus pejorem hominem quærerem,*
> *Coquum non potui, quam hunc quem duco, ducere,*
> *Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem.*
> *Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,*
> *Ut esset hic qui mortuis cœnam coquat.*
> *Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.*

a *Leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg.* b *L. legatis servis. ff. de leg. 3.*

Et pro cujusque artificio pluris minorisve coci conducebantur: hinc apud Plautum cocus sociis suis omnibus ad coquendum abductis, cur solus ipse eo die quasi unus obsessor fori præteritus esset, hanc rationem reddit:

> *Illi drachmis iissent miseri, me nemo potest*
> *Minoris quisquam nummo, ut surgam, subigere.*

Et ad cœnam nuptialem coquendam a Megadoro conductus Congrio, sic in Aulularia ait:

> *Nummo sum conductus; plus jam medico mercede opus est.*

Ubi nummum aureum, pluris duobus aureis nostris æstimatum antiquitus, intelligunt. Coquos vero, & alios id genus gulæ ministros, etiam Persarum in aula abundasse ex eo patet, quod inter Darii impedimenta, quæ Damasco capta in Parmenionis potestatem venerunt, inventi sunt, ut Athenæus tradit, *coci ducenti septuaginta septem*.

PISTORES dicebantur, qui ante inventum molarum usum far *pinsebant*, id est, *tundebant pilis*, vel molis trusatilibus frangebant. Varro Taphemenippo: *Nec pistorem ullum nossent, nisi eum qui in pistrino pinseret farinam*. Servius in lib. I. Æneid.. *Quia apud majores nostros molarum non erat usus, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant, & hoc erat genus molendi*. Unde & *pinsores* dicti sunt, qui nunc *pistores* vocantur. De his (*a*) Ulpianus: *Pistorem, & tonsorem, qui familiæ rusticæ causa parati sunt*. & (*b*) Pomponius: *Si ita testamento scriptum sit, qui tabernarum exercendarum, & instruendarum, pistrini, cauponæ causa facta, parataque sunt, do, lego: his verbis Servius respondit & caballos, qui in pistrinis essent, & pistores, & in caupona institores, & focariam, mercesque quæ in his tabernis essent, legatas videri*. Suetonius in Cæsare: *Domesticam disciplinam in parvis & majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit, ut pistorem alium quam sibi panem convivis subjicientem compedibus vinxerit*. Varro in Satyra de eduliis: *Si quantum operæ sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem*. Pistores autem non tantum panem faciebant, ut diximus, sed etiam farinam molis frangebant. Pomponius Comicus: *Cum neque molis molui, neque palmis pinsui*. Eusebius in Chronicis: *Paulus ad molas manuarias pistorem se locavit*. Erant & pistores sub cura patronorum, & præfecti annonæ; qui pensum & munditiam panis exigebant. Cassiodorus in formula præfecti annonæ: *Per officinas pistorum discurris; pensum, & mundiciam exigis*.

MOLITORES servi, qui ad usum rusticum parati sunt. (*c*) Ulpianus: *Item molitores, si ad usum rusticum parati sunt*. Pomponius in pistore; *Decipit vicinos. Quod molendum conduxit, comest*. Et in eadem Comœdia pistor: *Plus quæsti facerem, quam quadrinas si haberem molas*.

Sed cum de ordinariis & vicariis servis, & eorum officiis ac ministeriis satis a nobis dictum esse videatur: sequitur ut de mediastinis, quorum supra mentionem fecimus, post hac nonnihil dicamus.

MEDIASTINI, vilissimi balnearum atque ædium ministri sunt, qui nec inter ordinarios, nec inter vicarios certam quandam servorum consti-

a *Leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg.* b *Leg. 15. ff. de fund. instr. leg.* c *Leg. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg.*

constituunt differentiam: quamvis aliter (*a*) Porphyrio, & Acron in hunc (*b*) Horatii versum de mediastinis sentiant:

Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

Ubi mediastinum accipiunt mediæ civitatis incolam, & in balneatoris officio intelligi posse mediastinum putant, sicut & Priscianus, quod in medio balnei stare soleant. Rectius Nonius mediastinos pro balneatoribus, itemque pro ministris, & curatoribus ædium accipit, quod in medio stent, ut omnibus ministrent, sicut in navibus *mesonautæ* dicti, quod in media navi simili servitutis genere omnibus præsto sunt. At in agro mediastini sunt, qui abjectissima quæque munia inter servos obeunt. (*c*) Ulpianus: *Etenim multum interest qualis servus sit, bonæ frugi, ordinarius, dispensator: an vero vulgaris, vel mediastianus.* (*d*) Idem: *Cum de servi operis artificis agitur, pro modo restituendæ sunt: sed mediastini secundum ministerium.* Cicero in Catil. *Magnopere contemno exercitum collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, & rusticis mediastinis, decoctoribus, ex iis qui vadimonia deserere, quam illum exercitum maluerunt.* Columella. lib. I. de re Rustica: *Mediastinus qualicumque statu possit esse, modo perpetiendo labori sit idoneus.* Idem: *Propter quod*, inquit, *separandi sunt aratores a vinitoribus, & vinitores ab aratoribus, iique a mediastinis.* Hinc illud Lucilii: *Villicum Aristocratem mediastinum, atque bubulcum.* Sunt qui Jureconsultorum responsa de mediastinis sic intelligunt, ut eos mediastinos esse putent, qui nullos sub se vicarios habent; si enim haberent vicarios, non amplius mediastini, sed ordinarii dicebantur; idque ex hoc (*e*) Ulpiani responso, quo atrienses inter mediastinos refert: *Cæterum si quis*, inquit, *opera mediastini fungitur, non continetur: ut puta atriarii, & focarii, & his similes.* Verum atriarios ego alios esse ab atriensibus puto; illos honestioris conditionis, hos minus honestos, qui ad atrium ejus observandi gratia starent. De quibus Cicero in Paradoxis: *Ut in familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur servi, sed tamen servi, atrienses ac topiarii.* Inter mediastinos referendi sunt *hostiarii, scoparii, peniculi, unctores, focarii, fornacarii, balneatores,* & his similes.

HOSTIARII hostii custodes, more antiquo ad hostium catenis religati erant, ut Suetonius in lib. de claris Grammaticis refert, ejus etiam moris mentio est apud (*f*) Ovidium in illo versu:

Janitor indigne dura religate catena
Difficilem moto cardine pande forem.

& apud Afranium, quem Festus & Nonius ajunt sic in Vopisco scripsisse: *Hostiarii impedimenta titinnire audio*: verbum *Titinnire* idem esse quod *sonare*, indeque tintinnabulum appellari contendentes. De his scite admodum & facete Plautus sic in Asinaria:

—— nolo ego fores conservas meas
A te verberarier: sane ego sum amicus nostris ædibus.
ME. *Pol haud periclum est cardines ne foribus effringantur,*
Si istoc exemplo omnibus, qui quærunt, respondebis.
LI. *Ita hæc morata janua'st, extemplo janitorem*
Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem.

Festive autem servus fores domus herilis *conservas* suas vocat, quomodo & Ovidius in libris Amorum;

Duraque conservæ ligna valete fores.

De hostiariorum officio Salvianus lib. III. de providentia Dei: *Si quidem intra januas non modo illustrium portarum, sed etiam præsidum, aut præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit; ita ut si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundiæ, & existimationis suæ labe mulctetur.* Et Seneca lib. III. de Ira, c. XXXVII. *Iratum vidisti amicum tuum hostiario causidici alicujus, quod intrantem submoverat; & ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti.* Idem lib. XI. de tranquillitate vitæ: *Domus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis observatur janitoribus, turbam venali fastidio digerentibus: sed per hoc limen vacuum, & ab hostiariis liberum, fortuna non transit.* Et paullo ante: *Ille pusilli animi est, quod sibi placet, quod hostiario libere respondit, & virgam ejus fregit.* Varro I. de Re rustica, capit. XIII. *Eumque scire qui introeat, aut exeat nocttu, quidve ferat, præsertim si ostiarius est nemo.* Plinius lib. XII. c. XIV. *Præter hos & custodes, satellitesque, & hostiarii, & ministri populantur.* (*a*) Ulpianus: *Domo*, inquit, *ita ut instructa est cum omni jure suo legata, urbanam familiam, item artifices, quorum operæ cæteris quoque prædiis exhibebantur, legato non contineri: hostiarii autem, vel topiarii, diætarii, aquarii domui tantum deservientes continebuntur.* (*b*) Idem: *Cellarium quoque id est, ideo præpositum, ut rationes salvæ sint, item hostiarium, mulionemque instrumenti esse constat.* (*c*) Alfenus ait *textoribus omnibus, qui sui essent, cum moreretur, legatis; & eum quem postea ex his hostiarium fecisset, legato contineri: non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum transductum esse.* Porro, quo ignoti ædium ingressu arcerentur, non longe ab hostiarii cella, canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum CAVE CANEM, ut Petronius Arbiter Satyrico refert. Nam ex (*d*) edicto Ædilium canem mordacem ita habere, ut cuiquam nocere, vel damnum dare posset, non licebat. Vide latius Ausonii Popmæ fratris mei Conjectanea in Varronis Satyras Menippeas. Hostiarii etiam ecclesiasticum officium, dicti ab eo quod præessent hostiis templi, ut Isidorus lib. VIII. cap. XII. auctor est. *Ipsi enim*, inquit, *tenentes clavem omnia intus extraque custodiunt, atque inter bonos, & malos habentes judicium, fideles recipiunt, & respuunt infideles.* Erant & in familia Libitinariorum claudendis, & aperiendis sepulchris destinati, qui Janitores sepulcrorum dicti. Julius Firmicus libro III. cap. II. *In tertio loco Mercurius cum Saturno ab horoscopo pariliter constitutus, pollinctores faciet, ac funerarios mortuorum cadaverum custodes, aut sepulcrorum janitores.*

SCOPARII lavandis, & stercorandis latrinis adhiberi soliti, quorum ministerium erat, ut scopis deverrant pavimenta sordentia, dicti

a *Leg.* 15. §. 44. *ff. de injuriis.* b *Lib.* 1. *epist.* 14. c *Leg. citata.* d *Leg. ult. ff. de oper. servor.* e *Leg.* 1. §. *caupones. ff. naut. caup. stab.* f *Lib.* 1. *Amorum. eleg.* 6.

a *Legat.* 12. §. *Idem respondit. ff. de instr. vel instrum.* b §. 9. *eod. tit.* c *Leg.* 61. *ff. de legat. lib.* 3. d *Leg. bi nim; cum seq. ff. de ædilit. edicto.*

a scopis, quas *κόρημα* Græci nominant; *ἀπὸ τοῦ κορεῖν*, quod *scopare*, *ornareque* indicat. Unde illud apud Aristophanem elegantissimum, *μὴ κόρει τὴν ἑλλάδα*, *ne scopes Græciam*, id est, *ne in desolationem redigas*: sic enim loquebantur antiquiores Græci, ubi imprecatione acrius uti vellent. De his (*a*) Ulpianus: *Quibusdam in regionibus accedunt instrumento, si villa cultior est, atrienses, scoparii*. Nam cum de cultiore villa agitur, recte atriensibus junguntur scoparii; & apud (*b*) Plautum in Asinaria atriensis scoparium, in quem atriensi erat imperium, sic alloquitur:

Jussin' scelesta, ab janua hoc stercus hinc auferri;
Jussin' columnis dejicier operas aranearum;
Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Dormitis interea domi; atque herus in hara, haud ædibus habitat.

Et in Sticho;

Munditias volo fieri; ferte huc scopas, simulque arundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam, & texturam improbam,
Dejiciamque earum omnis telas.

Ad hos Cicero in Paradoxis respexit; *Sed ut in familia, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dederunt, ipsius civitatis locum pene infimum obtinent.*

PENICULI servi, qui peniculo mensam abstergebant: *erat* autem *Peniculus spongia, caudæ similis, qua similiter ut nunc mensæ abstergebantur*. Inde illud Plauti sub persona parasiti in Menæchmis, act. I. sc. I.

Juventus nomen fecit Peniculo mihi,
Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.

Idcirco Scena, *Sine fores*, ludens scripsit joculariter;

Quis iste est Peniculus, qui extergentur baxeæ?

Ac eodem ab Horatio allusum lib. II. Sat. VIII.

—— puer alte cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit;

Martialis:

Hæc tibi forte datur tergendis spongia mensis
Utilis, expresso cum levis imbre tumet.

Et Ulpianus spongias instrumento domus adnumerat, atque iis *columnas, pavimenta, podia, mensas extergeri refert*. Peniculus etiam sive penicillus pictoris instrumentum, quo inducit in picturam colores; cujus (*c*) Marcianus meminit: *Peniculi*, inquit, *& cauteria, & conchæ*. Et Plinius lib. XXXV. cap. X. *Arrepto peniculo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam*. Quintilianus lib. II. Instit. cap. XXII. *Ut cælator cælum, & pictor penicilla desiderant.*

UNCTORES servi inter mancipia a patrefamilias usus causa comparata numerantur ab Arriano. Plautus Trinummo, act. II. sc. I.

b *Leg. 8. ff. de instr. leg.* b *act. 2. sc. 4.* c *Leg. 17. de fund. instr.*

—— ducitur familia tota
Vestipicæ, unctor, auri custos. ——

Martialis XII. epigr. LXX.

Atque olei stillam donaret opelicus unctor

Antiqua inscriptio: AVRELIVS EROS VNCTOR. Et Cicero in Paradoxis: *Qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent.*

FORNACATOR servus, qui fornacem balnei, caminumque succendit. (*a*) Papinianus: *Instrumento balneatorio legato etiam balneatorem contineri, Neratius respondit; continetur autem & fornacator*. Hunc & fornacarium (*b*) Ulpianus nominat, cujus ad legem Aquiliam verba hæc sunt: *Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, & villa fuerit exusta, Neratius scribit ex locato conventum præstare debere, si negligens in eligendis ministris fuerit*. Fornacarium etiam sunt qui (*c*) intelligant pistrinarium, ac pistorem quoque. Hinc & fornacalia feriæ farris torrendi gratia institutæ, quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat, Ovidius II. Fastorum:

Facta dea est Fornax, læti fornace coloni.

Et paulo post:

Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

(*d*) *Focarium* autem qui focum curat, *& focariam, si modo aliquo officio virum adjuvet*, (*e*) Trebatius *instrumento contineri ait*.

BALNEATORES servi, qui balnearum curam habent, & earum usibus deserviunt. Unde (*f*) Mæcianus ait *Instrumento balneatorio legato, etiam balneatorem contineri, quoniam sine his balneæ usum suum præbere non possunt*. Balneæ autem, vel balnea, loca sunt publica, in quibus aut sanitatis, aut abstergendarum fordium causa lavamur. Balneum in singulari numero, locus in domo nostra, ubi privatim lavamur. Horum meminit Cicero pro Cœl. *Familiaris facta erat balneatori*. Plautus Truculento, act. II. sc. III.

Omnes amatores balneatores fient.

Balneatores vero ad custodienda vestimenta, conducta habebant mancipia. (*g*) Ulpianus: *Sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad custodienda vestimenta, conducta habent mancipia*. Qui balneas ingrediebantur, *quadrantem* balneatori solvebant; id quod Juvenalis significat, cum ait;

Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Et Horatius Satyra III. lib. I. serm.

—— dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, ——

Veteres ante cœnam plerumque balneas adibant: hinc de parasito vocato ad cœnam Plautus Persa;

a *Leg. 13. & 14. ff. de instr. vel instrum. legat.* b *Leg. 27. §. 9. ff. Ad l. Aquil.* c *Budæus ad l. Aquil. §. si fornacarius. l. si servus servum.* d *Leg. 1. §. caupones ff. naut. caup.* e *Leg. 12. §. Trebatius. l. 15. ff. de instr. vel instrum.* f *Leg. 17. in fin. ff. de instr. vel instrum. l. 15. §. 1. ff. de usufruct.* g *Leg. 4. §. 2. ff. de his qui not. infam.*

Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.
SA. *Me dicit, euge!* TO. *Lautum credo a balneis*
Jam hic adfuturum.

Et antequam irent ad tonsorem. Servus in tonstrina residens, apud Plautum Asinaria:

Ille in balneas iturus'st, inde huc veniet postea.

Ubi prius quidem se lavabant, deinde ungebantur. Plautus Pœnulo:

—— ubi tu laveris, ibi
Ut balneator faciat unguentariam.

Apulejus lib. IV. Metamorph. *In fine sermonis hujus statim sese devestiunt: nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Tum fricabantur. Plautus Pseudolo, act. IV. sc. VII.

Uncti hi sunt senes: fricari sese ex antiquo volunt.

Idem Pœnulo, de ornatu muliebri agens:

Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi.

quo in genere Lucilianum illud: *Scabor, supellor, desquamor, punicor, ornor, expilor, pingor.* Sed qua hora veteres ad balnea ibant? Plinius de Spurina loquens sic refert: *Ubi hora balnei nuntiata est (est autem hyeme nona, æstate octava) in sole ambulat nudus: lotus accubat.* Ergo balnei hora æstate, *octava*: hyeme, *nona*. Martialis lib. X. Epigr. XLVIII.

Nunciat octavam Phariæ sua turba juvencæ.
Temperat hæc thermas: nimios prior hora vapores
Halat. ——

Tertullianus de Jejuniis adversus Psychicos: *Apud quasdam vero colonias præterea annuo ritu saccis veluti & cinere conspersi, idolis suis invidiam supplicem objiciunt. Balnea, & tabernacula in nonam usque clauduntur.*

Infimæ, & miserrimæ conditionis inter servos erant, qui (*a*) compedibus vincti villarum, ac possessionum ergastulis continebantur; unde illa apud (*b*) Plinium de imminuta agriculturæ dignitate querela: *At nunc*, inquit, *eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Et Seneca lib. VII. De Benefic. cap. X. *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* De his Ovidius in libro de Ponto, ad Græcinum, de se loquens:

Hæc facit ut vivat vinctus quoque compede fossor;
Liberaque a ferro crura futura putet.

Seneca libro de Tranquillitate animi cap. X. *Cogita compeditos primo ægre ferre onera, & impedimenta crurum: deinde ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas, fortiter ferre docet; consuetudo, facile.* Et Propertius:

Squallidus in magna fastidit compede fossor.

a *Leg.* 15. §. 44. *ff. de injuriis.* b *Lib.* 18. *cap.* III. *Natur. Hist.*

Ad eosdem respexit Martialis lib. IX. Epigr. XXII.

Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.

Dicuntur & *Alligati* a (*a*) Columella, dum scribit *vineta plurimum, per alligatos excoli.* (*b*) Seneca *sonantia laxi ruris ergastula* vocat; Plautus *genus ferratile*, quod annulatis cruribus atterunt assidue ferrum. Mostellaria, act. I. sc. I.

Cis Hercle paucas tempestates, Tranio,
Augebis ruri numerum, genus ferratile.

Et Martialis:

Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus.

Annulus enim pro compede, a similitudine quæ illi cum annulo. Plautus Menæchmis, act. I. sc. I.

Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti annulum lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavim.

Græci ad rura excolenda etiam servis utebantur, quos Athenienses θῆτας, Lacedæmonii εἵλωτας, Thessali πενέστας, Cretes κλαρώτας vocabant, ut (*c*) Aristoteles, Halicarnasseus, Pollux, Æmilius Probus, & (*d*) Suidas referunt. Et Persis vinciendorum servorum usitatum morem fuisse (*e*) Xenophon lib. I. παιδ. κύρ. tradit.

ARENARII, qui in harenam depugnandi causa intromissi essent, in extremæ notæ servis fuerunt: itaque nisi a venditore id palam pronunciatum esset, servi redhibendi gratia ex edicto ædilium judicium dabatur: qui postea manumissi civitatem Romanam sperare non poterant, sed dedititiorum numero habebantur. Horum meminit (*f*) Ulpianus: *Item si quod*, inquit, *mancipium capitalem fraudem admiserit: mortis consciscendæ sibi causa quid fecerit: inve harenam depugnandi causa ad bestias intromissus fuerit: ea omnia in venditionibus pronuncianto: ex his enim caussis judicium dabimus.*

HELCIARII servi, qui loris & capistris juncti, adversis fluminibus, aut vento contrario naves, vel machinas, molasque trahunt. Martialis lib. IV. Epigr. LXIV.

Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.

Apulejus libro IX. Metamorphos. *Jamque maxima diei parte transacta, defessum alogui me, helcio sparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præsepio.* Et paulo post: *Helcio tandem absolutus refectuique secure redditus.* Sunt præterea & alia servorum genera, quorum alii *receptitii*, alii *adscriptitii*, alii *originarii*, alii vero *fructuarii* dicuntur.

RECEPTITIUS servus est, non ut Festus interpretatur, *qui ob vitium redhibitus sit*, sed ut recte (*g*) Gellius, *quem mulier in danda dote, aut donatione receperat.* Quoties enim *mulier dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum transmittebat, ea* recipere *dicebatur*, id est, *excipere*, ne in dominium mariti cum reliqua dote venirent. Cato in suasione legis Voconiæ: *Principio vobis mulier magnam dotem*

a *Lib.* I. *c. ult.* b *Lib.* III. *Controversiarum.* c *Leg.* I. *Politic.* d *Onomast.* e *In Pæan.* f *Leg.* I. §. *item si quod, ff. de ædil. edict.* g *Lib.* 17. *Noct. Attic. cap.* 6.

attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non committit; eam pecuniam viro dat mutuam: postea *ubi irata facta est, servum receptitium sectari, atque flagitare virum jubet*. Eundem Plautus in Asinaria *Dotalem servum* nominat:

Dotalem servum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit, quam tibi.

Et * Papinianus: *Servum*, inquit, *dotalem vir, qui solvendo est, constante matrimonio manumittere potest; si autem solvendo non est, licet alios creditores non babeat, libertas servi impedietur, ut constante matrimonio deberi eos intelligatur*.

(*a*) ADSCRIPTICIUS servus, quem Justinianus ἐναπόγραφον vocat, qui prædio, vel terræ alicui perpetuo colendæ sit (*b*) adscriptus, sic ut inde se movere non possit, & omnia bona dominis prædiorum (*c*) adquirat. Horum conditio Adscripticia (*d*) dicitur; & appellantur modo *originarii*, modo *coloni*, nonnunquam *agricolæ*: qui utcunque conditione liberi esse videri possunt, cum durum illud dominorum jugum ut alia mancipia, non patiuntur, servi tamen existimantur, & eorum sunt numero, partim respectu terræ, cui perpetuo sunt adsignati; partim dominorum consideratione, quorum dominio non secus quam servi subjiciuntur. *Quæ enim differentia*, inquit Justinianus, *inter servos, & adscripticios intelligatur, cum uterque in domini sui potestate est positus, & possit servum cum peculio manumittere; & adscripticium cum terra dominio suo (e) expellere*. Hos etiam *partiarios* quidam vocant.

(*f*) ORIGINARII, qui & originales appellantur, ex adscripticiis nati sunt in ipso solo, sive fundo; & *ejusmodi sine terra, quam coluerunt, vendi nequeunt*. (*g*) Sic & (*h*) Originaria.

(*i*) FRUCTUARII servi vocantur, in quibus usumfructum quis habet, sed alterius est proprietas. Nam & fructuarii servi in servitute fuisse videntur, *nec tam proprietatis causa ad quæstionem, quam ministerii (k) pertinent*. Ulpianus: *Suos autem servos, vel ancillas eos accipimus, qui sunt pleno jure testantis, inter quos fructuarii non continebuntur*. De iis autem servis, quos veteres morbosos, & fugæ suspectos habebant, in edicto Ædilium Curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum, scriptum sic fuit: *Titulus servorum singulorum, ut scriptus sit curato, ita ut intelligi recte possit, quid morbi, vitiique cuique sit; Quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit*.

FUGITIVUM servum (*l*) Ofilius definit, *qui extra domini domum, fugæ causa, quo se a domino celaret, mansit*: Cælius *eum, qui ea mente discederet, ut ne ad dominum rediret: qui ex animo, & affectu fugæ, non ex ipso fugæ actu æstimandus*. Quod tamen sic accipiendum est, ut solo proposito fugiendi a domino servus fugitivus non fiat, *nisi in ipsum factum fugæ*, initio mente (*m*) *deduxerit*. De his Plautus Menæchmis:

* *Leg. 21. ff. de manumissionibus.* a *Novell. Constant* 22. b *Leg. 54. §. ultim. ff. locati. leg. 32. ff. de pignor.* c *Leg. 6. 18. 22. Cod. de agricol. censit & Colon.* d *Leg. ult. Cod. de transactionibus.* e *Leg. cum satis. Cod. de agric. & censit.* f *leg. 4. Cod. eod.* g *eod. leg. 7. 11. Cod. eodem.* h *leg. 7. Cod. de murilegulis.* i *leg. 37. §. 5. ff. de acquirend. rer. domin. leg. 39. ff. de stipulat. serv.* k *Leg. 27. ff. ad leg. Jul. de adult.* l *Leg. 17. in princ. & §. 1. cum seq. ff. de ædilit edict.* m *Leg. 225. de verb. signifi.*

Homines captivos qui catenis vinciunt:
Et qui fugitivis servis induunt compedes.

Idem in Captivis:

Apage, haud nos deceat fugitivos imitari.

Fugitivi autem notis, vel literis compungi solent, quibus persæpe dignoscuntur, & deprehenduntur; (*a*) *sed & pedum amputatione coerceri, & qua parte peccassent*, eadem mulctari. Quintilianus: *Si quis fugitivo stigma scripserit*. Petronius Arbiter: *Notum fugitivorum epigramma*. Capitolinus in Macrino: *Servos, qui a dominis fugissent, repertos, ad gladii ludum deputabat*. Solebant & servi fugitivi ne deprehenderentur, & ut hanc gravem pœnam evitarent, exclusis utrimque auribus capite operto incedere: itaque apud Senecam de Mæcenate scriptum: *Hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter quam in mimo Divite fugitivi solent*. Utilitatis vero causa receptum est, ut servi qui sunt in fuga, pro furtivis habeantur, (*b*) *ne usucapi, vel longi temporis præscriptione adquiri possint*; & sic a fuga deterreantur, si nec recipi se posse a quoquam, vel celari impune, intellexerint, nec alteri adquiri ullo titulo. *Qui vero a domino non agnoscuntur, per officium præfecti vigilum distrahuntur, & intra triennium a die venditionis agniti, emptor pretium a fisco recipere potest, sed post triennium domino vindicantes, emptor summovet præscriptione triennii*.

FUGITIVARIUS est, ad quem se fugitivus receperat, & qui eos reducit; vel qui dominis indicat, ubi fugitivi celentur. (*c*) Ulpianus: *Si apud te ego, & fugitivarius deposuimus*. Et qui fugitivos servos persequitur, id quod ex L. Annæo Floro perspicuum, dum bello servili, uti capta fuerint prætorum castra, & fugati cives refert: *Ita*, inquit, *qui per fugitivarios retrahi debuissent, prætorios duces profugos prælio ipsi sequebantur*. Ad officium autem præfecti vigilum spectat, *ut (d) fugitivos conquirat, & dominis agnoscentibus reddat*, non agnitos vendat. Moris etiam Romani, ut is, cujus servus fugerat libello proposito, vel per præconem denunciaret, tantum se daturum ei, qui ad se servum perduxisset. Plautus Mercatore, Act. III. Sc. ult.

Certum est præconem jubere jam quantum est conducier,
Qui illam investigent, inveniant. Post ad Prætorem
Ibo, orabo, ut conquisitores det mihi in vicis omnibus, &c.

Curius Fortunatianus J. C. Rhetoricæ lib. I. *Cujus servus fugerat libello proposito, vel per præconem nuntians, dixit daturum se denarios mille ei, qui ad se servum perduxisset*. Et (*e*) Ulpianus: *Si tibi indicium dedero ut fugitivum meum indices, vel furem rerum mearum; non poterit repeti quod datum est*.

FURCIFER servus vocabatur, qui ob flagitium aliquod furcam in collo circumferre per urbem, aut viciniam a domino cogebatur, ignominiæ magis, quam supplicii causa. Isidorus: *Furcifer dicebatur olim, qui ob leve delictum cogebatur a dominis, ignominiæ magis, quam sup-*

a *Leg. 3. Cod. de serv. fugit.* b *Leg. 1. C. de servis fugit.* c *Leg. 18. ff. de præscrip. vertis.* d *leg. ult. ff. de offic. præf. vigil.* e *leg. 4. ff. de con l. ob turp. cau am.*

plicii causa, furcam circa urbem ferre, prædicans peccatum suum, & monens ceteros, ne quid simile peccarent. Meminit hujus supplicii Plutarchus in Coriolano, cum humane habitos servos a priscis dominis narrat: Ην δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτου πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν ἀράμενος διεξέλθοι παρὰ τὴν γειτνίασιν, ὁ γὰρ τοῦτο παθὼν, καὶ ὀφθεὶς, οὐκέτι πίστιν εἶχεν, ἐκαλεῖτο δὲ φουρκίφερ. Id est: *Erat autem magna castigatio servi delinquentis, si lignum currus, quo temonem sustentant, ferens exiret circa viciniam. Id enim passus, & sic conspicuus, non ultra fidem habebat, & vocabatur Furcifer.* Plautus in Amph.

Ego pol te istis tuis pro dictis & malefactis, furcifer
Accipiam. ——

Terentius in Andria:

Oh! tibi ego ut credam furcifer?

Hinc *trifurcifer*, insignis furcifer dicitur. Unde Plautus in Aulularia:

—— CON. *tu trium literarum homo,*
Vituperas me? AN. *etiam fur trifurcifer.*

Furcam vero quam servi pro delicto circumferre cogebantur, Plutarchus in Coriolano, & Halicarnasseus lib. VII. describunt; at non eadem erat furca ad quam ligati, & sub ea cæsi per viam ducebantur, deinde collo in eam injecto traducebantur ad supplicium, sed lignum duplex διπλοῦν, vel potius δικροῦν, quo media parte collo inserto vincitur cervix rei, ut Plutarchus, Suidas, & Zonaras tradunt. Cicero: *Servus per Circum, cum virgis cæderetur, Furcam ferens ductus est.* Livius: *Servum quidam paterfamilias nondum commisso spectaculo, sub (a) furca cæsum, medio egerat circo.* Suetonius in Nerone: *More majorum nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus ad necem cædi.* Aurelius Victor: *Senatus sententia constitutum, ut more majorum collo in furcam conjecto, virgis ad necem cæderetur.* Habena autem cædi servos solitos ex (b) Ulpiano constat, & ex Horatii versu lib. II. Epistol.

In scalis latuit metuens pendentis habenæ.

Erant præterea servi *vinarii, errones, vespertiliones, plagiarii, insularii, servi pœnæ, literati, veteratores, & novitii.* VINARIOS (c) Ulpianus in Ædilitio vocat, servos vino deditos: *Item aleatores,* inquit, *& vinarios non contineri edicto quosdam respondisse, Pomponius ait.* Et paullo post: (d) *Quod deterior factus est servus, non solum ad corpus, sed etiam ad animi vitia referendum est; utputa si imitatione conservorum apud emptorem talis factus est: aleator forte, vel vinarius, vel erro evasit.*

ERRONES servi dicuntur, qui non quidem fugiunt, (e) *sed frequenter sine caussa vagantur, & tempore in res nugatorias consumpto, serius domum redeunt;* & differunt a fugitivis; quod fugitivi eo animo fugiunt, ut non redeant; leviusque est erronis, quam fugitivi vitium. Unde (f) Labeo definit erronem *pusillum fugitivum esse;* & ideo *fugitivum, & erronem non secundum propositionem mentis solam, sed cum aliquo facto intelligi (a) constat.* Et (b) Arrius: *Erro,* inquit, *in servo est, ut emansor in militibus. (c) Emptor autem servorum errones non esse, aut noxa solutos epromitti sibi recte postulat.*

VESPERTILIONEM servum (d) Alciatus esse putat decoctorem, aut rationum conturbatorem in stipulatione evictionis, qua jubet Prætor caveri servum venditum furem non esse, vespertilionem non esse; eo quod servis peculium plerumque concedebatur, in quo fraudare creditores poterant. Budæus per vespertilionem intelligit, *qui interdiu exiliter videt,* & vesperi justam aciem habet. Mihi versperiliones servi videntur esse, qui interdiu latitant, & nihil agunt, noctu vero oberrant, ut nullum usum dominis præstent; qua ratione Varro in Agathone locutus:

Quid multa? factus sum vespertilio, neque
In muribus plane, neque in volucribus sum.

Nonius videtur sic eos appellasse, qui dubiæ sunt fidei; quia vespertilio nec inter mures sit, nec inter volucres, ut auctor est (e) Plinius; aversanturque eam aves tamquam quadrupedem, & quadrupedes tanquam volucrem. Artemidorus libro III. tradit, *& sic fures, atque adulteros appellari posse,* quoniam, ut ait Catullus,

Luce latent fures. ——

Quem vero Ulpianus *vespertilionem*, Plautus *tenebricolam* vocat, Varro *tenebrionem*, *lucifugam* Lucilius. Aristophanes in Nubibus, Chærephonti Socratico inditum *Nycteridis*, id est vespertilionis nomen refert, quia atro colore esset, & tenuissimam vocem haberet. Basilius Hexameron ad philosophos id trahit, qui hebetibus oculis cælestia contemplantur, cæcutientes in rebus seriis, quod animal id interdiu parum videat. Vespertiliones per translationem dicuntur etiam debitores, qui ære alieno obruti metu creditorum, interdiu domi delitescunt, noctu tantum prodeuntes.

(f) PLAGIARIUS servus mancipiorum suppressor, quem Tertullianus libro primo adversus Marcionem *plagiatorem vocat,* qui servo, aut servæ persuadet, ut a domino, dominave fugiat; vel eum eamve invito, vel insciente domino celat, vinctum habet, emit, vel vendit. Plagiarius etiam dicitur, (g) *qui sciens liberum hominem vendit,* in servitutem trahit, aut eo utitur quasi servo: & qui servos alienos supprimit. Auctor Etymologici: Ανδραποδιστὴς δ' οὐ μόνον ὁ τοὺς ἐλευθέρους ἀπάγων εἰς δουλίαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν. In tabernis vero versabantur servi plagiarii, ut Festus ait, & alii humilis conditionis viri, ac mulieres.

INSULARIUS servus custos insulæ; sive domus in urbe ab aliis domibus sejunctæ more insularum. Insula enim ædificium proprio ambitu separatum ab aliis. Tacitus: *Germania suam quisque domum spacio circumdat, nullis cohærentibus ædificiis, more insularum.* (h) Pomponius: *Dominus,* inquit, *proprietatis, etiam invito usufructuario, vel usuario, fundum, vel ædes, per sal-*

a *Vide Cujacium lib. 16. cap. 1. Observation. Petrum Fabrum cap. 8. lib. II. Semestrium, & Lipsium lib. 3. cap. 1. & 3. de Cruce.* b *Leg. 1. §. impuberi. ff. de S.C. Silaniano.* c *Leg. 4. §. 2. ff. de ædilit. edict.* d *Leg. 25. §. Pedius eod. tit.* e *Leg. 4. §. 2. ff. de ædilit edict.* f *Leg. 25. §. Pedius ff. eod. tit.*

a *leg. 17. §. erronem, ff. eod. tit.* b *loco citato.* c *Leg. 14. Cod. de act. empti.* d *Lib. priorib. Parergon.* e *lib. 10. cap. 61.* f *leg. 17. §. 7. ff. de ædilitio edicto. leg. 52. §. 12. ff. de furtis. leg. 8. Cod. de repud.* g *leg. 2. C. ubi. de crim. agi oportet. lib. 5. §. qui defens. ff. de re milit. l. 1. Cod. ad leg. Fab. de plagiar.* h *leg. 16. §. 1. ff. de usu. & habit.*

tuarium, vel insularium custodire potest. Insularium urbanorum numero esse idem (*a*) Pomponius tradit: *Urbana familia, & rustica non loco, sed genere distinguitur: potest enim aliquis dispensator non esse urbanorum servorum numero, veluti is qui rusticorum rationes dispenset, ibique habitet; & non multum abest a villico. Insularius autem urbanorum numero est.* Insularii etiam dicuntur viles servi ac pessimi, (*b*) *qui sine civitate sunt in opus publicum perpetuo dati, & in insulam deportati.* Deportationem in insulam significat Seneca: *Magis ignosco ei, qui vulnus inimici, quam qui insulam concupiscit.* Sunt qui servos insularios putent indicatos in carmine obscœno his versibus:

Ductor ferreus insularis, æque
Laternæ videor fricare cornu.

(*c*) SERVI POENÆ dicuntur, *qui in metallum, & in opus metalli*, vel qua alia pœna damnantur, quæ corporis laborem, & servitutem irrogat: veluti *qui in metallicorum ministerium, ad ludum, ad bestias, in opus publicum damnantur; qui pœnæ magis, quam Cæsaris, & fisci servi sunt.* Marcianus: *Quidam sunt servi pœnæ, ut in metallum damnati, & in opus metalli. Atque hi quidem vel in perpetuum, vel ad tempus damnari solent, qui in omni jure vere, ac semper similes sunt mortuis.* Servam etiam pœnæ mulierem factam, quæ vel in opus salinarum, vel in ministerium metallicorum damnabatur, (*d*) Ulpianus tradit: *In ministerium*, inquit, *metallicorum fœminæ in perpetuum, vel ad tempus damnari solent, simili modo, & in salinas. Et siquidem in perpetuum fuerint damnatæ, quasi servi pœnæ constituuntur.* Nam hujusmodi etiam pœnis, quæ servitutem irrogarent, adfici mulieres consueverant: quam tamen servitutis pœnam Justinianus postea Novella XII. abrogavit.

LITERARUM servum in Casina Plauti pro stigmatico accipiunt, qui literarum notis sit inustus:

Si hic literatus me sinat.

Nam veteres servorum suorum frontes, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, aut literis, aut aliis quibusdam notis per ignominiam ardenti ferro inurebant: post inustionem autem, quo magis eminerent literæ, & præberent se lectui, atramentum infundebatur, ut ex Zonara, & Petronio constat. Unde Juvenalis, lib. XIV.

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Et apud Plautum Sceparnio solus, destitutus, & animi anxius ait in Rudente, act. II. sc. V.

Nempe optimo me jure in vinclis enicet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit.
Nam hæc literata est, ab se cantat cuja sit.

Valerius Maximus lib. VI. cap. VIII. *Servus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpugnabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus.* Quare στιγματίαι vocabantur. Lucianus, Πῶς δ' ἐγὼ στιγματίας ἐγενόμην; Unde stigmatici servi, teste Polluce, *notis compuncti* appellantur, quos Plinius *inscriptos vultus* vocat: *At nunc*, inquit,

A *eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Et Cajus de iisdem: *Aut in quorum facie, vel corpore quæcunque indicia aut igne, aut ferro impressa sunt.* Ad hos literatos servos respexit D. Augustinus in epistola ad Galatas, cum ait: *Stigmata dicuntur notæ quædam pœnarum servilium; ut si quis, verbi gratia, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur: & ideo in jure manumissionis, inferioris est ordinis.* Isidorus libro IX. Originum: *Propter suppliciorum notas, quas manifeste perpessi sunt, ad dignitatem civium Romanorum non pervenerunt.*
B Tertullianus in libro de Resurrectione carnis: *Orote, si famulum tuum libertate mutaveris, & vestis albæ nitore, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxiæ retro fuerant.* Diogenes Laertius de Bionis patre ante servo libro IV. Ἔχων ἀπρόσωπον, ἀλλὰ συγγραφὴν ἐπὶ τοῦ προσώπου, τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον. Et Plinius in Panegyrico: *Exanguem, & ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis; & notas suas rideant:* a qua inhumanitate revocat Phocylides:

C *Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.*

Nostra ætate noxiis quibusdam, notas ferro inuri conspicimus.

VETERATOR servus, qui diuturna, & multiplici servitute astutus, & vafer evasit; unde *veteratores*, ut Festus ait, *callidi* dicti a multa rerum gerendarum vetustate. Cannius:

Mulieri non astutæ facile veterator persuasit.

Terentius in Andria, actu II. sc. VI.

D —— *quid hic volt veterator sibi?*

Veterator apud (*a*) Ulpianum idem est qui & veteranus; & apud Marcianum: *Si tamen novicia mancipia fuerint, non etiam veterana.* (*b*) *Trita vero mancipia, & veterana, quæ reformare difficile esse* Ulpianus ait, noviciis opponuntur: *Præcipiunt*, inquit, *ædiles ne veterator pro novicio veneat; nam plerique solent mancipia quæ novicia non sunt, quasi novicia distrahere, ad hoc ut pluris vendant; præsumptum est enim ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora,*
E *& dociliora, & ad omne ministerium habilia.* (*c*) *Sunt autem veterana, quæ in urbe, non in agro anno continuo servierunt:* nam rustici servi veterani non dicuntur: *novicia intelliguntur, quæ annum nondum servierunt*, (*d*) *quotiens quis professus non fuerit, in commissi pœna est.* Veterani vero non tam spatio serviendi, quam genere, causa, & conditione servitutis æstimantur. (*e*) Venulejus: *Servus tam veterator, quam novicius dici potest; sed veteratorem non tam spatio serviendi quam genere & causa æstimandum Cælius ait; nam quicunque ex venalicio noviciorum emptus, alicui mi-*
F *nisterio præpositus sit, statim eum veteratorum numero esse: novicium autem non tirocinio animi, sed conditione servitutis intelligi.* De noviciis Cicero in Pisonem: *Jamne vides bellua, jamne sentis quæ sit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum nescio quem de grege noviciorum factum esse consulem.* Et Terentius in Eunucho:

a *Leg. Urbana familia de verb. signif.* b *leg. 17. ff. de pœnis.* c *Leg. 12. l. 17. l. 30. ff. eodem. l. 25. §. si quis plane. ff. de acq. hæred. leg. 7. ff. de his qui sunt sui vel alien.* d *leg. 8. §. in ministerium. ff. de pœn. l. 6. ff. de statu liber. l. 6. ff. de captis & postlim.*

a *Leg. ult. §. quotiens. ff. de publ. & vestig.* b *leg. 37. ff. de ædil. ed.* c *leg. ult. §. quotiens. ff. de public. & vectigal.* d *leg. ult. ff. eod.* e *leg. ult. §. ul. ff. de ædilit. edict.*

Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illam essent, manent
Novitiæ Puellæ. ——

CATASTI servi dicti a catasta, id est loco, in quo venalitii servi asservabantur. Illic quoniam magnus erat servorum strepitus, ait Martialis lib. IX. Eprigr. XXIX.

Heu quæ lingua silet, non illam mille catastæ
Vincebant. ——

De his idem lib. XII. Epigr. LXXIV.

Cum tibi Niliacus portet crystalla catastus.

Catullus:

Barbara gypsatos ferre catasta pedes

GYPSATOS vocat servos, quorum pedes creta denotati. Ovidius:

Despice gypsati nomen inane pedis.

Hinc Plinius lib. XXXV. cap. XVII. ait; *Est & vilissima creta, qua pedes venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores.* Et Juvenalis Satyra I.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

(*a*) NECESSARIUS servus dicitur, qui hæres a domino suo institutus est, quando non est solvendo hæreditas; causa enim servi hæredis instituendi est, ne post mortem domini creditores illis defraudentur. (*b*) Ulpianus: *Minori substitutum servum necessarium, repudiante quidem hæreditatem minore, necessarium fore: &, si fuerit restitutus minor, liberum nihilominus remanere.* (*c*) *Contra servum autem necessarium heredem institutum, non datur inofficiosi testamenti querela.*

PILEATI servi, *qui pileo imposito vendebantur, quorum nomine venditor nihil præstaret*, quoniam emptoris oculi jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus. Nam sicut antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta venibant, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi conditionis mancipia venundari, quæ insignia essent, ut emptores errare, & capi non possent, ut Gellius ex Sabino refert. Pileati servi etiam dicti, *qui domini funus antecedunt:* nam servi directo manumissi in testamento pileum statim sumere, ac funus præcedere solebant, ut Justinianus Imperator refert. *Qui domini*, inquit, *funus pileati antecedunt, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris, vel hæredis, fiant illico cives Romani*; & (*d*) Dionysius Halicarnasseus l. VIII. *ἔγωγ' οὖν ἐπίσταμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέροις μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτάς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροί, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακολουθῶσι τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες.* Id est, *Equidem scio quosdam, qui testamento omnes suos servos manumiserunt, ut post mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales prosequerentur pileati.* Unde ad hunc ritum Livius respiciens tradit, *Q. Terentium Culleonem, qui a Scipione servitio erat exemptus, adeo amicum Corneliæ familiæ fuisse, ut pileatus, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum Scipionis iverit.* Ad pileum servi vocati, qui ad libertatem vocabantur. Suetonius in Tiberio: *Servisque ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit.* Nam pileus signum libertatis.

PERENNIS servus est, qui perpetuo servit uni domino. Plautus Persa:

Perenni serve, lurco, edax, furax.

Sed quamvis servi dura & gravi servitute premerentur, tamen quædam animorum relaxatio illis concessa erat; & sine discrimine cum dominis colludere, ac festos dies agere solebant. Seneca epist. XLVII. *Instituerunt diem festum, non quo solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, jus dicere permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse judicaverunt.* Erat vero servorum dies festus Eidibus Augusti, quod eo die Servius Tullius Rex natus sit e serva, ut Festus scribit. (*a*) Et Saturnalibus servi usuariam quandam libertatem assumebant; & ut ipsi dominis toto anno, sic hoc die domini servis suis ministrabant. Ausonius de Feriis Romanis:

Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam;
Festaque servorum, cum famulantur heri?

Sedebant quoque ad dominicam mensam dominis præministrantibus, ut Athenæus libro XIV. Dipnosoph. refert. Unde Attii versus:

Exercent epulas læti, famulosque procurant
Quisque suos.

Cum quibus & vestem commutabant, ut Dio lib. LVIII. auctor est; ut hac comitate obstricti, in dominos obsequiis paratiores essent, odiaque invicem, offensionesque dimitterent. Nam, ut D. Hieronymus ad Celantiam scribit, *Fidelius*, inquit, *& gratius semper obsequium est quod ab amore quam quod a metu proficiscitur.*

ATQUE hæc quidem habui, quæ de operis servorum dicerem, de quibus multo plura adduci potuisse auctorum testimonia non ignoro: de iis certe, quæcunque libris nostris continentur, ea a me in hunc librum fere omnia conjecta esse credo.

a *Leg. facta. §. ult. ff. ad senat. Trebel. leg. 27. ff. de manu. testam.* b *leg. 7. §. 10. ff. de minorib.* c *leg. fratres. C. de offic. testa. leg. ult. C. de neces. hered. instit.* d *leg. 1. c. de lat. libert. tol.*

a *Vide Lipsium lib. 1. cap. 2. Satur. Sermon.*

FINIS.

I N D E X
AUCTORUM, RERUM, ET VERBORUM.

INDEX

B

C

D

cura-

I N D E X

N

Necis

O

INDEX

Q

R

S

cri-

T

V

F I N I S.

ERRATA, ET ADDENDA

In hoc Volumine. Pag. 75. C. lin. 15. XXI. *lege* XX. pag. 3. A. lin. 4. XL. *lege* LX. pag. 3. B. lin. 10. XLI. *lege* LXI. *& sic porro Titulorum numeri, qui luxati sint, emendentur*. pag. 299. E. lin. 62. epist. *lege* Epigr. pag. 299. E. lin. 64. epist. *lege* Epigr. pag. 338. A. lin. 1. Statius. *lege* satius. pag. 338. E. lin. 58. lib. 5. *lege* lib. 3. lin. 6. præ mio. *lege* præmio. pag. 736. lin. 20. alteram historiam. *lege* altera historiam. pag. 801. A. lin. 12. in Varum. *lege* in Verrem. *In Voluminis I. Præf.* Art. XLIII. pag. XIII. lin. 26. Maioragius an. 1561. *lege* Maioragius an. 1555. Art. XLVIII. pag. XVI. lin. 2. Hanoviæ an. 1599.) *lege* Hanoviæ 1599. ut in ea, quam habeo, apparet editione: alia editio, item Hanoviæ, sed an. 1612. cujus in fronte Libri illi dicantur tunc PRIMUM EDITI, indicata mihi fuit) *In Voluminis II. Præf.* Art. XXVI. pag. X. lin. 44. Clementio) 1552. *lege* Clementio) 1652. *iisdem* Art. & pag. lin. 48. Editioni (an. 1556.) *lege* Editioni (an. 1656.) Art. XXXII. pag. XII. lin. 46. usquam vidi, aut commemoratum inveni. *lege* usquam videram, aut commemoratum inveneram: nuper verò indicatum mihi fuit, Relandum de Cabiris egisse in sua Dissertationum Miscellanearum Parte prima (edita Trajecti ad Rhenum an. 1706.) Dissertatione quinta. *In ejusdem Vol. II. Oper.* pag. 297. A. lin. 12. quispiam *lege* quidpiam. pag. 297. B. lin. 18. quibus cum. *lege* quibuscum. pag. 302. B. lin. 19. alterum. *lege* alteram. pag. 307. D. lin. 40. puerili. *lege* pueruli. pag. 309. A. lin. 8. ἀδηλῳ *lege* ἀδήλῳ. pag. 309. B. lin. 16. ἀποθέωσει. *lege* ἀποθεώσει. pag. 311. E. lin. 53. magis, *lege magisque*. pag. 313. B. lin. 26. Hylolatæ. *lege* Stylobatæ. pag. 315. F. lin. 64. poterat, comitari. *lege* poterat comitari. pag. 316. F. lin. 60. ἀδανάτων. *lege* ἀθανάτων. pag. 318. B. lin. 15. datum *lege* doctum. pag. 318. B. lin. 21. Hæc. *lege* Hæ. pag. 321. D. lin. 45. oculis. *lege* oculi. pag. 321. D. lin. 45. cæteribus. *lege* cæteris. pag. 323. B. lin. 13. vidbantur. *lege* videbantur. pag. 325. F. lin. 59. κειμηλυαρχίῳ. *lege* κειμηλιαρχίῳ. pag. 332. C. lin. 28. Trippode. *lege* Tripode. pag. 332. C. lin. 31. de Phœbi. *lege* Te Phœbi. pag. 332. E. lin. 53. ornarii. *lege* ornari. pag. 332. E. lin. 58. τρίτιος. *lege* τρίπυς. pag. 335. E. lin. 54. collatas. *lege* allatas. pag. 336. B. lin. 17. censuerant. *lege* consueverant. pag. 337. E. lin. 54. linqua *lege* lingua. pag. 338. D. lin. 40. confecti *lege* consecuti. pag. 338. E. lin. 62. Abba. *lege* Abbas. pag. 339. D. lin. 45. formatiles. *lege* tornatiles. pag. 340. A. lin. 2. adjecit. *lege* adjecisset. pag. 341. C. lin. 30. fuscum. *lege fusum*. pag. 341. E. lin. 52. factu. *lege* factum. pag. 341. E. lin. 56. Cavernæ potest. *lege* Cavernæ os potest. pag. 342. C. lin. 32. ilud. *lege* illud. pag. 344. D. lin. 41. *dele verba*: ut quod ipsi liberet, videretur: *quæ sunt repetita*. pag. 344. E. lin. 48. rerum. *lege* verum. pag. 345. D. lin. 38. Cortinæ, materies. *lege* Cortinæ materies. pag. 346. B. lin. 22. μεσομφαλον. *lege* μεσόμφαλον. pag. 348 C. lin. 26. Joanne. *lege* a Joanne. pag. 350. D. lin. 41. fecisse. *lege* fuisse. pag. 352. A. lin. 5. cumularent. *lege* cumularunt. pag 352. C. lin. 33. per injuriam. *lege* per incuriam. pag. 352. E. lin. 64. βάθοις, ὑμάλα. *lege* βάθεις οὐ μάλα. pag. 353. B. lin. 17. periculum. *lege* oraculum. pag. 353. C. lin. 33. & credamus. *lege* ut credamus. pag. 355. F. lin. ult. pretereat. *lege* prætereat. pag. 358. E. lin. 54. Bellonius *lege* Bellorius. pag. 359. A. lin. 10. Flurius. *lege* Fluvius.

Series Tabularum.

N. S. T. III. PRÆF. TAB. A
N. S. T. III. PRÆF. TAB. B.
N. S. T. III. PRÆF. GORII. pag. XV.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. I.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. II.
N. S. T. III. pag. 48. Tab III.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. IIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. V.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. VI.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. VII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. VIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. VIIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. X.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XI.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XIIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XV.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XVI.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XVII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XVIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XVIIII.
N. S. T. III. pag. 48. Tab. XX.
N. S. T. III. pag. 477. Tab. XXI
N. S. T. III. pag. 557. Tab. XXII.
N. S. T. III. pag. 628. Tab. XXIII.
N. S. T. III. pag. 1181. Tab. *XXIIII.*
N. S. T. III. pag. 1209. Tab. *XXV.*
N. S. T. III. pag. 1277. Tab. *XXVI.*





